

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841136-p0001-7

Nab. 5.
5.

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS

DENUO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGUS TUBINGENSIS.



TUBINGAE

SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE

M D CCLXX.



PRÆFATIO EDITORIS.

Succedit iusto ordine doctrinæ de *baptismo*, superiori tomo *nono* a b. GERHARDO expositæ ac finitæ, copiosior pertractatio argumenti de *sacra cœna*, altero novi fœderis sacramento, vere ardui, & tot controversiis, quot vix aliud ullum, tam recentioribus quam antiquioribus nobilitati, ut inanem sumeremus operam, si nunc demum de rei *momento* lectores nostros monere vellemus. Primo quidem & beato illo, quo ecclesia Christi nata ac plantata fuit, ævo non auditæ sunt de hac doctrina rixæ vehementiores, quæ christianorum commoverint animos eosdemque penitus diremerint. Sanctissimo potius animi

habitu & tanquam σύμψυχοι ad divinum hocce epulum acceſſere, frequentiori magis & ſalutifero eius uſu gaudentes, quam cœleſtis myſterii indolem curioſius rimantes. Poſterioribus demum temporibus, perverſa philoſophandi ratione inſtituta & diſputandi libidine aucta, factum prohdolor! eſt, ut a prima illa ſimplicitate recederent complures, fideique myſteria demiſſo mentis cultu veneranda in materiam ſubtilitatis ingeniorum exercendæ converterent. Nata hinc eſt, uti in aliis, ſic in hac præcipue doctrina, infelix errorum ſeges, cui vis multorum acceſſit, opinionum ſuarum commenta etiam aliis tanquam palmaria fidei capita obtrudendi. Cuius rei ſpecimina ſilentio heic præterire conſultum duximus, quo firmius perſuaſi eſſe poſſumus, fore, ut eadem lectoribus, non minus in ipſo GERHARDI opere quam in noſtris adnotationibus & ſupplementis, ultro ſeſe ſint oblatura. Id unum indicare opportunum erit, nos in nova tomi hujus editione ſtrenuam navaſſe operam, ut non modo fata doctrinæ de ſ. cœna ex hiſtoriarum monumentis omni, qua fieri poterat, fide ac ſolicitudine exponeremus, ſed & quam maxime controverſiis inter proteſtantes cœtumque Romanenſium agitatis atque a b. GERHARDO copioſe diſcuſſis multa adderemus, quæ ad illarum ſtatum recentiorem dilucidandum facere poſſent. Seculo nimirum proxime elapſo, quin iam ad finem vergente decimo ſexto, de eccleſiæ Romanæ placitis ex ſolis fere *controverſiis, chriſtianæ fidei* a vaſtiſſimæ eruditionis viro, ROB. BELLARMINO, patre purpurato, editis iudicium latum fuit atque ad iſtas etiam confutandas certatim concurrerunt theologi proteſtantes, inter quos b. GERHARDUS, uti in aliis locis theologicis, ita in hoc de ſacra

cra cœna singulari ratione eminet. Aevo autem magis recentiori surrexerunt in ecclesia Romana alii iique doctissimi viri, qui omni virium contentione id egerunt, ut cœtus sui placita in meliorem redigerent formam, atque argumentis a BELLARMINO adlatis si non pondus novum, nova certe ornamenta adderent. In quorum numerum iure meritoque referimus auctores *perpetuitatis fidei*, itemque JAC. BENIGN. BOSSUETUM, episcopum quondam Meldensem in Gallia, JO. JAC. SCHEFFMACHERUM, Iesuitam Argentoratensem, HONORATUM TOURNELY, theologum Parisiensem sociumque Sorbonicum, & duumviros celebratissimos patresque purpuratos, CIENFUEGOS atque GOTTI, quorum scripta magnam apud ecclesiæ Romanæ socios consecuta sunt auctoritatem. Atque hos pluresque alios auctores, qui diu post b. GERHARDI ex hac vita discessum floruerunt, tam in *observationibus* nostris ipsi textui subiectis, quam in adnexo *supplemento*, diligentissime, ut fas erat, contulimus, operamque dedimus, ut ipsorum obiectionibus abunde satisfieret. Cum præterea GERHARDUS noster maximi momenti argumentum de *sacrificio missatico* penitus omiserit, quod in *notis* ad *§. CCLXXII. p. 297.* pluribus ostendimus, necessarium esse existimavimus, ut hæc beati viri lacuna a nobis suppleretur, quod *supplementi p. 446. seqq.* factum est, ubi simul ea succincte fuerunt tradita, quæ in tam vasto opere, cui nihil, quod ad perfectionem & pleniorem doctrinarum copiam conferre potest, deficere debet, silentio præteriri nequeunt. Superfluum contra nobis visum est, notissimam controversiam de præsentia reali corporis & sanguinis Christi in s. cœna multis augere additamentis,

cum hoc argumentum & ab ipso b. GERHARDO prope exhaustum fuerit, & inprimis occasione recentissimæ *controversiæ Heumannianæ* a compluribus eximiæ famæ theologis, maxime a viro cel. JO. AUG. ERNESTIO peculiari dissertatione lectu dignissima ita pertractatum, ut hac in re otia nobis fecerint viri præstantissimi. Interea haud negleximus, historiam huius controversiæ *p. 434.* copiosius exponere, brevesque stricturas ad scriptum Heumannianum cum lectoribus communicare, ex animo optantes, ut vir longe meritissimus nobisque, cum in academia Georgio-Augusta doctoris publici munere fungeremur, amantissimus, suam opinionem prudenti silentio texisset. Tacemus complura alia, tomo huic decimo subiuncta, quæ non modo sua multitudine, sed & luce tractationi de sacra cœna adfusa lectorum aliquam mereri nobis videbantur attentionem, cum præfationis limites id non patiantur, & *conspectus*, sub finem huius tomi additus, singula eiusdem contenta paucis exhibeat. Itaque nihil nobis supereſt aliud, quam ut benevolum lectorem decenter rogemus, velit operam nostram qualemcunque, huic tomo non minus quam prioribus impensam, æqui bonique consulere, suoque adsensu, qui nobis hucusque haud exiguo incitamento fuit atque solatio, conatus nostros in posterum quoque dignari.

Scripsimus Tubingæ in academia
Eberhardino-Carolina
die XXIX. Martii A. O. R. MDCCLXX.



LOCUS XXII.
DE
SACRA COENA.

PROOEMIUM.

§. I.

Connexio cum loco praecedenti.

Tractatum de baptismo, priore nov. test. sacramento, ordine indivulso & immediato, sequitur articulus de *sacra cœna*, sacramento nov. test. altero. Ut enim illud est sacramentum *initiationis*: ita hoc est sacramentum *confirmationis*; unde in primitiva ecclesia usitatum fuit, catechumenis adultis, post sacri baptismi sacramentum, mox eucharistiam participandam dare. Justinus apol. II. pro christ. p. 73. *Quicunque persuasi fuerint & crediderint, vera esse, quae a nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint, orare jejunantes & petere a Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & jejunantibus & orantibus: deinde eo adducuntur a nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur: nam in nomine rerum cunctarum Parentis & Domini Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti in aqua tum lavantur.* Et p. 76. *Post hujusmodi lavationem, credentem jam & nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces & supplicationes. A precibus finitis mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus praeest, offertur panis & poculum aquae & vini, &c.* Ambrosius lib. de iis qui initiant. myst. postquam de baptismi sacramento egerat c. 8. in princ. subjungit: *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria dicens: & introibo ad altare Dei & ad Deum, qui laetificat juventutem meam. Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae juventutem, caelestem illud festinat adire convivium.* Theodoretus quæst. XXVII. in Exod. *Quemadmodum Hebraei, ubi mare rubrum transierunt, cibo peregrino & aqua inopinata fruebantur: ita nos post salutarem baptismum participes sumus divinorum mysteriorum.* Chemnitius part. II. exam. cap. de adserv. sacræ cœnæ p. 166. *Usitatum fuit in tota antiquitate, quando adulti bapti-*

baptizabantur, quod ſtatim a baptiſmo ducebantur ad ſynaxin, ut myſteriis euchariſtiae communicarent.

Diſcrimen baptiſmi & ſacræ cœnæ.

§. II. Quamvis autem cauſa efficiente principali, genere proximo, materia & forma generica, cauſa finali itidem generica, hæc duo ſacramenta conveniant, differunt tamen: 1.) *Cauſa efficiente immediata.* Baptiſmus mediante Johannis miniſterio divinitus inſtitutus eſt: ſacra vero cœna immediate ab ipſo Chriſto inſtituta eſt. 2.) *Cauſa adminiſtra inſtrumentali.* Sacram cœnam Chriſtus non ſolum inſtituit, ſed etiam ipſe primus in perſona propria adminiſtravit: baptiſmum vero non niſi per Johannem & apoſtolos. Quo pertinet, quod in caſu neceſſitatis baptiſmus a privato adminiſtrari poſſit: ſacra autem cœna, non niſi ab eccleſiæ miniſtris. 3.) *Materia proxima.* Materia exterior ſive externum elementum ac res terrena baptiſmi eſt aqua: cœnæ vero panis & vinum. Res cœleſtis baptiſmi eſt Spiritus ſanctus, ſive tota ſacroſancta Trinitas: ſacræ vero cœnæ, corpus & ſanguis Chriſti. 4.) *Forma ſpecifica.* In baptiſmo aqua adſpergimur, vel aquæ immerguur in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti: in ſacra cœna verum corpus Chriſti, mediante benedicto pane, manducamus, & verum ejus ſanguinem, mediante benedicto vino, bibimus. 5.) *Cauſa finali proxima & ſpecifica.* Per baptiſmum regeneramur ac renovamur: per ſacramentum cœnæ alimur ac nutrimur ad vitam æternam. In baptiſmo præſertim infantum, per Spiritum ſanctum fides accenditur: in uſu ſacræ cœnæ augetur, confirmatur & obſignatur. Per baptiſmum Chriſto inſerimur, in quo ſpirituale incrementum ſalutari cœnæ uſu accipimus. Per baptiſmum in fœdus divinum recipimur: per uſum ſacræ cœnæ, vel in eodem conſervamur, vel ex eo per peccata contra conſcientiam prolapſi, ad idem vera pœnitentia revertimur. 6.) *Objectis.* Baptiſmus non ſolum adultis in vera religione inſtitutis, ſed etiam infantibus in eccleſia natis: ſacra autem cœna non niſi adultis, & quidem ſolis illis, qui baptizati ſunt, ſeque ipſos probare poſſunt, competit. Quo etiam pertinet, quod Chriſtus baptizatus quidem, non autem ſacra cœna uſus fuerit. 7.) *Adjunctis.* Iteratio convenit ſacræ cœnæ; non autem baptiſmo: aliæ etiam ceremoniæ in adminiſtratione baptiſmi, aliæ vero in adminiſtratione ſacræ cœnæ uſurpantur.

CAPUT I.

DE ADPELLATIONIBUS SACRÆ COENÆ.

Adpellationes ſacræ cœnæ.

§. III. Ordiemur explicationem hujus ſacramenti a nomine, ſiquidem, auctore Feſto, nomendicitur quaſi *novimen*, quod in ipſius rei notitiam perducat, & ὀνόματα Græcis ſunt ὡς τῶν ὄντων νοήματα. Adpellationes occurrunt vel in ſacris literis, vel in ſcriptoribus eccleſiaſticis veteribus, quos patres reverentiæ ergo dicimus. Illas vocare poſſumus divinas & ſacras; has eccleſiaſticas. I.) In ſacris literis hoc ſacramentum adpellatur 1.) *cœna dominica* δεῖπνον κυριακὸν, 1 Cor. XI. 20. *Convenientibus vobis in unum, jam non eſt cœnam dominicam manducare* (*). Jeſuitæ Dillingenſes adpellationem cœnæ dominicæ *ad profanas vocum novitates* referunt in aſſer. in 1 Tim. ac ſtatuunt, *apoſtolum loqui de vulgaribus epulis, quas chriſtiani in primitiva eccleſia apoſtolica, caritatis conteſtandae ergo in conventibus publicis ſimul inſtituebant.* Act. II. 46. Sed circumſtantiæ textus, præſertim vero connexio v. 23. cum præcedentibus oſtendunt contrarium; videlicet non ſolum de vulgaribus illis epulis in publico acceptis, ſed etiam de ſanctiſſimo myſterio euchariſtico apoſtolum loqui, cujus

I.) Ex ſcripturis, in quibus dicitur 1.) cœna dominica.

(*) Maldonatus in comm. Joh. XIII. 2. *Euchariſtiam nemo apoſtolorum aut evangeliſtarum cœnam vocat.* Et poſtea: *Euchariſtia nunquam niſi a novis hæreticis cœna vocata eſt.* GERHARDUS.

cujus abusus, qui in ecclesiam Corinthiacam irrepserant, repetit, & Christi institutione taxat. Unde vereres interpretes unanimi consensu de eucharistia hunc locum accipiunt (*). Vide Augustinum epist. CXVIII. ad Jan. Ambrosium, Hieronymum, Theodoretum, Bedam, Oecumenium, Anshelmum, Lyranum, Thomam, gloss. ordin. Hugonem, cardin. Dionysium Carthus. in illum locum. Ac *cœnae* adpellatio ex prima ecclesia ad nostram usque continua consuetudine propagata est. Ignatius epist. VII. δοχὴν ἐπιτελεῖν *convivium* scilicet Domini *celebrare*. Tertullianus libr. II. ad uxor. cap. 4. *Quis ad convivium illud dominicum, quod infamant, sine suspicione dimittet?* Pammelius explicat *missa christianorum* in Apoc. IX. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim ἀγάπη, quod dilectio penes Graecos est.* Cypriano tribuitur sermo *de cœna domini*. Augustinus de verbis Dom. serm. XXXIII. *O qui ad cœnam Domini venitis, nolite diligere mundum.* Hesychius lib. VII. in Levit. XXIV. *Quemadmodum apostolis Dominus: sic & ipsi nobis divinae cœnae communionem tradiderunt, &c.* Plura testimonia in scriptis veterum passim occurrunt.

Adpellationis hujus ratio.

Cœna autem vocatur ab apostolo, quia divinum hoc epulum, nocte ea, qua traditus Christus est, post cœnam vulgarem & agni paschalis esum, ab ipso fuit institutum. *Dominica* cœna vocatur: *Primo*, quia a Christo Domino nostro instituta est. *Secundo*, quia verum corpus & verus sanguis Domini nostri Jesu Christi in ea distribuitur, quo ipso a reliquis cœnis vulgaribus longissimo intervallo distinguitur. *Tertio*, quia in memoriam mortis dominicæ celebratur. 1 Cor. XI. 26. *Quarto*, quia diebus utplurimum dominicis in ecclesia apostolica celebrari consuevit. Act. XX. 7.

2.) *Mensa & calix Domini*, τράπεζα καὶ ποτήριον Κυρίου. 1. Cor. X. 21. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem daemoniorum: non potestis mensae Domini participes esse & mensae daemoniorum.* Ratio adpellationis est eadem cum præcedente: quia scilicet in hac sacratissima cœna corpore & sanguine Christi cibamur ac potamur, ac proinde ipsius Christi in hoc cœlesti convivio hospites sumus. Ex qua adpellatione adparet, christianos tempore apostolorum non altaribus proprie sic dictis, sed mensis in administratione sacræ cœnæ fuisse usos.

2.) *Mensa & calix Domini.*

3.) *Communicatio corporis & sanguinis Christi.* Κοινωνία τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. 1 Cor. X. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Ubi tamen potius definitio rei, quam nominis proposita dici posset. Ex hoc fonte profluxit adpellatio *communicationis*, quæ adhuc hodie usitata est. Isidorus Pelusiota lib. I. epist. 228. *Divinorum sacramentorum administratio idcirco communicatio adpellata est, quia nobis conjunctionem cum Deo conciliat, nosque regni ipsius consortes ac participes reddit* (**).

3.) *Communicatio corporis & sanguinis Christi.*

(*) Testimonia tam græcæ, quam latinæ ecclesiæ doctorum, qui locum hunc Paulinum de sacra eucharistia accipiunt, exhibent Jo. Casp. Suicerus, in *thes. ecclesiast. tom. I. p. 827.* itemque in *observ. sacr. p. 91.* nec non Is. Casaubonus *exercit. XVI. ad annal.* Baronii, *p. 450. seqq.*

(**) Dionysius Areopagita initio lib. III. de eccles. Hierarch. τὸ κοινὸν καὶ ταῖς ἄλλαις ἱεραρχικαῖς τελεταῖς ἐκκρίτως αὐτῇ παρὰ τὰς λοιπὰς ἀνατίθεται καὶ ἰδικῶς ἀνηγόρευται κοινωνία τε καὶ σύναξις, *Id quod commune est omnibus hierarchicis ceremoniis, huic distincte a reliquis adsignatur, & peculiariter adpellatur communio & congregatio.* Rationem statim subjicit: *Vix enim potest quisquam consecrari consecratione hierarchica, nisi divina eucharistia accedens ad summam omnium sigillatim celebratorum, ejus qui initiatus sit congregationem ad unitatem consecret, & consecrantium signorum dono divinitus instituto perficiat ejus communionem cum Deo.* Pachmerius ταύτην καὶ κοινωνίαν λέγει, διὰ τὸ τότε κοινωνῶν τὰς ἀξίας πάντας τῶν μυστηρίων. *Hanc etiam communionem vocat, quia omnes digni participes fiunt sacramentorum.* Gerhardus.

§ IV. Tribuitur etiam sacræ cœnæ adpellatio *novi testamenti*, Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 25. *Hic calix est novum testamentum in meo sanguine.* Testamentum definit Modestinus l. 1. ff. Qui testamentum facere possunt, quod sit *voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Cum quo consentit definitio Ulpiani in fragmentis tit. 20. *Testamentum est mentis nostrae justa contestatio in id solenniter facta, ut post mortem nostram valeat* (*). Sacramentum igitur eucharisticum vocatur *testamentum*, quia Christus illud paulo ante mortem instituit, & pretiosissima dona hæredibus suis christianis in eo legavit. Causa *efficiens* testamenti est *voluntas testatoris*, Wesenbeccius in paratit. ff. qui test. facere pos. num. 8. ita quoque in hoc sacratissimo mysterio testator est Christus Jesus, qui voluntatem suam paulo ante mortem verbis claris & perspicuis exposuit. *Hæredis institutio* testamenti caput est, l. 1. ff. de hær. instit. ita quoque Christus discipulis suis & omnibus credentibus velut hæredibus suis in hoc testamento legavit pretiosissima bona: remissionem scilicet peccatorum, gratiam Dei, donationem Spiritus sancti, & vitam æternam. In testamento perfecto præter hæredis institutionem, inspicitur *testium adhibitio*, Treutlerus disputat. volum. II. disp. 10. th. 4. lit. C. ita quoque Christus in hac testamenti factione adhibuit testes duodecim apostolos; quin & *sigilla* adpendit, videlicet corpus & sanguinem suum cum pane & vino benedictis, tanquam visibilibus signis, sacramentaliter unita.

4.) Novum testamentum.

Adpellationis hujus ratio.

§. V. Circa hanc adpellationem quæritur: α) *Quomodo sacra cœna dicatur & novum testamentum & nov. testamenti sacramentum?* Resp. sit illud diverso respectu, quem Hunnius in tract. de cœna q. 5. his verbis exponit: *Quatenus nov. test. dicitur novum pactum seu fœdus novum, quod antiquato veteri in regno Christi succedere debuit, hoc significatu sacra cœna est nov. test. pars, seu novi fœderis signaculum, quo Christus universa pacti novi beneficia adplicat, obsignat & confirmat, non est autem integrum illud pactum, quod plures in se partes continet. Quatenus vero testamenti nomine venit dispositio, qua moriturus aliquis sub testificatione ultimae voluntatis, certa quaedam bona suis legat hæredibus, recte ac vere dicitur cœna dominica testamentum filii Dei.* β) *Quomodo corpus & sanguis Christi possint statui sigilla hujus testamenti, cum Christus sit testator?* Resp. id vero absurdum non est, cum Christus sic testator ratione *personæ*, quatenus est Θεάνθρωπος: siquidem institutio sacramentorum pertinet ad officium Christi, quod competit ei secundum utramque naturam: corpus autem & sanguis Christi sigilla hujus testamenti sunt alterius naturæ, videlicet huma-

Dubia circa hanc adpellationem.

α) *Quomodo sacra cœna dicatur & novum test. & nov. test. sacramentum.*

β) *Quomodo corpus & sanguis Christi possint statui sigilla hujus testamenti, cum Christus sit testator?*

(*) Embdenses *im Bericht* p. 92. dubitant, *an sacra cœna sit testamentum.* Beza in colloq. Mempelg. p. 38. plane negat. Sed diserte sic vocatur a Christo, & adsunt omnia testamenti requisita: 1.) testator est Christus, 2.) hæredes a Christo denominati sunt omnes credentes, 3.) legata sunt remissio peccatorum, 4.) sigilla, panis & vinum, corpus & sanguis ipsius, 5.) testes sunt duodecim apostoli, 6.) notarius est Matthæus. Requisita testamenti Cotmannus in comp. inst. Justin. tit. 10. hæc enumerat: 1.) testator, 2.) hæredes, 3.) bona, 4.) testes, 5.) sigilla. Durandus Mimatensis lib. IV. cap. 42. *Christus post cœnam corpus & sanguinem suum dedit apostolis, ut hoc sacramentum velut ultimum testatoris mandatum arctius memoriæ commendaretur.* Thomas part. III. q. 73. art. 5. *Institutum hoc sacramentum docet, quia ea, quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero, ad quæ magis adficimur, profundius animo inprimuntur.* GERHARDUS.

humanæ, partes. Simile quid obſervatur in ſacerdotio Chriſti: ipſe enim eſt ſacerdos, qui offert ſacrificium, ipſe ara, ipſe victima, quæ offertur, ipſe is cui offertur; diverſis ſcilicet ac diſtinctis reſpectibus. Chriſtus eſt ſacerdos, a quo ſumus reconciliati; Deus, cum quo ſumus reconciliati. *Ipſe eſt, qui omnia conferat & expiat, cum ſit ipſe donum, ipſe pontifex, ipſe altare, ipſe propitiatorium, ipſe qui offert, ipſe qui pro mundo offertur, cum ipſe ſit ignis, ipſe holocauſtum, ipſe lignum vitae, ipſe agnus, ipſe gladius ſpiritualis, ipſe paſtor, ipſe immolatio, ipſe qui immolatur, & ipſe qui hoſtiam accipit.* Cyrillus Hieroſolym. orat. de Simeon. γ) *Annon corpus & ſanguis Chriſti rectius dicantur legata quam ſigilla in hoc teſtamento?* Reſp. cum manducationem corporis ſui mediante benedicto pane, & bibitionem ſanguinis ſui mediante benedicto vino, hoc fine in ſacra cœna Chriſtus inſtituerit, ut pretioſiſſimo iſthoc pignore vere credentibus obſignetur & confirmetur promiſſio de gratuita peccatorum remiſſione, atque aliis beneficiis immediate eidem conjunctis: ideo corpus & ſanguis Chriſti rectius ad ſigilla, quam ad legata hujus teſtamenti referuntur. Accedit, quod manducatio corporis Chriſti & bibitio ſanguinis Chriſti ſacramentalis non ſolum vere credentibus, ſed etiam impœnitentibus & indignis, quibus tamen Chriſtus non inſtituit cœnam, eſt communis: remiſſio autem peccatorum, ſolis credentibus conferrur, & uſu ſacramentali corporis & ſanguinis Chriſti obſignatur. Ergo corpus & ſanguis Chriſti proprie loquendo ſunt ſigilla, non autem legata hujus teſtamenti. Neque tamen repugnamus, quo minus corpus & ſanguis Chriſti, ratione *ſubſtantiae*, quatenus ſcilicet Chriſtus mediantibus externis ſymbolis ea diſtribuere promiſit, dicantur legata; ſigilla vero ratione *officii* & *finis*, quatenus fide ſumta & hauſta gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, & promiſſionem ſalutis obſignant, modo ſacramentali manducationi & bibitioni corporis & ſanguinis Chriſti, omnibus ad cœnam accedentibus communi, id non opponatur. δ) *Quomodo corpus & ſanguis Chriſti poſſint ſtatui ſigilla hujus teſtamenti, cum ſint inviſibilia, nec in ſenſus externos incurrant?* Reſp. inviſibilia ſunt per ſe & immediate; videntur autem κατ' ἄλλο & mediate, quatenus ſcilicet ſymbolis externis ſacramentaliter ſunt unita, ut ex verbis Chriſti veracis & omnipotentis fides chriſtiana intelligit. Quæ fide ex verbo intelligimus, longe certiora ſunt, quam quæ oculis & ſenſibus externis percipimus, cum verbum Dei nunquam fallat, noſtri autem ſenſus ſæpius fallantur. Chryſoſtomus hom. LXXXIII. in Matth. p. 703. ὁ λόγος αὐτῷ ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν ἐυεξαπάτητος· ὅτος οὐδέποτε διέπεσεν, αὐτὴ δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται, ἐπεὶ ἀνὸ λόγος φησὶ: τοῦτο ἔστι τὸ σῶμα μου, ἡ πιθώμεθα ἢ πιστεύωμεν ἢ νοητὴς ἀναβλέπωμεν ὀφθαλμοῖς, &c.

γ) *An corpus & ſanguis Chriſti rectius dicantur legata, quam ſigilla.*

δ) *Quomodo corpus & ſanguis Chriſti dicantur ſigilla hujus teſtamenti, cum non incurrant in ſenſus.*

ε) *Quare ſacrae cœnae potius quam baptiſmati tribuatur teſtamenti adpellatio?* Reſp. dicimur quidem *in mortem Chriſti baptizari*, Rom. VI. 3. & cum ipſo per baptiſmum *in mortem ſepeliri*; v. 4. interim tamen non baptiſmo, ſed ſacræ cœnæ adpellatio teſtamenti tribuitur, quia inſtante mortis agone a Chriſto inſtituta eſt, & quidem in memoriam mortis teſtatoris, 1 Cor. XI. 26. & quia promiſſio novi fœderis ſanguinis Chriſti diſtributione & bibitione in ea confirmatur, adplicatur & obſignatur: quemadmodum vetus teſtamentum ſive fœdus ſanguine juvencorum, quo populus adſpergebatur, confirmatum fuit. Exod XXIV. 1. *Tulit Moſes ſanguinem* (juvencorum) *& ſparſit ſuper populum, & dixit: En ſanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiſcum.*

ε) *Quare ſacrae cœnae potius quam baptiſmati tribuatur adpellatio teſtamenti.*

§. VI. Tandem ſacra cœna juxta quorundam ſententiam 5.) dicitur *fractio panis* κλᾶσις τοῦ ἄρτου. Act. II. 42. *Erant perſeverantes in doctrina apoſtolorum & communicatione*

5.) *Fractio panis.*

tione & fractione panis & precibus. Act. XX. 7. *Una sabbati cum convenissemus ad frangendum panem.* Adpellatio est *synecdochica*, quia ex ritu fractionis, per quem panis eucharisticus ad distributionem præparatur, tota sacramentalis actio intelligitur. Pontificii communionem sub una specie; Calviniani necessitatem fractionis in ipso sacræ cœnæ usu ex his locis deducere conantur: utrisque quid respondendum sit, suo loco adparebit. Sed quia evidenter & apodictice demonstrari nequit, oportere in illis locis per fractionem panis intelligi administrationem cœnæ, ideo quidam de vulgaribus epulis phrasin accipiunt, quo sensu usurpatur Luc. XXIV. 35. Act. XXVII. 35. atque alibi passim, qua de re inferius plura.

II.) Ex scriptoribus ecclesiasticis.

1.) Græcis, a quibus dicitur.

1.) εὐχαριστία.

§ VII. II.) In scriptoribus ecclesiasticis *Græcis* hæ occurrunt adpellationes: 1.) εὐχαριστία, *gratiarum actio.* Justinus apol. II. pro christ. p. 76. ὁ προεστὼς λαβὼν (ἄρτον καὶ ποτήριον) αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου ἀναπέμπει, καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται, *gratiarum actionem, pro eo quod nos donis hisce suis dignatus sit, prolixe exequitur.* Et postea: καὶ ἡ τροφὴ αὐτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία. Irenæus lib. IV. c. 34. p. 263. *Panis percipiens vocationem Dei jam non communis panis est, sed* εὐχαριστία, *ex duabus rebus constans terrena & cœlesti* (*). Dicitur autem sacra cœna *eucharistia;* quia in ejus administratione & usu solennes Christo agendæ sunt gratiæ pro opere redemtionis, 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducaveritis panem hunc &c. mortem Domini adnunciabitis.* Quemadmodum ipse Christus non solum hoc sacramentum instituit εὐχαριστήσας, Matth. XXVI. 27. Marc. XIV. 23. unde adpellatio *eucharistiae* deducta, sed etiam post illius institutionem & administrationem hymnum cum discipulis cecinit & Patri cœlesti gratias egit. Matth. XXVI. 27. Gelasius in adnot. lib. IV. Irenæi cap. 32. *Quia in conventibus publicis christianorum potissimum celebrabatur Dei gratia, qua Filium suum nobis donavit, nec illi pepercit, ut per ipsum nos sibi reconciliaret, eoque nomine gratiae agerentur, idque fieret solennius, cum sacramentum corporis & sanguinis administrabatur, ideo actio illa a Graecis* εὐχαριστία, hoc est, *bona gratia seu gratiarum actio, aut bonae Dei gratiae celebratio, vocata est.* Lombardus libr. IV. sentent. dist. 8. lit. A. *Eucharistia est bona gratia, quia in hoc sacramento non solum est augmentum virtutis & gratiae, sed ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiae.* Quo pertinet, quod Clemens Alexand. libr. II. pædag. c. 2. in princ. vocat χάριν gratiam. *Amborum,* inquit, *temperatura, potus scilicet & verbi dicitur eucharistia, quae & laudatur & bona est gratia.* 2.) Σύναξις, quia in publicis ecclesiæ conventibus ordinarie hoc sacramentum administratur, cum inter alios fines sit etiam nervus publicorum congressuum & unitatis christianæ vinculum. Dionysius in hierar. eccles. c. 3. Epiphanius contra hæres. p. 466. in græco σύναξιν & συνάξεως μυστήριον vocant. Adpellatio deducta est ex 1 Cor. XI. 20. *Convenientibus vobis in unum,* συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *jam non est manducare dominicam cœnam.* 3.) Ἀγάπη, *dilectio.*

Adpellationis hujus ratio.

2.) Σύναξις.

3.) ἀγάπη.

Christianus populus olim ad mensam Domini accedens, præsertim locupletiores, panem & vinum aliaque ἐδέσματα ad mensam Domini secum adferebant, ex quibus pars a sacerdote consecrata, populo in eucharistia distribuebatur, reliquum vero ministris ecclesiæ & pauperibus alendis ac reficiendis cedebat. Munera

(*) Idem IRENÆUS *loc. cit.* verbis supra adductis mox subiicit: *sic & corpora nostra percipientia eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Eodem sensu vox *eucharistia* apud CLEMENTEM Alexandrinum *libr. II. pædagog. cap. II. p. 178.* edit. IO. POTTERI aliosque scriptores ecclesiasticos occurrit.

nera illa vocabantur ἀγάπαι, quia erant caritatis christianæ exercitium & indicium. Sed & in quibusdam locis cum administratione cœnæ publica convivia ab opulentioribus instituì consueverunt, ut adparet ex 1 Cor. XI. 21. ac talia convivia itidem τῶν ἀγάπων titulo fuerunt insignita (*), ut videre est ex Judæ v. 12. οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, *hi sunt in agapis vestris maculae.* Irenæus libr. IV. c. 32. Tertullianus in apol. cap. 39. Cum vero hæc convivandi ratio progressu temporis in luxum degeneraret, improbata est ab Augustino epist. LXIV. quin & canonibus conciliorum prohibita. Concil. Laodicenum cap. 28 & conc. Carthaginense III. can. 50. Ab hac munerum oblatione, & conviviorum publicorum celebratione συνεκδοχικῶς sacra cœna dicta fuit ἀγάπη, cum ipsa quoque sit symbolum mutuæ inter christianos caritatis. 2 Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 4.) λειτουργία & ἱερουργία actio *sacra*, (**), quia ministerii ecclesiastici publici pars est non postrema. 5.) Θυσία *sacrificium* (***), & cum adjectione Θυσία ἀναίμακτος *sacrificium*

4.) λειτουργία.

5.) θυσία, προσφορά.

(*) Erant quippe hæc convivia sacra ad mutuum amorem testandum comparata cumque sacra cœna coniungi solebant. Ævo quidem apostolico sacræ eucharistiæ præmittebantur, in subsequentibus autem temporibus subiungebantur, tandem vero, ut supra adnotavit GERHARDUS, ob varios abusus abrogabantur. Pertinet huc illud TERTULLIANI: *Cœna de nomine rationem sui ostendit; id vocatur, quod dilectio penes Græcos; apologet. cap. XXXIX.* Cæterum de *agapis* illis seu conviviis, quæ cum sacra cœna olim coniungebantur, evolvendi sunt auctores a IO. ALB. FABRICIO in *bibliogr. antiquar. cap. XI. §. XXV. p. 564.* edit. novissatque a b. cancell. PFAFFIO in *originibus iuris ecclesiast. cap. II. art. II. not. (aa) pag. 62.* edit. nov. laudati, quibus tamen iungi meretur JOSEPHUS BINGHAMUS, scriptor Anglus isque doctissimus, in *originib. sive antiquitat. ecclesiast. vol. VI. p. 504. seqq.*

(**) Vox λατρεία in genere quidem omne denotat ministerium, quod ad sacra pertinet. *In specie* vero de illo ministerio a scriptoribus ecclesiasticis usurpatur, quod circa sacram mensam, seu sacræ cœnæ celebrationem peragitur. Loca veterum huc spectantia recitavit SUICERUS, quem modo laudavimus in *thes. ecclesiast. tom. I. p. 120, 121.* Hinc & vox λατρεία de sacra cœna, ritibusque circa eius celebrationem observandis subinde adhiberi solet. Quin ipsi libri, in quibus ordo in celebratione sacræ cœnæ servandus describitur, dicuntur λατρεῖαι, cuiusmodi sunt, quæ hodie circumferuntur, sub titulis partim veris, partim falsis. In posteriorem classem merito referimus liturgias sub nomine Christi, itemque apostolorum PETRI, MATTHÆI & JACOBI, nec non virorum apostolicorum MARCI ac LUCÆ vulgo iactatas. Ad *priorem* autem classem pertinent liturgiæ BASILII M. atque IO. CHRYSOSTOMI, quæ tamen variis modis interpolatæ ad nostram ætatem pervenerunt, prout vel ipsa exemplarium diversitas arguit. Prætermittimus complures alias liturgias, de quibus consulendus IO. BONA, ecclesiæ Romanæ cardinalis, *libr. I. rerum liturgicarum*, atque EDMUNDUS MARTENE, monachus Benedictinus isque doctissimus, in præclaro opere *de antiquis ecclesiæ ritibus, libr. I. p. 266.* Codicem liturgicum ecclesiæ universæ edidit IOSEPHUS ALOISIUS ASSEMANNUS, qui quatuor comprehensus tomis Romæ *MDCCXXXMDCCLIV.* 4. in lucem publicam prodiit. Ea, quæ de hocce argumento maxime notatu digna sunt, in compendio exhibet IO. ALB. FABRICIUS, in *bibliographia antiquaria c. XI. §. XXVI. p. 564. seqq.* edit. nov. Edidit quoque b. cancell. PFAFFIUS eruditam disquisitionem *de liturgiis, missalibus, agendis & libris ecclesiasticis* &c. Tubingæ *MDCCXVIII.* quæ postea eiusdem *institutionibus histor. ecclesiast.* Tubingæ *MDCCXXI.* 8. editis fuit subiuncta. Iungi vero meretur b. BUDDEI *isagoge historico-theolog. in theologiam universam p. 853. seqq.* itemque in *institutionibus theolog. dogm. libr. V. cap. I. §. XI. p. 1479.* ubi Romanenses, qui existimant, voce λειτουργίας *sacrificium* denotari, indeque concludunt, sacram cœnam esse sacrificium proprie sic dictum, provocantes inter alia ad locum *Actor. XIII.* 2. breviter quidem, sed solide refellit.

(***) Vox θυσία, *sacrificium* duplici sumitur ratione, vel in sensu *proprio*, vel *improprio*. Si sumatur *proprie*, significat *hostiam, victimam,* im-

crificium intrementum Item προσφορὰ, προσκομιδὴ *oblatio*, tum propter munerum illam oblationem administrationi sacræ cœnæ prægressam, tum propter preces, gratiarum actionem, confessionem & alia spiritualia sacrificia eidem conjuncta., tum denique propter commemorationem unici illius propitiatorii beneficii in ara crucis a Christo oblati, qua de re alibi plura dicuntur, ubi fulcri illius robur, quod ex adpellationibus λειτουργίας & θυσίας sacrificio missatico substernitur, consideratur. 6.) μυστήριον & cum adjectione φεικτὸν, φεικῶδες, φεικωδέςατον μυςήριον, *tremendum mysterium*. Justinus apol. II. pro christ. Chrysostomus homil. XXXVIII. in Matth. hom. XXIII. in 1 Cor. hom. V. ad Col. &c. Beza quidem part. II. resp. ad Hoffm. f. 184. *modum ejus fatilem, planum & naturali etiam intelligentiae nostrae perspicuum esse* dictitat, qua ratione *mysterii* adpellatio sacræ cœnæ non adeo conveniret (*): sed procedit hoc ex falsa hypothesi de analogia χετικῇ & *significativa* tantum inter panem eucharisticum & corpus Christi. Nos contra pios veteres secuti statuimus, mysterii adpellationem tum omnibus sacramentis, tum inprimis sacræ cœnæ rectissime tribui, cum mystica illa corporis & sanguinis Christi in cœna participatio supra captum & conspectum rationis humanæ posita sit. Quo pertinet, quod quidam ex veteribus hujus sacramenti doctrinam vocant μυσαγωγίαν, institutionem sacram. &c. Genebrardus in liturg. apost. c. 3. quatuor nominibus a Dionysio Areopagita hoc mysterium insignitum scribit, quæ sunt ἱερουργία, μύησις, κοινωνία, σύναξις.

6.) μυσήριον.

§. VIII. Scriptores *Latini* græcas hasce adpellationes passim repetunt, dum sacram cœnam vocant *eucharistiam*, *agapen*, *synaxin*, *mysterium*, *sacrificium*, &c. Vocant & *sacramentum altaris*, quia in altaribus lapideis, quæ mensis, in primitiva ecclesia usitatis, tempore Constantini successerunt, fuit administrata, quam adpellationem una cum mensis illis lapideis, pro jure christianæ libertatis, sine ulla superstitione in ecclesiis nostris retinemus. Utuntur insuper nomine *missae*. Ambrosius lib. V. epist. 33. Leo epist. ad Dioscor. Cassiannus libr. II. de modo Psalm. cap. 13. &c. de cujus vocabuli etymologia & origine diversæ sunt sententiæ, quas recenset Meisnerus, amicus noster honorandus, part II. sobr. philos. sect. 1. cap. 1. q. 16. Quidam volunt esse nomen hebraicum, quidam vero latinum. Eorum

5.) *Latinis, qui vocant sacramentum altaris. & Missam.*

immolationem: ἀπὸ τᾶ θύειν, quod iuxta veteres glossas *sacrificare*, *immolare*, *mactare* significaret. Atque ita θυσία, *sacrificia* alia sunt *veteris* testamenti, quæ θυσίαι νομικαὶ sacrificia *legalia*, itemque ἔναιμοι θυσίαι *cruenta sacrificia* a GREGORIO Nazianzeno *orat. XII. p. 193* adpellantur, variique sunt generis, prout copiose ostendit GERHARDUS *tom. VI. loc. XIV. tract. II. §. XII. XIII. p. 9. seqq.* Alia vero sunt sacrificia *novi* testamenti, quorsum sacrificium Christi in cruce peractum pertinet, quod omnia vet. testam. sacrificia præfigurabant.

Quod si vero vox θυσία sumatur in sensu *improprio*, tum denotantur ea *sacrificia spiritualia*, de quibus CHRYSOSTOMUS *homil. XXVII.* in Genesin: Αυται ημιν αι πνευματικαι θυσιαι, το ευχεσθαι, το ὑμνειν, το ελεημοσυνην ἐργαζεσθαι. *Hæc sunt sacrificia nostra spiritualia, orare, jejunare, eleemosynam erogare.* Speciatim huc pertinet *sacra domini cœna*, quæ a patribus Græcis sæpe θυσία vocatur, idque vel *simpliciter*, vel variis *adjectis epithetis*, observante SUICERO *loc. cit. p. 1421. seqq.* A nonnullis quidem dicitur *spirituale* & *mysticum sacrificium*, ab aliis vero *sacrificium sanctum* atque *incruentum*. Ut alia huius generis epitheta, a laudatiss. SUICERO in medium adducta, taceamus.

(*) Andr. quoque Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem refutationem dissolutionis nodi sui Gordii adpellat p. 48. *Mysterii nomine cœna Domini non potest adpellari. Nam nihil in ea, quod omnes si semel moneantur, non intelligant, inest.* GERHARDUS.

Etymologiæ vocis missa hebraica.

rum, qui hebraicam hujus vocabuli originem quærunt, 1.) quidam deducunt ab עָשָׂה *facere*, interdum etiam *sacrificare*, unde מַעֲשֶׂה *opus* seu *sacrificium*; 2.) quidam derivant a מִזְבֵּחַ *altare*, 3.) quidam a פֶּסַח *tributum*, unde מִסָּה (*) *oblatio voluntaria*. Deut. XVI. 10 (**). Monèt tamen Sanctus Pagninus, vocem *missam* ibi non significare *oblationem*, sed *sufficientiam*, hoc est, prout ferunt cujusque facultates; id quod confirmant verba sequentia. 4.) *Allusiva* etymologia est, quod quidam deducunt a נָשָׂא *portare*, ut sit missa quasi מַשָּׂא *onus*, nullum enim gravius unquam ecclesiæ onus fuit impositum, ad

(*) Ex iis, qui natales vocis *Missæ* in vocabulo ebraico מִסָּה *tributum*, sibi inveniſſe viſi ſunt, eminet CÆSAR BARONIUS, qui GENEBRARDI aliorumque heic ſecutus eſt veſtigia. Quum enim is obſervaſſet, vocem מִסָּה, quæ *Deuter. XVI. 10.* occurrit, a vulgato interprete verti per *oblationem ſpontaneam*, qualem Iſraëlitæ ſupremo numini in gratiarum actionem de fructibus terræ olim offerebant, hæc ad ſacrificium Miſſaticum applicare adnititur, aitque: *quæ quidem omnia quum optime conveniant ſacrificio a Chriſto inſtituto, eo potius maiores noſtri uſi ſunt nomine, quam cuiuspiam alterius ſacrificii. Nam & ea poriſſimum ratione ab illis id factum eſſe videtur, quod ſpontanea recolatur prima illa ſui ipſius a domino noſtro Ieſu Chriſto facta oblatio.* Vid. eius *annales eccleſiaſt. ad annum Chriſti XXXIV. num LIX. fol. 160.* Eandem ſententiam de origine vocis *Miſſæ* ex ebræa lingua derivandæ iam olim mordicus ſuſtinuit IO. REUCHLINUS, *Capnio* dictus, exeunte ſeculo XV. clarus, *libr. II. ebraicar. eruditionum*; ut CLAUDIUM DE SAINCTES, GILBERT. GENEBRARDUM, ordinis benedictini monachum, nec non alios idem ſentientes in rerum præſentia haud memoremus. Verum derivationem hancce ebraicam præter GERHARDUM noſtrum aliosque theologos, proteſtantium partibus addictos, dudum tanquam ineptam, teſtimonio veterum prorſus deſtitutam atque oppido falſam exploſerunt ipſi cordatiores maiorique eruditionis adparatu inſtructi eccleſiæ Romanæ ſcriptores. Sufficiat ex iis heic laudaſſe IO. BONAM, patrem purpuratum, eundemque eruditiſſimum, qui ſane ineptum iudicavit, ſi quis adferre velit, *apoſtolos ab Ebræis, latinos a Petro, principe apoſtolorum*, miſſæ *vocabulum accepiſſe, ac ſi nihil antiquum, nihil catholicum foret, niſi ebræo nomine inſignitum*; *libr. II. rerum liturgicar. cap. I. oper.* iunctim editor. *p. 327.*

Equidem videri fortaſſis poterat, ſimilem errorem *apologiæ Auguſt. confeſſionis* tribuendum eſſe. Quando enim *articulo XII. de vocabulis Miſſæ p. 271.* in cœtus Romani doctoribus reprehenditur, quod *miſſam* fingant dictam ab *altari*, quod Ebræis מִזְבֵּחַ dicitur, repudiata hac vocis origine, hæc ſubiiciuntur verba: *quorſum opus eſt, procul quærere etymologiam, quum exſtet nomen* miſſa *deuteron. XVI. ubi ſignificat collationes, ſeu munera populi, non oblationem ſacerdotis.*

Verum, ſi verba hæc curatius expendantur, facile patebit, MELANCHTONEM, auctorem *apologiæ* modo laudatæ, non loqui *abſolute*; ſed cum *conditione*, & ex *hypotheſi* Romanenſium, contra quos κατ' ἄνθρωπον, ut in ſcholis loquuntur, diſputat. Quum enim cœtus romani defenſores vocabuli huius originem ex ebræa lingua arceſſere vellent, aliisque perſuadere adniterentur, *miſſam* a voce מִזְבֵּחַ ab *altari* nomen ſuum accepiſſe; ex hac hypotheſi, quod vox *miſſæ* ebræam habeat originem, & per conſequentiam cum conditione quadam ita diſputat MELANCHTON, non opus eſſe derivatione iſta longius petita, ſiquidem vocis huius origo modo longe faciliori a vocabulo מִסָּה, quod *Deuter. XVI. 10.* legitur, quam a מִזְבֵּחַ deduci queat. Ita quidem ex hypotheſi diſſentientium diſputat laudatiſſimus vir, licet ipſam hypotheſin ſuo calculo haud adprobet. Conſerenda, quæ IO. BENEDICT. CARPZOVIUS in *iſagoge in libros ſymbolicos p. 679.* & ven. IO. GEORG. WALCHIUS in *introduct. in libros eccleſ. lutheran. ſymbolicos p. 468.* hanc in rem ſcripſerunt.

(**) Obſervamus paucis, GERHARDUM, occaſione huius oraculi ſacri, notulam margini adſperſiſſe, in qua verba BARONII, quæ in eiusdem *annalibus eccleſiaſticis* ad *annum Chriſti XXXIV. num. 59.* exſtant, recitantur.

Verum, cum locus iſte BARONII in nota immediate præcedenti a nobis iam fuerit exhibitus,

ad obruendam fidem, & fructum mortis Christi sepeliendum, quam missarum nundinatio. Sed etiam non est probabile, nomen *missae* esse hebraicum, 1.) quia eo tempore, quo nomen *missae* in usum venit, rara fuit etiam inter doctos hebraeae linguae cognitio, ut ex scriptis illorum temporum facile deprehenditur. 2.) Quia Origenes, Hieronymus & alii hebraeae linguae periti *missae* nomine in scriptis suis non utuntur. 3.) Si vox illa hebraica fuisset apostolis in usu, utique retinuissent eam & Graeci & Syri, quemadmodum retinuerunt alias, verbi gratia: *alleluja, amen, Sabaoth*, &c. at vero apud Graecos nulla fit mentio missae, sed pro ea dicunt λειτουργίαν. Syri itidem non habent missam, sed pro ea dicunt קוּרְשָׁם *sanctum*. 4.) Adde, quod *etymologiae* illae sint durae & inconvenientes. Interim tamen haud quaquam improbamus Lutheri sententiam, quod angelus Dan. XI. 38. nomine מָעוֹזִים quo idolum antichristi notat, ad missam papisticam, quae est robur & anima regni antichristiani, adludat, qua de re alibi plura.

§. IX. Qui *missae* nomen latinum esse censent, iterum in diversas abeunt sententias. 1.) Quidam dici volunt missam, *quod oblatio & preces ad Deum mittantur, & vicissim angelus a Deo mittatur, qui sacrificio adsistat, & illud ad Deum deferat.* Hugo libr. II. de sacram. p. 8 c. ult. Thomas part. III. q. 83. art. 4. *Missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem: vel nominatur missa, quia Christus est hostia nobis missa a Deo, unde & in fine missae diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens: Ite, missa est scil. hostia ad Deum per angelum, ut sit Deo accepta.* Alcuinus lib. de div. offic. tit. de celebrat. missae. *Missa dicitur quasi transmissa, vel quasi transmissio, eo quod populus fidelis de suis meritis non praesumens preces & oblationes, quas Deo omnipotenti adferre desiderat, per ministerium & orationem sacerdotis ad Deum transmittat.* Angelus de Clavisio in summa angelica de casibus conscientiae in voce *missa* eandem etymologiam probat. *Missa,* (inquit) *secundum Hugonem de S. Victore, dicitur quasi transmissa, eo quod populus per ministerium sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum & homines, preces, vota & oblationes transmittat Deo.* Sed hae etymologiae sunt tantum *allusivae*, & nituntur illa hypothesi, quod sacra coena sit sacrificium proprie sic dictum. 2.) Quidam missa numero multitudinis a mittendis & conferendis in medium muneribus, quae in usum eucharistiae & sustentationem pauperum ac ministrorum ecclesiae cedebant, dicta esse putant; ea enim non solum a praesentibus offerebantur, sed etiam ab illis, qui aberant, mittebantur in illa vasa, quae a diaconis portabantur. Ut igitur tota illa actio ἀγάπη Graecis, ita Latinis missa συνεκδοχικῶς dicta fuit (*). Sed cum *missae* nomen non in genere *neutro*,

bitus, nolumus eundem heic repetere. Nec tamen praetermittendum heic esse censemus consectarium, quod GERHARDUS ex verbis BARONII deduxit hisque conceptum est verbis:

„ Nomen ergo *missae* potius ad *eucharisticum* „ quam *propitiatorium* adludit sacrificium „.

(*) Ad hanc sententiam propius accedit ÆGYDIUS MENAGIUS, qui vocem *missae* ab oblationibus, quas unusquisque fidelium olim mittere solebat, derivari debere contendit, prout patet ex eiusdem dictionario etymologico, quod inscribitur: *origines de la langue francoise fol. 499.*

Non possumus hac occasione silentio praeterire aliam vocabuli *missae* derivationem a GABR. ALBASPINÆO excogitatam, quae in eiusdem opere gallico *de l' eucharistie, libr. II. cap. III. p. 236.* legitur. Ibi enim, reiectis aliorum etymologiis, natales vocis *missae* apud gentes septentrionales quaerendos esse censet. Apud has enim nomen *mess* nihil aliud significare, quam *une assemblée, une feste, &* par consequent *un sacrifice*, festum seu conventum, & ipsum denique sacrificium. „ Cum enim barbari & pagani sine sacrificiorum oblatione „ festa nunquam celebrarint, factum esse, ut „ *missae* nomen ipsi sacrificio inderetur. Ut „ igitur probet, *missae* nomen pro festo accipi, „ multa congerit ex capitularibus & conciliis „ Franciae „. Ita sententiam viri docti edisserit b. DEYLINGIUS, in *observat. miscell. p. 263.* recte-

neutro, sed *fœminino* a veteribus usurpetur, ideo probabilius est, quod 3.) quidam statuunt, missam a dimissione esse dictam (*). Veteres enim *remissam* dixerunt pro remissione, ut patet ex Irenæi versione latina libr. IV. c. 45. Cypriani serm. de bono patientiæ & libr. III. epist. 14.

recteque monet, hoc nihil aliud esse, quam origines vocum invertere. Nam germanorum *mess* pro mercatu & nundinis esse a voce latina *missa*, indeque nomen *missæ* ad festum & conventum populi denotandum translatum esse.

(*) Non pauci quidam, sed plurimi virorum doctissimorum hancce vocis *missæ* etymologiam, ex lingua latina deductam, suo adprobarunt calculo. Ex ipsis ecclesiæ romanæ doctoribus eidem subscripserunt IO. BONA. R. E. princeps purpuratus, antea iam nobis laudatus, *loco* supra *excitato p. 329. seqq.* ROBERTUS BELLARMINUS, societatis Jesu sacerdos, purpura pariter ornatus, *tom. III. controvers. libr. V. cap. I.* GEORG. CASSANDER in suo *opere liturgico cap. XVII.* in fine, NATALIS ALEXANDER, ordinis prædicatorum monachus ac theologus quondam Parisiensis, *libr. II. theolog. dogmat. & moralis, cap. VI. art. 4.* in fine, & in *selectis historiæ ecclesiast. capitibus sec. XIII. & XIV. diss. XIII.* CLAUDIUS FRASSENIUS, Franciscanorum ordini adscriptus, *tom. XI. theologiæ, in adpend. p. 327.* edit. Romanæ, JAC. SIRMONDUS, eruditus & candidus societatis Jesu theologus, in *notis*, quibus ALCINOI AVITI, præsulis quondam Viennensis, *opuscula* abs se edita, illustravit, *p. 2.* IO. MABILLONIUS, *libr. II. de liturgia Gallicana p. 107.* itemque in *disquisitione de cursu Gallicano p. 393.* IAC. BENIGNUS BOSSUETUS, episcopus quondam Meldensis, isque doctissimus, in libro gallico, qui inscribitur: *explication de quelques difficultéz sur les priéres de la Messe &c. cap. II.* ZEYERVS BERNH. VAN ESPEN, iure consultus Lovaniensis, in *iure eccleſiaſt. universo, part. II. tit. V. cap. I. num. I.* aliique, excitati a BENEDICTO XIV. ecclesiæ Romanæ præsule, in *commentario de sacrificio missæ*, adnexo eiusdem *comment. de Jesu Christi matrisque eius festis*, Patavii excuso, *p. 36.* ubi eandem sententiam suo quoque suffragio confirmat pontifex doctissimus.

Ex protestantibus, qui *missæ* etymologiam a *missione*, seu abeundi venia derivarunt, vix opus est, ut quidquam heic commemoremus, cum hæc communis ac recepta inter eos sit sententia. Sufficiat ex iis heic adlegasse Is. CASAUBONUM in suis in BARONIUM *exercitationibus*; IO. ANDR. SCHMIDIUM, in differt. *de insignioribus veterum christianorum formulis* ann. *MDCXCVI.* edita; IOACH. HILDEBRANDUM, qui librum sub titulo: *sacra publica veteris ecclesiæ in compendium redacta*, luci publicæ exposuit; IO. FORBESIUM in *instruct. histor. theolog. libr. XII. cap. I. §. 7. p. m. 626.* FRID. SPANHEMIUM, in *hist. eccles. nov. testam. sec. IV. oper.* iunctim editorum *tom. I. p. 860.* I. G. DORSCHÆUM, cuius exstat *Mysaria missæ*, HENR. HEIDEGGERUM, in *tumulo concilii tridentini tom. II. p. 114.* PETR. MOLINÆUM, in *thesib. de sacerdotio missatico & sacrificio missæ, quæ thesauro disputat. theolog. Sedanensium vol. I.* insertæ sunt, *p. 801. seqq.* ABRAH. RAMBURTIUM, in *thes. de commentitio missæ sacrificio*, quæ pariter in *thesauro disp. Sedan.* & quidem *vol. II.* leguntur, *p. 529. seqq.* IO. FRANC. BUDDEUM, in *institut. theolog. dogmat. pag. 1480.* & in differt. *de origine missæ pontif. §. XI. miscellaneor. sacr. part. I. p. 12.* præsertim vero SALOM. DEYLINGIUM *observ. miscell. part I. exercitat. V. observ. 1. p. 262. seqq.* Ut alios taceamus. Atque in hac sententia & nos adquiescimus, dicimusque, *Missæ* nomen pro *dimissione populi* olim usurpatum fuisse, perinde ut *remissam* pro remissione, *offensam* pro offensione dixerunt veteres. Confirmamur in hac opinione testimonio AVITI, antistitis Viennensis, qui seculo V. in Gallia floruit. Is enim in epistola I. ad GUNDOBADUM, Burgundiorum regem, *missum facere* exponit per *dimittere. A cuius proprietate sermonis in ecclesiis palatiisque, sive prætoriis missa fieri pronunciatur, quum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularibus auctoribus invenietis.* Equidem non exprimit AVITUS auctores istos seculares, apud quos nomen *missæ*, hocce sensu usurpatum, deprehenditur. Verum haud difficile est, huius rei exempla producere. Sic CICERO in fine *Philipp. V.* placere ait, *legiones bello confecto missas fieri*: ac *Suetonius* in Caligula *cap. XXV.* ubi de Lollia Paulina, quam in uxorem is duxerat, disserit, mox subiungit: *brevi missam fecit*, h. e. eandem dimisit. *Missæ*, vel missioni respondet vox græca ἄφεσις, quæ *dimissionem* significat. Constat ex PLUTARCHO aliisque scriptoribus, Græcos hocce vocabulo in dimittendo populo olim usos fuisse. Finita enim concione præcla-

&c. ergo etiam missa pro remissione usurpata recte judicatur. Rhenanus in epist. ad Hoffmeisterum (quam recitat Flacius in refut. invect. Bruni p. 155.) illud probat ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo & aliis veteribus, ac docet, duplicem olim dimissionem in eucharistiæ celebratione fuisse usitatam, primum catechumenorum ante celebrationem, deinde omnium fidelium sive totius populi post celebrationem. Adducit etiam locum Isidori lib. VI. chym.

clamabat: λαῶν ἄφεσις, nunc est *populorum dimissio*, licet omnibus abire. Atque hanc consuetudinem, ut alia multa, christiani veteres sunt imitati, qui duas habebant *missas*, seu dimissiones populi; prima erat *catechumenorum*, ante celebrationem sacræ eucharistiæ; altera *fidelium*, seu totius cœtus, post celebrationem huius sacramenti usitata, ut supra iam adnotavit ipse GERHARDUS.

Licet vero vox *missæ*, secundum primigeniam suam significationem, olim nihil aliud denotaverit, quam *dimissionem* populi; progressu tamen temporis in aliam, ut fieri solet, significationem fuit tracta. Usurpata quippe postea fuit pro quacumque cultus divini parte, mox pro precibus publicis, ante & post catechumenorum dimissionem in ecclesia recitari solitis, sæpius etiam pro sacræ eucharistiæ celebratione, interdum quoque pro psalmodia, pro scripturarum lectione, & precibus vespertinis, tandemque post multos gradus devoluta in eo constitit, ut significaret sacrificium proprie dictum corporis Christi sub speciebus panis & vini, pro vivis ac mortuis offerendum. Ita enim concilii Tridentini patres *sess. XXII. can.* 2. definiverunt: *Si quis dixerit, missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Verum huncce vocabuli *missæ* significatum perinde ac ipsum sacrificium missaticum, quale ecclesiæ romanæ socii hodienum statuunt, prorsus ignorarunt veteres christiani. Hisce enim *missam celebrare* nihil aliud erat, quam cultui divino publice vacare. Ipse IO. MABILLONIUS, monachus benedictinus e congregatione S. Mauri, isque eruditissimus, ex antiquitatis ecclesiasticæ monumentis observavit, vocem *missæ* tres minimum habere significationes. Interdum eandem sacræ scripturæ lectiones denotare. Nonnunquam vero hocce vocabulo certas precum formulas publice recitari solitas, quas *collectas* vocant; quin & subinde *dimissionem populi* designari. Vid. eiusdem *disquisitionem de cursu Gallicano p. 107. & p. 393.*

Atque ex his, quæ hactenus diximus, facile colligi potest, quam sine ratione tantopere pro nomine *missæ* retinendo pugnent, idque ceteris omnibus præferendum censeant cœtus romani doctores. Certe si ad communem & primigeniam huius vocis significationem respiciamus, mox deprehendimus, eandem ad significandum vel sacrificium, vel sacramentum parum aptam esse. Neque enim *missæ* denominatio desumta est ab ulla parte essentiali sacramenti, nec a materia, nec a forma, nec a ritibus quidem utrique additis, nec ab efficiente, aut ab effectis, sed a re omnium maxime accidentali, cuiusmodi est *dimissio plebis*. Quanto rectius heic usurparentur voces in ipsis sanctioribus litteris exstantes, quales sunt *cœna domini*, *communio*, *eucharistia*, atque id genus aliæ.

Ne vero de nuda voce litem temere movere videri possent protestantes, ingenue fatentur, retineri omnino posse terminum huncce ecclesiasticum, si per eundem non sacrificium *missæ*, quod Romanenses statuunt; sed ipsa *eucharistia* intelligatur, prout ea a Christo, sacramenti huius auctore, est instituta, atque secundum illius institutionem administratur. Hinc & conditores Augustanæ confessionis *art. III. abusuum p.* 23. edit. Rechenberg. disertis verbis testantur, falsam esse romanensium adcusationem, quodlutherani in suis ecclesiis *missam* abrogasserint, atque addunt: *retinetur enim missa apud nos & summa reverentia celebratur.* Intelligunt nimirum ut iam monuimus, vocabulo *missæ* ipsam eucharistiam, eiusque celebrationem, hocque vocabulum retinent, ut veram illius significationem, qua illud in antiqua ecclesia valebat, restituerent. Plura hanc in rem non addimus, cum instituti nostri ratio id haud permittat. Adeat, qui plura de hoc argumento legere voluerit, auctores, quos supra magno numero excitavimus; quibus tamen addi meretur IOSEPH. BINGHAMUS *in originibus; sive antiquitatibus ecclesiasticis, vol. V. libr. XIII. cap. I. §. 2-4. p. 2. seqq.*

chym. c. 19. *Missa tempore sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita: Si quis catechumenus remansit, foras exeat & inde missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.* Neque vero catechumeni solum, sed etiam pœnitentes, desertores ac energumeni ante administrationem cœnæ discedere jubebantur per diaconum alta voce clamantem: *Exeunto catechumeni, exeunto pœnitentes, &c.* quorum cum facta esset emissio sive dimissio, tum demum ad eucharistiæ celebrationem accedebatur, qua finita iterum clamabat diaconus: *ite, missa est*, quod Alcuinus sic explicat: *jam dimissio est congregationis, abire omnibus licet.* Huc pertinet locus Polydori Virgilii libr. V. de rer. inventor. cap. 12. ubi disputat, vocabulum *missae* ex ethnicorum ceremoniis ortum ducere, quia sacerdotes ethnici, finitis sacris clamabant: τοῖς λαοῖς ἄφεσις *populis missio*, quod probat ex Apulejo libr. XI. de asino aureo & addit: *Idem igitur mos a nostris etiam servatur, ut peractis sacris per diaconum pronuncietur: ite, missa est, quod idem est ac, i licet, hoc est, ire licet.* Quod de duplici missa seu missione diximus, confirmat etiam Durandus in rat. div. offic. libr. IV. cap. 1. *Missa* (inquit) *catechumenorum est ab introitu usque post offertorium, quae missa ab emittendo dicitur, quoniam quando sacerdos incipit consecrare eucharistiam, catechumeni foris de ecclesia mittuntur. Missa fidelium est ab offertorio usque ad post communionem, & dicitur missa illa a dimittendo, quia ea expleta ad propria quisque fidelium dimittitur.* 4.) Allusiones judicandæ sunt, quod quidam missam christianam & legitimam (id est sacræ cœnæ juxta Christi institutionem celebrationem, quo sensu apologia Aug. confess. hoc nomine utitur) putant dictam a *remissione peccatorum*, quæ adnunciatur credentibus communicantibus; missam vero papisticam a divinæ institutionis omissione atque a nundinatione sacrificulorum & populi multitudine, qualis esse solet in nundinis, quas germanice vocant *Messen.*

§. X. Atque hæ sunt potiores sacræ cœnæ adpellationes, quas Græci & Latini scriptores ecclesiastici eidem tribuunt, quo referendæ etiam periphrases & encomia, quibus hoc mysterium exornant. Ignatius epist. Ephes. quæ est XI. vocat φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τὸ μὴ ἀποθανεῖν ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον, *medicamentum purgans vitam & omnia pellens mala.* Epist. XIV. vocat *panem Dei*, epist. XV. *panem cœlestem.* Dionysius ecclesiast. hierarch. c. 3. τέλετὴν τελετῶν *perfectionem perfectionum.* Can. Nicen. ἐφόδιον. Damasc. lib. IV. orth. fid. c. 14. βλάβης παντὸς δαπὸς ἀμυντήριον καὶ ῥύπε παντὸς καθαρτήριον, *omnis noxae amuletum, maculaeque universae purgatorium* (*). Ibidem ex Justino vocat μετάληψιν, quia *per hoc filii deitatem adsumamus.* Chemnitius part. II. locorum cap. de justif. p. 699. recitat orationem Basilii ante cœnæ sumtionem dicendam ex horologio ecclesiastico: *da, ut non accipiam ad judicium, sed* εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου καὶ εἰς ἐυπρόσδεκτον ἀπολογίαν τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματός σου. Ac Damascenus: *dignare ut accipiam* εἰς ἀῤῥαβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας. Chrysostomus in 1 Cor. αὐτὴ ἡ τραπέζα τῆς ψυχῆς ἡμῶν τὰ νεῦρα, τῆς διανοίας ὁ συνδεσμὸς, τῆς παῤῥησίας ἡ ὑποθέσις, ἡ ἐλπὶς, ἡ σωτηρία, τὸ φῶς, ἡ ζωὴ. Nicephorus libr. I. hist. eccles. c. 30. vocat ἄρτον ζωτικὸν, *panem vivificum*, sive *vitalem*, ut interpres vertit. Costerus libr. I. instit. christ. c. 6. ex Bernhardo & aliis veteribus recitat hæc: *Eucharistia medicina est aegrotis, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem servat: fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promtior, ad gratiarum actiones devotior: hic dimittuntur quotidiana peccata, expelluntur potestates satanae, dantur vires ad ipsum etiam martyrium subeundum, minuitur*

Periphrases & encomia sacræ cœnæ.

(*) Sacra enim cœna est redemtionis monumentum & redemti munimentum. GERHARDUS.

in minimis peccatis sensus, in gravioribus autem tollitur omnino consensus, denique adferuntur omnia bona, quia homo communicans in id transit, quod sumit.

CAPUT II.

DE VATICINIIS AC TYPIS SACRÆ COENÆ.

Vaticinia V. T. de sacra Cœna.

§. XI. Porro cum sacra cœna sit alterum nov. test. sacramentum, ex eo intelligitur, quod divinitus sit instituta, siquidem soli Deo institutio sacramentorum competit, ut in tract. de sacramentis §. 26. ostendimus. Cum vero Deus *non faciat verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas*; Amos III. 7. ideo ut de sacramento baptistico, ita quoque eucharistico dictis & typis vet. test. prophetavit. *Dicta* potiora hæc sunt (*). Psalm. XXIII. 1. *Dominus est pastor meus, & nihil mihi deerit,*

Ps. XXIII. 1. *in pascuis herbosis cubare me facit,* v. 2. *ad aquas refectionis ducit me.* v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Christus *bonus ille pastor*, Joh. X. 12. non solum verbo evangelii, sed etiam cibo sacramentali nos pascit ad vitam æternam. Ambrosius libr. V. de sacram. c. 3. tom. 4. p. 441. *Audi dicentem sanctum David, & ille in Spiritu haec mysteria praevidebat & laetabatur, & nihil sibi deesse dicebat. Quare? quia qui accepit corpus Christi, non esuriet in aeternum. Quoties audisti vigesimum secundum psalmum, & non intellexisti? vide quemadmodum aptus sit caelestibus sacramentis. Dominus pascit me &c. Virga imperium, baculus passio est, hoc est, aeterna deitas Christi, sed etiam passio corporalis: illa creavit, haec redemit* (**).

Psalm. CXI. 1. Psalm. CXI. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio justorum & congregatione.* (*Quoties manducamus hunc panem, & ex hoc calice bibimus, mortem Domini adnunciare*, hoc est, in publico ecclesiæ conventu gratias agere ipsi *debemus.* 1 Cor. XI. 26.) v. 2. *Magna opera Domini, investigata in omne beneplacitum eorum.* v. 3. *Laus & magnificentia opus ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.* (Sacra cœna itidem est talis institutio & ordinatio Dei, in qua bonitatem suam nobis gustandam præbet.) v. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus.* (Sacra cœna hoc sine a Christo instituta est, ut esset memoriale summi operis redemtionis. *Hoc facite in mei commemorationem* dicit ipse Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24.) v. 5. *Escam dedit timentibus se,* (qui divinam & vivificam escam in sacra cœna nobis propositam salutariter vult participare, eum oportet in vero timore Domini accedere.) *memor erit in seculum testamenti sui* (per baptismum quidem recipimur in fœdus Dei, sed cum per peccata sæpius ex eo excidamus, ideo Christus instituit sacram cœnam, in qua de remissione peccatorum certi reddimur, & in fœdus illud gratiæ vera pœnitentia & fide recipimur. Hujus loci est observatio illa, quod Burgensis & alii referunt, in ecclesia Israëlitica hunc & aliquot sequentes psalmos ad esum agni paschalis, qui fuit figura eucharistiæ, decantari fuisse solitos, id quod vocarunt *Alleluja magnum.*) Prov. IX. 1. *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* (Christus est *Dei sapientia*, 1 Cor. I. 24. *domus* Christi est ecclesia, 1 Tim.

Prov. IX. 1.

III.

(*) Psalm. XXII. 27. *Edent pauperes & saturabuntur & laudabunt Dominum.* Hunc locum de eucharistia explicat Eusebius Cæsarienſ. libr. X. demonstr. evang. cap. 8. GERHARDUS.

(**) Locum hunc itidem de eucharistia intelligunt Cyprianus epist. LXIII. ad Cœcilium, Ambrosius libr. de Helia & jejunio cap. 1. Theodoretus in comm. illius psalmi, Paschasius libr. de corp. & sang. Domini cap. 10. Chrysostomus in eund. loc. GERHARDUS.

III. 15. septem columnæ sunt beneficia Christi, quibus hæc domus Dei, velut basi suæ innititur, utpote nativitas, circumcisio, sancta vita, passio, mors, resurrectio, & adscensio. Apoc. V. 5.) v. 2. *Mactavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam.* (Christus agnus Dei, in ara crucis propter nos mactatus, in sacra cœna hanc mensam nobis paravit, in qua corpore & sanguine suo mediante benedicto pane nos reficit.) v. 3. *Misit ancillas suas, ut vocarent ad altas arces civitatis*: v. 4. *si quis est insipiens, veniat ad me*, v. 5. *& insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*; v. 6. *relinquite insipientiam & vivetis.* (Agit quidem in genere hic locus de salutaribus evangelii beneficiis, interim non injuria ad sacram cœnam adcommodatur, quæ est epitome atque nucleus consolationis evangelicæ (*).

Esa. XXV. 6. Esa. XXV. 6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, convivium pinguium medullatorum, vindemiae defecatae.* (Loquitur propheta de spirituali illa cœna, in qua evangelicæ consolationis suavitate animæ contritæ reficiuntur; Luc. XIV. 17. quia vero sacra cœna est sigillum promissioni evangelicæ additum, ideo ad illam quoque hoc vaticinium propheticum adcommodari potest (**).

Typi vet. test. ad sacram cœnam spectantes. Arbor vitæ.

§. XII. *Typi* vet. test. enumerari possunt complures, inter quos eminet figura *agni paschalis, & mannae.* Gen. II. 9. *posuit Deus lignum vitae in medio paradisi.* v. 10. *& fluvius egrediebatur ex Eden ad irrigandum paradisum.* (beneficio fructuum hujus arboris potuissent primi parentes in vegeto ætatis flore & concreata immortalitate conservari: quia vero per peccatum una cum omnibus posteris in mortem temporalem & æternam inciderunt, unde via ad paradisum & arborem vitæ ipsis occlusa; Gen. III. 24. ideo Deus ex immensa misericordia in paradiso ecclesiæ aliam vitæ arborem plantavit. Christus enim est benedictum illud *lignum vitae, cujus folia faciunt ad sanitatem gentium*; Apoc. XXII. 2. in sacra cœna suo corpore & sanguine nos pascit ad vitam æternam. Joh. VI. 53. 54. 55.) Gen. XIV. 18. *Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Et ipse erat sacerdos Dei altissimi*, v. 9. *& benedixit Abrahae.* (Veteres unanimi consensu ad sacram cœnam hoc referunt. Melchisedech fuit typus Christi sacerdotis æterni, docente epist. ad Hebr. VII. & seqq. ut ergo Melchisedech Abrahamum ipsiusque exercitum pane & vino reficit, eidemque benedixit: sic Christus in sacra cœna spiritualem nostram esuriem & sitim communicatione corporis & sanguinis sui, mediante benedicto pane & vino nobis oblati, tollit, ac veræ beatitudinis participes nos efficit. Cyprianus serm. de cœna non longe ab initio: *Significata olim a Melchisedech prodeunt sacramenta & filiis Abrahae facientibus opera ejus, summus sacerdos panem profert & vinum. Hoc est*, inquit, *corpus meum.* Vide etiam Damascenum libr. IV. cap. 14.) Exod. XII. sacramentum *agni paschalis* describitur, quod fuit eucharistiæ figura. (Quemadmodum Israëlitæ carnes agni paschalis manducabant, & sanguine ejus postes &

Panis & vinum Melchisedeci.

Agnus paschalis.

(*) Inde & Cyprianus epist. III. & Augustinus libr. XVII. de civ. Dei c. 20. ad eucharistiam adcommodant. GERHARDUS.

(**) Esa. LXV. 14. *Ecce servientes mihi comedent, vos autem esurietis: ecce servientes mihi bibent, vos autem sitietis.* Hunc locum de eucharistiæ sacramento acceperunt Cyrillus Alexandrinus in comm. Ambrosius libr. de paradiso cap. 9. libr. de Elia & jejunio cap. 10. Hieronymus in Esa. Hos. XIV. 6. *roborabuntur frumento.* Cyrillus Alex. in Hoseam. Zach. IX. 17. *Quid bonum ejus est & quod pulcrum ejus nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Hieronymus & Lyranus in comment. Paschasius de corp. & sang. Dom. c. 21. GERHARDUS.

& liminaria domus illinebant; v. 4. 7. ita Christus est *pascha nostrum pro nobis immolatus*, 1 Cor. V. 7. cujus verum corpus in cœna manducamus, & sanguinem ejus bibimus. Quemadmodum sacramentum agni paschalis fuit memoriale liberationis ex Ægypto; v. 27. sic in usu sacræ cœnæ mortem Domini adnunciare, id est, pro opere redemtionis ipsi grati esse debemus. 1 Cor. XI. 26. Quemadmodum solis circumcisis ad esum agni paschalis patebat aditus, v. 48. ita solis baptizatis eucharistia danda. Quemadmodum Israëlitæ comedebant agnum paschalem cum azymis & herbis amaris, v. 8. ita quoque in vera pœnitentia, quæ est *sal* veteris nostri Adami, Marc. IX. 49. & *in azymis sinceritatis ac veritatis*, veteri fermento expurgato, ad sacræ cœnæ convivium accedendum, 1 Cor. V. 7. & 8. Cyprianus serm. de cœn. Domini statim in princ. *Non oportet esse fermentarios nov. test. ministros, puras sinceraſque mentes: sanctum quaeris convivium, in veru crucis boni odoris assatio, omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem, & induret solidetque mentis adfectus, nec in ecclesiae sanctae sacrificio ulla sit macula, sed pura simplicitas & innocentia vitae, in una ecclesiae catholicae domo a fidelibus de Ægypto egredientibus, transito mari rubro, lotis Christi sanguine adfectibus, offeratur.*) Exod. XVI. 15. *manna* cœlitus depluit ad cibum & aqua mirabiliter profluit ad potum Israëlitarum in deserto. (Id Christus Joh. VI. 49. & seqq. ac Paulus 1 Cor. X. 3. 4. ad sacramentum eucharisticum haud obscure adcommodant (*). Quemadmodum enim Israëlitæ pane cœlitus depluto & aqua ex petra mirabiliter producta in deserto sustentabantur, ne fame & siti perirent: sic in sacra cœna *pane illo, qui de cœlo descendit*, hoc est, Christi corpore cibamur, & sanguine, qui ex latere ipsius profluxit, potamur, ne in deserto hujus mundi æterna fame pereamus. Cyrillus libr. IV. in Joh. XVI. *Mannae alimentum non aeternam vitam, sed breve famis remedium adferebat, non erat ergo cibus vivus, hoc est panis de cœlo: sanctum vero corpus Christi ad immortalitatem & vitam aeternam nutriens cibus est.* Quemadmodum mannæ datio & aquæ ex petra eruptio, erat testimonium divinæ gratiæ: ita quoque Christus in institutione sacræ cœnæ gratiam suam testatam nobis reddere voluit. Quemadmodum manna saporis erat suavissimi, Exod. XVI. 31. sic spiritualis manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi est suavissimus animæ nostræ cibus. Quemadmodum omnes Israëlitæ *eundem cibum spiritualem manducabant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant*, 1 Cor. X. 3. sic omnes christiani ad hoc cœleste epulum accedentes sacramentalem manducationem corporis & bibitionem sanguinis Christi habent communem. Quemadmodum manna vermibus scatebat & computrescebat illis, qui contra mandatum Dei illud in crastinum diem reservabant, Exod. XVI. 20. sic corpus Christi in se ac per se est quidem immortale, incorruptibile, imo vivificus cibus; interim tamen, qui indigne illud manducant, *judicium sibi ipsis manducant.* 1 Cor. XI. 29. Quemadmodum Israëlitæ in terram promissionis producti non amplius colligebant manna, Jos. V. quin & die sabbati non colligebant manna in deserto, Exod. XVI. 23. ita quoque, quando in promissam cœlestis regni hæreditatem introducti erimus, ac *sabbatum ex sabbato celebrabimus*, Esa. LXVI. 23. non amplius per verbum & sacramenta nobiscum aget, *sed videbimus eum a facie ad faciem.* 1 Cor. XIII. 12. Lombardus libr. IV. sent. dist. 8. lit. A. *Eucharistiae figura praecessit, quando manna pluit Deus patribus in deserto, qui quotidiano*

Manna & aqua deserti.

(*) Andr. Radecius, Photinianus, in notis ad librum Smiglecii, quem refutationem vanæ dissolutionis nodi sui Gordii adpellat p. 17. *Inepissime manna cum cœna Domini confertur. Manna enim beneficium Dei erat terrenum. At cœnam Domini beneficium esse magnus error est. Est enim beneficii commemoratio. Mannæ autem respondet hodie non cœna Domini, sed vel ipsa mors Christi vel Spiritus illius; hæc enim ita pascunt animas nostras, ut olim corpora Israëlitarum pascebat manna.* Sed fuit omnino manna eucharistiæ typus, ut supra copiose ostenditur. GERHARDUS.

diano cœli pascebantur alimento, unde panem angelorum manducavit homo, sed tunc qui panem illum manducaverunt, mortui sunt: iste vero panis vivus, qui de cœlo descendit, vitam mundo tribuit. Manna illud de cœlo, hoc super cœlum. Illud scatebat vermibus in diem alterum reservatum, hoc ab omni corruptione alienum. Quicunque religiose gustaverit, corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis post transitum maris rubri, ubi submersis Ægyptiis liberati sunt Hebræi: ita hoc cœleste manna non nisi renatis praestari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit: haec esca cœlestis fideles hujus seculi per desertum transeuntes in cœlum subvehit.) Exod. XXIV. 6. *Tulit Moses dimidiam partem sanguinis victimarum & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare*, v. 7. *adsumensque volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt: omnia, quae locutus est Dominus, faciemus & erimus obedientes.* v. 8. *Ille vero sumtum sanguinem respersit in populum & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Jehovah vobiscum super cunctis sermonibus his.* (Quemadmodum Israëlitæ per adspersionem sanguinis sacrificiorum in fœdus Dei recipiebantur: ita quoque Christus communicatione sanguinis sui novum fœdus in usu sacræ cœnæ nobis confirmat atque obsignat. Vide Rupertum libr. III. de Trinit. & ejus operib. cap. 43.) Exod. XXV. 30. proponitur statutum de *panibus facierum* sive *propositionis*, qui in mensa tabernaculi quotidie coram Domino proponebantur. (Hi panes sunt figura eucharistiæ, in qua panis vitæ Christus non videndus, sed comedendus nobis proponitur, ut *gustemus, quam suavis sit Dominus.* Psalm. XXXIV. 9. Unde Isidorus Peluſiota libr. I. epist. 123. Christi corpus in altari vocat τὸν ἄρτον τῆς προθέσεως. In ver. test. solis sacerdotibus licitum erat panes illos manducare, Matth. XII. 4. Marc. II. 26. sed in nov. test. Christus nos *fecit reges & sacerdotes coram Deo*, Apoc. I. 6. ut omnibus ad hoc epulum cœleste pateat aditus. Quemadmodum Abimelech sacerdos servis Davidis tum demum panes illos sacros dabat, cum intelligeret ipsos esse sanctos, 1 Sam. XXI. 5. ita quoque profani & impii non sunt ad sacram cœnam admittendi, sed sancta sanctis reservanda. Vide Damascenum lib. IV. c. 14. Rupertum libr. IV. de Trin. & ejus operib. c. 6. &c.) Lev. VIII. 31. tale præceptum filiis Aaron dabatur per Mosen: *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in procaniſtro.* (Id Hesychius libr. XX. in Levit. VIII. ad sacram cœnam accommodat, in qua mediante pane benedicto carnem Christi manducamus.) 2 Sam. VI. 19. de Davide commemoratur, quod completis sacrificiis *partitus sit universae multitudini Israël, tam viro quam mulieri singulis collyridam panis unam, & assaturam carnis unam & unam lagenam vini.* (Christus, cœlestis David, rex & propheta noster, completo in ara crucis sacrificio, ecclesiæ suæ non solum panem & vinum, sed & mediantibus illis corpus & sanguinem suum distribuit.) 2 Sam. IX. 13. magni beneficii loco commemoratur, quod Mephiboseth Saulis filius de mensa regis Davidis quotidie vescebatur. (At longe majoris beneficii loco habendum, quod cœlestis David Christus Jesus suæ mensæ nos adhibens corpore & sanguine suo nos pascit.) 1 Reg. XIX. 6. angelus Domini prophetæ Eliæ in desertum adfert *panem subcinericium & vas aquae.* v. 8. *In cujus cibi fortitudine ambulat usque ad montem Dei Horeb.* (Christus, angelus novi fœderis, in sacra cœna corpore & sanguine suo nos pascit, ut in hujus cibi fortitudine per desertum mundi ad cœlestem Hierosolymam, cujus typus fuit mons iste, pervenire possimus.) 2 Reg. II. 13. Elias curru igneo in cœlum subvectus Elisæo discipulo suo pallium relinquit. (Humana Christi natura vocatur ipsius

Sanguis fœderis.

Panes propositionis.

Carnes sacrificiorum.

Panis & vinum Davidis.

Mensa regia.

Panis subcinericius Eliæ.

Pallium Elisæi.

psius *pallium*, Gen. XLIX. 11. siquidem *beatus auctor seculi servile corpus induit*: Inde Chrysostomus hom. II. ad pop. Antioch. *Quemadmodum Elias cum corpore adscenderet in cœlum, melotem dimisit Elisæo discipulo: ita Christus cum adscenderet, carnem suam nobis dimisit.*) Esth. I. 3. commemoratur de rege Ahasvero, quod *grande convivium instituerit, primum quidem principibus, praefectis & servis suis, postea vero toti populo.* (Sic Christus rex gloriæ instituit sacrum hoc convivium ac cœleste epulum, ad quod primum quidem discipulos suos, postea vero omnes christianos vocavit.) Damascenus libr. IV. orth. fid. cap. 14. refert huc figuram *carbonis igniti.* Esa. VI. 6. Quemadmodum carbo non est simplex, sed igni unitus, sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus corpori, in quo divinitas. Quemadmodum etiam carbone isto labia vatis purgata sunt, ita corpore Christi etiam animæ nostræ purgantur & mundantur.

Convivium Ahasveri.

Carbo ignitus Esa. VI.

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI, SIVE AUCTORE HUIUS SACRAMENTI.

Auctor sacræ cœnæ Christus Jesus.

§. XIII. Cæterum quod vaticiniis & typis in vet. test. fuit prænunciatum, id in nov. test. fuit impletum, cum Dominus noster Jesus Christus, anno mundi 4004. anno post institutionem agni paschalis 1550. anno ætatis 34. currente, die 3. Aprilis, circa horam 7. vespertinam, velut Paulus loquitur, *nocte ea, qua traditus est*, Hierosolymis in privatis civis cujusdam ædibus, post agni paschalis esum, sacram cœnam ejusdem ἀντίτυπον instituit, ac primus discipulis suis administravit, ut ex verbis institutionis, a tribus evangelistis & apostolo Paulo uniformiter descriptis, manifeste adparet. Matth. XXVI. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis ac dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, v. 27. *& accipiens calicem gratias egit, ac dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.* v. 28. *Hoc est enim sanguis meus nov. test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Marc. XIV. 22. *Et manducantibus illis accepit Jesus panem & benedicens fregit & dedit eis ac ait: Accipite, comedite: hoc est corpus meum.* v. 23. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes.* v. 24. *Et ait illis: Hoc est sanguis meus nov. test. qui pro multis effunditur.* Luc. XXII. 19. *Et accepto pane gratias egit & fregit & dedit illis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem.* v. 20. *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix nov. test. in meo sanguine, qui pro vobis funditur.* 1 Cor. XI. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in ea nocte, qua tradebatur, accepit panem*, v. 24. *Et gratias agens fregit & dixit: Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem.* v. 25. *Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix est nov. test. in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.*

§. XIV. Constat autem omnibus vere piis, quod hic sacræ cœnæ auctor sit 1) Θεάνθρωπος, verus Deus ac verus homo, in unitate personæ. Col. II. 9. *in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* 2.) Mediator nov. test. summus sacerdos, rex, salvator & redemtor noster. Hebr. VIII. 1. *Talem habemus pontificem, qui consedit in dextra troni magnitudinis in cœlis.* 3.) Ejusdem cum Patre & Spiritu

Qui est 1.) Θεάνθρωπος,

2.) novi test. mediator.

3.) *Ejusdem cum Patre & Sp. S. essentiæ.*

ritu sancto ut essentiæ, ita & potentiæ. 1 Cor. I. 24. *Christus est Dei virtus:* cui secundum humanam naturam *data est omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. XXVIII. 18.

4.) *Fidelis testis.*

4.) *Fidelis testis,* Apoc. I. 5. imo ipsa *veritas.*

5.) *Sapiens & omniscius.*

5.) Sapiens & & omniscius, imo ipsa *sapientia.* 1 Cor. I. 30. Cum ergo Christus, qui sacram hanc cœnam instituit, sit verus Deus, æquum est, ut divinam hujus sacramenti institutionem miremur, non rimemur; veneremur, non scrutemur. Cum sit noster mediator, salvator, redemtor, rex & sacerdos, æquum est, ut testamentariam ipsius dispositionem summo loco habeamus, nihil quidquam ei vel addentes vel detrahentes. Gal. III. 15. Cum sit ejusdem cum Patre & Spiritu sancto potentiæ & essentiæ, æquum est, ut certo statuamus, quidquid ordinavit, instituit & promisit, id præstare ipsum posse, siquidem *cumulate potest facere ultra omnia, quae petimus aut cogitamus,* Eph. III. 20. neque quidquam est ei *difficile,* Gen. XVIII. 14. Zach. VIII. 6. nedum *impossibile.* Luc. I. 37. Cum sit fidelis & verax testis, æquum est, ut verbis ejus fidem habeamus, *captivantes intellectum nostrum in obsequium illius.* 2 Cor. X. 5. Cum sit omniscius & omnisapiens, æquum est, ut statuamus, ipsum scire rationem ac modum, quo possit suas promissiones implere, nec convenit, ut *sapientia a filiis suis justificetur.* Matth. XI. 19. Cumprimis vero obversentur oculis & animis nostris illa duo pronunciata, quorum alterum est ipsius Christi, alterum vero apostoli Pauli, quotiescunque de hoc mysterio cogitamus aut loquimur. Joh. XII. 48. *Sermo quem locutus sum, ille judicabit vos in novissimo die.* 1 Tim. VI. 3. *Si quis aliter docet, ἑτεροδιδασκαλεῖ, & non quiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, ei, quae secundum pietatem est, doctrinae,* v. 4. *inflatus est, nihil sciens.*

§. XV. Neque solum primæ institutionis tempore sacram cœnam discipulis suis Christus administravit, sed adhuc hodie secundum utramque naturam præsens est, quoties juxta ipsius institutionem & ordinationem sacra cœna in ecclesia administratur, atque ipsemet corpus & sanguinem suum communicantibus distribuit. Chrysostomus homil. VII. de pass. *Ipse Christus praesto est, & qui illam ornavit mensam, hanc quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita panem & vinum, corpus & sanguinem Christi facit, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute ea, quae proponuntur, consecrantur, interveniente verbo, quo dicit: Hoc est corpus meum.* Quemadmodum enim in nullius hominis potestate fuit, sacramentalem corporis & sanguinis Christi manducationem in cœna instituere: ita quoque in nullius hominis potestate est, corpus & sanguinem Christi in cœna distribuere, sed Christus est, qui manducationem corporis & bibitionem sanguinis sui non solum primitus instituit, sed etiam corpus suum manducandum ac sanguinem bibendum convivis hujus cœlestis convivii exhibuit, atque adhuc hodie exhibet. Chrysostomus homil. de prod. Judæ. *Sicut illa vox: crescite & multiplicamini, &c. semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque in hodiernum diem sacramento praestat firmitatem.* Nequaquam igitur statuendum, quod minister virtute propria hic agat, atque externa symbola in corpus & sanguinem Christi transmutet, vel quod verbis illis: *Hoc est corpus meum; hoc est sanguis meus,* magica quædam vis insit, qua panis & vinum in corpus & sanguinem Christi convertantur, sed in solidum hoc institutioni, voluntati & potentiæ Christi tribuendum, quod in sacra cœna mediante benedicto pane corpus Christi, & mediante benedicto vino sanguinem ipsius accipimus. Is enim est, qui per ministrum in hoc mysterio agit, & quod ipsemet olim instituit, ordinavit ac promisit, re ipsa adhuc hodie præstat: interim tamen necessarium

Idem adhuc hodie in administratione cœnæ præsens est.

est in administratione sacræ cœnæ verba primævæ institutionis repeti, & externa elementa ad usum sacramentalem iisdem destinari & sanctificari, ob causas in quæstione de consecratione exponendas.

CAPUT IV.

DE MINISTRO SEU DISPENSATORE HUIUS SACRAMENTI.

Dispensatio sacræ cœnæ spectat ad ministros ecclesiæ.

§. XVI. Quamvis vero ipsi Christo tribuenda sit corporis & sanguinis sui in sacra cœna distributio, eam tamen non amplius *immediate*, ut in primæ cœnæ administratione, sed *mediate* per ministros ecclesiæ exsequitur, per quorum ministerium vi promissionis suæ est efficax, & quando illi panem benedictum & vinum benedictum distribuunt, tunc ipsemet simul *in*, *cum* & *sub* benedicto pane & vino corpus & sanguinem suum communicantibus distribuit. Vicissim quia Christi & ministri actio separari nec potest nec debet, ac quia cum benedicto pane corpus Christi, cum benedicto vino sanguis Christi in vero & legitimo usu sacramentaliter unita sunt, ideo immote statuendum, quod minister ecclesiæ non solum panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi in cœna distribuat, id quod Calvini sectatoribus opponendum, qui corporis & sanguinis dominici distributionem ita tribuunt Christo, ut ministri actionem ab ea penitus separent. Joh. Jacob. Grynæus in soliloq. de cœna: *Panis & vinum nobis foris porriguntur, veruntamen intus quoque tuo, o Domine Jesu, pro nobis tradito corpore tuoque sanguine atque toto merito tuo ac beneficiis alimur & sustinemur. Sacramenta foris percipimus, ut intus Spiritus sancti gratia repleamur.* Hæc quidem de spirituali participatione corporis & sanguinis Christi recte dicuntur, interim tamen sacramentali manducationi & bibitioni non sunt opponenda, qua de re inferius plura (*).

§. XVII. Quod administratio sacræ cœnæ ministris ecclesiæ proprie competat (**), patet ex

(*) Polanus partit. theol. p. 283. *Panis confertur a ministro, corpus Christi ab ipso Christo.* Atque si Christus per ecclesiæ ministros exhibet communicantibus rem terrenam, non potest non per eosdem mediante terrena exhibere rem cœlestem. Sed verum prius est secundum Calvinum. Ergo & posterius. *Connexio* probatur ex verbis institutionis, in quibus Christus dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, non vero accipite solum panem, ego dabo vobis ore fidei corpus manducandum. Sic ergo inferimus: Quidquid a communicantibus accipitur, manducatur & bibitur, id prius a ministro ecclesiæ porrigitur. Atqui non solum panis sed etiam corpus Christi a communicantibus accipitur &c. Ergo. Argumentamur porro: Quæ opinio distrahit ea, quæ Deus vult arctissime conjuncta, illa improbanda. Calviniana opinio id facit, distrahit enim non solum causam efficientem *principalem* & *instrumentalem*, sed etiam panem & corpus, vinum & sanguinem Christi. Ergo. Quod Christus in cœna jubet manducare & bibere, id e manu ministri accipitur. Atqui Christus suum corpus jubet manducare & sanguinem suum bibere. Ergo. Si ministri in cœnæ administratione tantum panem & vinum exhiberent, non possent dici *œconomi mysteriorum divinorum.* 1 Cor. IV. 1. Quo vero modo panis eucharisticus & corpus Christi, vinum eucharisticum & sanguis Christi veraci & omnipotente verbo Christi sunt unita, eo etiam modo simul distribuuntur & accipiuntur. Jam vero panis eucharisticus & corpus Christi &c. sic sunt unita, ut panis non sit solus, nec corpus Christi solum, sed sacramentaliter invicem unita. Ergo etiam eo modo distribuuntur. Quidquid pertinet ad essentiam cœnæ, illud in administratione cœnæ a ministris distribuitur. Atqui corpus & sanguis Christi, utpote res cœlestis pertinent ad essentiam cœnæ. Ergo. Qui Christi loco cœnam administrant, illi distribuunt id, quod Christus in administratione primæ cœnæ distribuit. Sed Christus non distribuit nudum panem nec nudum vinum. Ergo. GERHARDUS.

(**) Negant hoc, qui in SOCINI castris militant. JO. VOLKELIUS in *dissolut. nodi Gordii, a Martino Smiglecio nexi, pag. 10. Ne hoc quidem* ex

ex sequentibus fundamentis, 1.) quia conjuncta sunt prædicatio evangelii & administratio sacramentorum, quæ sunt externa sigilla & testimonia promissionis evangelicæ. 2) Quia ministri ecclesiæ sunt οἰκόνομοι μυστηρίων τοῦ θεοῦ, 1 Cor. IV. 1. Tit. I. 7. inter quæ mysteria eminet sacramentum cœnæ dominicæ. 3.) Quia baptismi administratio ordinarie competit ecclesiæ ministris, quibus dictum: *Docete omnes gentes & baptizate.* Matth. XXVIII. 19. Ergo etiam eucharistiæ dispensatio. Vide tract. de sacram. in genere §. 28. & 29. & tract. de bapt. §. 39. ubi ostendimus, ne quidem in casu necessitatis privato sacræ cœnæ administrationem committendam, cum hac in parte discrimen sit inter baptismum, qui est sacramentum *initiationis*, & sacram cœnam, quæ est sacramentum *confirmationis*. De baptismi necessitate Christus testatur Joh. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit regnum Dei.* Ubicunque igitur aqua haberi potest, baptismus etiam a privato administrari potest ac debet, sed sacræ cœnæ usus non est in pari necessitatis gradu constitutus, ideoque quando non est copia ordinarii ecclesiæ ministri, tunc locum habet illud Augustini: *Crede & manducasti.* Joh. Corvinus, professor quondam Erfordianus in methodo doctr. de cœn. ed. Erf. anno 1578. q. 9. adfirmat, licere laico in casu necessitatis cœnam Domini administrare (*);

 1.) cum

ex divinis literis discere possimus, omnino necesse esse, ut certus quidam homo eligatur, qui Christi quasi personam sustinens reliquis cœnam Domini dispenser. ANDR. RADECCIUS, Photinianus, in *notis* ad libellum Smiglecii, quem vocat *refutationem vanæ dissolutionis nodi sui Gordii* edit. Rac. 1614. p. 19. *Paulus eis, apud quos nullus vel apostolus vel apostoli vicarius, nullus denique doctor ordinarius erat, præcipit, ut cœnam Domini celebrent, unde adparet, posse solos fideles absque ullo ministro verbi divini, si ita accidat eos sine illo esse, cœnam Domini celebrare, & nullum ejus administratorem peculiarem requiri.* Ipse Socinus epist. II. ad Matth. Radeccium p. 126. *Nihil est, cur suspicari possimus, cœnam dominicam a quolibet Christi nomen profitentium cœtu celebrari non posse. Neque enim parabilissima hæc & simplicissima ceremonia apostolis, ut apostolis, a Christo præscripta fuit, sed simpliciter ut ipsius discipulis seu mavis christianis, id quod & Pauli verba 1 Cor. XI. manifestum faciunt, & satis ostendunt, ipsa Christi verba a Paulo uberius exposita, quibus ipsius ceremoniæ finis continetur; qui est commemoratio dominicæ mortis & adnunciatio, donec Christus veniat &c. Jam & Christi mortem commemorare atque adnunciare, & pro ea gratias publice agere, ad omnes christianos peraque pertinere, nemo est quin fateri cogatur. Nec vero est in hoc ritu ullus usus divinæ rei ulla datio seu ministratio, & propterea nullus certus homo requiritur, qui quasi Christi vicem gerens panem & vinum cæteris distribuat aut porrigat.* GERHARDUS.

(*) In ejusmodi necessitatis casu, cumprimis imminente vitæ periculo, si pastor haberi nequeat, & moriturus summo fruendi sacramento flagret desiderio, a pio etiam laico sacram eucharistiam administrari posse, complures statuunt ecclesiæ nostræ theologi. Sufficiat ex iis hic nominasse JO. GALLUM & TILEM. HESHUSIUM, apud FELICEM BIDEMBACHIUM *consil. theolog. decad. III. num. V. p. 135.* & *p. 147.* itemque MARTINUM CHEMNITIUM *part. II. exam. concil. Trident. loc. I. sect. IX. p. 306.* JO. CONR. DANNHAUERUM, NICOL. HUNNIUM, GEORG. CALIXTUM in *disput. de baptismo &c.* edita Helmstad. ann. *MDCXLII.* §. 57. JO. FECHTIUM in *instruct. past. p. 157.* nec non ven. JO. GEORG. WALCHIUM in *dissert. de sacra cœna a laicis administranda*, Jenæ *MDCCXLVII.* edita, lectuque dignissima. Adiungimus iisdem PHIL. SPENERUM in *den deutschen theolog. Bedenken, part. I.* in *append. p. 176.* & *part. II. p. 54.* in quo posteriori loco inter alia ita scribit: *ich entsinne mich dabey meines seel. præceptoris, Herrn D. Dannhauers, wie derselbige einigemal auch davon redete, und einen solchen Fall setzete, wo einige christliche Freunde auf einer Reise in Italien, oder sonst an einigem Ort, da keine evangelische Gemeinde vorhanden, sich befanden, und einer unter denselbigen geriethe bey einer Krankheit oder sonsten, in die Anfechtung, daß er ohne das heil. Abendmahl sich göttlicher Gnade nicht genug versichern und seelig werden könte; da er bey solchem Fall haben wolte, daß man einen solchen Menschen zwar, so viel möglich, an die geistliche Niessung, und sich damit zu vergnügen, weisen solte; wo er sich aber damit in solcher Anfechtung nicht befriedigen könte, liesse er zu, daß ein anderer Gefärte ihm solches Sacrament wohl reichen möch-*

te;

1.) cum Christus non solis discipulis potestatem remittendi & retinendi peccata dederit, sed omnibus piis, & commune mandatum sit, ut fratribus petentibus adnuntiemus evangelium. 2.) Cum

te; dabey er die Ursach anführte, es wære die geistliche Niessung als unsere tægliche Speise, die sacramentliche aber für eine Arzney anzusehen, wie es dann in dem Natürlichen bey einem Menschen dahin kommen kœnte, daß es ihm nicht genug wære an der Speise, sondern auch die Arzney zuweilen erfordert würde, so kœnte eine Seele auch in den Stand gerathen, daß sie nebst der tæglichen Speise, auch die himmlische Arzney nöthig hætte &c. Adducit deinde laud. SPENERUS aliorum quoque theologorum suffragia, tandemque hæc subiicit verba: *also hætten wir von dem Nothfall die Zeugnisse unserer Lehrer: wiewohl ich nicht in Abrede bin, daß ich auch in demselben sehr behutsam zu seyn nöthig achte, und denen in Verfolgung stehenden und ihrer Prediger beraubten Gemeinden nicht leicht rathen wolte, sich solcher Freyheit zu gebrauchen, als wodurch sie ihre Gefahr noch vielmehr vergrössern möchten.* Eandem sententiam amplexus est b. LUTHERUS *tom. II. oper. Altenburg. fol. 494.* Quin ex antiquissimis cœtus christiani doctoribus eidem subscripsit TERTULLIANUS, ecclesiæ christianæ presbyter seculo secundo clarus. Is enim libro *de exhortatione ad castitatem, tom. II. oper. cap. VII. p. m. 179.* ubi nuptias secundas laicis æque ac clericis illicitas esse, comprobare adnititur, hoc inter alia utitur ratiocinio, quia etiam laici iure sacerdotali gaudeant, & *ingere ac offerre possint, ubi ecclesiastici ordinis non est consessus.*

Notandum tamen heic est, locum istum TERTULLIANI, quem modo excitavimus, longioris litis materiam suppeditasse viris quibusdam doctissimis, speciatim RIGALTIO atque ALBASPINÆO, itemque GROTIO, PETAVIO ac SALMASIO, qui larvam WALONIS MESSALINI sumsit, nec non aliis quibusdam, qui controversiæ huic se postea admiscuerunt, veluti ANDR. RIVETO, JO. CLOPPENBURGIO, GEORG. AMBIANO, &, vel maxime HENR. DODWELLO.

Ut de NICOLAO RIGALTIO dicendi faciamus initium, erat is bibliothecæ regiæ parisiensis custos, ac Romanensium quidem sacris addictus, sed ita, ut subinde ad Reformatorum partes propenderet. Quum itaque is ann. *MDCXXVIII.* libros TERTULLIANI e codice AGOBARDI manuscripto emendatos in lucem publicam ederet, doctoris huius antiquissimi auctoritati innixus *observ. XIX.* adstruere conatus est, potestatem administrandi sacram cœnam, si quidem id postulet necessitas, hominibus quoque laicis competere. Plurimum vero hoc displicuit GABRIELI ALBASPINÆO, episcopo quondam Aurelianensi, ad dignitatem cardinalitiam adspiranti, qui non tantum in opere suo gallice edito *de eucharistia, libr. II. cap. VIII.* RIGALTII sententiam oppugnavit, sed & tantum hanc ob rem odium in RIGALTIUM concitavit, ut is, ad delendam, in quam adductus fuerat, invidiam, litteras ad ALBASPINÆUM exararet, eidemque significaret, se derelicta priori, quam olim adoptaverat, sententia cum ALBASPINÆO iam consentire. Tantum vero abfuit, ut hac ratione pax atque concordia inter viros istos doctos plene fuerit restituta, ut potius inimicitia inter eos quotidie nova ceperit incrementa, atque utraque pars causam suam variis scriptis strenue propugnaverit. Tandem hæc lis ad ipsam curiam Romanam fuit delata, mox tamen rursus sopita, superveniente repentina ALBASPINÆI morte, quæ ann. *MDCXXX.* contigit, atque huic concertationi finem fecit. Legi de his controversiis merentur GROTIUS *epist. 257, 258, 260, 265.* SALMASIUS *libr. I. epist. 1, 17, 18, 20, 31.* & LUD. ELLIES DU PIN, theologus Sorbonicus, in *nouvelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques, tom. XVII. art.* Rigault *p. 227.*

Atque hinc GROTIO nata est occasio, tractatum, suppresso suo nomine, edendi *de administratione cœnæ, ubi pastores non sunt, &, an semper communicandum sit per symbola*, qui ann. *MDCXXXVIII.* primum prodiit, posteaque in eius *operum theolog. tom. IV. p. 505.* fuit translatus. In hocce opusculo GROTIUS non solum RIGALTII interpretationem verborum TERTULLIANI suo adprobavit calculo, sed & exemplis rationibusque in medium adlatis comprobare annisus est, apud christianos vetere laicis facultatem fuisse concessam sacra divini epuli peragendi, si necessitatis casus existiterit. Eandem sententiam ornandam in se suscepit CLAUDIUS SALMASIUS, eundemque testem, TERTULLIANUM nimirum, in causæ suæ præsidium advocavit. Fecit id in *dissertat. de episcopis & presbyteris*, quam sub nomine WALONIS MESSALINI ann. *MDCXLI.* edidit, *cap. V. p. 384.*

Aft

2.) Cum laicis in casu necessitatis baptizare liceat. Sed ostendimus suo loco discrimen esse hac in parte inter sacramentum *initiationis* & *confirmationis*.

§. XVIII.

Ast contra utrumque, GROTIUM & SALMASIUM, calamum strinxit DIONYSIUS PETAVIUS, Jesuita Gallus, isque doctissimus. GROTIO quidem opposuit: *diatribam de potestate consecrandi & sacrificandi, sacerdotibus a Deo concessa*, quæ & seperatim exstat, *MDCXXXVIII.* & *MDCXC.* Parisiis typis exscripta, & postea eiusdem *tom. IV. dogmat. theol. p. 203.* inserta fuit. Adversus SALMASIUM vero copiose disputavit *libr. III. de eccleſiaſt. hierarch. cap. 2. ſeqq. tom. IV. dogmat. theol. p. 79.* ubi vocem *offerre*, a Tertulliano usurpatam, varie torquet, ut ostendat, eandem non de consecratione sacerdotali; sed de ea consuetudine intelligendam esse, qua laici, quum sacro epulo uti voluerint, ad istud parandum panem ac vinum secum attulerint. Verum, quicunque verba Tertulliani debita attentione perlegerit, facile deprehendet, eundem vocabulo *offerre* ipsam consecrationem eucharisticam indigitare. Omnem enim *loc. cit.* impendit operam, ut evincat, ea omnia, quæ alias ad sacerdotes spectant, a laicis quoque administrari posse.

Fuerunt vero, præter PETAVIUM, alii quoque, qui GROTIO sese opposuerunt. Fecit id ex ecclesiæ Romanæ sectatoribus GEORG. AMBIANUS in suis ad Tertullianum *adnotationibus*, quem deinceps alii sunt secuti. Eandem controversiam recentiori ævo denuo in scenam produxit JO. HARDUINUS, societatis Jesu sacerdos, isque Gallus, in *dissertat. de potestate consecrandi*, quæ *operibus* eius *selectis* inserta est, ubi *fol. 300.* mentem Tertulliani de hocce argumento ita exponere adnititur, ut aiat, eundem laicis sacerdotium duntaxat spirituale & mysticum adiudicasse.

Nec defuerunt ex protestantibus, qui GROTII *dissertationem* supra excitatam, non priorem quidem, sed posteriorem illius partem, de quæstione: *an semper communicandum sit per symbola*, confutarunt. Nominari ex iis merentur ANDR. RIVETUS, theologus Lugduno-Batavus, in *apologet. pro vera pace eccleſiaſt. num. 45. tom. III. oper. p. 1074.* nec non JO. CLOPPENBURGIUS, theologus quondam Franekeranus, in *diſſertat. ſelect. IVta*, quæ in eiusdem *oper. theolog. tom. I. p. 592.* exstat. Jungi vero iisdem meretur ex scriptoribus Anglis HENR. DODWELLUS, qui Londini ann. *MDCLXXXV.* dissertationem edidit *de iure laicorum sacerdotali, ex sententia Tertulliani, aliorumque veterum, adversus anonymum diſſertatorem de cœnæ administratione, ubi paſtores non sunt*; cui & GROTII, PETAVII, ac CLOPPENBURGII commentationes, quarum modo mentionem fecimus, adiectæ conspiciuntur. Mirum vero oppido videtur, DODWELLUM in *dissertatione* modo *excitata* verba TERTULLIANI ita torsisse, ut diceret, TERTULLIANUM non promiscue quibusvis laicis, sed iis duntaxat mysteria baptismi & sacræ cœnæ administrandi potestatem tribuisse, qui, extra ordinem, virtute futura prædicendi, divinitus fuerint instructi. Verba enim quibus utitur TERTULLIANUS, ita posita sunt, ut nullam prorsus laicorum differentiam innuant, sed ad omnes spectent, qui laicorum nomine veniunt. Et quis quæso sibi persuadeat, nomina *laicorum* & *prophetarum* unam eandemque habere significationem? Unde hancce Dodwelli sententiam iure meritoque reiecit vir illustris JUSTUS HENNINGUS BOEHMERUS, in *iure eccleſiaſt. antiquo, diſſertat. IV. p. 277. ſeqq.*

Cæterum historiam huius controversiæ inter viros doctos olim agitatæ luculenter edisseruit DODWELLUS in præfatione dissertationi modo adlegatæ *de iure laicorum &c.* præmissa. Conferri quoque meretur RICH. SIMONIUS, qui in *lettres choiſies*, Amstelodami *MDCCX.* 12. editis, *lettre 3.* inter alia de GROTIO hæc adnotavit: *il a outré ſon ſujet - - on m' a aſſuré, qu' il beniſſoit tous les jours le pain à table, & qu' il pretendoit donner l' euchariſtie à ceux, qui étoient avec luy. C' étoit, diſoit il, communier à l' apoſtolique, comme ſi les apôtres avoient ſuivi en cela l' uſage des Juifs, parmi les quels le pére de famille, ou le plus ancien de l' aſſemblée faiſoit la benediction.* B. cancell. PFAFFIUS, qui in *originibus iuris eccleſiaſt. p. 109.* edit. novæ, hæc R. SIMONII verba adducit, mox subiicit: „ Certum est GROTIUM, ubi legatum olim Parisiis egit, nec Romanensium, „ nec Reformatorum communioni sese addixisse, utpote qui tunc religionibus concinandis curas suas consecravit „. Sunt vero præter DODWELLUM ac SIMONIUM alii quoque scriptores, qui certaminis huius modo recensiti historiam edidere atque illustrant, veluti HERMANN. CONRINGIUS, in *animadverſ.*

An minister ecclesiæ sibi eucharistiam dispensare possit?

§ XVIII. Quæritur hoc loco: An minister ecclesiæ sibi ipsi eucharistiam dispensare possit? Negat Pelargus in schola fidei art. X. A. C. hisce usus fundamentis. 1.) Cum requiratur ad sacram cœnam utraque persona *exhibens & sumens*, rectius quidem & institutioni Christi convenientius feciſſe videbitur, ſi ab altero potius, quam a ſe ipſo ſacramentum accipiat. 2.) Si eſt analogia ſacramentorum baptiſmi & cœnæ, ac Chriſtus non baptizavit ſe ipſum, ſed uſus eſt miniſterio baptiſtæ, a quo & diſcipuli Chriſti putantur baptizati, quid prohibet in ſacra cœna etiam ab aliis petere, ut nobis offerant ac præbeant ſalutarem cibum & potum? 3.) Cum nemo ſe ipſum abſolvere poſſit, nec enim dictum, ubi tibi remiſeris peccata, ſed quibuscunque remiſeritis, Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23. cur non etiam abſolutio a miniſtro fideli petenda, obtinente totius eccleſiæ conſuetudine, ita & ſacra cœna? 4.) Ob conſenſum in religione veraque fide declarandum neceſſaria videtur alterius parochi aut miniſtri præſentia, ut ſumens certæ eccleſiæ membrum hoc τῆς ἀγάπης & φιλαδελφίας mutuæ ſymbolo ab alio ſibi communicato ſe eſſe profiteatur, & fidei ſuæ veræ teſtem in eccleſia ſymmiſtam quempiam adhibeat vicinum. 5.) Ob reverentiam miniſterio debitam, ut, cum Chriſtus ſacrum hunc ordinem ipſe inſtituerit, ſumens quispiam a ſacerdotibus, lubens etiam ſe colere & venerari miniſtros alios conteſtetur. 6.) Ob pleniorem fidei confirmationem. Fieri namque poteſt, ut fluctues & dubites, & alterius voce erigendus & confirmandus ſis, interdum de vita & moribus, tum maxime ubi emendatio & vitæ novitas promittenda, commonefaciendus, ideoque &. Paulus adire Ananiam, Act. IX. 6. & Cornelius ad Petrum mittere jubetur. Act. X. 5. 7.) Nec in veteri apoſtolica eccleſia legimus uſitatum fuiſſe, ut in ſacra liturgia ſibi ipſi quis offerret panem & vinum. Ac propterea Lutherus in art. Smalcald. part. II. art. 2. & in coll. f. 165. ſtatuit, quod ſe ipſum communicare ſit perſuaſio humana, deſtituta verbo Dei, incerta & non neceſſaria. Recte autem ibidem addit Pelargus, excipiendum eſſe caſum neceſſitatis. Quod ſi ergo paſtor aliquis paganus propter loci intercapedinem vicinum ſuum accerſere vel adire nequeat, ſe ipſum probans prius & examinans, atque a Deo veniam peccatorum precatus, ſumat corpus & ſanguinem Filii Dei, non tanquam ex ſua, ſed Chriſti exhibentis manu (*). Lutheri locum quod attinet, is proprie oppoſitus eſt miſſis privatis pontificiis, in quibus ſolus ſacerdos ſacrificans communicat, & ex illa communione fructum aliquem ad populum ſpectantem redire ſtatuitur (**).

CAPUT V.

madverſ. in Walenburchiorum Couringium laudatum & correctum, p. 40. THOM. ITTIGIUS *in ſelect. hiſt. eccleſ. ſec. II. capitib. p. 251.* b. cancell. PFAFFIUS, *loc. cit. p. 107. ſeqq.* itemque *in diſſertat. de conſecrat. veterum. euchariſt.* quæ IRENÆI *fragmentis anecdotis* eſt ſubiuncta, §. *XXIII. p. 490.* b. BUDDEUS, *in inſtitut. theolog. dogmat. p. 1486. ſeqq.* SALOM. DEYLINGIUS, *in inſtitut. prudent. paſtoral. part. III. cap. V. §. V. p. 467. ſeqq. edit. recentiſſ.* illuſtr. BOEHMERUS *loc. cit. p. 274.* PETR. ZORNIUS *opuſcul. ſacror. tom. I. p. 734.* & ven. JO. GEORG. WALCHIUS *in diſſertat.* ſupra iam laudata *de ſacra cœna a laicis adminiſtranda*, §. *IV. p. 81 ſeqq.* in qua & alia, quæ ad argumenti huius dilucidationem ſpectant, egregie ediſſeruntur.

(*) Frantzius diſp. in Auguſt. confeſſionem de miſſa theſ. 89. *Nihil obſtat, quo minus eccleſiæ miniſter ſibi ipſi dare poſſit ſacramentum cœnæ, primo eum fungitur vice Chriſti, quando conſecrat externa ſymbola in uſum ſacræ cœnæ, mox poſt conſecrationem ſymbolorum ſe gerit vice auditoris.* GERHARDUS.

(**) Proinde verba LUTHERI ſupra a GERHARDO ex *articulis Smalcaldicis* recitata non *abſolute* ſunt intelligenda, ac ſi ſtatuatur, miniſtro eccleſiæ ſacram euchariſtiam celebranti plane non licere, ut ſibi ipſi ſacramentum hocce porrigat. Neque enim, ſi hoc faciat, quidquam committit, quod vel inſtitutioni huius ſacramenti, vel eiusdem indoli ac naturæ, vel praxi veteris eccleſiæ chriſtianæ repugnet. Hoc duntaxat innuunt verba LUTHERI, miniſtrum eccleſiæ non debere ſibimet ipſi ſacrum hocce epulum porrigere *extra caſum neceſſitatis*, ne infirmioribus offenſionis cuiusdam materiam fortaſſis ſuppeditet. Diſputat enim LU-

CAPUT V.

DE EXTERNIS SYMBOLIS, SIVE RE TERRENA IN HOC SACRAMENTO.

Externa hujus sacramenti symbola sunt panis & vinum.

§. XIX. Ut autem in reliquis sacramentis omnibus, ita quoque in hoc sanctissimo mysterio per *externa symbola* sive res terrenas res cœlestes Christus nobis communicare voluit. Externa illa symbola sunt panis & vinum, ut adparet 1.) ex descriptione evangelistarum, qui unanimi consensu testantur Christum accepisse panem, eundem fregisse, ac discipulis dedisse, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. In descriptione partis posterioris mentionem faciunt calicis τῦ ποτηρίυ, Matth. XXVI. 27. Marc. XIV. 23. Luc. XXII. 20. fuisse autem in calice vinum, testes sunt, quando referunt Christi verba ad discipulos post sacræ cœnæ administrationem, vel ut ex Luca quidam colligunt, immediate ante institutionem cœnæ prolata: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis*, ἐκ τύτυ τῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλυ, *usque in diem, quo illud bibam novum in regno Patris mei.* 2.) Ex repetitione apostoli Pauli, qui in tertio cœlo edoctus, 2 Cor. XII. 2. iisdem omnino verbis Christi institutionem recensens, panem & vinum a Christo adhibita esse testatur, 1 Cor. XI. 23, 24, 25. 3.) Ex collatione aliorum scripturæ locorum, in quibus de sacra cœna agitur, nec tamen alterius cujusdam elementi externi, quam panis & vini mentio fit. 1 Cor. X. 16. 17. XI. 26, 27, 28. &c.

Quæritur: 1.) Quare Christus hisce & non aliis elementis externis uti voluerit?

§. XX. Quæritur hoc loco: I.) Quare Christus hisce & non aliis elementis externis uti voluerit? Resp. simplicitas christiana verissime & rectissime respondet, quia Deo sic placuit. *Sensum Domini quis cognovit? viae ejus sunt imperveſtigabiles, & opera ejus mirabilia nimis.* Psalm. CXXXIX. 17. Esa. XL. 13. Rom. XI. 33. 34. Interim non absurde dicitur, panem & vinum adhibita fuisse, 1.) propter typos vet. test. superius enumeratos. 2.) Propter arctissimam communionem Christi, cujus sigillum & testimonium in sacra cœna institutum. Christo nihil magis unitum neque propinquius quidquam est, quam ipsius caro & sanguis, quippe quæ ipsi *personaliter* sunt unita. Vicissim nobis nihil propinquius, neque quidquam magis unitum, quam cibus & potus, quippe quem intro adsumimus, quique substantiæ corporis nostri adglutinatur. Jam vero inter cibos eminet panis, *qui confortat cor hominis*, & inter potum eminet vinum, quod *laetificat cor hominis*, Psalm. CIV. 15. Quare cum Christus arctissimam sui communionem in hoc mysterio instituere & obsignare voluerit, ideo placuit ei hic modus, ut mediante benedicto pane & vino corpus & sanguinem suum nobis daret, quæ est ratio Tauleri serm. de cœna. Consideranda est hoc loco emphasis dictorum Joh. VI. 51. *Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Joh. XV. 5. *Ego vitis, vos palmites. Qui manet in me & ego in ipso, fructus multos fert.* Gal. II. 20. *Christus in me vivit.* Eph. III. 17. *Per fidem Christus habitat in cordibus nostris.* 3.) Propter convenientiam horum externorum elementorum cum rebus cœlestibus, quæ

& non aliis elementis uti voluerit?

LUTHERUS, ut recte observat GERHARDUS, *loco citato* contra missas privatas Romanenſium, ubi solus sacerdos se ipsum communicat. Quem ritum veluti ab apostolis traditum retinendum esse censuerunt patres Tridentini, evibrato in dissentientes anathematis fulmine. Vid. IO. BENED. CARPZOVIUM in *isagoge in libros eccles. Luther. symbolicos p. 704.* & VEN. WALCHIUM in *introduct. in libr. symb. p. 508.* Add. HORNIVM Ictum in *notis* ad SCHILTER. *libr. II. tit. III. p. 258.* & WERNHERUM in *iur. eccles. protest. cap. VII. §. XX.*

quæ mediantibus illis in sacra cœna distribuuntur. Quamvis enim non propter significationem, sed communicationem corporis & sanguinis Christi, panis & vinum in sacra cœna usurpentur, teste apostolo, 1 Cor. X. 16. non tamen contemnendæ sunt concinnæ analogiæ, modo totum sacramentale officium istorum symbolorum non judicetur in significando consistere. Ut panis paratur ex granis triticeis: ita Christi corpus est granum illud frumenti, quod mortuum copiosum adtulit fructum. Joh. XII. 24. Ut panis in clibano fervore ignis coquitur, & ad cibum paratur: ita Christus in ara crucis fervore caritatis veluti assatus est. Exod XII. 9. Ut panis nutrit & confortat cor hominis: sic Christi corpus pascit nos ad vitam æternam. Joh. VI. 50. 51. Cyprianus serm. de cœna p. 451. *Sicut panis communis, quem quotidie edimus, est cibus corporis: ita panis iste supersubstantialis est vita animae & sanitas mentis.* Ut panis nullam quotidiano usu adfert nauseam aut satietatem: sic corpus Christi famelicis cordibus sine omni nausea cibus est suavissimus. Ut vinum est succus nobilissimus, ex rore cœli, & pinguedine terræ natus; Gen. XXVII. 28. sic Christus est vitis vera, Joh. XV. 1. ex cujus latere promanavit sanguis, quem ex poculo eucharistico bibimus. Ut vinum sitim tollit, & cor hominis lætificat, Psalm. CIV. 15. sic Christi sanguis æternam sitim tollit, & animas reficit. Joh. VI. 55. Petrus Cluniacensis libr. I. epist. f. 29. *Ut vita aeterna spiritualiter & invisibiliter mundo in praesenti collocata corporaliter & visibiliter in futuro conferenda signaretur, data est caro Christi sub specie panis ad comedendum, datus est sanguis Christi sub vini forma hominibus ad bibendum, ut sicut pane & vino ad vitam mortalem principaliter homines utuntur, sic ad vitam immortalem, quae est ipse Christus, corpore Christi & sanguine hic spiritualiter, postmodum vero tam spiritualiter quam corporaliter, in aeternum pascantur.* 4.) Propter commonefactionem, quam præbent hæc symbola externa ad mysticum convivium accedentibus. Quemadmodum ex granis multis unus panis, & ex multis uvis unus potus paratur: sic in sacra cœna in unum corpus cibamur ac potamur, ut velut membra unius corporis dilectioni & concordiæ studeamus, 1 Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1 Cor. XII. 13. *Omnes in unum spiritum potati sumus.* Quemadmodum panis & vinum illis, qui jam satiati sunt, parum prosunt: sic cœlestis cibus & potus illis, qui sine spirituali fame & siti accedunt, parum proficit. Apoc. XXI. 6. *Sitienti dabo aquam vitae gratis.* Apoc. XXII. 17. *Qui sitit, veniat.* 5.) Propter umbrarum, figurarum & signorum exclusionem. Si enim Christo animus fuisset, corpus & sanguinem suum non exhibere, sed saltem adumbrare; non ipsum corpus & sanguinem suum, sed ejus solummodo figuram & signum instituere, utique agnum paschalem non abrogasset, nec ejus loco panem & vinum in hoc nov. test. sacramento adhibuisset, siquidem agni paschalis mactatio ac sanguinis ejus effusio, ut & carnis ejus manducatio & sanguinis in postibus & super liminari domus adsperfio multis modis clariorem & evidentiorem cum passione Christi & ejus spirituali fruitione analogiam *significativam* habent, quam panis & vinum.

§ XXI. Quæritur: II.) An elementa illa externa sive res terrenas mutare, atque aliud quidpiam analogum in eorum locum substituere liceat? Negamus. 1.) Quia descriptio & repetitio institutionis tantummodo panem & vinum, nequaquam vero aliud quoddam elementum exprimunt, ideo ab hoc divinæ institutionis tramite discedere, Christi fidelibus non est integrum. Joh. VIII. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* 2.) Quia Christus in prima institutione nullis aliis symbolis externis, quam pane & vino, usus est, ab hoc Christi exemplo neutiquam temere abeundum. 3.) In sacramento baptismi loco aquæ non permittitur alterius cujusdam liquoris usus. Ergo nec in hoc sacramento symbola externa analogo quodam permutanda sunt. 4.) In omnibus scripturæ dictis, quæ de sacra cœna agunt, panis & vini, non alterius cujusdam elementi fit mentio.

Quæritur: 2.) An elementa illa externa mutare liceat?

5.) Pro-

5.) Promiſſio Chriſti de ſacramentali manducatione corporis & bibitione ſanguinis ſui ad panis & vini euchariſtici uſum reſtricta eſt. Quisquis igitur aliis ſymbolis externis in ſacræ cœnæ adminiſtratione utitur, non agit ex fide, cujus perpetuum correlatum eſt verbum promiſſionis. 6.) Panis & vinum ſunt materia ſeu res terrena hujus ſacramenti. Ergo ad eſſentialia ejus pertinent. Jam vero in eſſentialibus ſacramenti nulla mutatio humano arbitrio permittitur.

Antitheſis errantium claſſes complectens.

§. XXII. Deteſtandi igitur ſunt 1.) Gnoſtici, de quibus Epiphanius hæreſ. 26. p. 43 horrenda commemorat, quod ſcilicet *ſemine humano & ſanguine menſtruo in ſuis ſacris uſi fuerint* (*), dicentes de illo: τοῦτο ἔστι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ: de hoc: τοῦτο ἔστι τὸ αἷμα τοῦ χριστοῦ. 2.) Cataphryges, de quibus Auguſtinus de hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſ. XXVI. *Cataphryges* (**), *quorum auctores fuerunt Montanus, tanquam paracletus, & duae prophetiſſae ipſius Priſca & Maxilla &c. ſacramenta perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinae panemque inde facientes, qui puer ſi mortuus fuerit* (***), *habetur apud eos pro martyre, ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote* (*). Errant 3.) Ebionitæ, apud Epiphanium hæreſ. XXX. Tatiani, apud eundem hæreſ. XL Aquarii (**), apud Auguſtinum hæreſ. LXIV. qui prætextu ſobrietatis, ſolam aquam in calice offerebant, contra quos diſputat Cyprianus libr. II. epiſt. 3. ad Cæcilium

(*) Equidem omnem fere fidem ſuperare videtur, exſtitiſſe homines, adeo omnis humanitatis immemores, ut ſanctiſſimum ſacræ euchariſtiæ ſacramentum tam atroci ac nefando ſcelere conſpurcare haud dubitaverint. Unde & ipſius IRENÆI animum aliquando ſubiit hæc cogitatio, an non in odium ſectæ talia olim fuerint conficta? Patet hoc ex eiusdem *libr. I. adv. hæreſ. cap. XXIV.* ubi *adeo auditu horrenda de huiusmodi hominibus ſe accepiſſe* ſcribit, *ut non induci poſſet ad credendum talia.* Verum omnem, qui fortaſſis exoriri heic poſſet, ſcrupulum nobis eximit AUGUSTINUS, qui inſtituto cum Gnoſticis examine, rem revera ita ſeſe habere, diſertis verbis teſtatur, inſimulque obſervat, eos optimo iure βορβορίτας vocari, *propter nimiam turpitudinem, quam in ſuis myſteriis exercuerunt, de hæreſ. ad quod vult Deum, tom. VI. oper. p. 8.* Accedit, quod EPIPHANIUS, ſupra a GERHARDO adlegatus, *loc. cit.* certiores nos reddit, ſe talium facinorum a Gnoſticis commiſſorum αὐτόπτην fuiſſe. Conf. b. BUDDEI *exercitat. hiſt. de ſymbolis euchariſticis*, quæ eiusdem *parergis hiſtorico-theolog.* inſerta legitur, §. 2. *p. 5. ſeqq.*

(**) Hos inter MONTANI ſectatores referendos eſſe, ex loco AUGUSTINI, quem ſupra recitavit GERHARDUS, luculenter patet. Adpellantur οἱ κατὰ φρύγας, *Cataphryges*, ab EPIPHANIOS φρυγασαί, a regione, ex qua originem ſuam ducebant, ac ubi potiſſimum commorabantur.

(***) Fuerunt tamen nonnulli, qui veteres iſtos hæreticos ab exſecranda iſta infantum cæde liberare adniſi ſunt. Et ſane ipſe THEODORETUS, celebris ſeculi V. ſcriptor, eos hac culpa videtur eximere *libr. III. hæret. fabul. cap. II.* ubi hæc leguntur verba: Περὶ δὲ τῶν μυστηρίων τινὲς μὲν θρυλλοῦσι τινὰ, ἐκεῖνοι δὲ οὐ συνομολογοῦσιν ἀλλὰ συκοφαντίαν καὶ κατὶ γορίαν καλοῦσι. Accedit, quod APOLLINARIS, Hierapolitanus epiſcopus, nullam huius rei faciat mentionem, licet errores, qui MONTANO tribuuntur, ſub examen vocaverit. Scriptorum eius, quæ reliquit, fragmenta quædam conſervavit PHOTIUS in *bibliotheca cod. 15.* Sunt vero & alii, atque in his auctor *prædeſtinati hæreſ. 26.* qui de huius rei veritate non ſine ratione dubitant. Generatim de Montaniſtis notandum, multa de iis tradi, quæ nullam mereantur fidem. Lectu digniſſima ſunt, quæ hanc in rem ſcripſit vir eruditiſſimus rerumque veterum conſultiſſimus, THEOPHILUS WERNSDORFIUS, in *commentat. de Montaniſtis ſeculi II. vulgo creditis hæreticis*, Dantiſci ann. *MDCCLI.* 4. edita.

(*) Vide heic EUSEBIUM libr. VII. cap. 15. & NICEPHORUM libr. IV. cap. 22. GERHARDUS.

(**) Erant iſti homines ex diſcipulis EBIONIS, & quidem ex iis, qui TATIANI placita ſequebantur. Ab uſu aquæ *Aquarii* & *Hydroparaſtatæ*, atque a perpetua abſtinentia a carne &

cilium (*). 4.) Pepuziani (**), qui caseum cum pane in eucharistiæ administratione conjunxerunt, unde ἀρτοτυρίται (***) dicti sunt. Augustinus de hæres. hær. XXVIII. *Artotyritae sunt, quibus oblatio eorum hoc nomen dedit, offerunt enim panem & caseum, dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terrae & ovium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius.* Vide Philastrium p. 58. edit. Basil. (*). 5.) Cap. Didicimus. dist. 2. de consecr. ex VI. Syn. refertur, quod in quibusdam ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis conjunxerint uvas, & sic simul utraque populo dispensaverint (**). Cap. cum omne crimen. dist. ead. commemoratur, quosdam lac pro vino dedicasse (***), alios intinctam eucharistiam populo pro complemento communionis

& vino *Encratitæ* olim nuncupati fuerunt. Copiose de iis differit IOSEPH. BINGHAMVS in *orgin. sive antiquitat. ecclesiast. vol. VI. p. 273. seqq.*

(*) *Severiani* similiter vinum in usu cœnæ damnarunt, eo quod *fabulosa quadam vanitate*, ut ait Augustinus libr. de hæres. dicerent, *de satana & terra vitem germinasse.* GERHARDUS.

(**) Segregati a catholicis *Montanistæ*, peculiarem formabant cœtum, cuius princeps antistes, *Pepuzæ*, Phrygiæ oppido, sedem suam habebat. Atque hinc Montani sectatores *Pepuziani* olim fuerunt adpellati. Hocce enim oppidum præcipue colebant, quin pro suis Hierosolymis habebant; ut refert EPIPHANIVS *hæres. XLVIII. num. 14.* & *hæres. XLIX. num. 1.*

(***) Dicti fuerunt *Artotyritæ* ab ἄρτος, quod *panem*, & τυρὸς, quod *caseum* significat. Ita enim de iis scribit EPIPHANIVS *hæres. XLIX. n. 11.* Αρτοτυριτας δε αυτȣς καλȣσιν, απο τȣ εν τοις αυτων μυστηριοις επιτιθεντας αρτον και τυρον, και ȣτως ποιειν τα αυτων μυστηρια. *Artotyritas eos idcirco vocant, quod ad celebranda mysteria sua panem & caseum adhibent.* Ut vero somnium suum facilius aliis obtruderent monstrosi isti hæretici, ad Caini atque Abelis provocabant exemplum, qui de frugibus terræ & ovium Deo sacrificium obtulisse dicuntur *Gen. IV. 3, 4.* Eos Galatiam potissimum incoluisse, refert HIERONYMVS *præfat.* in *epist. ad Galatas.* Conf. PHILASTRIVM *de hæres. cap. LXXVII.*

(*) Scaliger exerc. 358. sect. 1. *In insula Vendemao non solum utuntur sagu ad panem, sed etiam ex eadem arbore conficiunt oleum. Est sagu arbor, quæ pani dedit nomen. Ligni frustum purgant a quibusdam quasi spinis, tundunt atque in pollinem redigunt, & hoc panem ad usum nautarum parant commeatum.* Cardanus libr. I. de rer. variet. cap. 4. f. 18. *ex piscibus in Islandia panem parari* memorat. Testatur etiam experientia, ex fabis & milio panem confici. Num vero hic panis est justa eucharistiæ materia? GERHARDUS.

(**) Regula tamen codicis *Africani* decretum fuit, ut uvæ seorsim consecrarentur, & petentibus seorsim impertirentur in ecclesia. Vid. *cod. canon. African. can. XXVIII.*

(***) Seculo post Christum natum septimo perversa hæc in Hispaniis invaluit consuetudo, ut sacerdotes lac, itemque botrum pro vino offerrent. Hoc enim deficiente premebant uvas, mustumque ex illis expressum porrigebant communicantibus. Vid. IAC. BASNAGII eruditam *præfationem*, quam HENR. CANISII *lectionibus antiquis* præmisit, *cap. VI. §. IX. fol. 76.* Iure vero meritoque prava hæc consuetudo repressa fuit a nonnullis Hispaniæ conciliis, præsertim *Toletano & Braccarensi III.* ann. Chr. *DCLXXV.* celebrato, *can. 2.* apud HARDVINVM *tom. III. concil. fol. 1031.* Conferri merentur, quæ ad huncce canonem adnotavit IOSEPH. SAENZ cardinalis d'AQVIRRE *tom. II. concil. Hispan. fol. 679.*

Cæterum hæreticis istis antiquioribus, supra a GERHARDO recensitis, iungendi quoque sunt *Ophitæ*, seu *Serpentini*, quorum dogmata IRENÆVS aliique veterum scriptorum uberius exposuerunt. Inter dogmata atque instituta eorum princeps dicitur cultus serpentibus exhibitus. AVGVSTINVS de *hæresibus cap. XVII. p. 51.* tradit, eos docuisse, serpentem, primorum nostrorum parentum seductorem, fuisse ipsum Christum sub serpentis forma latentem, hancque ob rationem verum quendam serpentem in spelunca aluisse, sibique persuasisse, quod ille per magicas artes e spelunca evocatus & super altare egressus, oblationes lambat, easdemque sanctas efficiat, ut ad epulum sacrum instituendum adhiberi queant. Idem tradunt EPIPHANIVS *hæres. XXXVII. num. 5. p. 271.* & THEODORETVS *libr. I. hæreticar. fabular. cap. XIV. p. 205.* Ex recentioribus scriptoribus IO. LAURENT. MOSHEMIUS historiam & dogmata huius sectæ

nionis portexisse, quosdam expressum vinum in sacramento dominici calicis obtulisse (*): alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservasse, & in tempore sacrificii partem ejus aqua lavisse, sicque obtulisse. 6.) Alexander I. episcopus Romanus constituit vinum aquæ permiscendum esse. c. in sacramentorum dist. ead. *Non debet in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur, quia utrumque ex latere ejus in passione profluxisse legitur.* Hujus mixturæ necessitatem Pontificii adhuc hodie defendunt, qua de re paulo post uberius tractabitur (**). 7.) Volateranus libr. VII. geogr. scribit, Innocentium VIII. Norvegis usum alterius liquoris in cœna pro vino permisisse, cum vinum in locis illis non proveniat, nec diu conservari possit (***). 8.) Theodor. Beza epist. II. ad Tilium: *Ubi panis vel vini nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num cœna Domini nulla celebrabitur? imo rite celebrabitur, si quod panis vel vini vicem, vel ex usu communi vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Haec enim mens fuit Christi, cum panem & vinum ad haec mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repraesentaret. Itaque a Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane & vino substituat, quae etsi non parem, similem tamen alimoniae analogiam habent* (*). Anton. Sadeel volum. oper. theol. f. 429. perdifficile esse putat, hoc consilium a Beza propositum evertere (**).

D 3 CAPUT VI.

sectæ peculiari libro germanico sermone Helmstadii *MDCCXLVI.* 4. edito data opera exposuit. Iungi tamen meretur ven. CHRIST. WILH. FRANC. WALCHIUS in *der historie der Kezereyen, part. I. p. 447. seqq.* qui & *p. 455. not. (3)* eos adlegat auctores, qui hanc de re haeresin inter res fictas & fabulosas referunt.

De secta *Severianorum*, qui a SEVERO quodam, seculi secundi haeresiarcha, nomen sortiti sunt, vinumque e cœna dominica penitus sublatum voluerunt, ut supra *p. 28.* in *nota* observavit GERHARDUS, haud opus esse arbitramur, ut sigillatim heic agamus. Neque enim ii a TATIANI adsectis, qui *Hydroparastatae*, sive *aquarii* itemque *Encratitae* fuerunt adpellati, diversi erant, de quibus vero supra iam diximus. EPIPHANIUS tradit, hosce SEVERI sectatores statuisse, serpentem, qui seduxit Evam, in vitem mutatum esse.

Ultimo denique loco & hoc notamus, exstitisse inter orthodoxos veteris ecclesiae christianos, qui tempore persecutionis aquam loco vini offerre consultius duxerint, ne odore vini, velut indicio cultus christiani, detegerentur a gentilibus. Sed graviter eos reprehendit CYPRIANUS, episcopus Carthaginensis seculo tertio clarus, *quomodo*, inquit, *pro Christo sanguinem fundere possumus, qui Christi sanguinem erubescimus.*

(*) Diximus de iis in nota praecedenti.

(**) Vid. infra cap. *VIII.* §. *25. seqq.* ubi quaestio: an vino eucharistico aquam miscere necessarium sit? discutitur.

(***) At de Norvegis & de Islandis certo constat, quod perpetuam vini copiam in urbibus habeant, annuatim illuc abundanter transvectam. GERHARDUS.

(*) Sequitur vero Beza consilium Calvini: sic enim scribit epist. XXV. *Rogatus Calvinus a fratribus, qui tum in America erant, ubi nullus est vini usus, liceretne uti in cœna Domini vel aqua simplici, qua plerumque illic utuntur, vel alio illic non inusitato potionis genere; respondit, fuisse Christi in hoc instituendo sacramento consilium, ut spiritualis alimoniae, id est, sui ipsius κοινωνίαν nobis sub communis cibi ac potus symbolis repraesentaret, ac proinde si non fuisset tum in Judaea communis vini usus, procul dubio alia vulgari potione usum fuisse, quod ex ipsius scopo & consilio liqueat. Itaque nihil a Christi consilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemtu nec temeritate, sed ipsa necessitate adacti pro vino aliud in illis regionibus usitatae potionis genus usurparent. Hoc Domini Calvini responsum noster coetus adeo comprobavit, ut eos superstitiose facere censuerit, qui a vini symbolo usque adeo penderent, ut alteram cœnae partem omittere mallent, quam analogum aliud symbolum ita cogente necessitate usurpare.* GERHARDUS.

(**) Alstedius in theol. polem. part. V. q. 8. p. 603. *Si ecclesia Dei ubi sit colligenda, ubi vinum haberi non possit ullo modo, usitatus potus alius nobilior ex fine servatoris substituendus, & coetus monendus, ne offendatur.* GERHARDUS.

CAPUT VI.

AN PANIS EUCHARISTICUS AZYMUS VEL FERMENTATUS ESSE DEBEAT.

Quæritur 3.) Num azymo, an fermentato pane in eucharistia utendum sit?

§ XXIII. Quæritur III.) An *azymo*, an vero pane *fermentato* in eucharistia utendum sit? Resp. extra dubitationis aleam ponimus, Christum in prima sacræ cœnæ institutione & administratione panem ἄζυμον adhibuisse, quia celebravit eam in diebus τῶν ἀζύμων post esum agni paschalis, Matth. XXVI. 18. quo tempore non alius panis quam azymus apud Judæos in usu erat. Exod. XII. 8. Levit. XXIII. 6. Utimur igitur in cœnæ administratione pane azymo: 1.) Propter exemplum Christi ἀξιομίμητον. 2.) Propter commonefactiones utiles, quas usus panis azymi præstat, quod scilicet corpus Christi, cujus communicatio est panis eucharisticus, nullo peccati fermento sit pollutum, Esa. LIII. 9. 1 Petr. II. 22. in cujus rei typum præcepit Dominus, ut omnis oblatio fieret absque fermento, Levit. II. 11. quo denotatum fuit, sacrificium illud propitiatorium, quod Christus in ara crucis obtulit, fore purum & immaculatum. Admonet etiam panis azymi usus, quod accessuri ad cœnam dominicam, *vetus fermentum nequitiae & malitiae expurgare, inque azymis veritatis & sinceritatis epulari debeamus.* 1 Cor. V. 7. 8. Innocentius libr. IV. myst. cap. 4. *Ut nihil corruptum sive corrumpens, sed totum sincerum atque sincerans in hoc esse sacramento monstretur, non fermentatum sed azymum panem consecramus.* 3.) Propter typum agni paschalis, qui cum azymo pane comedi fuit solitus. Exod. XII. 8. Jam vero in cœna ὄντως nobis proponitur agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, agni paschalis ἀντίτυπον. 4.) Propter consuetudinem ecclesiæ, a qua temere non est recedendum (*). Injuriam igitur nobis facit Bellarminus, qui libr. IV. de euchar. cap. 7. §. 3. cum Zwinglianis nos conjungens, fermentatum panem ad sacramentum eucharistiæ aptiorem a nobis censeri, scribit. Libere tamen pane azymo utimur, cum in se ac per se extra casum scandali sit ἀδιάφορον, azymo vel fermentato pane uti: a.) cum fermentum non ipsam panis *essentiam*, sed qualitates solummodo mutet, ideoque panis essentiæ nihil decedit, sive azymus sit, sive fermentatus. b.) Cum de usu panis azymi nullum exstet expressum mandatum. c.) Cum tam fermentatus quam azymus panis usum illum præstare possit, propter quem in sacra cœna adhibetur, videlicet ut sit communicatio corporis Christi, 1 Cor. X. 16. d.) Cum verisimile sit apostolos vulgari fermentato pane in administratione sacræ cœnæ fuisse usos. Act. II. 42. XX. 7. (**). e.) Cum fermentatus panis itidem possit utilem commonefactionem præstare, videlicet quod corpus Christi spiritualiter nos transmutet, sicut fermentum totam massam alterat. Ex quibus colligimus α.) fuisse inutilem & otiosam, imo perniciosam ἀρτομαχίαν illam inter Græcas & Latinas ecclesias olim tanta contentione agitatam (***), ut

(*) Græci urgent nomen ἄρτος *ab evangelistis & Paulo in 1 Cor. X. 16. usurpatum, illud enim, cum ab* ἄειρω *attollo dictum sit, ad fermentum respectum habere*, existimant. *Resp.* est hoc nomen commune, quod omnes panum aut placentarum ideas complectitur, ut vel unus Athenæus luculenter probat. Luc. XXIV. 30. ἄρτος manifestissime est panis azymus, nullus enim tunc panis alius fuit in usu Judæis. GERHARDUS.

(**) Act. XX. *post dies azymos Lucas & Paulus* navigant a Philippis, & in quinque diebus veniunt Troadem, ac Troade manent dies septem, tuncque intra illos septem dies Troade conveniunt *ad frangendum panem*, vel ut syriaca versio habet, *ad frangendam eucharistiam*, ubi sine dubio usi fuerunt panibus fermentatis. GERHARDUS.

(***) Controversiam hanc pervulgatam atque inde a multis seculis inter Latinos ac Græcos agitatam egregie edifferuit, atque utriusque partis argumenta

ut Latini Græcos nominarent *fermentarios*, & Græci Latinos vocarent *azymitas* (*), ut ex Algero monacho Corbejensi refert hist. Magdeburg. cent. XI. cap. 5. de hæres. Græcæ ecclesiæ jam inde a tempore apostolorum panis azymi usum observarunt (**), ac quamvis Michaël episcopus Cæsariensis, qui Photio Constantinopolitano patriarchæ in schismate adhæsit, Latinos ob azymum damnaverit, ut testatur Nicetas Pectoratus in *libro contra errores Latinorum*, Græci tamen ipsi, qui Photium secuti sunt, non ita pridem, ut Latinos, ita & azymum damnarunt, ut ex Leone Allatio *de perpetua consensione Ecclesiæ orientalis & occidentalis* lib. III. cap. XIII. §. 2. p. 1. 1. 1

in sacris usum esse. Novum hocce argumentum robur 3) exinde accipit, quia AMBROSIUS *libr. IV. de sacram. cap. IV.* aliique scriptores veteres panem, quem christiani olim in cœna solemni comedebant, talem fuisse aiunt, qualem in aliis quoque occasionibus adhibere solebant christiani, panem nimirum fermentatum. Addimus 4) quod de usu panis azymi in sacra eucharistia altum in monumentis veterum deprehendatur silentium, cum contra in iisdem panis fermentati frequens fiat mentio, quin ipsum eucharistiæ sacramentum ad absentes in signum communionis olim per presbyteros deportatum, hoc intuitu *fermentum* fuerit adpellatum. Occurrit hæc adpellatio in MELCHIADIS, ecclesiæ Romanæ præsulis, qui ineunte seculo quarto floruit, vita, in *pontificali romano* descripta, itemque in vita SIRICII, qui exeunte eodem seculo ecclesiæ romanæ præfuit, ac denique in INNOCENTII, qui sub initium seculi quinti in sedem romanam fuit evectus, epistola prima, ad DECENTIVM, episcopum Eugubinum, exarata, cuius argumentum prolixe recensent cardinalis BARONIVS ad ann. Chr. *CCCXIII. n. 54.* & IAC. SIRMONDVS in *dissertat. de azymis, cap. V. p. 124.* Equidem adeo obscurum atque involutum hocce negotium visum est viris quibusdam eruditis, ut CAROLVS DV FRESNE, omnibus rite expensis, nihil certi heic pronunciari posse adserere haud dubitaverit. Vid. eiusdem *glossar. tom. II. p. 382.* Inter ipsos cœtus romani doctores quid per *fermentum* illud ad absentes mittendum, intelligi debeat, varie fuit disputatum. Diversas eorum sententias collegit IO. CIAMPINVS, scriptor Italus superiori seculo clarus, in tract. de *perpetuo azymorum usu in ecclesia latina*, Romæ *MDCLXXXVIII.* edito, ac Venetiis postea recuso. Nonnulli hocce *fermentum* expostulerunt non de ipsa sacra eucharistia, sed de *evlogiis*, seu de panibus benedictis, quos moris erat in veteri ecclesia, mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos, communionis & christianæ caritatis conservandæ caussa. Hanc opinionem secuti sunt NICOLAUS DE CUSA & CÆSAR BARONIUS, ambo patres purpurati. Ut alios idem sentientes taceamus. Verum obstat huic sententiæ, quod istarum *evlogiarum* usus ante seculum nonum in ecclesia latina haud invaluerit, adeoque recens sit institutum, nec ab episcopis supra commemoratis MELCHIADE & SIRICIO, qui seculo quarto & quinto ecclesiam romanam rexerunt, intelligi ac describi potuerit. Rectius itaque alii per *fermentum* ab iis commemoratum ipsum eucharistiæ sacramentum, quod in signum communionis ad absentes fuit deportatum, intelligunt. Irrepserat ista consuetudo apud Latinos antiquissimis temporibus, prout ex IRENÆO apud EVSEBIVM *libr. V. histor. ecclesiast. cap. XXIV.* luculenter patet. Atque hanc sententiam viri eruditissimi, CLAUDIUS ESPENCÆUS, LATINUS LATINIUS, cardinalis IO. BONA, IAC. SIRMONDUS, CHRISTIAN. LUPUS, quin ipse IO. CIAMPINUS, *loco* supra *excitato p. 124.* suo adprobarunt calculo; quibus ex theologis protestantibus JOSEPH. BINGHAMUS in *orig. sive antiq. ecclesiast. vol. VI. p. 268. seqq.* IAC. BASNAGIUS in *præfatione* CANISII *lectionibus antiquis præmissa, cap. VII. §. VI. fol. 75.* & b. DEYLINGIUS in *dissertat. tertia de errorum pontificiorum novitate in art. de eucharistia §. IV. p. 95. seqq.* iungi merentur.

Argumentis hisce modo adductis, quibus probatur, ecclesiam christianam veterem panem fermentatum in administranda cœna dominica usurpasse, 5) & ultimo loco hoc quoque adiungimus, quod nec PHOTIUS, patriarcha Constantinopolitanus, seculo IX. clarus, nec alius quispiam scriptorum Græcorum, ante MICHAELEM CERULARIUM, de quo deinceps nonnulla dicemus, usum panis azymi Latinis obiecerit, licet scriptores isti multo leviora, verb. grat. quod clerici rasis uterentur barbis, itemque quod non eodem die celebrarent pascha, congesserint, ecclesiæque latinæ obiectaverint. Exinde enim haud immerito arguere licet, demum post tempora PHOTII panes azymos in sacra cœna apud Latinos surrogatos fuisse.

Quando autem & qua occasione facta sit hæc mutatio, haud facile determinari potest. Cardinalis BONA, sæpius iam nobis laudatus, coniicit, occasionem inde natam esse, „ quod, „ quum populus alicubi vel panem non offer„ ret, vel minus aptum ad eucharistiam, sen„ sim factum sit, ut ad exiguam quantitatem „ idem panis redigeretur, eiusque conficien„ di cura ad sacerdotes & clericos pertine„ ret: & quum azymus facilius pararetur, hunc „ fermentato substituerint, & pani communi „ tenuem oblatam, artificiose factam forma„ tamque, in modum denarii, ut denarii „ illi (quemadmodum HONORIUS in *gem„ ma animæ libr. I. cap. LXVI.* ait) repræsen„ tarentur, pro quibus dominus noster traditus „ est. Unde deinceps quoque populus pro „ oblatione farinæ denarios offerre iussus sit, „ qui denarii in usum pauperum cesserint, „ vel in aliquid, quod ad sacrificium altaris „ pertineret „. Vid. eiusdem *libr. I. rerum litur-*

episcopus Constantinopolitanus usum panis azymi anno Christi 1054. abrogaret (*): tamen cum Humbertus, monachus Lotharingus (**) Roma a pontifice Constantinopolin hoc fine ablegatus, Nicetam, monachum Constantinopolitanum, abrogationis istius propugnatorem vinceret (***), usus panis azymi in ecclesia fuit retentus, ut ex Rup. Tuicensi libr. III. de div. offic. c. 22. & Petro Cluniac. libr. V. epist. 16. refert hist. Magdeburg. cent. XI. c. 9. Latinæ ecclesiæ aliquandiu fermentato pane fuerunt usæ, usque ad Alexandrum I. qui instituit, ut oblatio fieret ex azymo (*), non

liturgicar. cap. XXIII. §. X. & XI. oper. p. 444. seqq. itemque IOSEPH. BINGHAMI, cui hæc coniectura BONÆ valde probabilis visa est, *orig. sive antiquitat. ecclesiast. vol. VI. p. 269.*

(*) MICHAËL CERULARIUS, antistes Constantinopolitanus, cuius heic meminit GERHARDUS, erat turbulenti vir ingenii, qui publica certamina ecclesiæ Græcæ ac Latinæ, quæ sopita quodam modo per longum tempus erant, anno *MLIII.* non tantum imprudenter renovavit, sed & novis amplificavit adcusationibus. Exprobravit inter alia Latinis usum panis azymi in sacra eucharistia, utque publica potius, quam sua causa eos oppugnasse censeri posset, non suo duntaxat, sed & LEONIS, præsulis Acridani, quo inprimis consiliorum socio utebatur, nomine, litteras ad IOANNEM, Tranensem in Apulia episcopum, exaravit, omnibus cœtus Romani sectatoribus, quin ipsi pontifici Romano aperiendas, in quibus ecclesiam Latinam, tum propter alios errores, tum vero præcipue ob panem non fermentatum, quem in administranda cœna dominica tum temporis usurpabat, vehementer obiurgavit. Exstant hæ litteræ apud BARONIUM in *annalib. ecclesiast.* ad ann. *MLIII. tom. XI. p. 210. seqq.* Exhibet quoque easdem CANISIUS *lection. antiq. tom. III. p. 281. edit. nov.* Respondit ad hasce litteras LEO IX. ecclesiæ Romanæ tum temporis præsul alia epistola, eaque valde imperiose scripta, quam per legatos ad CERULARIUM misit; de qua quidem legatione in nota subsequenti nonnulla dicemus. Conferenda, quæ HERMANNUS *loc. excit. part. II. cap. II. §. 2. p. 59. seqq.* de legatis latinis Constantinopolin missis ex historiarum monumentis adnotavit.

(**) Huncce HUMBERTUM LEO IX. ecclesiæ romanæ præsul, ann. *MXLIX.* ex Lotharingia Romam secum adduxit, eundemque inter cardinales cooptavit. Ab eodem pontifice HUMBERTVS ann. *MLIII.* cum aliis quibusdam Constantinopolin fuit ablegatus, ut exploraret, quæ sit Græcorum in azymum Latinorum sententia, utque cum aliis pontificis legatis de fœdere inter utramque ecclesiam faciendo laboraret. Hac occasione HUMBERTUS disceptationes Græcorum cum Latinis, eamque potissimum, quæ de azymo intercedebat, edito dialogo discussit. Ast Græci pro panis fermentati dignitate, seu potius necessitate acriter depugnarunt, facem *ipsis* præferente NICETA PECTORATO, presbytero & monasterii Studiensis, quod Constantinopoli fuit, monacho. Is enim libellum in azymi usum, & alia quædam, satis modeste conscriptum divulgavit, cui HUMBERTUS aliud de azymo scriptum opposuit, magna dictionis acerbitate exaratum. Vid. de utroque hocce scripto HERMANNUM *loc. cit. part. II. cap. II. §. III. p. 64. seqq.* Equidem, si auctorem *commentarii de rebus legatorum Constantinopoli gestis* audiamus, NICETAS PECTORATUS, disputatione cum legatis præsulis Romani instituta eo tandem fuit adactus ut victas dederit manus, consilioque mutato, librum, quem contra Latinorum azymum ediderat, detestatus fuerit. Verum hæc narratio, cuius nec vola nec vestigium in scriptis Græcorum deprehenditur, viris doctis haud immerito suspecta visa est. Longe profecto probabilius est, eundem Græcorum partes semper fovisse, cum nemo eorum vel animi inconstantiam, vel in latinos propensionem eidem unquam exprobraverit. Vid. GUIL. CAVE in *histor. scriptor. ecclesiast. tom. II. f. 136.* edit. Lond. IO. MICH. HEINECCIUM in *der Abbildung der alten und neuen griechischen Kirche, libr. I. cap. III. p. 171.* itemque IAC. BASNAGIUM in *notis ad* HENR. CANISII *lect. antiq. tom.* III. *fol. 280.*

(***) Ita quidem referunt legati antistitis romani in *commentariis* de rebus suis Constantinopoli gestis, quos in præcedenti nota iam adlegavimus. Sed eos fucum aliis fecisse, nonnulli viri docti non sine ratione iudicant.

(*) GERHARDUS eorum heic sequitur vestigia, qui originem panis azymi in sacra eucharistia ad ALEXANDRUM I. ecclesiæ Romanæ præ-

non ex fermentato, ut antea consueverat. Platina in vita Alex. I. Polydor. Virgilius libr. V. c. 10. Bergomensis in chron. libr. VIII. f. 184. Recte igitur respondit episcopus quidam græcus in concilio Florentino anno 1439. celebrato, *de pane, sive azymus sive fermentatus sit, Græci non curant, dummodo ex tritico constet*, tom. IV. concil. fol. 464. (**). β.) Pro necessario panis vulgaris fermentati usu frustra quosdam Calvinianos depugnare, quibus præter fundamenta superius adducta opponimus, quod Beza epist. XII. ad quosdam Anglic. eccles. fratres pag. 100. scribit: *Panis azymus ne sit an fermentatus, non magnopere putamus laborandum.* Idem statuunt Musculus in loc. com. fol. 348. Baumlerus contra Syn. fol. 299. quo referendum illud Bullingeri decad. V. serm. 9. fol. 132. *Odiosa excitata est contentio super materia cœnae dominicae, contendentibus his, pane azymo, aliis vero, fermentato esse utendum. Atqui apud veteres quondam de his nullae movebantur rixae. Nam ecclesiae pro libertate sua utebantur utroque. Videtur quidem Dominus in prima illa cœna usus esse pane azymo, in mensa ex veteri more celebrandi paschatis relicto, unde non paucae ecclesiae infermentato pane usae sunt, quae tamen fermentato pane utentes, non damnabant haereseos* (***). γ.) Græcos hodie pro necessitate panis fermentati in usu eucharistiæ minus recte pugnare. Sic cum Jeremias patriarcha Constantinop. in resp. ad confess. Augustan. cap. 10. adserit, *Christum consecrasse panem fermentatum, nec posse in azymo hoc sacramentum confici, quod azymus non sit verus panis, quodque azyma ad figuras Judaismi pertineant* (****). δ.) Pontificios panem azymum

præsulem, seculo secundo clarum, referunt. Innituntur ii, qui hoc faciunt, testimonio PLATINÆ, qui in *vita Alexandri I. p. 17.* de eo hæc memoriæ prodidit: *oblationem ex azymo; non autem ex fermentato, ut antea, fieri mandavit, quia hoc modo purior haberetur & Ebionitis haereticis calumniandi occasio auferretur.* Verum, cum scriptores antiquiores de hoc ALEXANDRI I. instituto altum sileant, sola PLATINÆ, scriptoris quippe recentioris, qui seculo XV. floruit, auctoritas ad fidem faciendam minime sufficit. Plura hac de re adnotavit HERMANNUS *loc. cit. part. I. cap. II. p. 16. seqq.* Alii, qui diligenter argumentum hocce pertractarunt, ultra septimum seculum progredi non audent. Id certum atque extra omnem dubitationis aleam positum est, seculo undecimo inter ecclesiam orientalem atque occidentalem hoc intercessisse discrimen, ut *illa* fermentato, *haec* azymo pane uteretur. Hoc ipso enim seculo controversiam inter MICHAELEM CERULARIUM, patriarcham Constantinopolitanum, & LEONEM IX. ecclesiæ Romanæ antistitem, acriter hac de re fuisse agitatam, ex iis, quæ in antecedentibus diximus, abunde liquet.

(**) Vetus ecclesia Romana consuetudinem suam utendi azymo sic defendit, ut Græcos contrarium morem observantes non damnarit, sicut legitur in conc. Florentino, & sæpe repetit Gennadius. Innocentius III. libr. IV. mysteriorum missæ cap. 33. *Adhuc multi sacrificant de fermentato, quibus tanquam vere catholicis ecclesia Romana communicat.* Barlaamus, episcopus Gyracensis sive Hieracensis in epistola ad Græcos: *Quoniam apostoli eadem nobis tradentes mysteria non distinguunt sive fermentatum sive azymum, eo quod gerit imaginem puritatis & sinceritatis, utraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos vero in tantum prudentiores aestimo, quod illi quidem minime hostiam defermentatam vituperant, sed similiter venerantur, horum autem multi non timent in sancta blasphemare.* GERHARDUS.

(***) Casaubonus exercit. 16. cap. 12. contra Bellarminum (qui libr. IV. de euch. c. 7. Calvinianos adcusaverat, quod in usu eucharistiæ omnes utantur fermentato) notat, *quod ecclesia Genevensis doctrinae Calvini tenacissima etiamnum in azymis eucharistiam celebret. Nam cum initio reformationis alia consuetudo esset introducta, anno 1540. reditum fuisse ad morem antiquum.* GERHARDUS.

(****) Moscovitae in administratione cœnæ pane utuntur fermentato: dicit enim metropolita eorum Johannes in epist. ad episcopum Romanum: *Christus tali pane utebatur, nam tum non stabat*, (quod necessarium erat in agno paschali comedendo, ubi azymi panis usus erat) *sed accumbebat cum duodecim ad mensam. Itaque certum est*, ait, *eum pane fermentato fuisse usum.* In opere de variis rerum Moscov. auctorib. p. 23. GERHARDUS.

mum cum opinione necessitatis non debere ecclesiæ obtrudere. Cum enim necessitas panis azymi nec ex scripturis, nec ex praxi primitivæ ecclesiæ evinci possit, sed sit res adiaphora & indifferens, ut superius ostendimus, ideo pugnat cum libertate christiana, in re per se & sua natura libera conscientias opinione necessitatis prægravare. Bellarminus libr. IV. de euch. cap. 7. *Ex instituto Christi in eucharistia azymo utimur*, &c. Toletus libr. II. de inst. sacerd. cap. 25. §. 5. p. 158. *Panis azymus debet esse in ecclesia Latina, in Græca vero cum fermento, adeo ut peccet Latinus mortaliter, non consecrans in azymo.*

CAPUT VII.

DE PLACENTULIS ORBICULARIBUS, QUAS VOCANT HOSTIAS.

Q. 4.) *An liceat uti panibus rotundis minoribus?*

§. XXIV. Quæritur IV.) An liceat uti panibus illis rotundis minoribus, quorum usus in nostris ecclesiis (*)? Resp. considerat commonef. c. 4. n. 78. pag. 488. vocat *crustulum farraceum, quod*

(*) Esse haud paucos, præsertim ex ecclesiæ Reformatæ theologis, qui panes istos rotundos minores, sine fermento factos, quos *hostias* vulgo nominant, ab eucharistia penitus excludant, nemini facile potest esse ignotum. Duplex vero eorum, qui hoc faciunt, genus est. *Alterum* istorum, qui placentulas istas eucharisticas panem esse negant, vel certe vix, ac ne vix quidem, verum panem adpellari posse, contendunt. In hancce classem inprimis pertinent Anhaltini, *in der Erinnerungs-Schrift* &c. nec non CHRISTOPH. MASSONUS, sive qui fictum hoc nomen præfert, CHRISTIANUS BECMANNUS, antistes quondam Servestanus, in *anatomia universali triumphante, part. III. cap. XXVI. p. 174.* itemque MARCUS FRID. WENDELINUS, qui integris aliquot exercitationibus hostiolas istas ex omni panis genere exterminare adnisus est. Idem fecerunt ex Gallis JO. DALLÆUS *de cultib. relig. latinor. libr. III. cap. VI. p. 319.* ex Germanis DAV. PAREUS, in *dem Bedenken vom Brod und Brodbrechen im heiligen Abendmahl p. 29.* ex Batavis FRID. SPANHEMIUS, in *dissert. de dissens. Græcor. a Latinis opp. tom. II. p. 555.* & JO. HOORNBECKIUS, in *summa controv. relig. libr. XI. p. 946.* Hisce adnumerari quoque possunt fratres ab *rosea cruce* nomen consecuti, quorum auspiciis Hannoviæ *Sylloge: an hostiæ sint verus ac cibarius panis?* in lucem publicam prodiit. *Alterum* vero genus eorum est, qui placentulas istas minutas eapropter respuunt, quod adeo sunt parvæ, ut fractionem, quam multi in rebus minime omittendis ponunt, prorsus impediant, vel quod a simplicitate christianorum abhorreant, vel denique quod fermento destituantur. Conferenda, quæ de iis differit HERMANNUS *loc. cit. part. IV. cap. III. §. 3. p. 402. seqq.*

Non defuerunt vero ex theologis nostris, qui eiusmodi placentularum causſam in se defendendam susceperunt. Fecerunt id, præter GERHARDUM nostrum, ÆGYD. HUNNIUS *de sacramentis cap. XIV. oper. tom. I. p. 1086.* BALTHAS. MEISNERUS *philos. sobr. tom. I. sect. III. p. 331.* & *collegio adiaphor. disp. IX.* itemque *de sacramentis disp. XX. p. 322.* MATTHIAS HOË ab HOËNEGG in *der abgenöthigten Antwort auf ein Calvinisch Ausfoderungsbüchl p. 114. seqq.* inprimis CHRISTIANUS KORTHOLTUS, theologus quondam Kilonienſis, in peculiari *disquisitione de hostiis, sive placentulis orbicularibus, num verus sint panis?* Jenæ *MDCLVII.* primum edita, ac deinceps sæpius recusa, JO. GOTTLOB CARPZOVIUS, im *Unterricht vom unverletzten Gewissen, p. 580.* atque laudatiss. HERMANNUS *loc. cit. part. III. cap. V. §. 3. p. 336. seqq.* qui & *part. IV. cap. III. §. 4. p. 407. seqq.* recte observat, ecclesiæ Reformatæ theologos disceptationem hanc de azymo parvi æstimare, quin de ipsis hostiolis, ut vocari solent, alicubi mitius sentire. Testantur hoc acta *colloquii Cassellani* ann. *MDCLXI.* habiti. In eodem enim theologi Marpurgenses & Rintelenses disertis verbis professi sunt: *fractionem panis usualis utilem piumque esse ritum, adeoque in illis ecclesiis, in quibus hactenus non obtinuit, commode introduci posse, si consensus earum impetrari queat. — orbicularem tamen istum se non ita habere, ac si verus panis non esset.*

e cœna ejiciendum veniat, cum velut spuma inutilis sit ad nutriendum. Scholastici pseudo-Witteb. in disput. contr. Schachtium vocant *hostias nummularias*, easque negant usurpari posse. Alii vocant *lentorem viscosum, nebulas & spumam panis* &c. (*). Atqui 1.) verum naturalem panem ex farina & aqua coctum in eucharistia adhiberi, vi institutionis divinæ necessarium est: an vero panis sit major vel minor, triticeus vel siligineus, rotundus vel oblongus &c. nihil refert, cum externa accidentia rei essentiam non mutent. Panis noster essentialem panis naturam habet, cum sit ex aqua & farina triticea pistus: de forma accidentali & externa non sumus solliciti. 2.) Nullum adest divinum mandatum de quantitate vel qualitate panis eucharistici. 3.) Quemadmodum baptismi efficaciæ vel integritati nihil decedit, sive aqua ad eam adhibita sit fluvialis, sive fontana, sive marina; itemque sive sit calida, sive frigida: ita quoque sacræ cœnæ respectu perinde est, sive panis sit major, vel minor; oblongus, vel rotundus; itemque sive vinum sit rubrum, sive candidum. 4.) Panis eucharisticus non usurpatur ad corporis nutritionem præstandam vel alitionem animæ significandam: sed propter corporis Christi eidem sacramentaliter uniti communicationem, 1 Cor. X. 16. quo pertinet canon Nicenus: *Non multum fumimus, sed parum, quia non ad satietatem, sed propter sanctificationem haec fumimus.* 5.) Panes illi rotundi ante usum sacræ cœnæ fracti ac præparati ad distributionem satis apti & idonei sunt. Ergo usum illorum panum temere rejicere, ac contendere, quod necessarium sit, ut usualis panis major in ipsa sacræ cœnæ actione frangatur, libertatem christianam non mediocriter impugnat. 6.) Si placentulæ illæ *orbiculares* non essent verus panis, tot seculis ecclesia in usu cœnæ non habuisset verum panem (**). Epiphanius in ancorato f. 492. mentionem facit panum στρογγυλοειδῶν suo tempore usitatorum (***). Ex his facile judicari potest

Id unicum adhuc paucis notamus, nostræ etiam ecclesiæ doctores exiguum huic controversiæ pretium & olim statuisse & hodienum statuere, unoque veluti ore fateri, perinde esse, quocunque panis genere ecclesia in epulo salutari vescatur, cum id in scriptis divinitus conditis nusquam fuerit definitum. Id tamen adiungunt theologi nostri, ecclesiæ morem hoc tenendum, nec temere migrandum esse, neque *ordinis & decori gratia, etiam in externis adiaphoris, cuivis sine ecclesiæ iudicio & consensu permittendum, ut ex petulantia pro libidine quidvis vel omittat, vel permutet*, ut scilicet vir incomparabilis MART. CHEMNITIUS, in *examine concilii Trident. part. II. p. 33. seqq.* qui & *loc. cit. p. 37.* ita suam hac de re mentem exponit: *Illi, qui retinentur, debent manere, sicut sunt, ritus adiaphori, ut scilicet non fiant laquei conscientiarum; sed sine opinione necessitatis libere serventur: ita, ut extra casum scandali possint omitti, vel ecclesiæ ordinatione & consensu mutari vel abrogari. Neque enim privatim cuiusvis petulantiæ hoc permittendum est.* Nam, ut recte monet AUGUSTINUS, *quod neque contra fidem catholicam, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Leguntur hæc AUGUSTINI verba in eius-dem *epist.* CXVIII. *ad Januar. cap.* II. *oper. tom.* II. *p.* 556.

(*) Vocant quoque easdem *Sigelplätzlein, Schaumbrod, Kleisterleim*; vide *Berlinische Zeitung*, Diij Fiij *deutsche Nebelküchlein, erdichtete Eisenküchlein, Wizküchlein, Meßpfäffische Hostien, dünne unschmackhaffte Plätzlein, zehe ablebhafte Blätlein, Meßküchlein, brodlose Pfaffenküchlein, Papierküchlein.* Vide Anatom. Marpurg. GERHARDUS.

(**) Quidam enim originem horum panum minorum referunt ad tempora Alexandri I. circa annum Christi 119. quidam ad annum Christi 607. & quidam ad tempora Phocæ Imperatoris. Epiphanius, qui vixit circa annum Christi 380. vocat panem στρογγυλοειδῆ. Gregorius lib. IV. dial. c. 55. a forma vocat *coronas oblationum.* Imo ejusmodi usitatæ sunt Basileæ, item Bernæ Helvet. referente Hubero *in seiner Antwort auf der fünf Aydgenossischen Theologen Gegenbericht* p. 139. 163. 164. ut etiam in Anglia, referente Zanchio lib. I. epist. p. 233. Conf. Affelmannus in μελέτῃ theolog. de μελετωμένῳ apostoli dicto 1 Cor. X. 16. th. 12. GERHARDUS.

(***) Probamus vero *hostias* esse revera panem, 1.) *Ad definitione.* Cui competit definitio panis, illud

Argumenta contraria.

poteſt de objectis adverſariorum. I.) *Chriſtus communi eodemque majori pane uſus in adminiſtratione cœnae.* Reſp. exemplum Chriſti probat, licitum eſſe pane communi, eodemque majori in ſacra cœna uti; nequaquam vero neceſſitatem aliquam importat, cum de qualitate & quantitate panis non adſit expreſſum mandatum. Chriſtus pane azymo in prima cœna uſus eſt, ut in prioribus oſtendimus. Adverſarii contra hoc exemplum Chriſti agunt, panis communis & fermentati neceſſitatem propugnantes. II.) *Placentulae illae non ſunt verus panis.* Reſp. imo vero eſſentia, definitio, partes & proprietates eſſentiales panis eisdem conveniunt, quia partes panis ſunt farina & aqua ſic inter ſe commixtæ, ut craſſiore humore per calorem externum abſumto conſiſtant, atque maſticari, & in corporis nutritionem cedere queant, ut docet Plinius lib. XV. nat. hiſt. c. 15. Atqui hæc omnia placentulis illis conveniunt (*). III.) *Non habent vim nutriendi.* Reſp. imo vero habent, quod vero actu forte non nutriunt, ideo fit, quia in parva quantitate adſumuntur. Monemus autem denuo, panis euchariſtici finem non eſſe corporis nutritionem vel quandam ſpiritualis alimoniæ repræſentationem, ſed ut ſit medium atque ὄχημα, per quod corpus Chriſti nobis manducandum exhibeatur. IV.) *Hoſtiae illae ſcandalum praebent, doctrinam evangelii obſcurant, ſuperſtitiones ſtabiliunt, & conjunctam habent cultus & neceſſitatis opinionem.* Reſp. hæc facilius dicuntur, quam probantur. Quod adverſariis uſum illarum placentularum abrogantibus nos opponimus, id non fit ideo, quaſi uſum earum abſolute & ſimpliciter neceſſarium ſtatueremus, ſed quia præter ullam urgentem cauſam cum ſcandalo eccleſiæ rem ex ſe & ſua natura adiaphoram eliminantes chriſtianam libertatem captivant. V.) *Ex papatu ortum ducunt.* Reſp. quo primum tempore in eccleſia uſurpari cœperint, non ſatis liquido conſtat. In paparu ad miſſaticum ſacrificium adhibentur, in noſtris vero eccleſiis diſtributioni corporis dominici inſerviunt, qui fines ſunt longe diſpares.

E 3 CAPUT

illud eſt verus panis; placentulis illis orbicularibus competit definitio panis, ſunt enim ex farina & aqua ſubactis virtute ignis piſtæ. Definitur panis, quod ſit alimentum ex farina & aqua ſic inter ſe commixtis & ab igne percoctis conſtans, ut craſſiore humore per calorem externum abſumto ad unam maſticabilem & nutritiam conſiſtentiam redigatur, ut e Plinio lib. XVIII. vel ſecundum alios XV. c. 15. nat. hiſt. & aliis colligitur. 2.) *A cauſis externis.* Quidquid ex frumenti granis debito modo a panificis calore intermedio fit, & ipſum comeſtum actu nutrit, id vere eſt panis. Placentæ illæ orbiculares, quæ in cœna adhibentur, ex frumenti granis debito modo a panificis calore intermedio fiunt, & comeſtæ actu nutriunt. E. De *priore* membro teſtatur experientia. De *poſteriore*, an ſcilicet nutriant, nec ipſa deſutura eſt. Si eſurienti in magno numero ejusmodi placentæ dentur, deprehendetur, illas famem ſedare, ac proinde etiam nutrire, & ſic quod multæ conjunctim faciunt, id & ſingulæ ſeorſim facient, quamvis non tam ſenſibiliter, quia vis multarum & hic fortior eſt ſingularum diſperſa. 3.) *A cauſis internis.* Quidquid conſtat partibus panis eſſentialibus, & ſic materia & forma panis, id eſt verus panis, quia poſitis partibus eſſentialibus totum ponitur. At placentæ illæ orbiculares conſtant partibus eſſentialibus, & ſic materia & forma. De materia dubium nullum, quia adeſt frumentum contuſum & aqua. Forma panis eſt maſſæ debito modo mixtæ & ſubactæ certa conſiſtentia, κρᾶσις & veluti quædam proportio. GERHARDUS.

(*) Quidam Calvini ſectator in Sileſia cupit probare, placentulas noſtras orbiculares non eſſe verum panem, quia 1.) *accedit aliquid butyri vel alterius pinguedinis, qua inſtrumenta, quibus placentae illae conficiuntur, ſuperficietenus illinuntur.* Reſp. 1.) Etiam in aliis panibus quandoque accedit butyrum vel quævis grata pinguedo, inprimis ſuilla, ita ut quandoque ut pars conſtituens panem adhibeatur, quandoque coctionem quoad extra tantum promoveat; inde ſic concludimus: Quidquid ad eſſentiam rei conſtituendam poteſt concurrere, eandem non mutat. At butyrum & alia pinguia poſſunt ad eſſentiam panis concurrere, ut probat experientia. Ergo 2.) nullum extraneum & acceſſorium mutat rei eſſentiam; Zabarella de nat.

nat. cœli c. 5. f. 191. at butyrum & pinguedo, quæ in conficiendis placentulis noſtratibus ad melius promovendam confectionem & amovendam aduſtionem quandoque adhibentur, ſunt extranea & acceſſoria, unde nec horum in illis ullum nec tactu, nec guſtu, nec viſu etiam deprehenditur veſtigium. Ergo illa non mutant rei eſſentiam. 3.) Falſum eſt, panem tantum ex frumento & aqua conſtare; multa enim alia poſſunt accedere, quæ pani vel eſſentiam cum ceteris conferunt cauſis, vel ſuavem tamen ſaporem concedunt, vel alias etiam qualitates largiuntur, quo fine etiam ſal & fermentum adhibentur. Non raro etiam ſemina aniſi, cumini &c. maſſæ induntur vel cum ea commiſcentur 2.) *Quia non coquuntur in clibano.* Reſp. 1.) *Subjectum* non mutat ipſam rei *eſſentiam.* 2.) Locus, in quo fit panis, non tantum eſt furnus vel clibanus, ſed etiam in aliis locis poteſt ille confici. Joſ. Quercetanus in diætet. polyhiſt. c. 5. p. 189. panes partim in clibano, partim in aqua, partim inter prunas etiam fieri docet. Ac panes non tantum furnaceos ſed & focarios & veruarios dari conſtat ex comparatione Hippocratis, quæ habetur lib. II. de diæt. n. 7. f. 46. & Taubmanno in Aulul. Plauti act. 2. ſcen. 9. fol. 166. v. Artoptam. *Triplex panis erat*, inquit, *ex coquendi ratione, furnaceus, teſtuaceus & artoptitius.* Conſenſum adverſariorum petes ex Bucero in cenſura l. Angl. p. 459. edit. Baſ. ſcriptorum Buceri Anglicanorum, Zanchio in epiſt. ad Ottonem a Grünrad. Quando placentulæ illæ orbiculares in eucharistia cœperint uſurpari, præciſe & liquido ſatis definiri non poteſt, ſatentibus Tileno part. II. ſynt. p. 753 & Nauin. aſſert. p. 21. Hoſpin. lib. IV. hiſt. fol. 370. Martin. tract. V. c. 6. p. 228. Ad quæſtionem: *an hoſtia poſſit dici panis?* reſpondetur, panis dici poteſt, quia e farina vi ignis eſt cocta. GERHARDUS.

His, quæ circa finem præcedentis notæ de origine placentularum orbicularium in ſacra eucharistia uſitatarum, adnotavit GERHARDUS, ſequentia heic ſubiungimus: I.) rotundam iſtarum placentularum figuram in veteri eccleſia chriſtiana iam obtinuiſſe. Meminit ſane huius figuræ EPIPHANIUS, ſeculo quarto clarus, in *ancorato, num. LVII. tom. II. oper. p. 60.* Commemorat quoque panes rotundos, ſeu placentas, ex Græcis CÆSARIUS, frater GREGORII *Nazianzeni* natu minor, *dialog. III. de fide cathol. interrog. CLXIX.* (ſive, quisquis ſit auctor) e Latinis vero GREGORIUS cognomine *magnus*, qui ſexto poſt Chriſtum natum ſeculo floruit, *libr. IV. dialog. cap. LV.* Eandem rotunditatem adſtruunt patres concilii XVI. Toletani ann. *DCXCIII.* celebrati. Quin ipſum Chriſtum ſervatorem placentam rotundam prorſusque tenuem, quales in uſum paſchatos olim conficiebantur, in prima ſacræ eucharistiæ celebratione olim adhibuiſſe, recepta apud Judæos conſuetudo dubitare nos non finit. Notandum tamen II.) placentas iſtas rotundas in veteri eccleſia uſitatas, fermento non fuiſſe deſtitutas, panesque orbiculares, queis hodie utimur, magnitudine multum ſuperaſſe. Id quod ex eo potiſſimum patet, quoniam placentæ iſtæ, facta cum lanceola cruce, in quatuor partes conciſæ, communicaturis porrigebantur, quarum ſinguli fruſtum, in Africa præſertim & apud Græcos, accipiebant. Verum quum ſucceſſu temporis, quod III.) notamus, oblationes ſolemnes in deſuetudinem abirent, parcique atque infrequentes eſſent laici in uſu ſacræ eucharistiæ, minores paullatim evaſerunt iſtæ placentæ, eoque magis diminutæ, quo minor adeſſet communicantium multitudo. Licet vero, quod IV.) obſervamus, eccleſiæ in determinanda harum placentularum quantitate variarent, eaſdem tamen ſeculo adhuc decimo noſtris hoſtiis maiores fuiſſe, exinde facile colligi poteſt, quoniam frangi ac fruſtatim diſtribui conſueverunt. Teſtatur id ipſum HUMBERTUS cardinalis, ſupra iam a nobis commemoratus, quem circa medium ſeculi undecimi floruiſſe conſtat. Is enim in reſponſione ad MICHAËLEM Conſtantinopolitanum & LEONEM Arridanum, narrat, eccleſiam Romanam PANEM INTEGRUM *benedixiſſe, &* FRACTUM *ſingulis particulatim diſtribuiſſe*, apud HENR. CANISIUM *lection. antiq. tom. III. part. I. fol. 294. edit.* JAC. BASNAGII. Tandem vero, quod V.) notamus, fractio panis intermitti cœpit, nec immerito, cum ea ad ipſam ſacræ cœnæ eſſentiam haud ſpectet, nulloque mandato divino innitatur. Atque ſic tandem placentulæ iſtæ minores, quæ *hoſtiæ* itemque *oblatæ* vocari ſolent, in eccleſiam chriſtianam ſunt introductæ, quod demum exeunte ſeculo undecimo factum eſſe, viri docti obſervarunt. Addimus VI.) nomen *oblatarum* tenuiſſimo huic pani ab *offerendo* impoſitum fuiſſe, quia olim unusquiſque, qui ad ſacram eucharistiam celebrandam conveniebat, ſuam partem, panem nimirum, vel etiam farinam offerre conſuevit, prout ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumentis abunde conſtat. Atque hæ ipſæ *oblatæ* aliis quoque nominibus inſigniri ſolent a ſcriptoribus eccleſiaſticis, ac adpellantur *hoſtiæ*, qua voce veteres denotabant *ſacrificia*, quæ fiebant, antequam hoſtibus obviam irent, ſæpe etiam, quæ faciebant devictis hoſtibus ſuis, teſte ISIDORO *libr. XVI. cap. XIX.* Ex uſu vero loquendi

CAPUT VIII.

DE CRAMATE EUCHARISTICO.

Q. 5.) An vino eucharistico aquam miscere necessarium sit?

§. XXV. Quæritur: (V. An vino eucharistico aquam miscere necessarium sit? *Resp.* in regionibus orientalibus, ubi fortia vina sunt, usitatum fuit, non merum, sed vinum aqua temperatum bibere, unde Chemnitius part. II. exam. c. de aqua miscenda in calice p. 308. verisimile judicat, Christum vinum non merum, sed temperatum bibisse. Et quia in primitiva ecclesia post communionem convivia, quæ ἀγάπας adpellabant, magna sobrietate de pane & vino, quæ ad mensam Domini oblata fuerant, celebrabantur, non merum sed mixtum vinum obtulerunt, ne gentes calumniarentur, christianos celebrare cœnam dominicam crapulæ aut ebrietatis gratia. Inde Justinus apolog. II. pro christianis p. 76. in descriptione rituum eucharistiæ meminit vini aqua misti: ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος (*). Irenæus lib. I. c. 9. itidem meminit ποτηρίων ὄινῳ κεκραμένων, in descriptione eucharistiæ a Marco Gnostico administratæ, (recensente græca verba Epiphanio lib. I. tom. 3. hæres. 34.) & lib. V. cap. 2. *quando mistus calix & panis fractus, percipit verbum Dei, fit eucharistia* (**). Ergo non simpliciter damnamus ut pugnantes contra Christi institutionem, qui vinum

quendi inter christianos *hostia* est offula eucharistica, sive panis in sacra cœna consecratus. Denique VII.) & hoc subiungimus, placentulas istas, quas *bestias* itemque *oblatas* vulgo adpellant, iam olim in modum *denarii* fuisse efformatas, *tum quia panis vitæ pro denariis traditus est, tum quia idem denarius in vineu laborantibus in præmium datus est*, exponente GUIL. DURANDO, seculi XIII. scriptore, in *rationali div. offic. libr. IV. cap. XLI.* Plura qui hanc in rem legere voluerit, adeat CHRIST. KORTHOLTUM in *dissert.* supra laudata *de hostiis eucharisticis*, HENR. RIXNERUM in tract. *de veterum christianorum circa sacram eucharistiam institutis cap. VI. §. XII. p. 90.* IO. ANDR. SCHMIDIUM, abbatem Mariævallensem, in peculiari *dissertat. de oblatis eucharisticis, quæ hostiæ vocari solent*, Helmstadii ann. *MDCCII.* primum edita, atque ibidem *MDCCXXXIII.* recusa, & b. BUDDEUM in *exercitat. hist.* Wittebergæ olim habita, *de symbolis eucharisticis §. XIII.* itemque in præfatione *parergis historico-theolog.* præmissa, *p. 22. seqq.* Jungi iisdem possunt, GERARD. IO. VOSSIUS in *thesibus theolog. & histor. diss. XIX. p. 262. seqq.* JOS. BINGHAMUS in *origin. sive antiquitat. ecclesiast. vol. VI. libr. XV. cap. II. §. VI. p. 270. seqq.* aliique.

(*) Hicce JUSTINI *martyris* locus agit tantum de oblatione panis, aquæ ac vini, ei, qui fratribus præerat, olim facta. Addi vero merentur & ea JUSTINI verba, quæ *loc. cit.* nonnullis interiectis, subiiciuntur, ipsamque symbolorum eucharisticorum distributionem respiciunt, atque ita habent: εὐχαριστήσαντος τοῦ προέστωτος, καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ, οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι δίδοασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παρασιν ἀποφέρουσι. *Præsidente vero, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus adprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt panem,* vinum & aquam, *& ad absentes perferunt.* Atque ex hoc ipso, quem modo recitavimus, loco METROPHANES CRITOPULUS, monachus Græcus, ineunte seculo decimo septimo clarus, vini cum aqua commistionem perspicue comprobat. Cui & oraculum scripturæ, quod *Prov. IX. 10.* legitur, adiungit: *Sapientia mactavit victimas & in poculo miscuit vinum suum.* Vid. eius *confess. eccles. orient. p. 98.*

(**) *In ecclesiis Moscoviticis presbyteri calici eucharistico paululum aquæ tepidæ admiscent, quia dicunt, ex latere Domini sanguis profluxit & aqua, quam calidam fuisse credere fas est.* GERHARDUS.

Binis hisce locis, a GERHARDO supra adductis, tertius addi meretur, qui exstat apud IRENÆUM *libr. IV cap LVII. p. 357. edit.* GRABII, ubi hæc leguntur verba: „ dominus „ accipiens panem, suum corpus esse confite„ batur, & *temperamentum calicis* suum sanguinem

num aqua temperatum in administratione eucharistiæ usurpant, nec judicamus eucharistiæ integritati vel efficaciæ quidquam decedere, si vinum aqua sit mixtum, quod ab ὀινοκαπήλοις sæpius fieri constat. Si ergo pontificii mixtionem illam ut consuetudinem adiaphoram, quæ verbo Dei nec mandata, nec prohibita sit, sed rationem habeat vero non dissimilem, servarent & proponerent, nulla, ut de re indifferente, esset controversia. Quæstio autem est: an hæc mixtio aquæ cum vino 1.) in ipsa cœnæ dominicæ administratione necessaria sit (*), 2.) & quidem hoc fine, ut unio fidelium cum Christo non solum repræsentetur, sed etiam 3.) efficiatur? Pontificii *affirmant*; sic enim Alexander I. c. In sacramentorum dist. 2. de consecrat. *Non debet in calice Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur.* Julius c. cum omne. dist. ead. *Calix dominicus juxta canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi: ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur, quæ copulatio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si vero sit aqua sola, plebs incipit esse sine Christo.* Concilium Trident. sess. XXII. c. 8. *Monet synodus, præceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum*

„ guinem confirmavit „. Quem IRENÆUS *libr. V. cap. II.* vocat *mixtum calicem*, hoc *temperamentum calicis* adpellat. Fuerunt autem præter JUSTINUM atque IRENÆUM, quos GERHARDUS hoc adlegavit, complures quoque alii ex patribus tam Græcis, quam Latinis, qui ritum istum antiquum, vinum aqua mistum in sacra eucharistia adhibendi, servandum esse docuere. Indicem eorum dederunt JO. ERNEST. GRABIUS, in *notis*, quas adiecit IRENÆI *libr. IV. adv. hæres. cap. LVII. p. 357.* & JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. sive antiquit. ecclesiast. vol. VI. libr. XV. cap. II. §. VII. p. 273.* Cumprimis CYPRIANUS, episcopus Carthaginensis, seculo III. clarus, pro usu vini aqua misti olim pugnavit, eiusdemque necessitatem ex præcepto & exemplo Christi comprobare annisus est. Subiunxit quoque alias quasdam rationes, cur id fieri debeat. *Videmus*, inquit, *in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur & credentium plebs sanguini eius, in quem credit, copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari. — — Sic autem in sanctificando calice domini offerri aqua sola non potest, quo modo nec vinum solum potest: nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur & adunatione confusa sibi invicem copulatur, tunc sacramentum spirituale & cœleste perficitur.* Vid. eiusdem *epistolam LXIII. ad Cæcilium p. 280. edit.* JO. FELLI. Atque haecce epistolam AUGUSTINUS quoque suo adprobavit calculo, prout ea, quæ in eiusdem *libr. IV. de doctrina christian. cap. XXI.* leguntur, dubitare nos non sinunt. Utut vero ex his aliisque veterum testimoniis luculenter pateat, antiquam atque ubique receptam fuisse hanc consuetudinem, vinum aqua miscendi, neutiquam tamen exinde comprobari potest, veteres adhibuisse aquam, ut rem ad sacramentum prorsus necessariam. Quod vero ad allegoricas CYPRIANI aliorumque veterum scriptorum interpretationes attinet, eæ, ut ut sint ingeniosæ nec inelegantes, omni tamen probandi robore prorsus destituuntur.

(*) In quæstione hac definienda conveniunt quidem cœtus Romani doctores nobiscum in eo, quod vinum aqua dilui non sit necessarium necessitate *sacramenti*, nisi enim etiam citra dilutionem verum esset sacramentum, procul dubio aquæ mentionem aliquam feciissent scriptores sacri. In eo autem ii a nobis dissentiunt, quod dilutionem istam necessariam statuunt necessitate *præcepti*, saltim *ecclesiastici*, quæ THOMÆ & Scholasticorum est sententia, licet nonnulli eo usque progrediantur, ut statuant, mixtionem istam vini & aquæ in sacra eucharistia necessariam esse necessitate *præcepti divini*. Conferenda, quæ hanc in rem disserit GERARDUS JO. VOSSIUS, in *thesib. theolog. & histor. disput. XXII. thes.* IV — VIII. *p. 302. seqq.*

tum etiam, quia e latere ejus aqua cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquae in apocalypsi Johannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur. Bellarminus lib. IV. de sacr. euch. c. 10. §. porro: *ecclesia catholica semper credidit, ita necessarium esse, aquam vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti.* Gregorius de Valent. tom. IV. disp. 6. q. 2. p. 920. *Licet in concilio illud tantum dicatur, quod est certissimum, scilicet hac de re esse praeceptum ecclesiasticum, probabilissimum tamen est, esse item ejusdem rei praeceptum Christi & traditionem apostolicam.* (vocat probabilissimum, novit enim reliquos pontificios hic non agnoscere aliquod praeceptum Christi.) Azorius in instit. moral. lib. X. c. 30. §. altera quaestio: *Si roges, an sit aqua vino miscenda ex praecepto Christi aut ecclesiae institutione, quidam nostrum opinantur primum, sed alii probabilius secundum.* Confer Thomam part. III. q. 74. art. 6.

Argumenta pro parte quaestionem negante.

§. XXVI. Nos in *negativam* concedimus, hisce usi argumentis: I.) In sacrae coenae administratione nihil quidquam ut necessarium obtrudendum est, cujus necessitas ex verbis institutionis evinci non possit. Jam vero ex verbis institutionis non potest probari mixtionis illius necessitas. Ergo &c. Bellarminus *adsumtum* non potest omnino negare; sic enim scribit l. d. §. Ceterum, *an vinum aqua mistum in calice fuerit ante consecrationem, ex scriptura expresse non habetur. Nullae circumstantiae institutionis* (inquit Chemnitius d. l.) *speciem aliquam praebent, quod in ipsa actione coenae dominicae Christus tunc, cum calicem benedicendum acciperet, aquam in ipso calice vino miscuerit. Ineptum enim est, quod ex hospitis hydria quidam illud probare voluerunt, cum ex pelvi, unde Christus pedes discipulorum lavit, propior fuisset probatio. Vinum igitur sive genimen vitis est de substantia dominici calicis, quod ad externum elementum attinet, an vero debeat esse vel merum vel mixtum, rubrum vel album, non est de necessitate* (*). II.) Mixtio aquae potius aliquid addit institutioni, quia evangelistae solius merique vini mentionem faciunt, Matth. XXVI. 29. Marci XIV. 25. Luc. XXII. 18. *Non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, quo illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Chrysostomus homil. LXXXIII. in Matth. *Ex germine*, ait, *vitis, quae certe vinum non aquam producit.* Bellarminus excipit, *verba illa non pertinere ad calicem eucharisticum, sed ad calicem, qui datus fuit post agni paschalis manducationem, idque ex Luca expresse colligi*, de quo etiam latius tractat lib. I. de euch. c. 11. circa finem. *Resp.* demus, verba haec ante institutionem eucharistiae a Christo prolata, ut Lucas observator ordinis manifeste indicat, interim tamen ex verbis illis institutionem coenae immediate praecedentibus aperte colligitur, genimen vitis in calice illo fuisse, quem Christus postea accepit, eidem benedixit, ac discipulis dedit, dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic calix est nov. test. in meo sanguine. Si ex evangelio & Paulo expresse non habetur, nisi calicem sanguinis apostolis propinatum & vini nulla*

(*) Lutherus in lib. de formul. missae, tom. II. lat. f. 557. anno 1523. *Nondum constitui mecum, miscenda ne sit aqua vino, quamquam hac inclino, ut merum potius vinum paretur absque aquae mixtura, quod significatio me male habeat, quam Esa. I. ponit.* Vinum tuum, inquit, mixtum est aqua. *Merum vinum enim pulchre figurat puritatem doctrinae evangelicae. Deinde quod pro nobis non est fusus nisi solus sanguis Christi impermixtus nostro, cujus ibi memoriam facimus. Ut non stet illorum somnium, qui dicunt, ibi figurari unionem nostri cum Christo, hujus unionis memoriam hic non facimus. Nec sumus uniti ante ejus fusionem, alioqui simul noster quoque sanguis cum sanguine Christi pro nobis fusus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem superstitiosam. Christus haec non magnopere curabit, nec res digna est contentione. Pugnavit satis hanc pugnam stultam Romana & Graeca ecclesia, ut & alias multas.* Eadem repetit tom. III. Jen. germ. f. 334. GERHARDUS.

nulla mentio fit, cum de calice eucharistico agitur, (ut hoc loco Bellarminus scribit) consequens fuerit, essentialem aliquam cœnæ partem in descriptione evangelistarum omissam esse. Cornelius Jansenius comm. in concord. evang. c. 131. p. 906. *Vinum fuisse in calice, quem suis Dominus in cœna porrexit, ostendit Cyprianus ad Caecilium scribens ex eo, quod evangelistae subjiciunt dictum a Domino: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Fuit ergo genimen vitis in calice, quem Dominus accepit & suis dedit. Vinum autem fuisse mixtum aqua, non probat apertis aliquibus evangelii verbis, ut nec illis probari potest, sed intelligendum relinquit ex eo, quod certum est, in calice fuisse vinum, eo quod vinum in illis calidis regionibus non solitum fuerit bibi, nisi mistum aqua.* Hæc Jansenius, vinum in calice ex verbis Christi probari posse asserens, mixtionem autem aquæ ex verbis evangelii probari posse negans. III.) Mixtio illa nititur sola traditione & consuetudine. Jam vero consuetudo libera & traditio incerta non possunt necessarium quendam fidei articulum constituere. Bellarminus l. d. §. Ceterum: *Quid fuerit in calice ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mixtum, an sicera, an aqua sola, ex sola scriptura expresse non habetur, sed necessario recurrendum est ad traditionem eorum, qui ab apostolis & eorum discipulis haec mysteria acceperunt. Traditio autem habet, fuisse vinum mixtum aqua, ergo ita credendum est, aut nihil certi de materia calicis habemus.* Platina in vita Alexandri I. Polyd. Virgilius lib. V. c. 10. concil. Triburiense can. XIX. ab Alexandro I. præceptum de aqua vino adfundenda promanasse statuunt. Et consuetudinem hanc non fuisse universalem, adparet ex Durando lib. IV. c 42. ubi dicit, *in graeca ecclesia universaliter hoc non fieri.* Lombardus libr. IV. sent. dist. 11. lit. H. *Graecorum ecclesia non adponere aquam dicitur.* Armeni in concil. Florentino primum aquam vino temperare jussi sunt. Cornel. Jansenius l. d. *Lutherus post Graecos docuit, solum vinum in calice adponendum.* IV.) Mixtio illa non respondet typo Melchisedeci, qui panem & vinum, non autem vinum aqua mixtum Abrahæ & ejus militibus obtulit. V.) Qualis sit mixtionis necessitas, adhuc apud ipsos pontificios incertum est. Bellarminus lib. IV. de euch. c. 10. §. porro: *Utrum sine aqua sacramentum consistere possit, non est certum: communis tamen opinio in partem adfirmativam propendet.* Atqui Julius pontifex expresse dicit cap. cum omne. dist. 2. de consecr. *Non potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur;* ubi non solum necessitate *praecepti*, sed etiam necessitate *sacramenti*, hanc mixtionem statuit necessariam. Contra vero Lombardus lib. IV. sent. dist. 11. lit. H. *Si quis non intendens introducere haeresin oblivione vel ignorantia aquam praetermiserit, non videtur irritum esse sacramentum, sed ille graviter est corripiendus.* Et Jansenius l. d. p. 907. *Sicuti ex eo, quod evangelistae absolute dicunt, Christum accepisse panem, creditur, quemvis panem proprie dictum posse esse materiam consecrandi corporis dominici, nec esse absolute necessarium azymum panem, quamvis ex apostolica traditione, conformi facto Christi veterique figurae, & conveniente mysteriis significandis, in tali pane consecratio facienda sit: ita ex eo, quod vini tantum mentionem faciunt evangelistae, creditur, quodvis vinum proprie dictum, quod scilicet est vinum vitis, posse esse materiam consecrandi sanguinis Domini, nec esse absolute necessariam mistionem aquae cum vino, quamvis ob traditionem apostolicam, conformem facto Christi veteribusque figuris, & convenientem significandis mysteriis, illa temere non sine gravi peccato possit praetermitti.* Toletus lib. II. de instruct. sacerd. c. 25. §. Rursus: *Consecratio valida est cum solo vino.* VI.) Mixtio hæc labyrinthum disputationum parit. Innocentius III. c. cum Marthæ. §. Quæsivisti. extr. de celebr. miss. & Thomas part. III. q. 74. art. 8. recensent quæstionem, in qua doctores ita perplexos fuisse tradunt, ut ex ejus ambagibus vix potuerint sese extricare, nimirum: *an aqua, quam presbyter missam celebrans infundit, & calici vinoque immiscet, in sanguinem cum vino transsubstantietur nec ne?* Sunt autem tres opiniones, Quidam statuunt, *quod sicut vinum conver-*

vertitur in sanguinem, qui fluxit de latere Domini, ita & aqua convertatur in aquam, quae cum sanguine fluxit ex eodem latere. Alii tenent, *quod aqua vino mixta transiens in vinum simul cum vino transsubstantietur in sanguinem Christi.* Alii rursum, *eo quod physici adseverent, aquam non transire in vinum, sed eam jam vino mixtam posse per artificium separari a vino, putant, aquam nec in sanguinem transire, nec in alteram aquam, sed per se manere vino conversо in sanguinem, & circumfusam prioris vini accidentibus consistere.*

Argumenta pro necessitate mixtionis.
1.) Exemplum Christi.

§. XXVII. Bellarminus pro necessitate mixtionis hæc producit argumenta. I.) *Christus vinum aqua mixtum consecravit. Ergo & nos ita facere debemus.* Resp. 1.) Ex historia evangelica non potest certo & infallibiliter ostendi, quod Christus vino aqua mixto usus fuerit, vel quod in ipsa eucharistiæ administratione aquam vino infuderit. 2.) Bellarminus regerit, *non posse ex eadem ostendi, quod vino fuerit usus; ad traditionem igitur recurrendum esse, quae vinum illud aqua fuisse mixtum docet.* Resp. imo vero ex verbis illis Christi: *Non bibam amodo de genimine vitis, &c.* satis evidenter constat, genimen vitis in poculo eucharistico fuisse, ut ex cohærentia textus atque aliis fundamentis paulo superius ostendimus. 3.) Demus ex hypothesi, Christum consecrasse vinum aqua mixtum, illud tamen, utpote pro more regionis factum, esset indifferens. Quemadmodum enim panis est de substantia cœnæ dominicæ: an vero panis esse debeat triticeus an siligineus, an fermentatus, an azymus, &c. liberum est, & non de necessitate sacramenti: ita quoque vinum est de substantia cœnæ dominicæ, an vero vinum sit rubrum vel album, merum an mixtum, ad substantiam & integritatem eucharistiæ nihil quidquam interest. 4.) Regerit Bellarminus: *Si pro more regionis vino aqua temperato Christus fuisset usus, patres variorum locorum nunquam tanto consensu & absolute dixissent, vino aquam in calice miscendam esse.* Resp. rationem illam mistionis non excogitavimus ipsi, sed ponitur disertis verbis a Lyrano in 1 Cor. XI. ubi sic scribit: *Probabile est,* (nota: non certum) *quod Dominus aquam adposuerit. In terra enim illa propter vini fortitudinem consuetum est semper bibere vinum cum aqua.* Patres quod attinet, quidam factum Christi referunt, nullam vero necessitatis legem ex eo deducunt: quidam consuetudinem ecclesiæ recensent; jam vero ecclesiæ consuetudo christianæ libertati non præjudicat. Qui necessitatem mixtionis ex facto Christi propugnant, ad traditionem confugiunt; jam vero incertæ traditiones (quales sunt omnes, quæ extra scripturam proponuntur) non possunt necessarium fidei articulum constituere, ut de liturgiæ Jacobi, Clementinarum constitutionum & epistolarum decretalium certitudine nihil dicamus. 5.) Utimur autem hoc argumento: Si Christus vinum aqua miscuit, factum id vel propter sacramentum, vel propter morem regionis. Si prius, sequitur, mixtionem ad sacramenti integritatem pertinere: illa enim est necessaria cujusque sacramenti materia, quam Christus ad eam ordinavit. *Consequens* negat Bellarminus §. porro. sic scribens: *Utrum sine aqua sacramentum consistere possit, non est adeo certum, communis tamen opinio in partem affirmativam propendet.* Idem statuit Lyranus loco proxime citato: *Si non animo introducendi haeresin, sed oblivione praetermittatur aqua, non minus conficitur, nec Graeci aquam addunt.* Relinquitur igitur posterius, videlicet pro more regionis mixtionem illam, si qua præcessit, a Christo factam. 6.) Id declarari potest ritu fractionis. Constat ex historia evangelica, panem eucharisticum a Christo esse fractum: hæc fractio aut propter distributionem usurpata fuit pro more regionis, aut propter repræsentationem passionis. Sed posterius locum non habet, ut suo loco demonstrabitur: relinquitur igitur prius, & per consequens ut ritus fractionis, ita quoque mixtura aquæ διάφορον est & indifferens, cum utraque actio pro more regionis suscepta fuerit. 7.) Adde quod Platina, Polydorus, & alii originem hujus mixtionis ad decretum Alexandri I. non autem ad Christi factum referant.

§. XXVIII. II.) *Patres alias hujus mixtionis causas reddunt, non autem illam, quod in oriente sint vina fortia?* Resp. non damnamus pios veteres, qui olim suo quodam consilio & sine superstitione vinum aqua temperatum in calice cœnæ dominicæ usurparunt, vel quod Christum ita fecisse persuasi erant, ut Cyprianus libr. II. epist. 3. vel quod olim cœnam Domini peragentes quidam largius biberent, adeo ut nonnulli in agapis inebriarentur, ut colligitur ex 1 Cor. XI. 21. ideoque ut vinum per se forte minus noceret, aquam vino miscuerunt; vel quia ex petra sitientibus Israëlitis aqua exundavit, quæ petra Christi typum gessit, Num. XX. 10. 1 Cor. X. 4. Eusebius Emiss. serm. V. de pascha; vel quod aqua & sanguis ex latere Domini effluxerit, Joh. XIX. 34. Ambrosius libr. V. de sacram. c. 1. vel ad denotandam unionem Christi cum ecclesia, quasi aquæ populos significent, Cyprianus l. d. vel ad significandam duarum naturarum in Christo unionem, Nicephorus libr. XVIII. c. 53. vel quia corporalis potus maxime conveniens naturæ humanæ est vinum aqua mixtum, Clemens Alexand. libr. II. pædag. c. 2. Propter has causas pii veteres cramate loco meri in eucharistiæ celebratione usi sunt; quos uti non damnamus, ita cum libere illud fecerint, & vero mixtio talis ecclesiæ hodie a Pontificiis obtrudatur tanquam absolute & simpliciter necessaria, & quidem hoc fine, ut populus Christo adunetur, quando vinum aquæ miscetur, ideo nostræ ecclesiæ exemplo & facto ostenderunt, christianam libertatem in iis, quæ non sunt juris ac præcepti divini, non debere jugo servitutis subjectam esse, cum præsertim erroneæ opiniones huic observationi adfiguntur.

2.) *Patrum auctoritas.*

§. XXIX. Porro nullam ex enumeratis causis adhibiti olim cramatis cogentem esse, ostendit earum examen. I.) *Christus usus est vino aqua temperato.* Resp. Thomas part. III. q. 74. art. 6. fatetur, *probabiliter tantum credi, quod Dominus sacramentum instituerit in vino aqua permixto.* Adde, quod non omnia, quæ Christus in administratione primæ cœnæ fecisse legitur, absolute & simpliciter in eucharistiæ celebratione necessaria sint. II.) *In agapis nonnulli inebriabantur.* Resp. agapæ illæ non amplius sunt in usu, hæc ergo ratio hodie cessat. III.) *Ex petra Israëlitis profluxit aqua.* Resp. argumentum typicum non concludit de ipsa substantia in antitypo, alioquin quia agnus paschalis fuit typus sacræ cœnæ, etiam carnes agni in ea adhiberi deberent. Urgemus typum Melchisedechi, qui solum vinum obtulit, jam vero ex hypothesi pontificiorum Christus illud ipsum obtulit, quod Melchisedech, cum fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. IV.) *Ex latere Christi profluxit sanguis & aqua.* Resp. non in cruce, sed in prima cœna modus administrationis expositus est. Scriptura hunc typum nuspiam ad eucharistiæ negotium adplicat. Ergo non potest certum & immotum ex eo deduci argumentum. Plerique patres, non seorsim ad sacram cœnam, sed ad utrumque nov. test. sacramentum, ad baptismum & cœnam, hunc typum referunt. Adde quod mixtio illa non conveniat huic typo, quia ex latere Christi non fluxit aqua & vinum, sed mera aqua: nec fluxus aquæ & sanguinis fuit mixtus, sed contiguus & distinctus: pari ratione aqua, non vinum, esset symbolum cœnæ; sequeretur insuper, in calice non merum Christi sanguinem & vini accidentia, sed etiam aquam esse, id quod cum hypothesi transsubstantiationis pugnat. Suarez in Thomam part. III. q. 51. art. 31. disp. 41. §. 2. *Dicendum sine dubio est, in passione Christi sanguinem & aquam exiisse impermixta & loco separata, tum quia hoc significant verba Iohannis: fluxit sanguis & aqua, tum etiam, quia non alias potuisset aqua a sanguine discerni.* Si dicatur, aquam vel in vinum vel in Christi sanguinem converti, principium petitur. Nec procedit argutia Bellarmini: *Chrysostomus & alii patres docent, id bibi in calice, quod effluxit ex Christi latere. Ergo etiam aqua est in calice.* Dicitur enim id a patribus, respectu habito non ad aquam, sed ad sanguinem Christi, alias consequens foret, non aquam illam, quam sacerdos infundit, sed quæ ex Christi latere profluit, bibi: vel dicendum foret, sicut vinum

con-

convertitur in Christi sanguinem, ita aquam a sacerdote adpositam converti in aquam, quae ex Christi latere profluxit: unde vero nova illa transsubstantiatio probabitur? Bellarminus regerit, *in calicis permixtione repraesentari id totum, quod e latere fluxerit*: at ubi a Christo instituta illa repraesentatio? non repraesentationem sed bibitionem & communicationem sanguinis sui in sacra coena instituit. V.) *Significatur hac mixtione unio Christi cum ecclesia, aqua enim populos, vinum Christum significat.* Resp. fundamentum unionis Christi cum ecclesia non quaerendum est in mixtione illa aquae & vini, sed in manducatione benedicti panis, qui est communicatio corporis Christi, & in bibitione benedicti vini, quod est communicatio sanguinis Christi, docente apostolo 1 Cor. X. 16. qui ex eo porro infert v. 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus.* Et 1 Cor. XII. 13. *Omnes in unum Spiritum potati sumus.* Recte igitur scribit Chemnitius d. l. *Vide praeposteram istorum hominum religionem, &c. de mixtione calicis ideo dicunt se pugnare, ut unio fidelis populi cum capite Christo repraesentetur. Nova haec religio est, quod de unione populi cum Christo sint solliciti: sed quomodo? Christus usum integri sacramenti ideo instituit, ut haec accepta & hausta faciant, ut nos in Christo & Christus in nobis sit. De calice Paulus dicit:* omnes in unum Spiritum potati sumus. *Et Christus inquit:* Hic calix est nov. test. in meo sanguine, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. *Quare igitur usum integri sacramenti non concedunt populo? quare calicem nov. test. cujus mediator Christus est, fideli populo denegant? quare prohibent, ne in unum Spiritum potentur, si de unione fideli populi cum Christo sunt solliciti?* Et postea: *Si allegoria illa urgeatur, quia aquae multae sunt, populi multi, plus sumendum esset de aqua quam de vino. Unum enim est caput, membra vero multa, & parum aquae valde parum de populo adunaret Christo.* VI.) *Significatur unio duarum naturarum in Christo.* Resp. Distinguendum est inter unionem *personalem* & *sacramentalem*. In sacra coena spectatur unio sacramentalis corporis & sanguinis Christi cum externis symbolis, non quaquam vero unio personalis: hoc est, sacra coena non instituta est hoc fine, ut repraesentet unionem personalem divinae & humanae naturae in Christo, sed ut corpus & sanguis Christi, mediantibus externis symbolis, quibus sacramentaliter unita sunt, nobis communicarentur. Pii veteres, ut Gelasius, Theodoretus & alii conferunt unionem sacramentalem & personalem, sed modo diverso ab hac repraesentativa aquae & vini mixtione. VII.) *Potus maxime conveniens humanae naturae est vinum aqua temperatum.* Resp. in locis septentrionalibus frigidioribus potus magis conveniens est vinum merum: concedi ergo potest mixtionis illius utilitas respectu calidiorum regionum, in quibus nascuntur vina fortia. Sed consequens, videlicet universalis necessitas mixtionis, ex illo minus recte infertur. Adde, quod non propter corporis, sed animae salutem vinum eucharisticum adhibeatur, ut interim nihil dicamus de eo, quod restibus medicis vina quaedam per mixtionem aquae redduntur insalubria.

§. XXX. Dixerat Chemnitius ex Luthero, *si allegoriis liberet ludere, mixtionem aquae cum vino de adulteratione coenae dominicae exponi posse, cum notum sit, quid Esaias intelligat, cum inquit: vinum tuum mixtum est aqua.* Bellarminus respondet: *in scripturis unam & eandem rem alio atque alio modo consideratam, nunc bonam, nunc malam habere significationem, & proinde etiam mixtionem aquae cum vino diverso respectu laudari & vituperari.* Atqui non opus erat operosa ista hac responsione, cum Chemnitius hanc similitudinem non proferat, ut argumentum aliquod nostram sententiam probans, sed ut instantiam, qua Pontificiorum argumenta a significationibus hujus mixturae deducta invalida esse probet: cum enim mixtionis hujus significatio possit esse mala, ideo bonas illas significationes concinne excogitatas necessitatem mixtionis haudquaquam probare docet. Dixerat Chemnitius, *mixtionem aquae esse rem indifferentem.* Bellarminus regerit: postea quam *expresse imperatum, vel a Deo immediate, vel*

per concilia & ecclesiam, ut id fiat, non amplius esse rem indifferentem, sed necessariam. Atqui probandum erat, mixtionem illam immediate a Deo imperatam. Decreta conciliorum & statuta ecclesiæ non possunt articulum aliquem fidei contra verbum Dei erigere, aut ritum per se ἀδιάφορον & indifferentem in se & simpliciter necessarium facere; alias decreta conciliorum & consuetudo ecclesiæ parem cum verbo Dei obtinerent auctoritatem. Dixerat Chemnitius, *non esse tribuendum mixtioni aquae cum vino id, quod erat tribuendum communioni, videlicet unire fideles cum Christo.* Bellarminus regerit, *id intelligendum esse, non quod per mistionem illam aquae cum vino re ipsa fiat unio populi cum Christo, sed tantum quoad significationem.* Resp. cur ergo Julius pontifex cap. cum omne crimen. dist. 2. sic loquitur? *Quando in calice aqua vino miscetur, tunc populum Christo aduniri, & credentium plebem ei, in quem credit, copulari & jungi.* Item: *si solum vinum offeratur & consecretur, sanguinem Christi esse sine nobis &c.* Hæc certe non de nuda significatione, sed de ipsa efficientia diserte loquuntur; adde, quod sacramenta id efficiant, quod significant, cum non tantum sint *significativa* signa, sed etiam *effectiva*, ut recte alibi disputat Bellarminus.

CAPUT IX.
DE COMMUNIONE SUB UNA SPECIE.

Quæritur: 6.) An vinum benedictum distribuendum sit omnibus communicantibus?

§. XXXI. Quæritur: VI.) An vinum benedictum distribuendum sit omnibus, qui in sacra cœna de benedicto pane participant? Sententia nostrarum ecclesiarum hæc est, legitimam cœnæ dominicæ administrationem non consistere in sola manducatione benedicti panis, nec in sola bibitione benedicti vini, sed utrumque ad sacramenti integritatem requiri, tum benedicti panis manducationem, tum benedicti vini bibitionem, ideoque non esse talem separationem faciendam, qua quibusdam tantum benedictus panis & benedictum vinum simul, quibusdam vero tantum benedictus panis sine poculo benedicto detur: id quod sequentibus confirmatum damus argumentis, quorum *prima* classis ex scripturis sacris; *altera* ex testimonio primitivæ ecclesiæ; *tertia* ex ipsorum adversariorum confessione deprometur. Inter argumenta ex *scripturis* petita familiam ducit I.) Christi institutio. Quod Christus verus Deus & homo in sacræ cœnæ institutione conjunxit, id nulli hominum separare licet. Matth. XIX. 6. Jam vero Christus sacram cœnam eo modo instituit, ut non solum in ea benedictus panis & mediante eo corpus ipsius manducetur, sed etiam benedictum vinum & mediante eo sanguis ipsius bibatur; Matth. XXVI. 26, 28. Marc. XIV. 22, 23, 24. Luc. XXII. 19, 20. sicque manducationem benedicti panis & bibitionem benedicti calicis conjunxit. Ergo nulli hominum hæc separare licet. Circa quam institutionem Christi probe notandum: 1.) Quod in manducatione *sacramentali* connectuntur panis & corpus Christi, non autem panis & sanguis Christi; in bibitione *sacramentali* connectuntur vinum & sanguis, non autem vinum & corpus Christi. Unde apostolus 1 Cor. X. 16. *panem* vocat κοινωνίαν *corporis*, *calicem* vocat κοινωνίαν *sanguinis*. Quisquis igitur sanguinis Christi sacramentalem κοινωνίαν desiderat, illum vi institutionis hujus non solum panem benedictum manducare, sed & ex benedicto calice oportet bibere. 2.) Quod Lucas in descriptione partis alterius addat vocem ὡσάυτως *similiter*, manifeste ostendens, quod Christus pari modo jusserit benedictum vinum bibere, quomodo jusserat benedictum panem manducare (*). 3.) Quod Matthæus in descriptione partis alterius addat particulam universalem: *bibite ex hoc omnes*, quo ipso mandato Chri-

Adfirmatur. 1.) Christi institutio id requirit.

(*) Argumentamur igitur: Quæcunque requiruntur ad actus alicujus continentiam, non possunt

Christus occurrere voluit disputationibus de concomitantia & libero calicis usu, quasi nullo præcepto divino ad participationem sacri calicis, accessuri ad cœnam dominicam, adstringamur. 4.) Quod Christus sacræ cœnæ institutionem verbis hisce προσαχτικοῖς concludit: *Hoc facite*, quibus in utraque parte revocat nos ad suam voluntatem, dispositionem ac ordinationem in verbis institutionis expressam, ut in vera fidei obedientia non solum benedictum panem manducemus, sed etiam benedictum vinum bibamus, cum sit *unus magister & doctor noster*, Matth. XXIII. 8. voce cœlitus delata audiendus nobis commendatus, Matth. III. 17. cumque proprium sit ovium Christi, vocem hujus pastoris sui audire. Joh. X. 27. (**).

Exceptio Bellarmini, hæc verba dici solis apostolis.

§. XXXII. Hoc argumentum cum jugulum causæ petat, ideo varias comminiscuntur exceptiones. Bellarminus libr. IV. de euchar. c. 24. resp. ad locum secundum excipit, *haec verba dici solis apostolis, qui tum ad mensam cum Christo sedebant, nec posse referri ad omnes omnino homines, aut ad omnes christianos, aut ad omnes fideles adultos.* Resp. 1.) Rosinus in vita Joh. Friderici elect. Saxon. refert, quod pientissimus ille elector in comitiis Augustanis anno 1530. in colloquium cum pontificiis nonnullis de cœna Domini venerit, utrum altera tantum pars, an utraque laicis esset exhibenda? Pontificii pro defensione suæ opinionis, qua unam solum partem laicis porrigendam, utramque vero solis sacerdotibus institutam esse statuunt, multa adferebant, atque inter alia etiam verba ista institutionis: *Bibite ex hoc omnes*, in suam trahere volebant sententiam, contendentes, vocem *omnes* notare sacerdotes, non laicos; respondebat illustrissimus princeps: siquidem vera sit sententia, necesse est, ut & alibi & in ista etiam Christi sententia: *Mundi estis, sed non omnes*, per vocem *omnes* soli sacrificuli intelligantur, & inde sequi, eosdem impuros & omnis generis vitiis pollutos esse. De alio quodam principe constat, quod locum Hebr. XIII. 4. præposteris illis disputatoribus objecerit: *Honorabile conjugium in omnibus & torus immaculatus*, ubi particulam *universalem* ad solos laicos restringunt, hic vero in verbis cœnæ ad solos sacerdotes. 2.) Sed missis hisce instantiis ad rem ipsam respondemus. Solis apostolis esse dictum: *Bibite ex hoc omnes*, dupliciter intelligi potest: *vel* id, quod dicitur, ad solos apostolos pertinere: *vel* apostolos tunc præsentes moneri, ut faciant id, quod ipsis cum reliquis fidelibus ad sacram cœnam accedentibus est commune. Bellarminus priore modo intelligit, *solis apostolis id esse dictum*, sed hac ratione nulla manet reliqua sacræ cœnæ institutio, nullum de ejusdem usu mandatum. Dicimus ergo, apostolos in prima illa cœna vicem gessisse omnium eorum, quibus cœna instituta est, ideo mandatum Christi necessario accipiendum esse de omnibus illis, qui ex Christi mandato benedictum panem in sacra cœna manducant. Ut ergo mandatum Christi: *Pasce oves meas*, soli Petro quidem datur, id interim tamen ad omnes apostolos & ecclesiæ ministros (juxta nostram sententiam; ex Bellarmini autem hypothesi ad omnes Petri in cathedr. Romana successores) pertinet: ita solis apostolis in sacra cœna dicitur: *Bibite ex hoc omnes*; interim tamen ad omnes fideles cœlestis hujus convivii futuros hospites revera pertinet. Sic ergo habet nostrum argumen-

sunt ab ea separari; etiam humanis legibus adplaudentibus libr. 21. & 28. C. de testament. l. hæredes §. fin. ff. qui test. facere possunt. Bibere Christi sanguinem requiritur ad sacræ cœnæ continentiam. Ergo. Neque enim Christus dixit disjunctive: *Edite aut bibite*, sed conjunxit actum bibendi cum actu manducandi per *particulam καὶ* & *adverbium πάντες*. GERHARDUS.

(**) Ambrosius in 1 Cor. XI. *Indignus est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter sumit, quam datum est ab auctore.* Clandius de Sanctes repetit. X. de euchar. cap. 1. *Concedamus adversariis, quod postulant, de mysteriis & sacramentis ex eorum institutione optime decerni ac definiri.* GERHARDUS.

mentum: Quoscunque Christus in sacra cœna jubet edere benedictum panem, eos ipsos omnes pariter, nemine excepto, jubet etiam benedictum vinum bibere. Atqui Christus jubet edere apostolos, qui tum temporis omnes hujus cœlestis convivii hospites futuros repræsentabant. Ergo apostolos & per apostolos omnes hujus cœlestis convivii hospites futuros jubet etiam bibere. 3.) Concidunt igitur argumenta illa omnia, quibus Bellarminus ex circumstantiis textus probare conatur, solis apostolis a Christo esse dictum: *Bibite ex hoc omnes.* Demus enim ex hypothesi, solos apostolos eum Christo sacrum hoc convivium celebrasse; (quamvis forte non improbabile sit, patremfamilias & quosdam domesticos in illis ædibus, in quibus Christus primum sacram cœnam celebravit, eidem admotos fuisse.) Demus, solis apostolis tunc præsentibus & sacram cœnam participantibus dictum esse: *bibite ex hoc omnes;* interim manet hoc, quod apostoli vicem gesserint totius ecclesiæ, cum institutio sacræ cœnæ non solos apostolos, sed totam ecclesiam spectet: neque enim aliam cœnam apostolis, aliam reliquis fidelibus Christus instituit, sed hæc ipsa institutio ad omnia ecclesiæ membra pertinet, quæ juxta regulam apostolicam probare se possunt. Sic ergo argumentamur: Quam late patet institutio sacræ cœnæ, tam late etiam patet mandatum Christi: *bibite ex hoc omnes*; jam vero institutio sacræ cœnæ tam late patet, ut non ad solos apostolos, sed ad totam ecclesiam, hoc est, ad omnes fideles, qui probare se possunt, pertineat. Ergo etiam mandatum Christi in hac institutione: *bibite ex hoc omnes*, ad totam ecclesiam pertinet. 4.) Id ipsum evidentissime colligitur ex Paulo 1 Cor. XI. 23, 24. &c. ubi abusus, qui in Corinthiaca ecclesia circa administrationem sacræ cœnæ irrepserant, ea ratione corrigit, ut ad primam institutionem Corinthios revocet, & ex ea judicium de legitima sacræ cœnæ administratione fieri velit. Unde sic concludimus: Ad quod norma & regula quædam divino Spiritu adplicatur, ad illud omnino pertinet, alias vitiosa esset adplicatio. Atqui institutio sacræ cœnæ tanquam norma & regula ad sacram cœnam in Corinthiaca ecclesia celebratam divino Spiritu ab apostolo adplicatur. Ergo ad eandem etiam pertinet, & per consequens ad omnes, qui in omnibus ecclesiis administrantur, cum omnium sit eadem ratio. 5.) Idem apostolus ad totam Corinthiacam ecclesiam scribens integram Christi institutionem repetit, 1 Cor. XI. 23. sicque re ipsa ostendit, hanc Christi institutionem etiam ad laicos spectare. Quoscunque apostolus ad Christi institutionem revocat, ad eos omnino Christi institutio pertinet. Jam vero apostolus totam ecclesiam Corinthiacam ad Christi institutionem revocat: neque enim solis presbyteris scribit, *sed ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco.* 1 Cor. I. 2. Ergo Christi institutio ad totam ecclesiam Corinthiacam, imo ex consequenti ad omnes ecclesias pertinet. 6.) Si obvertere velint, *apostolos in prima institutione designasse solos sacerdotes;* urgemus hoc argumentum: Illos designabant apostoli in prima cœna, quorum officium & munus repræsentabant. Atqui non sacerdotum quatenus talium, sed accedentium ad sacram cœnam officium & munus repræsentabant. Ergo non sacerdotes, sed in genere omnes ad sacram cœnam accedentes designabant. *Adsumtum* probatur, quia sacerdotum quatenus talium (ex hypothesi papistica) officium & munus est sacrificare: sacerdotum (ministrorum ecclesiæ, secundum phrasin evangelicam) quatenus talium officium ac munus est, benedictum panem & benedictum vinum distribuere, quas partes tunc Christus administrabat, non autem apostoli. Si apostoli repræsentassent sacerdotes, consequens fuerit, etiam clericos non conficientes debere ex calice bibere. *Consequens* non concedunt Pontificii. Sic ergo concludimus: Quomodo apostoli participarunt sacram cœnam, quando non fuerunt conficientes, eodem etiam modo laici sacram cœnam participare debent. *Ratio* est: quia inter sacerdotes non conficientes & laicos respectu communionis (ex hypothesi etiam Pontificiorum) nullum est discrimen, cum utrisque unam solummodo speciem exhibeant & exhibendam censeant. Jam

vero

vero apostoli in prima cœna, quando non fuerunt conficientes, eo modo hoc sacramentum participarunt, ut non solum benedictum panem ederent, sed etiam ex benedicto calice biberent, ut constat ex verbis Marc. XIV. 23. *Biberunt ex eo omnes.* Ergo etiam laici eodem modo sacram cœnam participare debent, ut non solum benedictum panem edant, sed etiam ex benedicto calice bibant. Si dicere velint, hanc apostolorum bibitionem esse ἀδιάφορον & liberam, obstant illis verba Christi: *Hoc facite*, quæ Johannes a Lovanio & ex illo Bellarminus ad actionem manducandi & bibendi referunt: obstat etiam paritas præcepti in verbis: *manducate & bibite.* 7.) Si apostoli in prima cœna solos sacerdotes designarunt, ita ut, quæ ad ipsos dicta, non pertineant ad reliquos fideles, consequens fuerit, institutionem cœnæ ad solos sacerdotes pertinere, laicos autem non habere institutionem nec mandatum de sacra cœna participandi, qua ratione non solum benedictus calix, sed tota sacra cœna ipsis eripietur. Si obvertere velint, *in diversorio Emauntico sacram cœnam pro laicis institutam esse*, urgemus, ut substantialia cœnæ in descriptione illius convivii nobis ostendant, quod nunquam poterunt; ut nihil dicamus de eo, quod omnium fere consensu duo illi comites fuerint ex numero septuaginta discipulorum Christi, ideoque sacerdotes potius quam laicos repræsentasse ex hypothesi pontificia essent dicendi. Et quæ hæc protervia est, negare eucharistiæ usum etiam laicis in verbis institutionis præceptum esse, & ex locis peregrinis laicorum communionem accersere? Christus ibi non de munere quodam apostolis proprio, sed de sacramento toti ecclesiæ communi egit, quæque ibi apostolis locutus est, ea non ut apostolis, sed ut christianis locutus est, ut ex declaratione apostolica 1 Cor. XI. 23. & seqq. sole clarius constat. Stapletonus in promt. fer. III. hebd. sanctæ §. ad prius: *Evangelistae modum fœdus & nov. test. ineundi & perficiendi describunt, Matth. XXVI.* Bibite ex hoc omnes. *Marcus addit:* & biberunt ex eo omnes. *Jam enim hac actione bibendi adimpletum fuit ex parte apostolorum nov. test. cum Deo, sicut adspersione sanguinis in populum, quam Moses fecit, dicens:* Hic est sanguis testamenti, quod pepigit vobiscum Deus. *Propterea in Matthaeo cum dixit Christus:* Bibite ex hoc omnes, *subjunxit ut causam bibendi*, hic est sanguis meus nov. test. *id est, ideo bibite, quia bibendo perficietis ex parte vestra nov. test. eritis populus Dei hac tessera fœderali accepta, &c.* Ex his Stapletoni verbis sic inferimus: Aut populus Dei in nov. test. populo vet. test. in jure communionis sacramentalis postponendus, aut concedendum erit, populum Dei, ut olim externa fœderis tessera, sanguinis adspersione, ita nunc quoque calicis communione participare. Prius Stapletonus dicere nequit, quia confert invicem populum vet. & nov. test. Cassander in consult. art. XII. *discipulos Christi in prima cœna fidelium communicantium personam repraesentasse* agnoscit. 8.) Lutherus libr. de capt. Babyl. cap. de euch. monet, non sine mysterio Christum dixisse: *Bibite ex hoc omnes*, cum non dixerit prius: *manducate ex hoc omnes;* nimirum prævidit futuros, qui dicerent, panem omnibus dandum, calicem non item. Bellarminus confugit ad traditionem, ex qua probare conatur, Christum etiam dixisse: *Manducate ex hoc omnes.* Sed novit, quæ de traditionibus extra scripturam nostra sit sententia: aliter igitur excipit, videlicet *panem non integrum, sed in particulas fractum, calicem vero unum & eundem apostolis esse datum, ideo ergo Christum dixisse:* Bibite ex hoc omnes, *ut intelligeret primus, non totum sibi exhauriendum, sed tantum relinquendum, quod omnibus sufficeret.* Resp. hoc gratis dicitur: num enim adeo vinosos judicabimus apostolos, ut peculiari mandato cavendum fuerit, ne unus calicem exhauriret, qui duodecim personis sufficere potuit? Christus jam ante de calice post esum agni paschalis distributo dixerat Luc. XXII. 17. *Accipite & dividite inter vos*; idem in calice eucharistico faciendum esse, intelligere poterant. Quidquid sit, ex verbis Christi evidenter colligitur, omnibus illis ex calice benedicto bibendum esse, qui de pane benedicto in sacra cœna participant, id quod instituto nostro sufficit. 9.) Est & hoc Lutheri argumentum: Iisdem dictum est: *manducate*, qui-

bus dictum: *bibite.* Vel igitur totum sacramentum dandum est solis presbyteris, vel simul etiam laicis. Si laicis etiam, ergo omnibus dictum est: *Manducate & bibite.* Si solis presbyteris; ergo non licet laicis dare ullam partem sacramenti, nec eis dictum erit: *Manducate;* non enim temere dandum est, cui Christus prima institutione non dedit. Excipit Bellarminus: *etsi Christus non dederit panem laicis, tamen a nobis posse dari, cum nusquam sit prohibitum.* Resp. firmæ & immotæ sunt hæ consequentiæ: si solis apostolis & sub illorum persona solis sacerdotibus dictum est: *Bibite*, solis etiam apostolis & in illorum persona solis sacerdotibus dictum erit: *Manducate*, quia per vocem ὡσάυτως hæc duo indivulso nexu conjunguntur. Item, si apostoli solos sacerdotes repræsentarunt, ergo illis solis dictum: *manducate;* & per consequens illis solis, non autem laicis sacra cœna erit instituta. Nec impedit, quod Christus nusquam prohibuerit, laicis panem benedictum dare: quæramus enim ex pontificiis, quis licentiam eam ipsis concesserit, ut laicis solum dent benedictum panem & non etiam benedictum vinum: cum Christus utrumque in institutione conjunxerit? cur sejungunt ac separant ea, quæ Christus conjunxit? si ideo dant laicis benedictum panem, quia Christus nusquam id prohibuit, debebant etiam benedictum vinum illis dare, quia Christus itidem nusquam id prohibuit. Ubi par ratio, ibi idem omnino jus. In administratione ac dispensatione sacramentorum nihil quidquam suscipiendum, de quo non haberur expressa voluntas instituentis. Quod si non constat, cœnam etiam pro laicis esse institutam, utique non erit eis danda. Bellarminus addit, *Christum alibi jussisse sacramentum laicis dare, quando dixit: Hoc facite.* Sed hæc responsio tollit priorem, quod Christus non dederit laicis sacramentum, sed tantum non prohibuerit dari. Si propter verba: *Hoc facite*, laicis danda præcipitur cœna, utraque species eis erit danda, quia ad utramque partem, videlicet tam manducationem quam bibitionem hæc verba referuntur, ut ex descriptione evangelistarum est manifestissimum. 10.) Confirmat hoc tertia Lutheri ratio. Christus dixit: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effunditur.* Hic clarissime vides, sanguinem dandum esse omnibus, pro quorum peccatis fusus est. Quis autem audeat dicere, pro laicis non esse fusum? ergo omnibus datur, & omnibus dicitur: *Bibite.* Excipit Bellarminus: *si sanguis Domini omnibus dandus esset, pro quibus esset fusus, dandus omnino esset omnibus hominibus, etiam Turcis, Judaeis, ethnicis & quibuscunque impiis, cum pro illis etiam fusus sit.* Resp. argumentum Lutheri hoc est: Pro quibus sanguis Christi effusus est, illis in sacra cœna non est denegandus Arqui non pro solis sacerdotibus, sed etiam pro laicis effusus est. Ergo, in sacra cœna illis non est denegandus. Ex quo apparet, propositionem hujus argumenti non esse simpliciter & absolute universalem, sed loqui de omnibus cœlestis hujus convivii hospitibus, quod nemini eorum sanguis Christi denegandus sit, cum pro omnium peccatis in ara crucis sit effusus. Confirmatur hoc ex fine institutionis. Ideo enim Christus illud ipsum corpus, quod in mortem pro nobis tradidit, manducandum, & illum ipsum sanguinem, quem pro peccatis nostris effudit, bibendum in sacra cœna offert, ut hoc pretiosissimo pignore de beneficiis, traditione corporis & effusione sanguinis, nobis partis, confirmemur. Turcæ, Judæi, gentiles & impii, quamdiu sunt ac manent tales, non sunt hujus convivii hospites, nec si tales se esse profiteantur, ad hoc cœleste epulum admittendi sunt: quia sacramenta sunt bona ecclesiæ propria, neque *objiciendae sunt margaritae porcis;* Matth. VII. 6. alia vero ratio est fidelium laicorum, qui in vera pœnitentia & fide ad hoc cœleste convivium accedunt, & juxta Christi institutionem cœnam sibi dispensari petunt, in quibus locum habet illud aureolum Cypriani serm. I. de lapsis: *Non denegandus populo christiano Domini sui sanguis, pro cujus confessione sanguinem effundere suum jubetur.* Cogitent piæ mentes, quantæ sit arrogantiæ, & audaciæ, quod sacrificuli papistici non majus quoddam jus fidelibus laicis ad participandum Christi in cœna sanguinem concedant, quam competit Judæis, Turcis, gentilibus & impiis. 11.) Philippus Melanchton ex

1 Cor.

1 Cor. XI. probat, præceptum Domini etiam ad laicos spectare, siquidem toti ecclesiæ Corinthiorum apostolus verba cœnæ præscribit. Excipit Bellarminus, *ecclesiam Corinthiorum utraque specie usam fuisse, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostenderit ac tradiderit, licitam esse communionem sub utraque specie: sed nec Paulum citasse illud mandatum:* Bibite ex hoc omnes, *nec ullo verbo docuisse, esse necessariam omnibus communionem sub utraque specie.* Resp. de tota hac re inferius late disputabitur: an scilicet necessitas utriusque speciei ex loco apostolico evinci queat; hoc loco monemus, ne sic quidem Pontificios apostolicæ traditioni satisfacere, cum minime liberam sub utraque specie communionem laicis relinquant, sed poculum benedictum iisdem plane denegent, ut ex concil. Constantiensi sess. XIII. Tridentino sess. XXI. canon. 21. Gregorio de Valentia tract. de missa p. 65. suo loco plenius docebitur. Quod ergo, fatente Bellarmino, ex Christi institutione olim erat liberum, id per tyrannidem papæ hodie non amplius liberum est, sed contrarium factum est necessarium. Certe apostolus in controversiis de cœna apud Corinthios excitatis ad Christi institutionem eos revocat; ostendit igitur, omnium de cœna controversiarum decisionem ex verbis institutionis petendam; ostendit, ad laicos etiam pertinere institutionem cœnæ, & per consequens ad laicos communicantes etiam pertinere, quod a Christo dictum est: *Accipite, bibite.* Mandatum Christi: *Bibite ex hoc omnes*, aut pertinet ad solos sacerdotes, aut ad omnes omnino communicantes. Si prius, consequens fuerit, nefas esse, ullum hominem bibere, qui non sit ecclesiæ minister, sive, ut Pontificii loquuntur, sacerdos. Falsum ergo erit, quod hoc loco Bellarminus adserit, communionem laicorum sub utraque specie fuisse olim licitam. Si posterius, consequens fuerit, bibitionem benedicti poculi sine transgressione divini præcepti non posse ab ullo communicantium omitti. Eligat ex his alterutrum. 12.) Chemnitius urget hoc argumentum: jubet Christus, ut apostoli faciant hoc, quod ipse fecit. Atqui ipse tria fecit, accepit, benedixit & distribuit omnibus communicantibus utramque speciem. Idem ergo apostolos & fideles successores facere convenit. Priora duo: *edite, bibite*, synodus Trident. vult ad laicos etiam pertinere; ergo & tertium illud ad laicos pertinet. Bellarminus excipit, *Chemnitium falso hoc tribuere concilio Tridentino.* Atqui si concilium concedit, etiam laicis dictum esse: *bibite*, dispositio concilii erit contra institutionem & præceptum Christi. Vicissim, si concilium statuit, non esse necessarium calicis usum in communione laicorum, utique re ipsa statuit, præceptum de bibendo non pertinere ad laicos. 13.) Hamelmannus in libro de utraque specie profert hoc argumentum: Si solis apostolis dictum esset: *Bibite ex hoc omnes*, ergo soli episcopi, non omnes in genere sacerdotes communicare deberent sub utraque specie. Illi enim soli sunt apostolorum successores ex hypothesi Pontificiorum. Bellarminus excipit, *etiam sacerdotes succedere apostolis, quatenus ad illos pertinet praeceptum conficiendae eucharistiae, quod datum fuit apostolis per illa verba: Hoc facite in mei commemorationem.* Resp. absurda illa expositio, quod apostoli & ipsorum successores per hæc verba constituti sint missifices & sacrificuli, suo loco refutabitur. Vera illorum verborum sententia hæc est, quod totam sacræ cœnæ actionem recipiant tam δόσιν sc. quam λῆψιν, hoc sensu, quod apostoli & eorum successores debeant panem & vinum accipere, benedicere & communicantibus distribuere: quodque communicantes utramque speciem accipere debeant. Hæc verborum sententia, ne ab ipso quidem Bellarmino improbari potuit. Sic enim scribit sub finem hujus 25. cap. *Videtur sententia Johannis a Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam ad omnia referri, id est, ad id, quod fecit Christus, & id quod egerunt apostoli, ut sensus sit, id quod nunc agimus, ego dum consecro & porrigo, & vos dum accipitis & comeditis, frequentate deinceps usque ad mundi consummationem. Profert enim praedictus auctor veteres patres, qui illa verba modo referunt ad Christi actionem, ut Cyprianus epist. 3. libr. II. Damascenus libr. IV. de fide c. 14. modo ad actionem discipulorum, ut Basilius libr. reg. moral. regul. 21. & Cyril-*

lus Alexand. libr. XII. in Joh. c. 58. Paulum autem, idem auctor docet, referre potissimum ad actionem discipulorum, id quod ex instituto & proposito Pauli manifestum fieri potest. Et libr. IV. de euch. c. 16. *Lucas illud*, hoc facite, *retulit ad actionem benedicendi & distribuendi, quas expresserat, & simul etiam ad actionem manducandi.* Postea: *dicat aliquis, videtur Paulus 1 Cor. XI. restringere illud:* facite *ad actionem manducandi & bibendi; ait enim:* hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem, *ac si dicat: quotiescunque biberitis, bibite in memoriam passionis meae. Respondeo autem, non restringit apostolus, sed exemplum ponit in una actione, quod facere potuisset de aliis duabus, quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucae magis universalibus.* Hæc omnia Bellarminus, ex quibus hoc modo argumentamur: quibus dictum est: *Bibite*, iis etiam dictum est: *Hoc facite.* Sed sub persona apostolorum non solis sacerdotibus, sed omnibus christianis dictum est: *Bibite*, ut superius demonstratum fuit. Ergo omnibus christianis dictum: *Hoc facite.* Si verba: *Hoc facite*, tantum de consecratione, non autem de usu cœnæ accipiuntur, nullum erit mandatum de usu cœnæ, quod absurdum. *Connexio* probatur: usus sacræ cœnæ mandatus est aut verbo: *edite* tantum, aut verbo: *bibite* tantum, aut verbis *hoc facite*, id est, utroque conjunctim. Atqui non tantum verbo: *edite*, (repugnat enim institutio, repugnat exemplum apostolorum in prima cœna, repugnat praxis ecclesiæ primitivæ, repugnat vocabulum ὡσάυτως apud Lucam, repugnat paritatis ratio inter utrumque verbum *edite* & *bibite*) neque tantum verbo: *bibite*, (quod iisdem rationibus confirmatur.) Ergo usus sacræ cœnæ mandatus est verbis: *hoc facite*, id est, utroque conjunctim *edite, bibite;* ex quo immediate sequitur, illos, qui sacra cœna uti volunt, juxta Christi institutionem non solum edere, sed etiam bibere oportere. 14.) Est & hoc Hamelmanni argumentum: Christus dicit Marc. XIII. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico.* Ergo illud: *bibite ex hoc omnes*, apostolis dictum, omnibus dictum censendum est. Bellarminus excipit, *in specie de vigilantia omnibus praecepta verbum Christi intelligendum, alioquin si omnia, quae dicta sunt apostolis, ad omnes pertinerent, oporteret omnes ire in mundum universum.* &c. Resp. quæ apostolis dicta, in triplici sunt differentia; quædam sunt mandata *personalia*, quæ ad solos apostolos pertinent, utpote Matth. X. 5. *In viam gentium ne abieritis.* v. 9. *Nolite possidere aurum, nec argentum, nec pecuniam in zonis vestris* v. 10. *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; &c.* quædam sub persona apostolorum *omnibus ecclesiae ministris* ipsorum successoribus dicta sunt, utpote Matth. XXVIII. 19. *Praedicate evangelium, baptizate.* Luc. XXIV. 47. *Praedicate pœnitentiam & remissionem peccatorum;* &c. quædam vero sub persona apostolorum *omnibus fidelibus* dicta sunt, utpote Matth. V. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra.* Marc. XIII. 37. *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Mandatum autem illud in sacra cœna: *Bibite ex hoc omnes*, in persona apostolorum ad omnes christianos dictum esse, superius demonstratum fuit ex eo, quia institutio sacræ cœnæ totam ecclesiam spectat, & ex aliis fundamentis compluribus. Theodoretus in 1 Cor. XI. *Mensa dominica omnibus ex aequo est proposita.* Non ergo ad primam, nec ad secundam, sed ad tertiam dictorum Christi classem pertinet. 15.) Chemnitii etiam hæc est observatio: Christus ὡσάυτως *similiter* jubet calicem distribuere, sicut ipse fecerat, ostendit igitur, eandem esse rationem panis & vini. Ut ergo Christus utramque speciem apostolis distribuit: ita successores apostolorum non tantum debent consecrare & sumere, sed etiam omnibus, sacra cœna utentibus, utramque speciem dare. Bellarminus excipit: *Mirabilis est providentia in sacris literis, nam ut non haberent haeretici justam excusationem, sustulit eis omnem tergiversandi rationem. Nam Lucas illud: hoc facite, posuit post datum sacramentum sub specie panis, post datum autem calicem non repetivit, ut intelligamus jussisse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribueretur sacramentum, sub specie autem vini non item.* Resp. imo

vero

vero mirabilis est Bellarmini in pervertendis scripturis impudentia, & intelligendis cœcitas. 1 Cor. XI. 25. ipsi calici mandatum: *Hoc facite*, diserte subjungitur. Sic enim habent verba: *Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix nov. test. est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis.* Si ergo panis distribuendus est omnibus propterea, quia Christus, referente Luca, post datum sacramentum sub specie panis dixit: *Hoc facite:* utique etiam calix omnibus distribuendus erit, propterea quia Christus, referente Paulo, post datum calicem repetivit: *Hoc facite.* Nec valet Pistorii argutia, qui secutus Bellarminum in h. c. §. jam vero illud, ex προσδιορισμῷ *quotiescunque biberitis*, colligit, *christianos non semper calicem, sicut panem usurpaturos, sed tantum quotiescunque biberent, debere eos id facere in Christi commemorationem.* Idem enim προσδιορισμὸς additur manducationi. v. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini adnunciabitis.* Adde, quod apostolis dictum sit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis*, illis ergo liberum fuisset bibere vel non bibere ex benedicto calice, quod absurdum. Ut interim nihil dicatur de eo, quod Pistorius sibi contradicens verba: *Hoc facite*, alibi exponat per *sacrificate*, & ad apostolos tantum referat, ac quod Bellarminus ea generaliter exponat de omnibus actionibus apostolorum, ac notanter scribat, apostolum non restringere hæc verba ad actionem manducandi & bibendi, sed exemplum ponere in una actione, quod etiam facere potuisset de aliis duabus (benedicendi ac distribuendi). Ergo ex hypothesi Pistoriana consequens foret, non semper benedictionem ac distributionem in sacra cœna requiri, cum de illis etiam actionibus verba Christi: *Hoc facite*, fatente Bellarmino, sint intelligenda. Magis adhuc frivola est Bellarmini argutia, *quod verbum ὡσάυτως acceptionem, non autem distributionem calicis notet, cum Christus non fregerit calicem, (sicut panem) nec dividerit ipse discumbentibus, sed dederit integrum, ut unus alteri porrigeret:* at hac ratione δόσις cum modo δόσεως confunditur. Sufficit nobis, Christum *similiter* ὡσάυτως dedisse calicem, sicut panem dederat, licet modus δόσεως utrobique varie. Perstat ergo immotum argumentum. Christus jussit hoc facere in cœnæ administratione, quod fecit ipse. Atqui ipse non solum benedictum panem, sed etiam benedictum calicem distribuit. Ergo nobis etiam hoc faciendum est. Particula ὡσάυτως bibitionem cum manducatione tanquam alteram hujus sacramenti partem connectit, postea utrique subjungitur: *Hoc facite.* Quodcunque ergo est pars sacramenti, illud ministri ecclesiæ distribuere & communicantes suscipere tenentur vi præcepti: *Hoc facite.* Jam vero bibitio vini eucharistici est pars sacramenti, quia per particulam ὡσάυτως manducationi adnectitur. Ergo vinum eucharisticum ministri ecclesiæ distribuere & communicantes suscipere tenentur. Nugatorium plane est, quod Bellarminus addit: *Paulus cum 1 Cor. XI. habeat eandem particulam similiter, non tamen habet:* dedit, *sed solum* accepit. *Ergo illud* similiter *non potest referri ad verbum* dedit. Atqui hac ratione ex subordinatis fiunt pugnantia: Christus *similiter* accepit calicem, ut panem acceperat: *similiter* dedit calicem, ut panem dederat, ideo in descriptione posterioris partis apud Lucam ex priore parte repetenda sunt verba: λαβὼν ἔδωκεν, quod qui negatum it, is negat solem in meridie lucere. Atque hæc sunt Bellarmini effugia, quibus impetum Achillis nostri (ita enim adpellat hoc argumentum ex verbis institutionis deductum) sustinere, atque ab eo se tutum præstare conatur. Solis apostolis dictum putat: *Bibite ex hoc omnes*, ideo de communicatione laicorum sub utraque specie ex verbis illis nihil concludi posse, perinde ut theologi Pontificii ad hanc rem delecti in scripto germanico de usu unius speciei in sacra cœna jussu episcoporum & principum Romano-catholicorum Monachi anno 1565. edito f. 205. 206. scribunt: *Officium missæ tantum a Christo institutum, de communione vero laicorum nullam institutionem a Christo factam.* Item f. 200. *Quod attinet communionem laicorum, de ea Christum in cœna nihil instituisse, nec ordinasse, qua ratione laicis sacra cœna sit administranda, &c.*

§. XXXIII.

Alia Bellarmini exceptio, cœnam Domini non constare, nisi una duntaxat specie.

§. XXXIII. Cap. 27. Bellarminus alia ratione infringere conatur argumentum ab institutione Christi petitum. Cum enim formasset hoc *enthymema:* Christus instituit cœnam sub duplici specie; ergo sub duplici sumenda est, alioquin non erit cœna, sed pars cœnæ; tale subjungit responsum: *Si proprie & secundum evangelium loqui velimus, cœna Domini non constat nisi ex una specie. Nam Luc. XXI. sic legimus:* Cœnantibus illis accepit Jesus panem; *& postmodum multis interjectis,* Similiter & calicem, postquam cœnavit. *Et 1 Cor. XII. Similiter & calicem postquam cœnavit. Itaque in cœna non dedit nisi eucharistiam sub specie panis, quae proprie respondet cœnae Judaicae & agno paschali, post cœnam autem dedit calicem. Unde etiam Cyprianus serm. V. de lapsis dicit, calicem offerri debere praesentibus post expleta solennia, hoc est, finita jam missa.* Resp. nihil poterat absurdius a Bellarmino dici. 1.) enim contradicit sibi ipsi, siquidem c. 22. hujus libr. §. utraque; concedit, *duo illa signa, videlicet speciem panis & speciem vini esse partes integrales hujus sacramenti.* Cap. 23. resp. ad 4. arg. diserte scribit, *sacramentum sub duplici specie institutum:* Quomodo igitur eucharistia non nisi ex una specie constabit? 2.) Contradicit concilio Constantiensi, cujus hæc sunt verba sess. XIII. *Licet Christus instituerit & dederit sacramentum post cœnam sub utraque specie discipulis, hoc tamen non obstante, &c.* Idem repetit concilium Trident. sess. XXI. c. 1. & 3. 3.) Contradicit manifestissimæ veritati. Testantur enim evangelistæ, Christum non solum corpus suum in sacra cœna mediante benedicto pane manducandum instituisse & discipulis tradidisse; sed etiam sanguinem suum mediante benedicto vino bibendum & instituisse & tradidisse. Atque hæc duo, manducatio scilicet & bibitio, per particulam ὡσαύτως ita connectuntur, ut unius ejusdemque sacramenti partes integrales. 4.) Inde apostolus 1 Cor. X. & XI. manducationem & bibitionem perpetuo conjungit. 5.) Quod Christus multis interjectis calicem eucharisticum discipulis dederit, aperte falsum est; quia inter distributionem benedicti panis & distributionem benedicti calicis nihil quidquam ne ab uno quidem evangelista medio loco interjicitur, sed tota sacræ cœnæ sub utraque specie institutio & administratio, velut unus & continuus actus describitur. Sic enim habet descriptio institutionis apud Matth. XXVI. 26. *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum;* v. 27. *& accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes,* v. 28. *Hoc enim est sanguis meus nov. test. qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Eodem modo Marcus institutionem describit, nisi quod addit, apostolos *ex calice bibisse omnes,* cap. XIV. 23. 6.) Quod Lucas & Paulus addunt, Christum μετὰ τὸ δειπνῆσαι calicem distribuisse, nequaquam probat, eucharistiam non nisi ex una specie constare, ac Christum multis interjectis calicem non ut sacramenti alteram partem, sed ut ἐπείσαγμα quoddam discipulis distribuisse, id enim reliquorum evangelistarum descriptioni evidenter repugnaret; sed respectum habent ad agnum paschalem, post cujus esum atque usum hoc sacratissimum mysterium, illius ἀντίτυπον, a Christo fuerit institutum. 7.) Est ergo ambiguitas in vocabulo δειπνῆσαι. Bellarminus illud de δείπνῳ κυριακῷ videtur intelligere, quasi integra sacra cœna fuerit absoluta, cum Christus calicem eucharisticum discipulis exhiberet. Evangelistæ vero hoc intelligunt de agni paschalis esu & vulgari cœna, post cujus usum sacra cœna a Christo fuit instituta & administrata. 8.) Opponimus igitur Bellarmino hanc ἀπόδειξιν: calix, quem Christus discipulis μετὰ τὸ δειπνῆσαι dedit, aut fuit *vulgaris* aut *sacramentalis.* Prius dici nequit, quia Christus de hoc calice pronunciat, quod sit nov. testam. in suo sanguine. Ergo fuit calix sacramentalis sive mysticus. Si fuit calix sacramentalis, aut novum ac peculiare, aut una cum benedicto pane unum atque idem sacramentum constituit. Prius dici nequit, alias apostoli duo distincta sacramenta percepissent; manet igitur posterius, quod calix

eucha-

eucharisticus una cum benedicto pane sacramentum unum constituat, id est, quod unius ejusdemque sacramenti duæ sint integrales partes, manducatio scilicet benedicti panis & bibitio benedicti calicis. 9.) Quod Bellarminus addit: *Etiamsi cœna Domini utraque specie constaret, tamen quia quaelibet species continet rem utriusque speciei, ideo tam esse integram cœnam ex una specie, quam ex duabus;* id ex hypothesi concomitantiæ petitum, de qua suus erit differendi locus. Arguit hæc additio, fulgorem veritatis clausos Bellarmini oculos penetrasse, ut agnoverit, Christum sub utraque specie sacram cœnam instituisse.

Gregorii de Valentia & Becani exceptio: Distinguendum esse inter institutionem & praeceptum.

§. XXXIV. Gregorius de Valentia tom. IV. disp. 6. q. 8. punct. 5. & ex eo Martin. Becanus disput. de communione sub utraque specie c. 1. agnoscere videntur, nimis audacter negari, quod institutio sacræ cœnæ etiam ad laicos pertineat, & utramque speciem complectatur: aliud ergo excogitant effugium; distinguendum enim censent inter *institutionem* & *praeceptum*, *communionem sub utraque specie a Christo quidem institutam, non tamen praeceptam. Multa a Deo instituta sunt*, scribit Becanus, *quae tamen omnibus praecepta non sunt, ut matrimonium, ordo ecclesiasticus, praedicatio evangelii, officium baptizandi & plura alia. Non enim tenentur omnes ex praecepto divino inire matrimonium, suscipere ordines ecclesiasticos, praedicare evangelium, baptizare catechumenos. Unde sicut haec consequentia non valet: matrimonium est a Deo institutum, ergo omnibus praeceptum est; ita similiter haec non valet: communio sub utraque specie a Christo instituta est, ergo omnibus praecepta.* Resp. 1.) Bellarminus hanc distinctionem inter *institutionem & praeceptum* non concederet, sed ad ἔνστασιν de matrimonio & ordine ecclesiastico libr. IV. de euch. c. 25. §. sed etiamsi. ex Augustino libr. III. de doctr. christ. c. 17. aliter responderet, *multa scilicet in scripturis praecepta dari universae ecclesiae, quae sint implenda per aliquos, non autem per singulos, quale illud: crescite & multiplicamini, quod generi humano dicitur; sic tamen, ut satis sit, si per aliquos species humana propagetur, & non cogantur omnes liberis procreandis operam dare.* 2.) Nos simplicius respondemus, distinguendum esse inter institutionem *status*, & inter institutionem *ritus*. Institutio status est ordinatio alicujus officii vel vitæ generis: sic Deus instituit ordinem ecclesiasticum, politicum & oeconomicum, & hi status Deum auctorem habent. Institutio ritus est ordinatio alicujus certæ rei ab hominibus observandæ ac faciendæ: sic Deus instituit baptismum, & vult hunc ritum in ecclesia observari. Quamvis ergo institutio status simpliciter & absolute loquendo sine relatione ad personas non sit *universaliter* obligatoria, tamen institutio ritus & alicujus faciendi semper est obligatoria. Rationem petimus ex fine, ideo enim Deus instituit ritum aliquem, ut ad eum observandum homines obliget, ergo finis institutionis non est nuda γνῶσις, sed πρᾶξις, unde tale nascitur argumentum: Quidquid hoc fine proponitur, ut fiat, illud ad faciendum obligat, & per consequens est præceptum. Institutio divina hoc fine proponitur, ut fiat. Ergo ad faciendum obligat, & per consequens est præceptum. Voluntas Dei est regula & norma actionum humanarum. Unde sic colligimus: Quidquid proponit voluntatem Dei de aliquo faciendo, per illud ad obedientiam obligamur. Institutio ritus proponit voluntatem Dei de aliquo faciendo. Ergo per institutionem ritus ad obedientiam obligamur, & p. c. est præceptum, quia præceptum nihil aliud est, quam obligatio ad obediendum in re præscripta. 3.) Id ipsum probamus a minori ad majus. Constitutiones magistratus sunt præcepta obligatoria, quibus subditi tenentur obstricti. Ergo multo magis divina institutio est obligatoria. *Connexio* est evidens. *Deo enim magis obedire oportet, quam hominibus.* Act. V. 29. Nec de *antecedente* dubitare potest, qui ferendarum legum potestatem magistratui competere agnoscit. 4.) Deducimus adversarios ad absurdum. Instituta pontificis Romani, ex hypothesi illorum, obli-

obligant etiam in conscientia: ita enim disputat Bellarminus libr. IV. de pontifice Rom. cap. 16. *quod papa habeat potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, quae conscientias obligent;* imo c. Nulli. &c. Violatores. 25. q. 1. adferitur, quod papæ leges & decreta violare sit blasphemia in Spiritum sanctum, & peccatum irremissibile. Qua igitur veritatis specie, qua fronte statuitur, non omnem institutionem divinam esse obligatoriam, nec esse præceptum? an non hac ratione instituta pontificis supra divinas institutiones evehuntur? 5.) Nimirum qualis est distinctio Stapletoni in antid. ad VII. Rom. & Bellarmini libr. V. de amiss. grat. & statu peccati c. 10. quod *lex divina quaedam prohibeat per modum obligationis, quaedam vero per modum doctrinae:* talis etiam est haec Greg. de Valentia & Becani inter institutionem ac præceptum distinctio, utraque scilicet nugatoria. Quemadmodum enim omne illud, quod lex prohibet, non solum per modum doctrinæ, sed etiam per modum obligationis prohibet, ut ostendimus in tract. de peccat. actual. §. 43. ita etiam omnis institutio facti sive ritus (de ea enim hic loquimur) est præceptum obligans homines ad illud, quod Deus instituit & ordinavit. 6.) Relinquitur ergo firmum, fixum, quod omnis institutio ritus sit præceptum, ac proinde obligatoria. Quod vero dictum fuit, institutionem officii simpliciter & absolute loquendo non esse obligatoriam, id hoc modo intelligendum: institutio status sive officii, si absolute & simpliciter consideretur, non obligat indiscrete omnes omnino homines, proinde hoc modo considerata non est obligatoria. Sed si respectus habeatur ad illos, quibus status est institutus, tunc invenitur quædam obligatio. Sic matrimonium sua natura liberum est, illi vero, qui se continere nequeunt, vi divinæ institutionis ad illud obligantur. 1 Cor. VII. 2. *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam.* Ministerium est officium sua natura liberum, qui vero donis sufficientibus instructi sunt, & legitime ad illud vocantur, illi Deo hac in parte obedire tenentur. 7.) Porro quod institutio sacræ cœnæ non sit institutio status & officii, sed ritus & facti, id evidenter adparet ex re ipsa, siquidem institutio sacræ cœnæ continet testamentariam Christi dispositionem de manducando suo corpore mediante benedicto pane, & bibendo suo sanguine mediante benedicto vino: in qua sanctissima ordinatione Christus expressis & conceptis verbis declarat, non solum quid nobis offerat, sed etiam quid a nobis fieri velit: *Accipite, edite; Hoc facite,* inquit. Non ergo simplicem utriusque speciei institutionem, sed & disertum Christi mandatum ei adjunctum habemus, ut absurdum plane sit, si quis institutionem a præcepto in hoc negotio velit separare. Quidquid enim Christus instituit hoc fine, ut fiat, & quidquid faciendum præcipit, illud omnino est præceptum & a nobis faciendum. Jam vero utramque speciem Christus instituit hoc fine, ut accipiatur, & eam accipiendam præcepit. Ergo omnino præceptum est, utramque speciem accipere. Vi ergo hujus divinæ institutionis omnes, quibus sacra cœna instituta est, & ad quos hæc institutio pertinet, tenentur non solum manducare, sed & bibere. Jam vero non solis clericis, sed omnibus christianis, qui juxta regulam apostolicam probare se possunt, sacra cœna est instituta, & ad omnes hæc institutio pertinet, ut superius demonstravimus. Ergo non soli apostoli, nec soli clerici, sed omnes omnino christiani, qui probare se possunt, tenentur non solum manducare, sed etiam bibere. Hæc enim vis est divinæ institutionis, ut non partem aliquam, sed totam observare teneantur, quibus illa præscripta est. Jam vero duæ sunt institutionis partes, manducatio benedicti panis & bibitio benedicti vini. Ergo non alicujus partis observatione, videlicet manducatione, sed totius observatione, videlicet & manducatione & bibitione institutioni divinæ satisfieri debet. 8.) Si Becanus excipiat, *communionem sub utraque specie non ad essentialia, sed ad accidentalia,* seu ut ipse loquitur, *circumstantialia cœnae pertinere;* repetimus & urgemus nostrum argumentum: Quidquid est pars divinæ institutionis, ad illud vi ejusdem institutionis obligamur. Jam vero ex calice benedicto vinum & mediante illo sanguinem Christi bibere est pars divinæ institutionis. Ergo ad bibitionem ex calice obligamur.

Adsum-

Adſumtum ex verbis inſtitutionis evidens eſt. Chriſtus enim non ſolum manducationem corporis ſui mediante pane, ſed etiam bibitionem ſanguinis ſui mediante vino inſtituit; cum dixiſſet: *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum*, ὡσάυτως de calice dixit: *Bibite ex hoc omnes, hic calix eſt nov. teſt. in meo ſanguine.* Elementum ſive ſymbolum externum in ſacramentis non eſt accidentaria quædam circumſtantia, ſed pars eſſentialis; pertinet enim ad materiam ſacramenti. Jam vero calix euchariſticus eſt ſymbolum externum ſive elementum in ſacramento cœnæ. Ergo non eſt accidentaria quædam circumſtantia, ſed pars eſſentialis. Quidquid autem ſacramento eſt eſſentiale, ad illius uſurpationem vi inſtitutionis divinæ omnes ſacramento utentes obligantur. Calix euchariſticus eſt ſacramento cœnæ eſſentialis. Ergo ad calicis euchariſtici uſurpationem vi inſtitutionis divinæ omnes utentes obligantur. Verba cœnæ manifeſte oſtendunt, diſtincte exprimi ſymbola externa gemina, panem & vinum, ac rem cœleſtem, corpus & ſanguinem Domini; diſtincte etiam utramque actionem ſacramentalem manducandi & bibendi exprimi, quæ omnia per particulam ὡσάυτως ita connectuntur, ut manifeſtum ſit, ad unius ſacramenti eſſentiam ea ut partes eſſentiales pertinere. Vide Balduinum in notis ad diſp. Becani de communione ſub utraque ſpecie, & Meiſnerum part. II. ſobr. phil. ſ. 2. c. 3. q. 4.

2.) *Quia Chriſtus utramque ſpeciem diſtribuit.*

§. XXXV. *Alterum* argumentum nobis ſuppeditat exemplum Chriſti. Quamvis enim uno eodemque tempore, quin etiam uno eodemque actu, Chriſtus ſacram cœnam inſtituerit, & primitus adminiſtrarit, tamen diſcrimen quoddam formale conſtitui poteſt inter *inſtitutionem* & primævam illam *adminiſtrationem*. Inſtitutio totam eccleſiam ſpectat; adminiſtratio vero ſolos apoſtolos tunc præſentes. Inſtitutio adhuc hodie durat & efficax eſt: adminiſtratio fuit actus tranſitorius. Vi inſtitutionis Chriſtus adhuc præſens eſt in ſacra cœna, & corpus & ſanguinem ſuum in ea diſpenſat, ſed non amplius immediate in propria perſona eam adminiſtrat. Inde concilium Conſtantienſe ſeſſ. XIII. hæc duo diſtinguit, quod Chriſtus venerabile ſacramentum ſub utraque ſpecie & inſtituerit & adminiſtrarit. Sic igitur argumentamur: Quomodo Chriſtus adminiſtravit primam cœnam, eo etiam modo adhuc hodie in eccleſia eſt adminiſtranda. Atqui Chriſtus eo modo adminiſtravit primam cœnam, ut non ſolum benedictum panem manducandum, ſed etiam benedictum vinum bibendum apoſtolis diſtribuerit. Ergo etiam eo modo adhuc in eccleſia cœna eſt adminiſtranda. Circa propoſitionem *majorem* notanda eſt diſtinctio inter *eſſentialia* & *accidentalia*: de illis propoſitio major intelligenda eſt, non autem de hiſce. Jam vero diſtributio benedicti calicis non pertinet ad accidentalia ſive circumſtantias externas, ſed ad eſſentialia. Non eſt ergo, quod Bellarminus & Becanus nobis obvertant, ex hoc argumento ſequi, quod veſperi ſit communicandum, poſt lotionem pedum, in ædibus privatis, more diſcumbentium, &c. hæc enim omnia non ſunt eſſentiales partes, ſed circumſtantiæ tantummodo primævæ adminiſtrationis. Quod autem diſtributio benedicti calicis ſit pars eſſentialis, patet ex eo; 1.) quia calix, ſive, quod idem eſt, vinum in calice eſt ſymbolum hujus ſacramenti externum. 2.) Quia bibitio eſt peculiaris actus ſacramentalis a manducatione diſtinctus, eidem tamen per particulam ὡσάυτως connexus. 3.) Quia quæcunque probant, manducationem eſſe partem eſſentialem ſacræ cœnæ, ea omnia etiam probant, bibitionem eſſe partem eſſentialem. a) Idem Chriſtus utrumque dixit: *Edite, bibite;* b) ad eoſdem, c) in modo *imperativo*, d) in numero plurali, e) utrique ſubjungitur præceptum: *Hoc facite*, f) utrumque exprimit actionem ſacramentalem, g) nec ulla poteſt oſtendi diverſitatis ratio. Ergo ut manducatio eſt pars eſſentialis, ita quoque bibitio. Confirmatur argumentum ex manifeſto præcepto primævæ adminiſtrationi addito: *Hoc facite.* Tiletanus in refut. confeſſ. Antverp. c. de cœna diſputat, *verba Chriſti: Bibite; Hoc facite, adhortative accipi poſſe.* Sed Chriſtus ſacramenta ſua non inſtituit, ut liberum reli-

querit nobis homuncionibus eis utendi vel non utendi. Si verba isthæc: *Bibite, hoc facite*, sunt tantum adhortatoria: consequens fuerit, verbum *manducate* itidem esse tantum adhortativum, sicque usus cœnæ erit arbitrarius: item verbum *baptizate* itidem erit adhortativum. Recte igitur Tilétano hoc obvertit Flacius in respons. ad hanc refutationem, quod Albertus Magnus in tract. de officio missæ, & Reinerus agnoscant, *Christum praecepisse de calice bibere*, quodque Theodoricus Maleotus anno 1567. Lavonii Brabanticum libellum de missa ediderit, in quo diserte scribit, *illis verbis: Bibite, Hoc facite, praeceptum contineri* (*). Tilétano audacior est Becanus, qui disputat cap. 10. disput. de comm. *Evangelistarum narrationem esse tantum historicam commemorationem, quid Christus egerit cum apostolis, non autem quid porro alios facere velit.* Quando autem quæritur de præcepto cœnæ, respondet, *de utraque specie nusquam datum a Christo praeceptum: de eucharistia abstrahendo ab una vel utraque specie datum esse Joh. VI. 53. nisi manducaveritis, &c.* Atqui 1.) evangelistæ non solum administrationem, sed etiam institutionem sacræ cœnæ describunt. Christus enim non solum cum apostolis ibi egit, cœnam illis administrans, sed peculiare nov. test. sacramentum instituit ad totam ecclesiam pertinens, & ad finem usque mundi duraturum. 2.) Verba Christi: *Hoc facite*, quocunque modo exponantur, sive ad illud, quod Dominus egit, hoc est, consecrationem & distributionem, sive ad id, quod egerunt discipuli, hoc est, manducationem & bibitionem, sive ad utrumque simul, quod est verissimum, referantur, manifeste ostendunt, non tantum historicam transitorii actus commemorationem ab evangelistis describi, sed institutionem sacratissimi sacramenti, postmodum etiam in ecclesia repetendi, 1 Cor. XI. 25. *Hoc facite, quotiescunque biberitis.* 3.) Si nullum mandatum de eucharistia in his verbis habetur, consequens est, nullum prorsus sacramentum ea nocte, qua traditus est, a Christo fuisse institutum. 4.) Sacramenta sunt bona communia totius ecclesiæ: proinde non aliud sacramentum Christus dedit apostolis, aliud vero reliquis fidelibus instituit, sed ut apostolos in sacra cœna jussit manducare & bibere, ita quoque reliquos fideles in usu sacræ cœnæ hoc vult facere; agit enim non de munere quodam apostolis peculiari & proprio, sed de sacramento toti ecclesiæ communi. 5.) Verbum illud: *edite, bibite*, dictum est apostolis, aut ut erant apostoli, aut ut sacerdotes, aut ut fideles, hoc est, christiani. Si statuitur primum, consequens erit, neminem debere sacram cœnam participare, nisi qui sit apostolus. Si statuitur secundum, consequens erit, solis sacerdotibus institutam esse sacram cœnam. Utrumque consequens repugnat textui Paulino 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, &c.* Relinquitur igitur apostolis hoc esse dictum, ut erant fideles, id est, christiani, ac proinde institutionem etiam pertinere ad laicos. 6.) In concione Christi Joh. VI. non potest quæri mandatum de eucharistia, quia ibi agitur non de manducatione *sacramentali*, sed *spirituali*, ut suo loco plenius demonstrabitur. Adde, quod ibidem distincte fiat mentio carnis & sanguinis, manducationis & bibitionis: sic enim habent verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Si ergo eucharistia ibidem mandata, utique species utraque mandata erit. Si prius membrum continet præceptum, cur non & posterius? Bellarminus lib. IV. de euchar. c. 25. regerit: 1.) *Vim hujus praecepti in re, quae sumitur, non in modo sumendi consistere.* 2.) *In scripturis saepenumero conjunctionem & accipi pro disjunctiva aut.* 3.) *Multa esse in scripturis praecepta, quae dantur universae ecclesiae, sed implenda sunt per aliquos, non per singulos.* Resp. nequaquam directe ex cap. VI. Johannis pro communione sub utraque specie concludimus, cum in eo non de sacramentali, sed spirituali corporis

&

(*) Corn. Jansenius cap. 131. conc. evang. pag. 903. *Mandavit Christus, ut poculum similiter omnibus porrigeretur.* GERHARDUS.

& sanguinis Christi communione agatur; sed κατ' ἄνθρωπον ex hypothesi pontificiorum hoc argumentum urgemus. Si enim nullum aliud de eucharistia mandatum exstat, quam quod Joh. VI. 53. proponitur, utique species utraque mandata erit, cum distincte manducationis & bibitionis fiat mentio. Quod igitur Bellarminus respondet, non *rem* sed *modum* rei ibidem præcipi, item conjunctionem & pro disjunctiva *aut* accipiendam, id tum demum habet locum, si hæc concio Christi de spiritualis carnis & sanguinis participatione accipiatur, ut revera accipienda est, nequaquam vero, si de sacramentali intelligatur, ut Bellarminus eam intelligit. Constat enim ex verbis institutionis, non solum rem, id est, manducationem carnis & bibitionem sanguinis, sed etiam modum rei, id est, manducationem carnis sub specie panis & bibitionem sanguinis sub specie vini a Christo in eucharistia præscriptam; nec separatim sed conjunctim manducationem & bibitionem institutam esse. Quod denique additur, multa in scripturis præcepta ecclesiæ universæ dari, quæ non sint implenda per singulos, sed per aliquos ex omnibus, id nec in spirituali, nec in sacramentali carnis & sanguinis Christi participatione locum habet: prior enim absolute ab omnibus christianis, posterior a fidelibus adultis, qui probare se possunt, citra casum privationis necessario requiritur.

3.) *Quia Paulus utriusque speciei usum requirit.*

§. XXXVI. *Tertium* ex scripturis argumentum suppeditat repetitio institutionis apostolica. 1 Cor. XI. 20. *Convenientibus vobis in unum jam non est dominicam cænam manducare.* v. 21. *Unusquisque enim suam cænam præsumit ad manducandum &c.* v. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* v. 24. *Et gratias agens fregit & dixit: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, Hoc facite in meam commemorationem.* v. 25. *Similiter & calicem postquam cænavit, dicens: Hoc poculum est novi testi. in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.* v. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* v. 27. *Itaque qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* v. 29. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, &c.* Circa hunc locum notandum, 1.) quod apostolus ad totam ecclesiam Corinthiacam scribat, 2 Cor. I. 2. sicque re ipsa ostendat, hanc Christi institutionem etiam ad laicos spectare. 2.) Quod abusus, qui in Corinthiaca ecclesia circa administrationem cœnæ irrepserant, ea ratione corrigat, ut ad primam institutionem Corinthios revocet, atque ex ea judicium de legitima sacræ cœnæ administratione fieri velit. 3.) Quod manducationem & bibitionem velut duas distinctas essentiales partes unius mysterii per particulam ὡσάυτως conjungat. Quomodo autem ex his tribus membris necessitas communionis sub utraque specie probetur, demonstratum est superius. 4.) Quod manducationem & bibitionem in sacra cœna adpellet παράδοσιν *traditionem*: unde sic concludimus: traditio apostolica omnes obligat. Atqui usus utriusque speciei in sacra cœna est traditio apostolica. Ergo omnes obligat. 5.) Quod in doctrinis & consectariis ex verbis institutionis dominicæ deductis manducationem & bibitionem perpetuo conjungat, ut patet ex versu 26. 27. 28. 29. ex quo evidenter adparet, ipsum verba cœnæ sic intelexisse, quod manducatio & bibitio in sacra cœna nec possint, nec debeant separari. 6.) Quod circumstantiæ textus evidenter ostendant, non posse ad solos sacerdotes referri, quæ de usu utriusque speciei apostolus scribit. Quos enim a calice dæmoniorum prohibet, illos vult calicem Domini bibere, 1 Cor. X. 21. Jam vero omnes christianos a calice dæmoniorum arcet. Ergo etiam omnes vult calicem Domini bibere. Quos mortem Domini in usu sacræ cœnæ adnunciare jubet, illos etiam vult calicem Domini bibere. 1 Cor. XI. 26. Jam vero omnes christianos

in usu sacræ cœnæ mortem Domini adnunciare jubet. Ergo etiam vult omnes calicem Domini bibere. Quoscunque vult se ipsos probare, eos vult de calice eucharistico bibere, v. 28. Jam vero omnes christianos ad sacram cœnam accedentes vult se ipsos probare. Ergo etiam omnes ad sacram cœnam accedentes vult de calice bibere. Probet se ipsum *homo*, inquit, non sacerdos, non clericus, sed quilibet christianus. 6.) Quod ex verbis cœnæ colligat, panem eucharisticum esse communicationem corporis, calicem eucharisticum communicationem sanguinis Christi. 1 Cor. X. 16. Unde sic concludimus: Quidquid evertit unionem sacramentalem, illud, utpote repugnans verbis institutionis, non est adprobandum. Communio laicorum sub una specie evertit unionem sacramentalem, quæ est panis cum corpore & vini cum sanguine mystica & distincta conjunctio. Pontificiis vero est unio panis cum corpore & sanguine simul. Ergo communio laicorum sub una specie, utpote repugnans verbis institutionis, non est adprobanda. Apostolus distincte adserit, panem eucharisticum esse communicationem corporis, & vinum eucharisticum esse communicationem sanguinis Christi. Pontificii contra adserunt, panem eucharisticum esse communicationem sacramentalem & corporis & sanguinis Christi.

Exceptiones Bellarmini. 1.) Aliam esse rationem ecclesiæ Corinthiacæ.

§. XXXVII. Excipit Bellarminus: 1.) *Ecclesiam Corinthiorum utraque specie usam, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostendit, & tradidit, licitam esse communionem sub utraque specie. Sed nec Paulum citasse illud mandatum:* Bibite ex hoc omnes, *nec ullo verbo docuisse, esse necessariam omnibus communionem sub utraque specie.* Resp. 1.) Non unum, sed aliquot argumenta, quibus necessitas communionis sub utraque specie ex verbis apostoli demonstretur, modo exposuimus. 2.) Si licita est communio sub utraque specie, utique perperam agunt Romanenses, quod eam non amplius liberam relinquunt, sed contrariam, id est, communionem laicorum sub una necessariam statuunt. Agnoscant vel tandem papæ tyrannidem, per quam non amplius liberum est, quod per Christi institutionem liberum erat. Gregorius de Valentia tract. de missa pag. 95. negat, laicis dari posse calicem juxta Christi institutionem *propter contrariam ecclesiæ dispositionem* (*). De tota hac re plura dicentur inferius. 3.) An vero æque liberum est, vel servare institutionem Christi, vel ab ea recedere? Si in una parte substantiali ab institutione Christi recedere licitum ac integrum est, idem licebit in reliquis, cum omnium essentialium sit eadem ratio. 4.) Quod in ecclesia Corinthiaca usitatum, & institutioni Christi conforme fuit, idem merito in nostris ecclesiis observatur, propter consanguinitatem doctrinæ & rituum, quæ apostolicis & nostris ecclesiis intercedere debet. 5.) Unde demonstrari potest, apostolum aliunde potius, quam ex Christi exemplo (& institutione) communionem sub utraque specie Corinthiis tradidisse? certe contextus evidenter ostendit, quod ad primam institutionem eos revocet, abusus ex ea corrigat, & velut normam & regulam omnium controversiarum, quæ de cœna excitatæ erant, eandem ipsis præscribat. 6.) Paulum non citasse illud mandatum Christi: *Bibite ex hoc omnes*, manifeste falsum est: repetit enim totam & integram institutionem, cujus pars continetur in illo mandato: *Bibite*, ideo addit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.*

(*) Matthias Mayle, Jesuita, in dispur. de una specie laicis danda in Academia Dillingana anno 1608. instituta thes. 48. *Ex quo textu sacræ paginæ demonstrant novatores, Paulum non fuisse hac in re reprehensibilem, quod laicis calicem in ecclesia Corinthiaca dederit? Fuit (inquiunt) a-*

postolus raptus ad tertium cœlum. At Petrus non minus fuit apostolus cum ipso Domino multo tempore conversatus, eo magistro ac doctore usus, & nihilominus neo-evangelici perpetuo inculcant illud Gal. II. 11. Cum venisset Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. GERHARDUS.

§. XXXVIII. II.) *Apostolum non jubere, ut fideles edant panem, vel calicem absolute bibant, sed modum praescribere, quo uti debeant, si edere & bibere velint utiliter.* Resp. 1.) Imo vero apostolus non solum præscribit modum, quo utiliter in sacra cœna edere & bibere possimus, sed vi dominicæ institutionis ab omnibus ad sacram cœnam accessuris, ut edant & bibant, requirit, id quod paulo ante comprobatum dedimus. 2.) Usus ergo calicis ab utili communione, id est, a salutari cœnæ usu non est separandus. Quod enim dominica institutio & apostolica repetitio diserte requirunt, illud non est in liberrate humana positum. 3.) Si apostolus his verbis non jubet, ut fideles edant panem, vel calicem bibant absolute, sed saltem præscribit modum, quo uti debeant, si edere & bibere velint utiliter, consequens erit, licitam esse communionem sub una specie vini. Ratio *consequentiae* est manifesta, quia eodem modo de manducatione & bibitione loquitur. Si ergo necessitas bibitionis in usu sacræ cœnæ non potest ex verbis apostolicis demonstrari, utique nec manducationis necessitas ex iisdem probari potest. Ut ergo liberum est per apostolum, in cœna manducare & non bibere: ita quoque liberum erit per eundem, bibere & non manducare. Si salutariter manducare possumus in sacra cœna nos ipsos probando & mortem Domini adnunciando, si vel maxime non accedat bibitio, pari ratione salutariter bibere possumus in sacra cœna nos ipsos probando & in Christi commemorationem bibendo, si vel maxime non accedat manducatio. At hoc consequens, quod scilicet licita sit communicatio sub specie vini, non probatur omnibus Pontificiis. (Bellarminus tamen existimat laicis posse tolli panem, si detur calix) Ergo nec antecedens fatere debent.

2.) *Apostolum praescribere modum salutaris communionis.*

§. XXXIX. III.) *Paulum solummodo tradidisse communionem sub utraque specie, non autem praecepisse, cum in nullo autore tradere sit praecipere.* Resp. 1.) Apostolus tradidit Corinthiis illud, quod a Domino acceperat. 1 Cor. XI. 23. Est ergo traditio divina, a qua christianis vel latum unguem discedere non est integrum. Gerson de vita spirituali animæ lect. II. coroll. 7. tom. 3. n. 61. *Non est in potestate papae aut concilii, aut ecclesiae, immutare traditiones datas ab evangelistis & a Paulo, sicut quidam delirant.* 2.) Et quæ hæc est audacia, quod Bellarminus secutus auctoritatem concilii Tridentini, traditiones extra scripturam pari pietatis adfectu cum scripto Dei verbo susciipiendas esse statuit, interim de hac divina certissimæ veritatis traditione, quæ in scripturis expresse conrinetur, tam leviter sentiat? 3.) At, inquit Bellarminus: *verba apostoli: 1 Cor. XV. tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est, non possunt sic exponi: praecepi vobis, quod Christus mortuus est. Ergo nec haec traditio apostolica praeceptum continet.* Resp. distinguendum inter traditionem *doctrinae* & *ritus* sacramentalis. Traditio de Christi morte pertinet ad traditionem doctrinæ sive alicujus articuli fidei: sed traditio de institutione sacræ cœnæ pertinet ad traditionem ritus: prioris generis traditiones requirunt fidem, posterioris generis traditiones observationem requirunt, ideoque revera præceptum continent. 4.) At, inquit Bellarminus, *traditur ab apostolo historia de institutione sacramenti, non autem praeceptum de utraque specie sumenda.* Resp. illa ipsa historica repetitio institutionis ostendit, Christum ea forma ac modo cœnam instituisse, ut vi illius institutionis ad cœnæ integritatem & manducatio & bibitio requiratur. Ergo plus est, quando Paulus dicit: *tradidi*, quam si diceret: *praecepi*, ut recte colligit Chemnitius: siquidem hoc ostendit communionem sub utraque specie non ab instituto quodam apostolico, sed ipsius Christi mandato procedere. Adde, quod apostolus, ut aliquoties monuimus, *scribat toti ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi in omni loco* 1 Cor. I. 2. Ostendit igitur ad totam ecclesiam institutionem Christi pertinere, ac proinde omnes eo modo cœnam participare debere, quomodo Christus eam administravit, & apostoli participarunt,

3.) *Distinguendum inter traditionem & praeceptum.*

parunt. 5.) Regerit Bellarminus, *falsum esse, quod epistola ad Corinthios scripta sit ad omnes fideles, ita ut omnia, quae ibi habentur, ad omnes pertineant. Num enim* (inquit) *ad omnes pertinet: auditur fornicatio inter vos, qualis nec inter gentes? Et alius dicit: ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae? Porro illud in inscriptione, cum omnibus, qui invocant nomen Domini, non significat scribi epistolam ad omnes, sed significat scribi ad Corinthios, quibus apostolus precatur gratiam & pacem cum omnibus, qui invocant nomen Domini. Nec tamen negamus, quin epistola illa aliquo modo ad omnes pertineat: doctrina enim, quae ibi traditur, omnibus communis est, sed non ideo omnia, quae ibi dicuntur, ad omnes pertinent, ac si ad omnes scripta esset.* Resp. traditio de institutione cœnæ non ad solos Corinthios, multo minus ad solos sacerdotes inter Corinthios, sed ad totam ecclesiam pertinet, id quod instituto nostro sufficit. Frivola igitur est exceptio, cum non pertineat ad omnes Corinthios, quod in eadem epistola dicitur: *Auditur inter vos fornicatio;* Item: *alius dicit: ego sum Pauli, ego Apollo, &c.* ergo nec institutionis verba ad omnes pertinere. Ratio siquidem diversitatis est manifestissima. Apostolus non in genere omnes Corinthios scortationis arguit, sed *inter eos* scortationem audiri dicit: ac quibusdam tantum illa partium studia & dissensiones tribuit: quæ enunciationes particularitatem manifeste præ se ferunt. Contra vero totus contextus cap. XI. ostendit, ad laicos etiam, neque quam vero ad solos sacerdotes pertinere, quæ de institutione & legitima administratione sacræ cœnæ ibidem traduntur. Si sacerdotes Corinthii fuissent similes plerisque pontificiis sacerdotibus, forte non adeo absurde ad illos referri posset apostolicum illud: *auditur inter vos fornicatio, &c.* Si fuissent similes pontificiis monachis, videri possent auctores illarum dissensionum: *Ego sum Augustini, ego Benedicti, ego Bernhardi.* Quid quod Bellarminus sub finem hujus cap. verba Christi: *Hoc facite*, docet a Paulo potissimum referri ad actionem discipulorum: quod ex instituto apostoli probat, qui *hoc loco emendat errorem Corinthiorum. Corinthii autem non errabant in consecratione, sed in sumtione, quia non debita reverentia sumebant.* Hæc si vera sunt, ut sunt verissima, cur disputat, non pertinere ad laicos inter Corinthios, quæ de institutione & legitima administratione cœnæ ab apostolo hoc loco traduntur? Atque hæ sunt Bellarmini exceptiones contra argumentum ex repetitione institutionis apostolica 1 Cor. XI. depromtum. Alii scriptores pontificii utuntur hac exceptione, quod Paulus ibidem dicat: *Quicunque manducaverit panem hunc, aut biberit calicem hunc indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*, ostendens, partem unam cœnæ ab altera separari posse. Resp. 1.) Hæc argutia scopo & textui apostolico manifeste repugnat, siquidem apostolus primam Christi institutionem recitans, manducationem & bibitionem perpetuo conjungit. 2.) Posset eodem modo inferri: Paulus utitur particula disjunctiva *aut*. Ergo laicis solus calix sufficit: qua ratione sacrificuli pro libitu modo panem solum, modo solum calicem laicis exhibere possent (*). 3.) Particula ergo *aut* non separandi sed distinguendi tantum vim habet. Quamvis enim manducatio & bibitio sint essentiales & inseparabiles sacræ cœnæ partes: interim cum manducatio a bibitione distincta sit, ideo apostolus particula illa *distinctiva* uti voluit. Matth. V. 17. dicit Christus: *Non veni solvere legem aut prophetas;* ex eo autem nemo colligere debet, legem a prophetis vel prophetas a lege separandos. Invertimus igitur argumentum: Apostolus manducationem a bibitione per particulam *aut* distinguit: ergo figmentum concomitantiæ, per quam statuitur Christi sanguis mediante benedicti panis manducatione accipi, manifeste rejicit (**).

§. XL.

(*) At Smiglecius in refut. dissolutionis nodi sui Gordii cap. 16. agnoscit, *solum calicis usum non efficere sacram cœnam. Verbis enim Christi*: quotiescunque bibetis, *indicari dicit, usum calicis non perpetuo futurum in ecclesia, cum panis usus constans & perpetuus esset futurus.* GERHARDUS.

(**) Syrus interpres simpliciter pro *vel* habet &. Particula *aut* apud jurisconsultos non semper dis-

§. XL. Argumentum *quartum*: Nulla pars testamenti, morte testatoris Christi confirmata, sine sacrilegio abrogari potest. Gal. III. 15. *Hominis testamentum confirmatum nemo spernit aut superordinat* ἐπιδιατάσσεται. Atqui usurpatio calicis est testamenti morte Christi confirmati certa & definita pars. Ergo sine sacrilegio abrogari nequit. *Adsumtum* constat ex verbis institutionis. Christus enim eodem tempore, iisdem verbis, ac pari omnino ratione usurpationem panis & calicis eucharistici instituit. Excipit Bellarminus lib. IV. de euchar. cap. 27. *Haereditatem nobis relictam non esse panem nec vinum, sed corpus & sanguinem Domini, quae duo danitur tam sub una quam sub duplici specie: hoc ergo solum interest, quod qui bibunt ex calice, accipiunt haereditatem in duabus tabulis, qui non bibunt, accipiunt in una tabula.* Resp. haec exceptio petit principium, quia ex hypothesi *concomitantiae* deducitur, nec satisfacit nostro argumento, quod sic ostendimus: Quicunque discedit a voluntate testatoris, & tabulas testamenti corrumpit, ille non fit particeps legatorum in hoc testamento. At mutilatio calicis in sacra coena discedit a voluntate testatoris in verbis institutionis expressa, & corrumpit testamenti tabulas. Ergo obstat, quo minus quis fiat particeps legatorum in hoc testamento. Ad *majoris* declarationem facit l. Papinianus. 8. §. 14. meminisse. ff. de inofficioso testamento, l. quaesitum. 40. de adquir. haered. ubi is, qui *testamentum inofficiosum improbe dixit & non obtinuit, id quod in testamento accepit, perdit: neque enim debet fructum ex eo consequi, quod nisus est impugnare* c. ex eo. 38. de R. J. in 6. Pertinet etiam huc, quod *testamentum, quia individuum est, pro parte agnosci & pro parte repudiari non possit.* l. 7. jus nostrum. ff. de reg. juris l. 20. quidam. C. de jure de lib. Hotom. Cons. 9. n. 7. quodque *testamenti formae nihil detrahi nec addi possit*, secundum Tiraquell de utroque retract. part. I. §. 1. gl. 27. n. 11. & part. II. §. 4. gl. 6. n. 31.

4.) Quia testamenti integritas communionem sub utraque specie postulat.

§. XLI. *Quintum* argumentum: Quidquid adimit fidelibus firmam consolationem, quam petere debent ex usu sacramenti eucharistici, merito est improbandum. Mutilatio illa coenae adimit fidelibus laicis consolationem, quam petere possunt ac debent ex verbis Christi calici adjunctis: *Bibite ex hoc omnes, hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum;* quibus verbis filius Dei ostendit, fieri exhibitionem sanguinis sui in communione calicis, & hac exhibitione fieri obsignationem bonorum novi testamenti, unde Lutherus pulcherrima gradatione utitur. Mandatum Christi in sacra coena complectitur calicem: calix continet vinum: vinum exhibet Christi sanguinem: sanguis Christi complectitur nov. test. quia est nov. test. sanguis: nov. test. continet remissionem peccatorum: remissio peccatorum conjuncta est cum gratia Dei. Hanc summam consolationem mutilatio calicis adimit fidelibus. Ergo merito est improbanda. Eo respicit Chemnitius quando scribit, *dulcissimam consolationem sumi ex calice, qua necesse sit privari eos, qui sub una tantum specie communicant.* Excipit Bellarminus, *non dubium esse, quin in potu vini optimi valde dulciter palatum & gula oblectentur, sed catholicos non quaerere in sacramentis istam corporalem palati & gulae consolationem.* Resp. calumniola haec est detorsio, Bellarmini ingenio in-

5.) Quia communio sub una specie adimit fidelibus consolationem ex usu sacrae coenae petendam.

disjungit l. 53. de U. S. & l. pen. C. eod. Forster in tract. de pactis cap. 8. p. 24. Sic l. Si quis 38. § qui abortionis. 5. vers. *quod si eo mulier aut homo*, ubi per particulam *aut* mulier & homo separantur, nec tamen mulier homo esse negatur. Particula ἢ teste Suida triplicem vim habet 1.) διαζευκτικὴν in rebus oppositis & pugnantibus, 2.) ὑποδιαζευκτικὴν in disparatis & diversis; 3.) διασαφητικὴν in comparationibus aut aliis. Sic 1 Cor. VII. 13. *reconcilietur, aut maneat innupta.* Vide Budaeum in comment. de ling. graeca. p. 1171 Tarnovium Libr. III. de matr. cap. 9. GERHARDUS.

indigna. Nec Chemnitius nec quisquam noſtrum de corporali gulæ conſolatione in bibitione vini euchariſtici cogitat, ſed loquimur de communione ſacramentali ſanguinis Chriſti, quæ fit mediante vino benedicto in ſacra cœna. Ejusmodi fere calumnia eſt, qua delecti ad hanc rem theologi pontificii in libr. de comm. ſub una ſpecie Monachii anno 1565. edito ſcribunt: *Germanos jamdum apud exteras nationes ut bibendi avidos male audire, merito igitur a contentione de uſu calicis in ſacra cœna deſiſtere debere.* Scurriles iſtæ in re ſacratiſſima facetiæ animum profanum arguunt. Aliam igitur ſolutionem Bellarminus quærit, reſpondens, *Chriſti ſanguinem totum in ſpecie panis contineri, & ideo non privari laicos conſolatione ſpiritus, quae ex Domini ſanguine percipitur*, de qua *concomitantiae* hypotheſi ſuus erit dicendi locus.

Argumenta pro communione ſub utraque ſpecie ſecundaria.

§. XLII. Atque hæc ſunt præcipua ſententiæ noſtræ argumenta ex ſcripturis deducta; reliqua, quæ Bellarminus adducit, eademque infringere conatur, ſunt *ſecundaria*. Videamus tamen quid præſtet. I) Hebræi in deſerto biberunt aquam de petra, 1 Cor. X. 4. Ergo in deſerto hujus vitæ omnes debent bibere ſanguinem Domini. Illa enim in figura contigerunt illis. Bellarminus excipit, *non bibiſſe illos aquam de petra ſimul cum cibo ſpirituali, ſed diverſo loco & tempore, quare tam cibus ille quam potus ſignum fuit euchariſtiae ſub una ſpecie ſumendae.* Reſp. novimus ipſi, theologiam *ſymbolicam* ſive *allegoricam* non eſſe argumentativam, ut ſcholaſtici loquuntur, id eſt, non præbere firma & efficacia argumenta. Quia vero adverſarii communionem ſub una ſpecie ex figuris vet. teſt. probare nituntur, merito illis obvertimus, quod Paulus utraſque figuras cibi & potus conjungat, quando ad euchariſtiam eas adplicat, & ſic ſuo exemplo oſtendit, non diviſim ſed conjunctim vet. teſt. figuras ſumendas eſſe. Breviter, non ex figuris de inſtitutione Chriſti, ſed ex inſtitutione de figuris judicandum, qua de re in reſponſione ad argumenta adverſariorum plura erunt dicenda. II.) Finis hujus ſacramenti eſt, ut commemoremus mortem Chriſti. Sed non ſignificatur mors Chriſti integre per unam ſpeciem. Ergo debent utramque ſumere, qui volunt Chriſti mortem per hoc ſacramentum commemorare. Bellarminus excipit, *Chriſti mortem dupliciter in hoc ſacramento commemorari, uno modo per repraeſentationem & ſignificationem, altero modo per memoriam & narrationem. Priore modo commemorationem mortis Domini fieri non manducando & bibendo, ſed conſecrando & offerendo Deo euchariſtiam, ad quam repraeſentationem requiratur utraque ſpecies: poſteriore modo commemorationem fieri poſſe manducando & bibendo, interim non requiri, ut ſpecies utraque ſumatur, cum per conſecrationem & oblationem corpus repraeſentetur ut mortuum.* Reſp. hæc procedunt ex falſa hypotheſi, quod ſacra cœna ſit ſacrificium propitiatorium vere & proprie ſic dictum. Mortis dominicæ adnunciatio, quam apoſtolus requirit, conſiſtit in fideli ἀναμνήσει & gratiarum actione pro ſummo illo beneficio, quod Chriſtus corpus ſuum in mortem pro nobis tradiderit, & ſanguinem ſuum pro peccatis noſtris in ara crucis effuderit. Hæc commemoratio, ut ſit plena & perfecta, requirit, ut omnes, qui ſacra cœna utuntur, non ſolum panem benedictum edant, ſed & calicem euchariſticum bibant, ut de traditione corporis & effuſione ſanguinis admoneantur, inque fide confirmentur. III) Si poteſt tolli laicis pars euchariſtiæ: ergo & pars baptiſmi, vel pœnitentiæ. Excipit Bellarminus: *Si agatur de partibus eſſentialibus, nulla pars ſacramenti ullius tolli poteſt: non eſt autem pars eſſentialis ſpecies vini, ſed tantum materialis & integralis euchariſtiae. Si agatur de integralibus, plane tolli poteſt pars aliqua, etiam in aliis ſacramentis. Nam baptiſmus olim fiebat per immerſionem, nunc plerumque per adſperſionem, & certe multo minus abluit adſperſio, quam immerſio, imo trina immerſione aliquando utebantur*

1.) *Bibitio aquae ex petra profluentis.*

2.) *Mors Chriſti non ſignificatur integre per unam ſpeciem.*

3.) *Si poteſt tolli pars euchariſtiae, ergo & baptiſmi.*

tur fideles, aliquando una duntaxat. Resp. materia & forma sunt partes *essentiales*, testibus omnibus logicis. Ad *materiam* sacræ cœnæ pertinet res terrena & cœlestis. Res terrenæ in sacra cœna sunt symbola externa: panis & vinum; res cœlestes: corpus & sanguis Christi. *Forma* sacræ cœnæ consistit in actione, quæ complectitur externorum symbolorum benedictionem, benedictorum distributionem, distributorum acceptionem, hoc est, manducationem & bibitionem. Hæc ergo omnia sacræ cœnæ sunt essentialia. Proinde magna differentia est inter bibitionem calicis benedicti in sacra cœna, & inter immersionem in baptismo. Bibitio benedicti calicis est ipsa λῆψις, sed immersio pertinet ad modum λήψεως. Jam vero λῆψις in sacramentis est pars essentialis, modus autem λήψεως non est essentialis pars, sed pertinet ad externas circumstantias. Sic in sacra cœna vi institutionis divinæ necessarium est benedictum panem manducare, & benedictum vinum bibere; liberum vero est, an benedictus panis in manus detur communicantibus, ut ipsimet illum ori admoveant, an vero a ministro ecclesiæ ori ipsorum inseratur: idem judicium est de calice eucharistico. In sacramento baptismi vi institutionis divinæ necessarium est, aquam in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti adfundi, liberum vero est, an id adspersione vel immersione fiat. Invertimus igitur Bellarmini responsionem: λῆψις in baptismo est pars essentialis. Ergo etiam in sacra cœna. Jam vero λῆψις in sacra cœna & manducationem & bibitionem complectitur. Ergo utraque actio est pars essentialis & necessaria. Demus vero, bibitionem esse partem *integralem* eucharistiæ, consequens erit, sublata bibitione partem quandam integralem abesse, ac proinde eucharistiæ suam integritatem non amplius constare. IV.) Si potest tolli calix, ergo & panis; & ita poterunt laici privari penitus sacramento. Bellarminus excipit: *Potest tolli panis, si detur calix, utrumque autem simul tolli nequit, quia tenemur sacramentum eucharistiae percipere.* Resp. quare vero tenemur sacramentum eucharistiæ percipere? annon propter institutionem Christi & propter expressum mandatum institutioni additum: *Hoc facite?* Jam vero institutio Christi tam manducationem quam bibitionem requirit, & mandatum: *Hoc facite*, totam actionem sacramentalem respicit, quam negare in manducatione & bibitione simul consistere, est negare solem in meridie lucere. Quod Bellarminus addit, *posse* tolli laicis *panem, si calix detur*, in eo veritati & aliis Pontificiis & sibi ipsi repugnat. In hoc enim ipso cap. in resp. ad secund. rat. statuit, *cœnam constare non nisi ex una specie panis.* Id si verum est, diversa erit ratio inter manducationem panis & bibitionem vini in sacra cœna: illa erit eo modo necessaria omnibus communicantibus, ut tolli omnino nequeat, hæc vero non item. Vide autem hominum audaciam. Si Pontifici Romano, Deo suo terrestri, placuerit tollere laicis panem, & concedere tantum calicem, parati sunt etiam hanc mutationem propugnare. Sed quid fiet de institutione Christi? nimirum *mutato sensu ecclesiae, mutatur etiam sensus scripturae*, ut Cusanus de hoc ipso negotio tractans aperte scribit. V.) Datur laicis remissio peccatorum. Ergo non potest eis negari signum illius remissionis, signum autem calix est. Excipit Bellarminus, *argumentum contrario modo valeret. Datur signum remissionis. Ergo remissio negari non potest, quia alioquin signum esset falsum. At remissio cur non potest sine signo dari? praeterea signum remissionis proprie non est calix, sed baptismus & absolutio, calix enim signum est pretii, quo peccata remissa sunt, & Spiritus, quo animae nostrae reficiuntur.* Resp. argumentum nostrum integrum sic habet: Quodcunque ad confirmandam fidem de remissione peccatorum institutum est, illud laicis fidelibus denegari non debet. Jam vero bibitio sanguinis Christi in sacra cœna mediante benedicto vino ad confirmandam fidem de remissione peccatorum instituta est. Ergo bibitio sanguinis Christi in sacra cœna non debet laicis fidelibus denegari. Bellarminus negat, calicem esse signum remissionis peccatorum, & tamen addit,

4.) Si potest tolli calix, ergo & panis.

5.) Quibus datur remissio peccatorum, illis signum remissionis non debet negari.

esse signum pretii, quo peccata remissa sunt. At hoc est oppositum in adjecto. Si enim calix signum (signum non solum significans, sed & exhibens, seu, ut apostolus loquitur, *κοινωνία*, ita enim vocabulum *signi* hoc loco accipiendum est, nisi velimus nudum signum statuere) si, inquam, calix est signum pretii, quo remissa sunt peccata, utique bibitio calicis confirmat nos in fide gratuitæ remissionis propter Christum, qui in ara crucis sanguinem suum pro peccatis nostris effudit. Nec valet argumentum: Baptismus & absolutio sunt signum remissionis: ergo non calix eucharisticus; imo vero hic est generalis omnium sacramentorum finis, quod sint sigilla gratiæ & remissionis peccatorum, ut suo loco ostendimus. Ergo non baptismo tantum & absolutioni, sed etiam eucharistiæ hic finis competit. VI.) Datur laicis sanguis Domini. Ergo negari non debet symbolum illius sanguinis. Bellarminus excipit: *Si habent ipsum sanguinem, cur tantopere litigant pro signo? certe qui pecunias per schedulam missas jam accepit, non multum laborat de schedula.* Resp. compendiaria hæc est via integrum sacramentum tollendi laicis. Si enim per *fidem habent Christum in cordibus habitantem*, Eph. III. 17. cur tantopere litigant pro signis sive symbolis externis? Confunditur ergo bibitio sanguinis Christi *spiritualis* & *sacramentalis*. Spiritualis bibitio etiam extra mysterium cœnæ locum habet; sacramentalis autem non habet locum nisi mediante vini benedicti bibitione. Si Bellarminus obvertat, manducando benedictum panem laicos etiam sacramentaliter bibere Christi sanguinem, principium manifeste petit, & repugnat aphorismo apostolico: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi. Calix, cui benedicimus, est κοινωνία sanguinis Christi.* Simile de schedula inverti potest. Quemadmodum pecunia per schedulam obligationis promissa non nisi per ipsam schedulam accipitur; ita de sacramentali acceptione sanguinis Christi non possemus esse certi, nisi bibamus vinum eucharisticum, quo mediante sanguinis sui sacramentalem participationem Christus promisit. Quod Bellarminus addit, ideo negari symbolum, quia tutius datur res illa pretiosissima sub uno, quam sub duobus symbolis, de eo paulo post videbimus.

6.) Quibus datur sanguis Christi, illis symbolum sanguinis non est denegandum.

§. XLIII. Progredimur ad *alteram* & quidem *secundariam* classem argumentorum ex patrum testimoniis petitam. Ignatius epist. 6. ad Philadel. tom. I. orthodoxogr. pag. 33. *Obsecro vos, ut una fide, una prædicatione, una eucharistia utamini, una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, & unus est ipsius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus calix, qui pro omnibus nobis distributus; unus panis, qui pro omnibus fractus est; unum altare omni ecclesiæ.* (Bellarminus libr. IV. de euch. cap. 26. excipit: 1.) *In latinis codicibus legi, quod unus calix sit totius ecclesiæ, non autem, quod unus calix omnibus distributus.* Resp. hoc est deserto fonte confectari rivulos. Verba Ignatii manifesta in Græco: *εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διεμερίσθη.* Et si laici removentur ab usu benedicti vini, quomodo unus totius Ecclesiæ calix? Excipit vero Bellarminus 2.) *Ignatium vim facere in unitate calicis, non in universalitate bibentium: hoc sensu, cum aliqui sumunt sub specie vini, unus calix omnibus illis distribuitur, non multi.* Resp. imo vero ut omnibus unum panem frangi, ita quoque unum calicem omnibus distribui adserit, jam vero prius membrum non solum unitatem panis, sed etiam universalitatem manducantium exprimit. Ergo & posterius non solum de unitate calicis, sed etiam de universalitate bibentium est accipiendum. 3.) excipit: *Nihil aliud ex eo elici posse, quam fuisse usum illo tempore, cum pauci essent christiani, ut omnibus daretur potus calicis.* Resp. sufficit nobis, quod patres institutionem Christi hoc modo intellexerint, populo christiano non solum panem benedictum, sed etiam benedictum calicem in eucharistia esse dandum: quodque in flore illo ecclesiæ utraque species usitata fuerit. (Quod enim Latomus adversus Bucerum scribit,

Testimonia patrum pro adstruenda communicatione sub utraque specie. Ignatii.

cum

cum ecclesia adhuc rudis esset, ritum a Christo traditum religiose tenuisse, donec docta a patribus intellexerit, utramque speciem solis sacerdotibus convenire, laicos autem solo pane contentos esse posse, referente Osiandro in analysi Valentiniana p. 28. illud merito a cordatis christianis explodituv.) Dionysius, quem Areopagitam esse volunt, libr. eccles. hierarch. c. 3. *pane, qui opertus erat & integer, aperto & in multas partes fracto, & unico calice diviso inter omnes, quod unum est, signis multiplicat.* (Pontifex) Clemens libr. VIII. constit. c. 61. *Postquam oblatum fuerit, accipiant singuli per se ordine dominicum corpus & pretiosum sanguinem gradatim cum pudore ac timore.* Justinus apol. II. pro christian. circa finem p. 76. *Ubi praesidens (ὁ προεστὼς) preces & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnis fausta adprobatione exclamat, dicens: Amen! Praesidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus adprobatione laeta eam comprobavit, qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos adpellatur eucharistia.* Postea subjungit p. 77. *Nam apostoli in commentariis a se scriptis, quae evangelia nuncupantur, ita tradiderunt, praecepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto cum gratias egisset, dixisse:* Hoc facite in mei recordationem; Hoc est corpus meum. *Et poculo similiter accepto & gratiis actis dixisse:* Hoc est sanguis meus, *ac solis ipsis ea tradidisse.* Et paulo post: *Distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiae actae sunt, cuique praesenti ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται.* (Bellarminus excipit, *verba illa Justini, ubi commemoratur Christi praeceptum, non pertinere ad communionem, sed ad consecrationem.* Resp. imo vero ad totam actionem sacramentalem a Christo praescriptam pertinent, ut contextus evidenter ostendit. Describit enim totum ritum in primitiva ecclesia usitatum, qui non solum consecrationem, sed etiam communionem requirit.) Idem in dial. cum Tryphone exponens locum Esaiæ: *Dabitur illi panis, & ejus aquae erunt fideles; In hoc* (inquit) *vaticinio de pane agitur, quem Christus nobis tradidit in commemorationem corporationis suae propter credentes in eum, quorum causa patibilis est factus: & de poculo, quod in recordationem sanguinis sui tradidit gratias agentibus: quae verba ut & textus propheticus non nisi de fideli populo exponi possunt.* Irenæus panis & calicis usum in descriptione eucharistiæ conjungit ubique libr. IV. c. 34. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quae a corpore Domini & sanguine alitur?* Libr. V. cap. 4. *Vani omnimodo, qui resurrectionem carnis spernunt, secundum haec enim nec Dominus suo sanguine redemit, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est &c.* Tertullianus libr. II. ad uxorem p. 616. loquens de muliere fideli nupta marito infideli: *De cujus manu desiderabit,* (panem sacramentalem) *de cujus poculo participabit?* (vinum sacramentale) Libr. de resur. p. 52. *caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Bellarminus repetit communem solutionem, sanguinem vere sumere, qui sub una specie communicant, & notat, *Tertullianum dixisse, nos sanguine vesci, non autem bibere sanguinem, vescimur autem sanguine, cum eum sumimus per modum cibi sub una specie panis.* Resp. sanguine christianos vesci Tertullianus pronunciat, non quod sub specie panis sanguinem Christi sacramentaliter nobis distribui statuat, hoc enim concomitantiæ somnium ipsi ignotum fuit, qui semper panem & calicem in eucharistia conjungit: sed vocabulum *vescendi* generaliter ponit pro *accipere, sumere, participare.* Libr. de jejuniis c. 5. *active* dicit vescere: *ἀπυρολογίας & ἀρχαϊσμὸς* com-

Dionysii Areopagitæ.

Clementis Romani.

Justini.

Irenæi.

Tertulliani.

plures in scriptis Tertulliani occurrere notissimum est.) Origenes homil. XVI. in Num. XXIII. circa finem tom. 1. p. 236. *Dicant nobis, quis est iste populus, qui in usu habet sanguinem bibere? Haec erant, quae & in evangelio audientes ii, qui ex Judaeis Dominum sequebantur, scandalizati sunt & dixerunt: quis potest manducare carnem & bibere sanguinem? sed populus christianus, populus fidelis audit haec & amplectitur & sequitur eum, qui dicit:* nisi manducaveritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed etiam cum sermones ejus recipimus.* Et postea: *Tu ergo verus es populus Israël,* (adloquitur auditores) *qui scis sanguinem bibere, & nosti carnem verbi comedere & sanguinem bibere, & uvae sanguinem illius, quae est ex vera vite.* (Bellarminus excipit, 1.) *esse hoc in usu, non in praecepto.* Resp. imo vero in usu & in praecepto: quia usus ille nititur Christi institutione, de quo evidens Cypriani dictum paulo post in medium adferemus. 2.) *Ad hunc usum satis esse, si aliqui in populo id faciant.* Resp. Origenes de toto populo christiano loquitur, non de solis sacerdotibus, quod in usu eis sit sanguinem bibere. Explicat ibidem vaticinium: *Non dormiet, donec comedat praedam, & sanguinem vulneratorum bibat:* id vero ad totum populum christianum & fidelem adcommodat, quod Christi sanguinem in sacramento bibat, ac doctrinam Christi & apostolorum, in qua est vita, sicut anima in sanguine, fideli corde recipiat.) Idem homil. V. in diverf. tom. 2. p. 441. *Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae panem & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Cyprianus libr. I. epist. 2. in princ. *Nunc non infirmis sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut, quos excitamus & hortamur ad praelium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quod tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicae futuritatis armemus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos, in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?* Ubi probe notandum, quod jure communicationis populo christiano poculum Domini debeatur. (Bellarminus excipit, 1.) *colligi ex hac epistola, quod jus laicorum ad communicandum a sacerdotibus detur, & a sacerdotibus tollatur, cum Cyprianus Cornelium episcopum Romanum hortetur, ut lapsis imminente nova persecutione restituatur jus communicandi, si ad poenitentiam redierint.* Ex eo colligit ulterius: *sicut possunt praelati ob crimina tollere jus communicandi, ita possunt ob alias justas causas disponere & ordinare de modo communicandi sub una specie vel altera.* Resp. sacerdotes non solum possunt, sed etiam debent impoenitentes a sacra communione prohibere propter mandatum Christi, Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas projicere porcis.* Sed poenitentibus & fidelibus christianis nec totum sacramentum, nec partem sacramenti auferre possunt vel debent, siquidem non domini, sed *dispensatores* sunt *mysteriorum divinorum.* 1 Cor. IV. 1. Invertimus igitur argumentum: Sicut non licet sacerdotibus auferre laicis integrum sacramentum nisi ob crimina: ita quoque non licebit partem sacramenti auferre laicis nisi ob crimina: siquidem cui competit totum & integrum sacramentum, ei etiam partes ejusdem competunt. Cap. comperimus. dist. 2. de consec. *Divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quae vero crimina populus christianus commisit, propter quae usus calicis eucharistici ipsi denegatus? 2.) *Si tempore Cypriani habuissent laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis. Ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta, & lex praeterea in generalibus conciliis*

Origenis.

Cypriani.

cilliis promulgata, non habent amplius jus illud laici. Resp. jus illud non habent ex consuetudine, sed ex Christi institutione. Notum est, quid Cyprianus de consuetudine statuat, libr. II. epist. 3. p. 56. *Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.* Libr. de bapt. haeret. ad Jubajanum p. 326. *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius a Spiritu sancto revelatum.* Epist. ad Pompejum non longe a principio p. 333. *Quae est ista obstinatio, quae praesumtio humanam traditionem divinae dispositioni anteponere, nec animadvertere indignari & irasci Deum, quoties divina praecepta solvit & praeterit humana traditio* p. 335. *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.* Qui consuetudini tantum derogat, quomodo jus communicationis ex consuetudine, non autem ex Christi institutione potius arcesseret? patebit hoc manifestius ex sequentibus.) Idem libr. II. epist. 3. in princ. p. 51. *Quamquam sciam, frater carissime, episcopos plurimos, ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione praepositos, evangelicae veritatis ac dominicae traditionis tenere rationem, nec ab eo, quod Christus magister & praecepit & gessit, humana & novella institutione decedere, tamen quoniam quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice dominico sanctificando & plebi ministrando non hoc faciunt, quod Jesus Christus Dominus & Deus noster sacrificii hujus auctor & doctor fecit & docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi, de hoc ad te litteras facere, ut si quis in isto errore adhuc teneatur, veritatis luce perspecta ad radicem & originem traditionis dominicae revertatur.* Pag. 54. *Si & a Domino praecipitur, & ab apostolo hoc idem confirmatur & traditur, ut quotiescunque biberimus, in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit & Dominus, invenimur non observari a nobis, quod mandatum est, nisi eadem, quae Dominus fecit, nos quoque faciamus. &c.* Pag. 56. *Si nec minima de mandatis Dei licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia ad ipsum dominicae passionis & nostrae redemtionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud, quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare.* (Bellarminus excipit, *Cyprianum non agere hoc loco, an oporteat calicem Domini populo praebere, an non, sed tantum, ut si ministretur, ex vino misto, non ex aqua sola constet.* Resp. bene est, disputat sanctus martyr contra aquarios, quibus opponit institutionem divinam. Argumentum illud tertium sive *medium terminum* etiam nos opponimus pontificiis, usum calicis plane denegantibus populo christiano. Regerit Bellarminus, *illos, qui dant solam aquam, corrumpere sacramentum Christi, quia mutant materiam, & populum decipiunt, cui pro sanguine Domini meram aquam tribuunt, & pugnant cum Domini praecepto:* Hoc facite. *At praebere populo eucharistiam sub una specie, nullum sacrilegium, nullam fraudem, nullius praecepti praevaricationem continet.* Resp. imo vero qui calicis usum denegant laicis, a.) partem *materialem* plane tollunt, quod mutatione gravius, b.) poculum ablutionis, hoc est, vinum non consecratum loco calicis eucharistici populo praebent, sicque eum deludunt, c.) agunt contra Christi praeceptum: *Bibite; Hoc facite,* ut superius demonstratum fuit.) Idem libr. IV. epist. 6. in num. est epist. 56. non longe a princ. *Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta & virtute robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Idem, vel quicunque alius auctor, serm. de coena p. 451. *Nova est hujus sacramenti doctrina, & scholae evangelicae hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primum haec mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem christiani, cujus usum legis antiquae auctoritas districtissime interdicit. Lex quippe usum sanguinis prohibet, evangelium praecipit, ut bibatur. &c. Bibimus autem de sanguine Christi, ipso jubente, vitae aeternae cum ipso & per ipsum participes.* (Bel-

larminus excipit, *Cyprianum non hoc dicere, quod evangelium praecipiat, ut ab omnibus bibatur, sed tantum ut bibatur: neque ipsum vim facere in bibendo sanguinem, sed tantum in sumendo, eum vero sumi sub specie panis.* Resp. p. 453. subjungitur: *Nec solos sacerdotes ad panes hujus dignitatis Leviticae praerogativa admittit, universa ecclesia ad has epulas invitatur, aequa omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non dimembratur.* Loquitur ergo de communione totius ecclesiae, ad quam etiam laici pertinent. Pag. 452. *Bibimus de Christi sanguine ipso jubente*, quod probe notandum.) Idem serm. V. de lapsis p. 226. refert historiam de puella cibis idololatricis adhibita: *Haec*, inquit, *mixta cum sanctis; precis nostrae & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis aestu caepit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus impletis calicem diaconus offerre praesentibus caepit, & accipientibus caeteris certus locus ejus advenit; faciem suam parvula instinctu divinae majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit, &c.* Recte ergo Biel lect. 84. in Can. lit. R. agnoscit, communionem sub utraque tempore Cypriani in ecclesia fuisse usitatam. *Loquitur ille sanctus* (inquit) *juxta morem suae ecclesiae, in qua ipse praesedit, in qua forte tempore suo particulariter viguit communio sub utraque specie, quam sub nomine calicis & sanguinis expressit, quia sub illa specie fit manifestior repraesentatio effusionis sanguinis Christi, ex cujus memoria animatur homo ad martyrium.* Idem agnoscit Eccius homil. XXXIII. de sumtione Eucharistiae. Athanasius apol. II. cont. Arianos tom. 1. p. 569. *Athanasii.* *Mysticum poculum, quod impium eum reddit, qui id ultro frangit, nusquam nisi apud legitimos ecclesiae praesules invenias. Hic enim unus usus est calicis, & praeter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo, eumque vos a canone ecclesiastico accepistis, idemque duntaxat penes eos habetur, qui ecclesiis praesunt.* Cyrillus Hierosol. catech. myst. IV. ad catechum. *Cyrilli Hierosolymitani.* *Cum omni certitudine sanguinem Christi bibamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.* Idem myst. V. *Post communionem corporis Christi accede & ad calicem illius.* Basilius libr. I. de bapt. cap. 3. *Basilii.* *Si is, qui fratrem propter cibum offendit, a caritate excidit, quidnam dixerit quis de eo, qui otiose & inutiliter audet edere & corpus & bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi?* Idem in moralibus sub finem: *Quid est proprium christiani? ut mundetur ab omni inquinamento carnis & Spiritus &c. atque ita edat & bibat corpus & sanguinem Christi.* Gregorius Nazianzenus orat. II. de pasch. *Gregorii Nazianzeni.* *Submoto omni pudore ac dubitatione corpus ede, ac sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris.* Idem orat. in bapt. *Reverere mysticam mensam, ad quam accessisti, panem, quem participasti, poculum, cui communicasti. &c.* Ambrosius libr. de init. myst. c. 9. *Ambrosii.* *Illis aqua fluxit ex petra, tibi sanguis e Christo.* Libr. V. de sacram. c. 3. ad populum de coena loquens: *Manducavi panem meum cum melle meo. Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit. Bibi vinum meum cum lacte meo. Vide hujusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescunque enim bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris in Spiritu.* In 1 Cor. XI. *Testamentum sanguine constitutum est, quia beneficii divini sanguis testis est, in cujus typum nos calicem mysticum sanguinis ad fruitionem corporis & animae nostrae percipimus.* Ibidem: *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando carnem & sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, significamus nov. test. in his consecuti, quod est nova lex.* Idem ad Theodosium imper. teste Theodoreto libr. V. hist. eccl. c. 18. dixit: *Qua audacia poculum sanguinis pretiosi ore tuo participabis?* (Bellarminus excipit, *haec nihil ad rem faciunt, fate-*

fatemur enim, datam aliquando utramque speciem laicis, sed negamus, id jure divino mandatum. Resp. sufficit nobis tot seculorum decursu utramque speciem usitatam, ac Christi institutionem tam religiose observatam fuisse.)

Hieronymi. Hieronymus in cap. III. Sophon. tom. VI. p. 221. *Sacerdotes, qui eucharistiam conficiunt, & sanguinem Domini populo dividunt.* In 1 Cor. XI. *Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis, qui aderant, aequaliter tradidit sacramenta.* Chrysostomus

Chrysostomi. hom. XVIII. in 2 Cor. *Est autem ubi nihil differt sacerdos ab iis, quibus praeest, veluti cum tremenda mysteria percipienda sunt: aeque enim omnes ad ea admittuntur, non quemadmodum in lege veteri alia sacerdos, alia subditus edebat, nec plebi fas erat iis vesci, quibus sacerdos vescebatur. Nunc enim secus se res habet, omnibus siquidem unum corpus, unum poculum proponitur.* (Bellarminus excipit, *Chrysostomum vim facere in re, non in speciebus vel modo sumendi.* Resp. quomodo omnibus unum poculum proponitur, si laicis poculum eucharisticum denegatur? quomodo in mysteriis participandis nulla est inter sacerdotem & eos, quibus praest, differentia, si sacerdos solus habet potestatem ex calice benedicto bibendi? Gerson inter causas recusati populo calicis hanc ipsam ponit, *ne quis in falsam credulitatem inducatur, quod tanta sit dignitas laicorum circa sumtionem corporis Christi, sicut & sacerdotum,* in tract. de com. laic.) Idem hom. XXIII. in 1 Cor. *Quomodo tu comedis corpus Domini, sic illi manna; & quomodo tu bibis sanguinem, sic illi aquam ex petra. Qui enim illis illa praebuit, is hanc mensam construxit, & idem illos quoque per mare, & te duxit per baptismum, & illis manna & aquam, & tibi corpus praebuit & sanguinem.* Homil. de euchar. tom. V. p. 919. *Reputate salutarem sanguinem quasi e divino & impolluto latere effluere, & ita adproximantes labiis puris accipite.* Gelasius Cyzicenus in actis conc.

Gelasii Cyzicen. Nic. *Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum poculum & panem, sed attollentes mentes fide intelligamus, sitim in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi sine sacrificio (ἀθύτως) a sacerdotibus immolatum & pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes credere haec esse nostrae resurrectionis symbola &c.* Augustinus libr. III. qq. in Levit. q. 57. *A*

Augustini. *sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam.* (Bellarminus excipit, *Augustinum vim facere non in modo bibendi, sed in ipsa sanguinis sumtione.* Resp. bene est, addimus autem, sanguinem Christi sacramentaliter non sumi, nisi mediante benedicto vino.) Libr. XX. contra Faustum c. 18. *Unde jam christiani peracti hujus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis & sanguinis Christi.* In dial. ad Oros. q. 65. *Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo universa ecclesia accepto dicit Amen. Nam qualem clamorem faciet universa ecclesia, dum potatur sanguine Christi, & dicit: Amen. Ipse, si potes, considera.* Serm. fer. II. pasch. ad Neoph. *Vos post illa jejunia, post labores, post humilitatem & contritionem in nomine Christi jam tanquam ad Christi calicem veniistis, & ibi vos estis in mensa & in calice nobiscum vos estis. Simul enim hoc sumimus, hoc bibimus, quia simul vivimus.* (Bellarminus excipit, *non sequi negativam: non bibimus simul; ergo non simul vivimus: possumus enim simul vivere comedendo.* Resp. nititur haec exceptio hypothesi *concomitantiae*, de qua suo loco.) In libr. sent. Prosper. & habetur c. cum frangitur. dist. 2. de consecr. *Dum frangitur hostia, dum calix in ora fidelium funditur, quid aliud, quam dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?* Gelasius,

Gelasii Romani. cujus verba citantur c. comperimus. dist. 2. de consecr. *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris obstinent, qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut sacra-*

sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius & ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. (Bellarminus duas adfert solutiones: 1.) *quod loquatur Gelasius de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui nullo modo debent unam speciem sine altera sumere.* Resp. nullo teste probari potest, sacerdotes tum temporis utramque speciem quidem consecrasse, alteram tamen tantummodo sumsisse. Si enim utramque consecrabant, quid fiebat de altera? ubi inventi sunt consecrantes, qui non sumant utramque speciem? Praeterea verba illa: *aut ab integris arceantur*, evidenter respiciunt sumentes, non autem distribuentes: sic enim in hoc ipso cap. 26. resp. ad dicta Cypriani Bellarminus loquitur: *Jus laicorum ad communicandum a sacerdotibus datur, & a sacerdotibus tollitur.* Adde, quod canon transgressoribus poenam excommunicationis imponit. At clerici peccantes solent ab ordine deponi. Recte ergo Lindanus libr. IV. panopl. evang. cap. 56. pag. 340. fatetur, *etiam ad laicos hunc canonem pertinere* (*). Idem statuit Petrus a Soto in instit. Dillingae praelecta & impressa. *Donemus illis*, inquit, *fuisse usum utriusque speciei, quod testimonium illud Gelasii papae confirmat.* Idem agnoscit Cassander de comm. sub utraque specie, fol. 15. *Quanquam antiquissimae, quas manuscriptas vidi, in eundem canonem glossae eum de conficientibus intelligunt, tamen eum sui adhuc temporis morem fuisse manifeste declarant, ut extra necessitatem laici haud secus atque sacerdotes integra sacramenta perciperent. Ita enim glossa habet ad illud, aut integra, id est, integre, sub utraque enim specie Christus integer sumitur, & hoc intelligo de conficiente, nam infirmus vel sanus sine vino in necessitate corpus sumere potest.* Postea Cassander errorem illum glossatorum corrigit: *Qui ad solos conficientes Gratianum vel ejus simulatores & glossatores secuti hunc canonem referebant, ab aliis eruditione praestantibus, qui temporum circumstantias & dictorum causas diligentius observarunt, aperte refelluntur.* Hier. Schurffius, jurisconsultus celebris, cent. I. cons. 51. aliquot rationibus contra glossatorem probat, canonem illum de laicis accipiendum esse: 1.) quia tunc durabat consuetudo utendi integro sacramento. 2.) Cum textus dicat, *arceantur*, loquitur de laicis, ut arcerentur per ministros porrigentes. 3.) Communis est theoria doctorum, quod rubricae non sint authenticae, cum non sint factae ab habente potestatem condendae legis. 4.) Istud rubrum est expresse contra rationem adsignatam in nigro, quae dicit, quod divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non possit provenire. Quae ratio non minus in laico dividente, quam sacerdote militat. Si ergo una & eadem ratio expressa in dicta constitutione militat in utroque; Ergo idem utrobique jus statuendum juribus vulgatis. 5.) Dictum rubrum est contra textum Matthaei, Marci, Lucae &c. Aliam solutionem quaerit Bellarminus dicens: 2.) *Gelasium reprehendere illos duntaxat, qui ex errore Manichaeorum a calice abstinebant, quales erant tum Manichaei, tum Priscillianistae* (**). Resp. haec solutio evertit priorem. Sic enim canon loquitur de Manichaeis; ergo non

(*) Idem agnoscit CAESAR BARONIUS, pater purpuratus, eosque, qui textum GELASII de *sacerdotibus* unice accipiunt, hisce verbis exsibilat: *quibus* (novatoribus) *nostri, qui repugnant, Gelasium de sacerdote sacrificante dixisse, interpretantur; at revera nulla ibi de sacerdote sacrificante mentio habetur, ut plane, quod generaliter dictum adparet, ad sacerdotes minime restringi debere, satis intelligi possit. Reiicimus igitur frigidam eiusmodi, qua haud indigemus, solutionem.* Vid. eius *annal. eccles. ad ann. CCCCXCVI, num. 29.*

(*) Eandem solutionem adoptarunt quoque BARONIUS & IO. BONA, ambo ecclesiae Romanae cardinales, *ille* quidem *loco* in praecedenti nota *excitato*; *hic* vero *rerum liturg. libr. II. cap. XVIII. §. I. oper.* iunctim editor. *p. 595.* ubi inter alia observat, *Manichaeos* credidisse, vinum esse fel principis tenebrarum & a diabolo creatum, adeoque eius haustum respuentes divina mysteria mutilasse; unde iis haec lex Gelasii fuerit opposita. Ast frivolum est hoc dicere. Nam 1) GELASIUS nullam prorsus *Manichaeorum* heic iniicit mentionem, sed, ut recte

non de solis sacerdotibus. Superstitio dicitur, non hæresis, cui hic canon oppositus est. Ergo non de Manichæis hæreticis, sed de superstitiosis christianis loquitur. Præterea verba canonis generalia sunt, eum non recipere integrum sacramentum, qui unam tantum speciem sumit; aut sacramenta integra percipienda, aut ab integris abstinendum, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non possit provenire.) Gregorius libr. IV. dial. c. 58. *Ejus ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam manibus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Homil. de pasch. *Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* In Psalm. pœnit. *pretiosi sanguinis effusione genus humanum redemit, & sacrosanctum vivifici sui corporis & sanguinis mysterium membris suis tribuit, cujus participatione corpus suum, quod est ecclesia, pascitur & potatur, abluitur & sanctificatur.* Liber sacramentorum Gregorii: *Dum dominicum corpus sacerdos dat, dicat: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam aeternam, amen! Accipiens dicat: panem cœlestem accipiam, & nomen Domini vocabo. Item sacerdos calicem dando dicat: sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te ad vitam aeternam, amen! Accipiens dicat: calicem salutaris accipiam &c.* Isidorus libr. II. de div. offic. c. 15. *Quarta post haec* (oratio) *infertur pro osculo pacis, ut caritate omnes reconciliati, invicem digne sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur.* Beda in hom. hyem. de sanct. p. 446. *Lavat nos Christus a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis ejus ineffabilis Spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur, sed fidelium ore suam sumitur ad salutem.* (Bellarminus excipit, *sanctos illos patres dicere, quod sumatur Christi sanguis ore corporis, nequaquam vero dicere, quod bibi debeat ore corporis, aut sub specie vini sumi.* Resp. recurrit *concomitantiae* hypothesis, quæ Bellarmini in hoc doctrinæ capite prora & puppis. Sanguinem Christi in ora fidelium *fundi* dicunt, id quod non potest de manducatione sanguinis sub specie panis intelligi.) Idem in Joh. XXII. *Si in octavi diei circumcisione baptisma, quod in mysterium divinae resurrectionis a peccatorum nos morte redemit, intelligis &c. fideles quoque de baptisterio ad altare sanctum ingredi, ac dominici corporis & sanguinis victima singulari debere consecrare.* Homil. de muliere forti: *Panem quoque otiosa non comedit, cum sacrificium dominici corporis percipiens studet imitari actu, quod mysterio celebrat, multum sollicita, ne indigne panem Domini comedendo & calicem bibendo judicium sibi manducet & bibat.* Carolus magnus libr. III. de imag. c. 6. *Fit per Spiritum sanctum, per quem remittuntur peccata, sive sanguinem Christi, qui a nobis in sacramento sumitur, & pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.* Libr. IV. c. 14. *Corporis*

Gregorii Magni.

Bedæ.

Caroli magni.

Isidori.

recte monet *Gerhardus*, verbis utitur generalibus, ostenditque, sacramentum eucharistiæ sine grandi sacrilegio & violatione primæ institutionis dividi haud posse; 2) Ratio, quam heic urget GELASIUS, tam amplum habet ambitum, ut non tantum eos refellat, qui a vino sponte abstinent, sed & contra eos strin-

gat, qui laicis vinum denegant, cum & hi *divisionem unius eiusdemque mysterii* inducant, & ex sententia GELASII *sacrilegium* committant, ut recte observat ill. BOEHMERUS in *iure ecclesiast. protest. tom. III. libr. III. tit. XLI. §. XXVI. p. 735.*

poris & sanguinis mysterium quotidie a fidelibus sumitur in sacramento. Haymo

Haymonis. 1 Cor. X. *Adpellatur & ipse calix communicatio, quasi participatio, quia omnes communicant ex illo, partemque sumunt ex sanguine Domini, quem continet in se.* Idem in Apoc. *In ecclesia quotidie fideles comedunt Christi corpus &*

Theophylacti. *sanguinem bibunt.* Theophylactus in 1 Cor. XI. *Tremendus calix Domini cunctis pari conditione traditus est.* (Bellarminus excipit, *Theophylactum loqui de eo tempore, quo scripta est epistola ad Corinthios.* Resp. demus hoc, sed si calix Domini cunctis pari conditione a Christo traditus, cur denegant eum laicis contra Christi institutionem?) Idem in cap. XIX. Joh. *Quando accedes ad poculum communionis sanguinis Christi, sic te compara quasi ex latere ipsius bibiturus.*

Paschasii. Paschasius libr. de corp. & sang. Dom. cap. 15. *Ideo hic solus est, qui frangit hunc panem & permanens ministrorum distribuit credentibus, dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes tam ministri, quam & reliqui credentes. Hic est enim calix sanguinis mei novi & aeterni Testamenti.* (Bellarminus *primo* suspicatur, *locum esse corruptum.* Deinde monet, *Paschasium non exponere verba Domini, ut sunt apud Matthaeum:* Bibite ex hoc omnes, *sed ut videntur dici a Christo, dum in ecclesia distribuitur sacramentum.* Tandem addit: *verba Paschasii significare, quod bibendus sit Domini sanguis, sed in specie panis, non in specie vini.* At quid tam perspicue dictum est vel dici potest, quod his artificiis non possit eludi? Verba Paschasii sunt manifesta, quod non ad ministros solos, sed ad omnes credentes usus calicis pertineat, id quod *aetiologia* addita, manifeste comprobat.) Remigii calici inscripti erant hi versiculi: *Remigii.*

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto aeternus quem fudit vulnere Christus,
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Rupertus libr. II. de div. offic. c. 9. *Panem & vinum sacerdos in ora fidelium distribuit.* Bernhardus serm. de coena Dom. *Christus pridie quam pateretur, discipulis hujus sacramenti formam praescripsit, efficaciam exhibuit, id est, fieri praecepit; formae praescriptio in pane & vino.* &c. Serm. III. in ram. palm. *Alimoniam corporis & sanguinis Domini in prima coena Domini exhibitam & deinceps frequentari mandatam* dicit (*). Bellarminus excipit, *sub specie*

Ruperti.

Bernhardi.

(*) Iis veterum testimoniis, quae hactenus magno numero in medium adduxit GERHARDUS, complura alia adiungi heic possent, ex quibus duo duntaxat heic subiungemus. *Primum* est LEONIS cognomine magni, qui seculo post Christum natum quinto ecclesiae Romanae praefuit. Is enim contra eos, qui suo iam tempore, spreto poculo eucharistico, *sanguinem redemtionis nostrae haurire* declinabant, sequentem in modum declamat: *Ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostrae hac vice omnino declinant. Quod ideo vestrum volumus scire sanctitatem, ut nobis eiusmodi homines & in his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Vid. eiusdem *serm. XLI. cap. V. fol. 106.* edit. Quesnellianae. Alterum testimonium est COGITOSI, qui in *vita* S. BRIGIDAE ab HENR. CANISIO edita inter alia & hoc adnotavit, ostium fuisse in sinistra parte parietis ecclesiae, per quod abbatissa duntaxat cum suis puellis & viduis fidelibus intraverit, ut CONVIVIO CORPORIS & SANGUINIS JESU CHRISTI fruerentur. Exstat hicce locus *tom. I. thesauri monumentorum ecclesiast. & histor.* a IAC. BASNAGIO editi, *fol. 423.* Colligi exinde potest, isto adhuc tempore, seculo nimirum sexto, quo ineunte *Brigida* vixisse dicitur, fideles virgines & viduas sub utraque specie sacram eucharistiam accepisse.

Generatim notandum, consuetudinem, utrumque eucharistiae symbolum sumendi, non tantum in ecclesia orientali ad hunc usque diem fuisse retentam, sed in ipsa quoque ecclesia Latina & Gallicana, diutissime observatam. Luculenter hoc comprobari potest ex annalibus

specie panis integram esse alimoniam corporis & sanguinis Domini. Resp. apostolus panem benedictum vocat *κοινωνίαν* sanguinis Christi 1 Cor. X. 16. Qui ergo sacramentalem sanguinis Christi communicationem desiderat, eum e calice benedicto juxta Christi institutionem bibere, necesse est. Ecclesiæ Græcæ (*), Russicæ, Syriacæ, Armeniæ, Abyssinæ (**) &c. usum utriusque speciei adhuc hodie retinent, ut testantur liturgiæ a Cassandro editæ (***). Jeremias patriarcha Constantinop. resp. I. ad theologos Würtemberg. ann. *MDLXXVI.* data φᾶτε οὖν, ὅτι μεταλαμβάνειν δεῖ καὶ ἀμφοτέρων τῶν εἰδῶν, καὶ καλῶς λέγετε, οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐκτελοῦμεν τῶν φρικτῶν μεταλαμβάνοντες μυστηρίαν (*). Liturgia Armenorum (**) secundum Andream a Lubeszyck. *Communicans*

Ecclesiarum Græcarum.

K 2

vetustisque, quæ hodienum prostant, monumentis. Memoratu cumprimis dignum est exemplum, quod in GREGORII *Turonensis*, scriptoris seculi sexti, *libro de gloria martyrum & confessorum cap. XLV.* legitur. Ibi enim narratur, subdiaconum nequam vinum bonum reservasse gulæ, & acetum vehementissimum obtulisse in calice. Celebratis missis accessisse mulierem ad poculum eucharisticum, *quæ*, ut scribit GREGORIUS, *tam fervens acetum ex calice hausit, ut putaret, sibi dentes excuti.* Recitat hæc verba IO. MABILLONIUS, monachus Benedictinus, in *liturgia Gallicana libr. I. cap. VI. p. 59.* atque mox subiungit: *En communio etiam sub altera specie.* Adiungimus aliud testimonium ex missali Gothico-Gallicano, quod JOSEPHUS MARIA THOMASIUS, ecclesiæ Romanæ cardinalis isque doctissimus, atque laudatissimus MABILLONIUS luci publicæ exposuere, desumtum. Ibidem enim, & quidem in ordine missæ, in natali Domini celebrandæ, post communionem hæc precandi formula exhibetur: *Cibo cœlesti saginati, &* POCULO ÆTERNI CALICIS *recreati, fratres charissimi, Domino Deo nostro laudes & gratias indesinenter agamus.* Vid. MABILLONIUM *libr. III. liturg. Gall. pag. 193. & p. 190. in vigilia natalis Domini.* Prodiit hicce liber Lutetiæ Parisiorum ann. *MDCLXXXV. 4.*

(*) Quod ecclesiæ Græcæ, omnesque orientales, cuiuscunque ætatis, nunquam aliter, quam sub utraque specie eucharistiæ sacramentum recipiant, ex ABRAHAMO ECHELLENSI aliisque scriptoribus ipse JO. BONA, ecclesiæ Romanæ cardinalis, luculenter comprobat, *rerum liturg. libr. II. cap. XVIII. §. XI.*

(**) Habessini consuetudini, sacram cœnam integre distribuendi & sumendi, in hunc usque diem tam tenaciter adhærent, ut Jesuitas ex omnibus suis ditionibus non aliam ob caussam expulerint, quam propter calicem populo subtractum. Patet hoc ex litteris inter ALPHONSUM MENDEZ, Habessiniæ patriarcham, præsulis Romani auctoritate constitutum, & BASILIDEM, Habessiniæ regem commutatis, atque a BALTHASARE TELLEZ sermone Lusitanico editis, quas latine conversas exhibet JOBUS LUDOLPHUS in *commentario ad historiam Æthiopicam fol. 532.*

(***) Conferri heic meretur *collectio liturgiarum orientalium*, ab EUSEBIO RENAUDOTIO, theologo Parisiensi, luci publicæ exposita, *tom. I. p. 24. & tom. II. p. 42.*

Ritus, quos Græci in administratione eucharistiæ adhibent, sic describit Budowicius, consiliarius cæsareus, in circulo lunari ac solari p. 202. *Accepto pane hordeaceo medium panis exscindunt, & accepto calice comminutum panem in eum injiciunt super infuso vino, & ita post consecrationem & multiplices ceremonias cochleari communicantibus distribuunt. Illud panis, quod remansit, dividitur in frusta parvula, & datur loco societatis velut res non consecrata quibusvis christianis. In ecclesiis Moscoviticis presbyteri sacramentum cœnæ sub utraque specie populo dant universo.* In opere de variis rerum Moscovitic. auctoribus p. 29. 126. 136. & 257. *Panem divisum in particulas calici addunt, easque cochleari communicantibus cum vino exhibent.* p. 29. GERHARDUS.

(*) Idem, quod patriarcha JEREMIAS heic scripsit ad theologos Tubingenses, confirmat METROPHANES CRITOPULUS, patriarcha Alexandrinus, in *confess. eccles. orientalis cap. IX.*

(***) Armenorum liturgia sub nomine *divæ Armenorum missæ* Romæ ann. *MDCXLII.* lucem adspexit publicam, sed ab inquisitoribus, quod RICH. SIMONIUS testatur, variis in locis immutata ac depravata, cui tamen depravationi ipse medelam adhibere annisus est. Successit ann. *MDCXLIX.* latina eiusdem versio, pariter Romæ typis exscripta.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841136-p0083-1

cans dicit, fide manduco sanctum, vivificans & salvificans corpus tuum, Domine Jesu Christe. Calicem bibens: Fide bibo sanctum impermixtum sanguinem tuum peccata delentem Jesu Christe. Vide plura veterum testimonia apud Mornæum libr. I. de missa c. 11. p. 267. & seqq. Cassandrum libr. de commun. sub utraque specie (*).

Testimonia ex jure canonico.

§. XLIV. Restat, ut *tertio* loco ex ipsis adversariis testimonia colligamus. Ea vero in tres ordines redigi possunt. 1.) Quædam enim ex jure canonico (**): 2.) Quædam ex Scholasticis; 3.) quædam ex recentioribus scriptoribus Pontificiis sunt petita. Juri canonico insertum est rescriptum Gelasii cap. *Comperimus* distinct. 2. de consecr. quod paulo superius expendimus. Huc referantur etiam cap. cum omne crimen distinct. eadem ex decreto Julii papæ. „ Audivimus quosdam schismatica „ ambitione detentos contra divinos ordines & „ apostolicas institutiones lac pro vino in divi„ nis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam „ eucharistiam populis pro complemento com„ munionis porrigere, quosdam etiam expres„ sum vinum in sacramento dominici calicis of„ ferre, &c. quod quam sit evangelicæ & apo„ stolicæ doctrinæ contrarium & consuetudini „ ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso „ fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa „ sacramentorum mysteria processerunt. Le„ gitur enim in evangelica veritate: Accepit Je„ sus panem & calicem & benedicens dedit di„ scipulis suis, &c. Illud vero, quod pro „ complemento communionis intinctam tradunt „ eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex „ evangelio testimonium receperunt, ubi apo„ stolis corpus suum commendavit & sanguinem, „ seorsim enim panis & seorsim calicis commen„ datio memoratur „. (Collige: Si repugnat insti„ tutioni Christi, panem calici intinctum populo „ dare, multo magis ei repugnat, populum a com„ munione calicis plane removere (***). Cap. quia passus. dist. ead. „ Panis iste indicat unita„ tem, sic & vinum in multis racemis fuit, „ & modo unum est, vinum est in sua nativi„ tate, calix post pressuram torcularis: & vos „ (neophyti seu catechumeni, quia canon desum„ tus est ex Augustini serm. fer. II. pasch. ad neoph.) „ post illa jejunia, post labores, post humilita„ tem & contritionem jam tanquam ad Christi „ calicem venistis, & ibi vos estis in mensa, „ & in calice nobiscum estis, simul enim hoc „ sumimus, simul bibimus, quia simul vivi„ mus „. Cap. frangitur dist. ead. „ Sanguis „ de calice in ora fidelium funditur „. Cap. quid

(*) Auctoribus supra a Gerhardo adlegatis iungi merentur Dan. Chamierus *tom. IV. panstrat. cathol. libr. VIII. de eucharist. cap. IX.* Jo. Dallæus *de cultibus religiosis Latinorum, libr. V. cap. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. p. 608. seqq.* Gerard. Jo. Vossius, in *thes. theolog. disp. V. de symbolis cœnæ domin.* Georg. Calixtus, in dissert. *de communione sub utraque specie*, quæ auctior & cum Georg. Cassandri de eadem re *dialogo* Helmstad. *MDCXLII.* prodiit, auctor eruditus libelli anglico sermone scripti, cui titulus: *demonstration, that the curch of Rome had erred in her decrees about communion in one kind*, ubi luculenter ostenditur, nullam pro communione sub una specie haberi traditionem; & Salomon Deylingius, *in errorum pontificiorum novitate in articulo de sacra eucharistia, dissert. II. p. 62. seqq.* ubi ostenditur, abrogationem calicis sacri novam & insignem corruptelam esse, ante seculi XII. finem in ecclesia inauditam & in concilio demum Constantiensi ann. *MCCCCXV.* solemni decreto sancitam.

(**) Suffragia iuris canonici pro communione sub utraque specie exhibet Jo. Christoph. Pfaffius in dissert. ann. *MDCCXII.* edita, quæ inscribitur: *dogmata protestantium ex iure canonico comprobata, p. 45. seqq.*

(***) Si Julius tam stricte distinctum utriusque speciei usum in ecclesia servari voluit, ut ne quidem panem benedictum vino consecrato tingi permiserit, licet per intinctionem utraque species & essentialia sacramenti *conjunctive* exhiberi videantur, multo magis vetuit panem benedictum populo dari absque intinctione, cum hoc modo utraque species & essentialia sacramenti ex mente loci Paulini 1 Cor. X. exhiberi non possint. Gerhardus.

quid sit sanguis. dist. ead. „ Quid sit sanguis agni, „ non audiendo, sed bibendo didicistis, &c. „ ejus corpus ubique sumitur, ejus caro in po- „ puli salutem partitur, ejus sanguis in fidelium „ ora funditur „. Glossa in cap. peracta. distinct. ead. „ Corpus & sanguinem ministrant. In cap. qui manducant. dist. ead. „ Qui manducant & bibunt Christum, vitam manducant „ & bibunt. Illum manducare est refici, illum „ bibere est vivere, quod in sacramento visibiliter sumitur, *ibi glossa*: „ In sacramento, „ id est, in specie panis & vini „. Panormitanus in cap. cum Martha. de celebrat. miss. „ Communicantibus tantum datur eucharistia, id est, „ hostia sola, quia recipiendo panem, recipiunt corpus & sanguinem. Sacerdos utitur „ duobus ad repræsentandam passionem, dicunt tamen doctores & sentiunt, quod non „ malum esset, si communicans etiam sumeret „ de sanguine.

Testimonia ex Scholasticis.

§. XLV. Scholastici quamvis *concomitantiae* Helenam speciose pingunt, agnoscere tamen coguntur speciem vini ad integritatem sacramenti cœnæ pertinere. Lombardus libr. IV. sent. dist. 11. lit. F. *Quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? ut ostenderetur, totam humanam naturam adsumsisse, ut totam redimeret, valet enim ad tuitionem corporis & animae, quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur* (*). Durandus libr. IV. ration. div. offic. cap. 54. n. 13. p. 124. *Solum hostiam recipiens, non plenum sacramentaliter recipit sacramentum. Etsi enim in hostia consecrata Christi sanguis sit, non tamen est ibi sacramentaliter, eo quod panis corpus, non sanguinem; & vinum sanguinem significat & non corpus. Quia ergo sub altera tantum specie non est completum sacramentum, quoad sacramentum vel signum debet sacramentum compleri, priusquam presbyter eo utitur.* (Atqui eadem est ratio de laico) Idem cap. 42. ejusdem libri num 1. p. 104. *In quibusdam locis post sumtionem corporis & sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, & super infunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant, non enim esset decens in sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur. Utrum autem per contactum sanguinis vinum adpositum efficiatur sacramentum, dicetur super verbo calix.* Alexander Alensis libr. IV. sent. quæst. 53. membr. 1. *Licet illa sumtio, quae est in accipiendo, sub una specie sufficiat, illa tamen, quae est sub duabus, est majoris meriti, tum ratione augmentationis & devotionis, tum ratione dilationis actualis, tum ratione sumtionis & completionis.* Quæst. 40. membr. 3. art. 2. *Totus Christus non continetur sub utraque specie sacramentaliter, sed caro tantum sub specie panis, sanguis tantum sub specie vini.* Et postea: *Sumtio sub utraque specie, quem modum sumendi tradidit Dominus, est majoris efficaciae & complementi.* Quæst. 31. membr. 1. art. 2. *Sumto hoc sacramento digne in utraque specie major est effectus unius corporis mystici cum capite, quam sumto sub altera.* Albertus magnus libr. IV. sent. dist. 8. art. 13. *Duplex est in hoc sacramento perfectio. Christi videlicet & ipsius sacramenti; secundum quod venit in usum fidelium:* priore modo dicit *verum esse, Christum esse sub utraque specie perfectum:* secundo modo *sibi videri falsum: quia non perfecte signetur & cauletur usus fidelium & unitas corporis mystici, nisi sub duplici signo, ideoque virtute sacramenti utrumque debere haberi.* Thomas part. III. q. 80. art. 12. *Ex parte ipsius sacramenti convenit, quod utrumque sumatur, scilicet panis & vinum, quia in utroque consistit perfectio sacramenti.* Idem in caten. aur. super cap. XXVI. Matthæi: *Sicut corporalis refectio fit per cibum*

(*) Bandinus, Lombardo antiquior, libr. IV. dist. 11. ad quæstionem: *Cur sub duplici specie sumatur Christus? Sub duplici quoque specie totus Christus sumitur, ut ostendatur, totam humanam naturam Christum adsumsisse, totamque redemisse. Panis enim ad carnem, vinum refertur ad sanguinem, ut Moses ait: Caro pro corpore vestro offeratur, sanguis vero pro anima.* GERHARDUS.

& potum; ita sub specie cibi & potus nobis spirituale refectionem Dominus praeparavit. Conveniens etiam fuit ad signandam dominicam passionem, ut sub duplici specie hoc sacramentum institueretur. In passione enim sanguinem suum effudit. In 1 Cor. XI. *Traditur hoc sacramentum sub specie duplici propter tria: primo quidem* propter ejus perfectionem, *qui cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum & spiritualem potum, nam & corporalis refectio non perficitur sine cibo & potu. Secundo* propter ejus significationem. *Est enim memoriale dominicae passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore, & ideo in hoc sacramento seorsim offertur sanguis a corpore. Tertio* propter hujus sacramenti effectum salutarem, *valet enim ad salutem corporis, & ideo offertur corpus, valet ad salutem animae, & ideo offertur sanguis.* Richardus de media villa & Petrus de Tarantasia libr. IV. sent. dist. 11. *Suo tempore sub utraque specie cœnam distributam atteſtantur in insignioribus paraeciis.* Petrus de Palude libr. IV. sent. dist. 21. q. 2. refert, *in quibusdam monasteriis fuisse consuetum sub utraque specie communicare.* Guilielmus de Montelanduno libr. IV. sent. dist. 11. q. 2. referente Cassandro in liturg. p. 89. *Qui recipit corpus, totam veritatem ejus recipit, licet non totum sacramentum: & ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto sacramento.* Bonaventura libr. IV. sent. dist. 8. q. 2. *Ex duobus signis unum perfectum resultat sacramentum, cujus integritatis ratio dispositive venit a natura, quia nec panis est per se plene reficiens, nec vinum, sed utrumque: & una plena refectio in natura venit ex utroque, & ita dispositа sunt ad unam refectionem signandam, sed completive venit ab institutione divina, quae una institutione haec duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectionem, & ideo unum sacramentum ratione naturae & institutionis divinae.* Lyra in 1 Cor. X. *Eucharistiae sacramentum est quoddam spirituale nutrimentum, & ideo sit sub duplici specie, scilicet potus & vini, quia utrumque requiritur ad rationem nutrimenti perfecti.* Ibidem cap. XI. ejusdem epist. *Sicut Christus convertit panem in corpus suum, ita & vinum in sanguinem, utrumque enim est de perfectione hujus sacramenti; tum quia per utrumque perfecte simul exprimitur passio Christi, cujus est memoriale; tum quia utramque significat perfecte refectionem.* Gabriel Biel libr. IV. sent. dist. 12. q. 2. art. 3. *Olim in quibusdam ecclesiis id fuisse usitatum* refert, *ut laici sub utraque specie communicarent.* Lect. 84. in canon. miss. dicit, *quaestionem de una specie fuisse dubiam usque ad definitionem concilii Constantiensis.*

De Constantiensis, Basileensis & Tridentini conciliorum decretis.

§ XLVI. Antequam ad recentiorum scriptorum testimonia accedamus, monenda quædam de Constantiensis, Basileensis & Tridentini concilii decretis in hac quæstione. Concil. Constantiense fatetur, *Christum sub utraque specie venerabile hoc sacramentum instituisse & administrasse, ac in primitiva ecclesia communionem sub utraque specie usitatam fuisse, hoc tamen non obstante* usum utriusque speciei prohibet. Sic enim habent verba sess. III. *Licet Christus post cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini venerabile sacramentum, ac licet in primitiva ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie panis & vini, tamen hoc non obstante sacrorum canonum auctoritas servavit &c.* Bellarminus frustra conatur effugere, *quod de tempore communicandi tantum, non autem de utraque specie ibi agatur*, quia patres illi ex uno alterum inferre volunt hoc pacto: Christus post cœnam eucharistiae sacramentum instituit, quod tamen vetus ecclesia a jejunis celebrandum sanxit. Ergo licet Christus sub utraque specie sacram cœnam instituerit & discipulis tradiderit, tamen ecclesia laicos una specie contentos esse jubere potest. Concilium Basileense concessit Bohemis facultatem communicandi sub utraque specie, teste Æneа Sylvio in historia Bohemica c. 52. agnovit igitur, Bohemos justas habere causas petendi jus calicis, postliminio sibi restitui. Bellarminus regerit, *datam esse hanc facultatem cum ea conditione, ut crederent communionem sub una esse licitam.* Sed hoc est manu altera

eri-

eripere, quod una fuerat datum. Usus calicis benedicti non fundatur in papæ concessione, sed in Christi institutione. Inter postulata regum & principum concilio Tridentino proposita fuit etiam hæc petitio, *ut usus dominici calicis juxta institutionem Christi & morem primitivae ecclesiae, sublata injusta ejus prohibitione, laicis restitueretur.* Sed patres illius concilii petitionem illam ex una sessione in aliam rejecerunt, donec tandem prorsus a synodo ad Romanum pontificem fuerit rejecta. Edita est autem Coloniæ anno 1564. consultatio de communione christiani populi sub utraque specie, in cujus præfatione narratur, Tridentinam synodum per totam æstatem anni 1562. occupatam fuisse disputationibus super petitione concessionis calicis, dum major eruditorum episcoporum, eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus iret, ut laicis calicem esse concedendum judicaret: alii vero magna contentione resisterent, ne vero incommodi quidpiam tantus dissertationum ardor afferret, eam controversiam Pii IV. pontificis arbitrio dirimendam relictam esse.

Testimonia ex scriptoribus pontificiis recentioribus.

§. XLVII. In scriptis recentiorum multa occurrunt, quæ communioni sub utraque specie favent. Rhenanus in Tertull. de coron. militis pag. 41. *Idem nuper reperit in primis Cartusiorum constitutionibus Conradus Pellicanus, homo mirae sanctitatis ac eruditionis, ubi prohibetur, ne quidquam pretiosorum vasorum possideant praeter calicem argenteum & fistulam, qua laici dominicum exsorbeant sanguinem.* Nicol. Cusanus epist. II. ad Bohem. concedit, *quod olim sanctissimi viri utriusque speciei sacramentum necessarium esse vi praecepti Christi & verbo & opere adstruxerint.* Reffensis episcopus cont. capt. Babyl. Luth. cap. 3. part. I. f. 2. *In primitiva ecclesia in utraque forma communicabant.* Cajetanus in p. III. sum Aquin. *Hujusmodi consuetudo non solum perseveravit tempore martyrum, (quos Cyprianus dominico poculo praeconfortandos censuit) sed etiam tempore pacis ecclesiae, cum legamus non solum factas patinas, sed etiam calices ministrales, quare enim ministrales dicti sunt, nisi quia non ad offerendum, sed ad ministrandum populo Christi sanguinem deserviebant.* Cassander in consult. de comm. sub utraque specie: *Neque satis mirari possum Johannem Eccium, virum alioquin insigni memoria praeditum, in apolog. principum catholicorum scribere, se non meminisse legere in ecclesia Romana eucharistiam sub utraque specie communicatam laicis, nisi quod argumentum sumi possit ex vita Laurentii. Mirum, si non meminerit calicum ministerialium in ecclesiis urbis Romanae, quorum in libro pontificali subinde fit mentio, quos ita vocatos fuisse, quod ex iis populo sanguis dominicus ministraretur, vel ex suo Cajetano potuisset cognoscere. An ignotum illi esse potuit, quod in decretis quoque legitur de Severo papa, in cœna Domini poenitentes ad percipienda corporis & sanguinis Domini sacramenta reconciliari? quid, an non meminerat Gregorii pontificis Romani, ut ejus antecessores taceamus, qui in IV. dialog. scribit, Christi sanguinem non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi. Quem morem sanguinis dominici porrigendi & antiqua sacramenta D. Gregorii & libellus ordinis Romani aperte testantur. Et romani pontifices in solenni officio constanter semper retinuerunt, usque adeo ut Martinus V. etiam post tempora concilii Constantiensis in solenni paschae officio juxta praescriptum ordinis Romani universum populum corpore & sanguine Domini communicasse legatur.* Idem: *satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo in solenni praesertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem, omnibus hujus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Graecorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est, atque ut ita facerent, inductos fuisse exemplo Christi, atque hic mos etiam adhuc per Graeciam & Armeniam obtinet, quare haud temere est, quod optimi quique catholici & in ecclesiasticorum scriptorum lectione versati, summo desiderio potiundi calicis incendantur, ut*

ut sacramentum Domini ad consuetudinem veterem multis seculis perpetuatam universalis ecclesiae reducatur. Oratores Cæsarei, Gallici & Bavarici in synodo Tridentina restitutionem calicis petierunt (*). Orator Bavaricus inter cætera sic loquitur: *Non parum id movet homines, praesertim in hac provincia, quod Paulus III. edita bulla sua concessit Germaniae episcopis potestatem communicandi populum sub utraque specie, quod quidem summi pontificis decretum urgent summi & infimi.* Eo autem respicit orator, quod Paulus III. anno 1548. pridie Calend. Septemb. tres in Germaniam legatos miserat, quibus mandatum *de consilio & adsensu omnium cardinalium* (sic enim habetur in bulla) dederat, ut petentibus sibi permitti calicem aut usum utriusque speciei non denegarent. Ea bulla exstat impressa Basileæ curante Vergerio apud Oporinum. Aloysius Lippomanus, Veronæ episcopus, fuit unus ex tribus illis legatis, qui bullam per Germaniam circumferebant. Dudithius cæsareæ majestatis legatus orat. II. sic loquitur ad patres Tridentinos: *Videtis, quantis discordiis, quantis dissensionibus, quantis odiis res agatur &c. Huic vos rei tum demum obviam ire poteritis, si imbecillitatis filiorum vestrorum miserti ad eorum vos infirmitatem dimiseritis, & incredibilem illam eorum sitim, qua dies noctesque cruciantur, quam primum restrinxeritis. Quod quidem non ante fiet, quam vos tantopere ab illis expetitum Christi sanguinem hianti ore, siccis faucibus, summo cum desiderio exspectantibus, non gravate praebueritis. Ne committatis patres, ut tot populorum, tot nationum, tot insignium provinciarum, tot nobilissimorum regnorum, quae nunc eodem incendio absumuntur, inanem esse jacturam existimetis &c. Ne cogitetis, eos, qui tanto studio, tanta contentione, tam ardenter Christi sanguinem expetunt & efflagitant, tam negligentes, tam impios futuros, ut, quod tanto ardore sibi dari postulant & obsecrant, id non omni veneratione*

(*) Quantopere principes aliique tempore synodi Tridentinæ in id incubuerint, ut restitueretur ecclesiæ communio sub utraque specie, ex CATHARINÆ MEDICEÆ ad pontificem epistola ann. *MDLXI.* exarata satis liquet. Ibi enim, de ecclesiæ reformatione agendo, refertur, quæ cleri, quæ populi vota essent circa hoc nominatim religionis christianæ caput; *Sacræ*, inquit, *communionis usum integrum, hoc est, sub utraque specie, sine personarum distinctione, restitui debere, nec Constantiensis concilii, quod Dei mandato praeponderare minime debeat, auctoritatem, quo minus id fiat, obesse posse.* Apud THUANUM *histor. sui temporis libr. XXVII.* Exstant etiam CAROLI IX. regis CATHARINÆ filii, eodem anno datæ ad insulanum suum apud papam oratorem litteræ, in quibus distertis verbis scribit, *se communibus episcoporum & doctorum regni sui monitis ac precibus rogatum, ut apud papam intercedat, quo cum eius venia ac concessione illis liceat, omnibus sibi pro sacro munere subditis sacram coenam communicare sub utraque panis & vini specie, quem ritum primitivae ecclesiae olim fuisse, compertum sit, &c.* Respondit ad hasce litteras regis apud pontificem orator, se eiusdem mandata apud præsulem Romanum exposuisse, ab eoque hanc accepisse responsionem: *Hanc suam semper fuisse de calicis communione, aeque clericorum coniugio sententiam &c. Caesarem eadem apud se primum, pro filio suo Bohemiae rege, mox etiam pro suis patrimonialium ditionum subditis postulasse.* Verum hæc res solitis curiæ Romanæ artibus in longum protracta, vel tandem in nihilum abiit, plerisque cardinalibus legato, regis mandata strenue urgenti, omni opera obnitentibus, in primis cardinale S. Angeli, qui, uti legatus iste refert, in suis ad regem litteris, *se nunquam adsensurum*, dixit, *ut Galliarum populis tantum venenum pro medicamentis proponeretur, multoque sibi consultius videri, ut hoc morbo laborantes perire sinant, quam ut tale iis remedium petentibus concedant.*

Qui Germanorum in ipsa synodo Tridentina fuerint labores, qui conatus, quæ officia FERDINANDI imperatoris, itemque ALBERTI, ducis Bavarici, nec non aliorum, ut communionem sub utraque specie impetrarent, supra edisserit GERHARDUS. Fusius vero hæc refert GEORG. CALIXTUS in tract. *de communione sub utraque specie p. 13. seqq.* ubi & ipsam oratoris Bavarici, AUGUSTINI BAUMGARTNERI orationem, in *collectaneis Lovaniensibus* omissam, aliaque multa de hocce argumento rara atque recondita e privatis scriniis eruta, in lucem publicam edidit.

ne sint prosecuturi, non omnem ab eo profanationem longissime amoturi. Idem orat. II. *Quoniam Caesarea Majestas longo rerum usu edocta animadvertit, nullas alias graviores esse contentiones & querelas, quam eas, quae ob sacri calicis usum interdictum ortae sunt, idcirco, ne officio suo aliqua ex parte defuisse videretur, de hac potissimum permissione ad sacram synodum referri voluit &c. Ne quis dubitare possit, quid de hac nostra postulatione sanctissimus Dominus noster sentiat, illud vere adfirmo, me ex urbe* (Roma) *literas accepisse, quibus nunciatum fuerit, causam a Sanctitate sua non solum honestam & justam, sed usque adeo necessariam judicatam, ut in longius tempus sine maximo christianae religionis incommodo differri non posse existimarit.* Et paulo ante: *Sunt, qui miretur, cur hoc a sanctissimo Domino nostro* (papa) *non postulatum aut non impetratum fuerit. Quibus facile est respondere, prudentissime Sanctitatem suam hujus causae cognitionem ad sacrae synodi judicium rejeciisse.* Postea patres hanc postulationem vicissim retulerunt ad judicium pontificis: ita elusi fuerunt reges & principes, calicis permissionem postulantes. Ferdinandus imperator in literis ad Pium IV. pontificem sic scribit: „ Zelo pietatis & honesta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridenti sacrum œcumenicum concilium, ut ageremus „ & laboraremus pro concessione calicis, non „ certe temporalis alicujus commodi aucupandi „ gratia &c. sed quia prorsus persuasum habuimus, sicut etiam nunc habemus, hujusmodi concessionem futuram esse utilissimam „ in genere, plurimum momenti adlaturam „ in specie ad reductionem lapsorum & errantium, nec non ad faciendum jam tandem „ utile principium restaurandae unitatis & pacis ecclesiae, tamdiu frustra exspectatae & desideratae. Verum quoniam eo tempore nobis „ relatum fuerat, non deesse, qui de hac materia & concessione nonnihil dubitarent, & varia impedimenta injicerent, facile tulimus „ rem aliquamdiu differri, ut possemus interim „ pro exoneratione conscientiae nostrae de hoc „ negotio conferre cum nonnullis praecipuis atque potissimum S. R. imperii praelatis ac principibus, existimantes, quod praehabito eorum „ consilio rectius ac liberalius possemus deinde „ omnibus modis instare & elaborare, ut petitioni nostrae satisfieret. Instituta igitur matura ac diligentissima deliberatione de hoc negotio, utrum scilicet expediat hanc concessionem ulterius exquirere & urgere, nec ne, „ cum dictis praelatis atque principibus ecclesiasticis &c. & dato eis cogitandi spatio, quo „ & ipsi possent rem cum suis theologis & doctoribus pietate & eruditione praestantibus „ conferre, prout contulisse non ambigimus, „ iidem praelati & principes ecclesiastici, cum „ intellexissent, nos ad hujusmodi petitionem „ tam necessariam, tum regnis & dominiis nostris, tum universae nationi Germanicae, inclinatos esse, & statuisse, sanctitatem vestram „ hoc nomine reverenter interpellare, magnopere collaudato proposito nostro promiserunt, „ quod & ipsi in hac parte non essent defuturi „ officio suo &c. Plane nobis persuasimus, sanctitatem vestram non permissuram, ut frustra „ ab ea auxilium petiisse videamur in re tam „ necessaria & ad salutem christiani populi pertinente, quae in concilio tam diligenter ventilata & discussa fuit, praesertim cum jam omnibus constet, & manifesta sit ingens utilitas, quae ex hujusmodi concessione exspectanda est. „ Hae orationes duae Andreae Dudithii in concilio Trident. habitae, una cum literis Ferdinandi imperatoris ad Pium IV. de calice permittendo, & Alberti Bavariae ducis ad eundem papam de eodem negotio scriptae, editae sunt Ofenbachii anno 1610. quae de multis monere possunt. Sleidanus lib. IX. refert, de coena Domini integra (vel, ut loquuntur, sub utraque specie) sumenda, sermonem fuisse regi Galliae cum Clemente VII. *sperare se, ab hoc impetrari posse pontifice, ut facto decreto liberum permittat ejus rei usum pro cujusque conscientia. Regem praeterea hoc dicere, patrum memoria distributam fuisse per Galliam quibuslibet integram coenam, non quidem in medio templo, sed in sacellis; hoc illum a nonnullis accepisse grandi aetate, qui istum ritum in Gallis fuisse confirmant ante centum &*

viginti annos, deinde Galliae regibus administrari totam; & cum inter disputandum hoc ipsum rex objecit, illos respondere, unctos esse reges aeque ac sacerdotes, & scripturam loqui de sacerdotio regali, quod autem regibus liceat, non item esse permittendum aliis. Petrus a Soto in inst. Dillingæ prælecta & impressa: *Etsi verum est, utriusque speciei perceptionem longo tempore fuisse in usu ecclesiae, maxime cum peractis mysteriis populus accederet ad communicandum, non tamen hoc quasi necessarium fuit servatum, cum tunc etiam nonnulli sub una specie sumerent, & ita forte infirmis omnibus traderetur. Quare non est consultum, conari, ut probemus, vel in primitiva illa apostolorum ecclesia, vel in antiquioribus aliis tantum fuisse unius speciei usum, quod quidam volunt ostendere ex illo verbo Act. I.* erant perseverantes in communicatione fractione panis: *nam id hoc non probat. Et Paulus ad Corinth. de cibo & potu mentionem facit. Donemus igitur illis, fuisse usum utriusque speciei, quod testimonium illud Gelasii papae confirmat, & aliud Leonis in serm. IV. Quadragesimae, ubi Manichaeos dicit speciem vini non sumere, ostendens aperte, id contrarium fuisse consuetudini catholicorum.* Wilhelm. Lindanus lib. IV. panopl. evang. c. 26. *Quod per occidentem fuerit populo utraque administrata species in proximum fere usque Constantiensis synodi seculum, haud prolixa opus habet demonstratione.* Andr. Friccius lib. IV. de emend. reip. christ. c. 19. *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet: non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quae convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.* Gerard. Lorichius de Missa: *Sunt pseudocatholici, qui reformationem ecclesiae quoquo modo remorari non verentur. Hi, ne laicis altera species restituatur, nullis parcunt blasphemiis: dicunt enim, Christum solis apostolis dixisse:* Bibite ex hoc omnes. *Atqui verba canonis habent:* Accipite & manducate ex hoc omnes. *Hic dicant, oro, num & hoc ad solos dictum sit apostolos? Ergo laicis & a specie panis abstinendum, quod dicere est haeresis & blasphemia pestilens & exsecrabilis; consequitur ergo, utrumque verbum dictum esse ad omnem ecclesiam.* In lib. *Interim* usus calicis laicis permittitur. Rungius in scripto germanico de persecutione Romano-papistica evangelicorum in Stytia, Carinthia, &c. p. 24. adlegat mandatum Caroli, archiducis Austriæ, de communione sub utraque specie, Matthiæ Marcinæ pastori Göreensi datum.

Communio sub una specie quando sit decreta?

§ XLVIII. Communio sub una specie decreta primum in concilio Constantiensi sess. XIII. anno 1415. & confirmata in concilio Trident. sess. XXI. & XXII. anno 1562. Decretum concilii Constantiensis (*) sic habet: „ Generale concilium declarat, de„ cernit & definit, contra hunc errorem, (*de „ communione laicorum sub utraque specie*) „ quod licet Christus post cœnam instituerit & „ suis discipulis administraverit sub utraque spe„ cie panis & vini hoc venerabile sacramentum; „ tamen hoc non obstante, sacrorum canonum „ auctoritas & adprobata consuetudo ecclesiæ „ servavit & servat, quod hujusmodi sacra„ mentum nec conficiatur post cœnam, nec „ sumatur nisi a jejunis, nisi in casu infirmi„ tatis aut alterius necessitatis, a jure vel eccle„ siæ concesso vel admisso, &c. Et similiter, „ quod in primitiva ecclesia hujusmodi sacra„ mentum reciperetur a fidelibus sub utraque „ specie, & a laicis tantummodo sub specie pa„ nis susciperetur, cum firmissime credendum „ sit & nullatenus dubitandum, integrum Chri„ sti corpus & sanguinem, tam sub specie panis

(*) De hocce concilii Constantiensis decreto copiose differit JAC. L'ENFANT in *histoire du concile de Constance tom. I. libr. III. §. XVII. p. 349. seqq. & p. 368, 369, & 371.* qui & originem huius certaminis de communione sub utraque specie, *loc. cit. tom. I. p. 246. & 248. seqq.* adcurate enarravit.

„ nis, quam sub specie vini veraciter contineri. „ De hoc concilio pronunciat Gerson in dialogo apologetico, *quod numerositate convenientium, agendorum arduitate & sui praesertim duratione maximum super caetera fuerit, quoniam per triennium cum sex fere mensibus protensum est.* Concilii Tridentini decreta haec sunt cap. 1. „ Sancta synodus a Spiritu sancto edocta atque „ ipsius ecclesiae judicium & consuetudinem se„ cuta declarat & docet, nullo divino praece„ pto laicos & clericos non conficientes obliga„ ri ad eucharistiae sacramentum sub utraque „ specie sumendum, neque ullo pacto salva fi„ de dubitari posse, quin illis alterius speciei „ communio ad salutem sufficiat. Nam etsi „ Christus Dominus in ultima coena venerabile „ hoc sacramentum in panis & vini speciebus „ instituit & apostolis tradidit, non tamen illa „ institutio & traditio eo tendunt, ut omnes „ Christi fideles statuto Domini ad utramque „ speciem accipiendum adstringantur, &c. „ *Cap.* 2. Sancta mater ecclesia, agnoscens suam „ in administratione sacramentorum auctorita„ tem, licet ab initio christianae religionis non „ infrequens utriusque speciei usus fuisset, ta„ men progressu temporis latissime jam mutata „ illa consuetudine, gravibus & justis causis ad„ ducta, hanc consuetudinem sub altera specie „ communicandi adprobavit, pro lege haben„ dam decrevit, quam reprobare aut sine ipsius „ ecclesiae auctoritate pro libero mutare non li„ cet. *Can.* 1. Si quis dixerit, ex Dei praecepto „ vel necessitate salutis omnes & singulos Chri„ sti fideles utramque speciem sanctissimi sacra„ menti eucharistiae sumere debere, anathema „ sit. *Can.* 2. Si quis dixerit, sanctam ecclesiam „ catholicam non justis de causis & rationibus „ adductam fuisse, ut laicos atque etiam cleri„ cos non conficientes sub panis tantummodo „ specie communicaret, aut in eo errasse, ana„ thema sit.

§. XLIX. Tridentini concilii strenuos propugnatores agunt Jesuitae & alii scriptores pontificii (*), ita tamen, ut non tue-

Dissensus eorum, qui communionem sub una specie propugnant.

(*) Ex istis concilii Tridentini propugnatoribus, praeter BELLARMINUM, quem GERHARDUS heic confutat, notari cumprimis merentur: I.) GREGORIUS DE VALENTIA, Jesuita hispanus, in *disput. de legitimo usu eucharistiae in altera tantum specie*, Ingolstad. *MDLXXXVII.* 4. Inserta ea postea fuit eiusdem libro *de rebus fidei controversis*, qui Lutetiae Parisiorum *MDCX.* prelo exiit. II.) MARTINUS BECANUS, percelebris societatis Jesu sacerdos, qui *opusculum de communione sub utraque specie, pro defensione catholicorum, contra Hussitas, Lutheranos & Calvinistas*, Mogunt. *MDCIX.* 8. edidit, *operibus* eius iunctim editis *p. 978. seqq.* postea insertum, in quo copiose multisque rationibus in medium adductis comprobare annisus est, communionem sub utraque specie non esse praecepti divini. III.) BARTHOLDUS NIHUSIUS, qui religionem evangelicam cum Romana commutavit, interque alia scripta protestantibus opposita, *adnotationes de communione sub una specie* contra GEORG. CALIXTUM, theologum Helmstadiensem, Moguntiae *MDCXLIV.* luci exposuit publicae. IV.) JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS, episcopus quondam Meldensis isque doctissimus, qui Parisiis ann. *MDCLXXXII.* libellum gallico sermone conscriptum, hacque inscriptione insignitum edidit: *traité de la communion sous les deux especes*, in quo de hocce argumento, ex mente ecclesiae Romanae, ita disputavit, ut, praeter LUTHERUM & GEORG. CALIXTUM, inprimis PETR. JURIEUM ob libellum, cui titulus: *preservatif contre le changement de la religion &c.* adortus fuerit. Ast non defuerunt, qui libellum istum BOSSUETI sub adcuratius examen vocarent, eiusdemque copias profligaret. Fecerunt id ex nostris JO. FRID. MAYERUS atque HECTOR GODOFR. MASIUS, theologus quondam Hafnienfis; *ille* quidem in *vindiciis sacri calicis*, Lipf. MDCLXXXIII. editis; *hic* vero in dissertat. *de iure communionis sub una*, quae in eiusdem *dissertation. academ. tom. I. p. 358.* exstat. Hisce ex ecclesiae Reformatae doctoribus iungi merentur JO. MELCHIOR, theologus quondam Franekeranus, qui *commentationem de sanguine Christi eucharistico* evulgavit, *complectentem dissertationes tres theologico-historicas, quibus illustris Meldensis episcopi tractatus de communione sub utraque specie excutitur*, Herbornae *MDCLXXXIV.* 4. MATTHAEUS LARROQUANUS, cuius habetur

antur consensum toties deprædicatum. 1.) Communio sub una specie nititur potissimum Constantiensis & Basileensis concilii auctoritate. Sic enim scribit Bellarminus lib. IV. de euch. c. 26. resp. ad primum Cypriani dictum: *Si tempore Cypriani habuissent laici jus petendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis: ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta, & lex praeterea in generalibus conciliis promulgata, non habent amplius jus illud laici.* Sed Albertus Piggius in hierarch. dicit, *quod haec concilia in quibusdam contra legem naturae, contra manifestas scripturas, contra vetustatis auctoritatem & contra catholicae ecclesiae fidem decreverint.* 2.) Bellarminus statuit, in ecclesia apostolica licitam fuisse communionem sub utraque specie. Sic enim scribit cap. 25. resp. ad arg. tert. *Ecclesia Corinthiorum utebatur utraque specie, quia Paulus vel Domini exemplo vel aliunde ostendit & tradidit, licitam esse communionem sub utraque specie;* quin imo in eodem cap. §. Videndum. statuit, *mandatum fuisse apostolis, ut e calice biberent.* Sed Vitus Miletus in scripto quodam germanico causam & culpam abnegationis Petri & fugæ discipulorum, qua deseruerunt Dominum, manifeste confert in usum utriusque partis cœnæ. Vide Hunnium tom. I. operum p. 1243. 3.) Bellarminus statuit, *nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* cap. 23. propos. ultima: sed Alexander Alensis in IV. parte sum. q. 53. membr. 1. Casparus Cassalius lib. II. de cœna & calice c. 25. Cassander in consult. de comm. sub utraque statuunt contrarium. 4.) Bellarminus aliquot argumentis probare conatur, solis apostolis dictum fuisse: *Bibite ex hoc omnes* cap. 25. resp. ad locum secundum. Sed Gerardus Lorichius de missa vocat hoc blasphemiam. Locus paulo superius est citatus. 5.) Reges & principes in concilio Trident. concessionem calicis per oratores sive legatos suos & a pontifice per literas flagitarunt. Sed Bellarminus cap. 24. aliquot incommoda numerat, quæ sequerentur ex necessitate utriusque speciei. Mirum vero, prudentissimos istos dynastas incommoda illa non agnoscere. 6.) In concilio Tridentino major eruditorum episcoporum, eaque potior pars in eam sententiam concors pedibus ivit, ut laicis calicem esse concedendum judicaret, referente Cassandro in præfat. lib. de com. sub utraque, editi Coloniæ anno 1564. hoc tamen non obstante editum est decretum de communione sub una. 7.) Paulus III. pontifex Romanus, per legatos in Germaniam missos de consilio & adsensu omnium cardinalium mandatum dedit, ut permittentibus sibi calicem non denegarent. Eadem concessio facta est per librum *Interim.* Sed cardinalis Hosius in dial. de com. sub utraque specie, referente Chemnitio in exam. concil. Trid. part. II. tit. de

betur *réponse au traité de Mr. de Meaux de la communion sous les deux especes*, cui tamen nomen suum auctor haud adposuit. Vid. PETR. BÆLII *nouvelles de la republique des lettres MDCLXXXIV. Mars. art. V.* in eiusdem *œuvres diverses tom. I. p. 14.* & JO. DUBOURDIEU, qui pariter contra BOSSUETUM calamum strinxit. V.) Huc pertinet JACOBUS BOILEAU, facultatis theologicæ Parisiensis doctor & socius Sorbonicus, nec non metropolitanæ Senonensis ecclesiæ decanus, cuius *disquisitio theologica de præcepto divino communionis sub utraque specie* &c. Parisiis *MDCLXXXV.* 8. typis fuit exscripta. Scriptoribus hisce VI.) adiungimus ADAMUM TANNERUM, societatis Jesu theologum atque academiæ Pragensis cancellarium, qui inter alia sermone germanico edidit libellum, cui titulus: *ausführlicher Bericht von dem heiligen Meßopffer und der Communion unter einer Gestalt;* itemque JO. JACOB. SCHEFFMACHERUM, Jesuitam Argentoratensem, qui inde ab anno *MDCCXXV.* edidit *douze lettres contre les protestans de la confession d' Augsbourg*, in quibus quoque peculiaris exstat epistola *sur la communion sous une seule espéce*, quam vero, cum aliis, solide confutavit b. cancell. PFAFFIUS in libro Francofurti *MDCCXXXIII.* gallice edito, cui index: *réponse aux douze lettres du P. Scheffmacher, Jesuite de Strasbourg, contre les Protestans.* Reliquos ecclesiæ Romanæ theologos, qui doctrinam de communione sub una specie, in scriptis suis propugnandam susceperunt, brevitatis studio prætermittimus.

de com. sub utraque specie p. 199. scribit: *Si laicis calix & sacerdotibus uxores permittantur, papatum universum everſum iri.* 8.) Bellarminus cap. 21. §. ceterum, & plerique omnes pontificii agnoſcunt, communionem ſub una ſpecie in concilio Conſtantienſi primum decretam; ſed Hoſius in libro prædicto ſcribit, fortaſſis Epheſini concilii auctoritate uſum utriuſque ſpeciei fuiſſe abrogatum, acta autem illius concilii non exſtare integra, quibus hoc poſſit clare evincere, ſed tantum fragmentum: adfert autem non rejiciendas (ut ipſe dicit) conjecturas, quibus doceat, Epheſinum concilium hoc ſtatuiſſe. 9.) Bellarminus cap. 24. rat. 4. probare conatur, etiam in veteri eccleſia ante concilium Conſtantienſe communionem ſub una ſpecie fuiſſe uſitatam. Cap. 25. reſp. ad ſecundum poſtulatum ſcribit, *in ipſo etiam publico cœtu in templis ſub una ſpecie fuiſſe communicatum in antiquiſſima eccleſia.* Sed Petrus a Soto & Caſſander ſtatuunt contrarium. Verba eorum expoſita ſunt ſuperius. Latomus adverſus Bucerum in hæc prorupit verba: *Cum adhuc rudis eſſet prima eccleſia, ritum a Chriſto traditum religioſe tenuit, donec docta a patribus intellexit, utramque ſpeciem convenire ſacerdotibus, laicos autem ſolo pane contentos eſſe poſſe.* 10.) Theologi Gallici, cum a rege ipſis objectum fuiſſet, Galliæ regibus euchariſtiam adminiſtrari totam, reſpondérunt, reges æque unctos eſſe ac ſacerdotes, & ſcripturam loqui de ſacerdotio regali. At ſi exterior unctio chriſmatis tantum dignitatis confert regibus, ut euchariſtiam integram merito accipiant, quanto magis interior unctio Spiritus reliquis fidelibus uſum integræ euchariſtiæ impetrare debet? Quando Petrus 1 epiſt. cap. II. regalis ſacerdotii mentionem facit, non de ſolis regibus, ſed de omnibus fidelibus loquitur; vi ergo hujus argumenti etiam laicis calix eſſet dandus. 11.) Bellarminus cap. comperimus. diſt. 2. de conſecr. intelligit de ſolis ſacerdotibus conficientibus, qui non debent unam ſpeciem ſine altera ſumere. cap. 26. reſp. ad 11. Sed in illo canone adſeritur, quoſdam ſumta tantummodo corporis ſacri portione a calice ſacri cruoris abſtinuiſſe. Conſequens igitur fuerit, ſacerdotes illos vel calicem non conſecraſſe, vel calicem conſecratum repoſuiſſe. Prius dici nequit, quia ex hypotheſi pontificiorum non poteſt nec debet fieri conſecratio ſine vino; ſic ergo ſacerdotes illi ne quidem corporis ſacri portionem ſumſiſſent. Poſterius repugnat argumento Bellarmini, quo communionem ſub ſpecie panis in primitiva eccleſia uſitatam fuiſſe demonſtrare conatur. Sic enim ſcribit cap. 24. §. ac primum: *adſervari ſolitum fuiſſe euchariſtiae ſacramentum, ſupra probavimus, quod autem ſolum ſub una ſpecie adſervarent, & proinde ſub una ſpecie ſumerent, patet, quia aliquando ad longiſſimum tempus adſervabant, non autem poſſet vinum in parva quantitate tam diu conſervari, quin aceſceret.* Inter cauſas ποτηριοκλεψίας Gerſon in tractat. de comm. laicorum etiam haſce refert: *Quintum periculum* (inquit) *eſt in conſervatione pro infirmis, cum poſſit in vaſe acetum generari, & ita deſineret ibi eſſe ſanguis Chriſti, nec ſuſcipiendum eſſet, nec noviter conſecrandum ſine miſſa. Et fieri poſſet, quod daretur acetum purum pro ſanguine Chriſti. Addito, quod in aeſtate bibiones aut muſcae generarentur, quantumcunque eſſet vas clauſum, cumque etiam putreſceret aut fieret velut abominabile ad bibendum. &c.* Atqui ſi vinum transſubſtantiatur in ſanguinem Chriſti, ita ut nihil niſi ſpecies & accidentia vini maneant, quomodo periculum erit acoris, putredinis, corruptionis, generationis muſcarum, &c. quæ non niſi præſuppoſita vini ſubſtantia locum habent? 13.) Bellarminus cap. 25. reſp. ad arg. ſecundum ſtatuit, ideo dari laicis euchariſtiam, quia Chriſtus non ſolum non prohibuerit, ſed etiam juſſerit dari, cum ait: *Hoc facite.* Becanus autem in diſp. de euchariſt. c. 10. contrarium ſtatuit: *Si quaeritur praeceptum de utraque ſpecie, dedit illis verbis*, Joh. VI. 53. *Niſi manducaveritis*, &c. Bellarminus præceptum de communicatione laicorum in verbis inſtitutionis haberi concedit, Becanus negat. Eccius dicit, laicos ideo debere contentos eſſe una ſpecie, quia dentes equi donati non ſint inſpiciendi. 14.) Bellarminus graviſſime reprehendit Lutherum & Chemnitium, quod Conſtan-

tienſi concilio injuriam fecerint, tribuentes ei, quod agnoverit, Chriſtum inſtituiſſe euchariſtiam ſub utraque ſpecie & vocantes clauſulam flagitioſam: *Hoc non obſtante.* Sic enim ſcribit cap. 26. reſp. ad 20. *Lutherus in diſputatione contra concilium Conſtantienſe dicit, concilium in haec verba locutum in ſuo decreto: licet Chriſtus inſtituerit, ut omnes communicent ſub utraque, tamen hoc non obſtante, nos volumus, ut omnes communicent ſub una. Ex quibus verbis habemus, concilium agnoviſſe & docuiſſe veritatem, quod ſit de jure divino communio ſub utraque, licet idem concilium contrarium ſtatuerit. Sed hoc* (inquit Bellarminus) *eſt mendacium intolerabile: concilium enim non loquitur de utraque ſpecie, cum ait: hoc non obſtante, ſed tantum de tempore communicandi, &c. Quamvis autem hoc mendacium jamdudum in Luthero a catholicis detectum & confutatum fuerit: tamen diſcipuli ejus ſemper illud urgent. Idem enim mendacium repetivit Illyricus in apolog. pro confeſſ. Antuerp. cap. 14. ubi expreſſe dicit, concilium agnoviſſe, Chriſtum inſtituiſſe, ut daretur ſacramentum in utraque. Chemnitius part. II. exam. pag. 570. temperat nonnihil hoc mendacium, tamen ipſe quoque mentitur, illud non obſtante, referri ad communionem ſub utraque ſpecie.* Hæc omnia Bellarminus, cujus tragicos clamores non ſolum ipſa verba concilii Conſtantienſis compeſcere poterunt, ſed cumprimis illud, quod in concilio Tridentino totidem verbis repetitur, *Chriſtum Dominum in ultima cœna venerabile hoc ſacramentum in panis & vini ſpeciebus inſtituiſſe, & apoſtolis tradidiſſe*, ſeſſ. XXI. c. 1. v. 3. Ubi notandum, quod Latinum vocabulum *tradidit*, in germanica verſione decretorum concilii Trident. edita Coloniæ apud Maternum Cholinum, anno 1570. redditum ſit per *praecepit* pag. 203. Gregorius de Valent. tract. de miſſ. fol. 95. ſcribit, *laicis non poſſe dari calicem juxta Chriſti inſtitutionem, propter contrariam eccleſiae diſpoſitionem.* Agnoſcit igitur, diſpoſitionem eccleſiæ contrariam eſſe inſtitutioni Chriſti. 15.) Bellarminus cap. 24. rat. 2. ex cap. VI. Joh. communionem ſub una ſpecie probat, ſed Gabr. Biel lect. 84. in can. Cuſanus epiſt. VII. ad Bohem. Cajetanus in part. III. Thom. q. 80. art. ult. Ruard. Tapperus in explicat. art. 15. Lovan. Heſſelius lib. de comm. ſub una ſpecie, Corn. Janſenius cap. 59. concord. agnoſcunt, non de ſacramentali, ſed ſpirituali carnis & ſanguinis Chriſti participatione in illo capite tractari. 16.) Bellarminus cap. 22. propoſ. 3. c. 23. reſp. ad rat. 7. concedit, ſpeciem vini eſſe materialem & integralem ſacramenti partem. Atqui negari nec poteſt nec debet, partem materialem & integralem ſacramenti ad integritatem ſacramenti omnino pertinere: quomodo igitur laicis ſine ſpecie vini integrum dabitur ſacramentum? 17.) Concilium Conſtantienſe & Tridentinum diſertis verbis dicunt, *Chriſtum ſub utraque ſpecie panis & vini venerabile hoc ſacramentum inſtituiſſe, & apoſtolis tradidiſſe.* Agnoſcit hoc ipſum Bellarminus cap. 23. §. Neque ideo; ſic ſcribens: *Quia ſacramentum ſub duplici ſpecie inſtitutum eſt, utraque ſpecies neceſſario ab aliquibus ſumenda eſt.* Sed hiſce e diametro adverſatur, quando idem Bellarminus pondere argumentorum noſtrorum preſſus ſcribit cap. 27. reſp. ad ſecundam rationem: *Si proprie & ſecundum evangelium loqui velimus, cœna Domini non conſtat niſi ex una ſpecie. Nam Luc. XXII. ſic legimus:* Cœnantibus illis accepit Jeſus panem. *Et poſtmodum multis interjectis:* Similiter & calicem, poſtquam cœnavit. *Et 1 Cor. XI.* ſimiliter & calicem poſtquam cœnavit. *Itaque in cœna non dedit niſi euchariſtiam ſub ſpecie panis, quae proprie reſpondet cœnae Judaicae & agno paſchali, poſt cœnam autem dedit calicem.* Item cap. 22. §. Huc accedit, quod nullo modo, ut ſacramentum ſit, una ſpecies pendet ab alia: *Nam Dominus prius ſub ſpecie panis ſacramentum confecit ac manducandum dedit, & deinde manducatione abſoluta ſub ſpecie vini ſacramentum confecit & bibendum tradidit.* 18.) Bellarminus inſtitutionem Chriſti ad ſolos apoſtolos tunc præſentes refert. Becanus diſtinguit inter *inſtitutionem & praeceptum;* de utraque ſpecie laicis danda inſtitutionem Chriſti exſtare concedit, præceptum vero negat. 19.) Coſterus in enchiridio a Moguntinenſibus, Trevirenſibus & Colonienſibus Jeſuitis

sultis adprobato scribit: *omnibus christianis libere a Christo permissum esse sub una, vel sub utraque specie communicare.* Sed Bellarminus cap. 25. resp. ad primum arg. ex concilio Tridentino probat, excipi clericos conficientes, qui teneantur ad utramque speciem, sive sint laici, sive sacerdotes. Optarim vero, ostendi jus divinum, quo teneantur sacerdotes conficientes ad utramque speciem, reliqui vero non teneantur. Si confugere velint ad institutionem Christi, opponimus eis, quod apostoli tunc non fuerint conficientes (*). 20.) Bellarminus judicat, satis se obtinuisse, modo id probet & obtineat, *nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* cap. 23. prop. ult. Sed censura Colon. p. 289. utriusque speciei usui omnem omnino fructum spiritualem derogat: *Quicunque sub utraque specie communicant, non solum non fructum aliquem salutis aut gloriam, sed perditionem aeternam ac perpetuam reportant ignominiam.* Hæc omnia dextre concilient, si viri sint.

Bellarmini ἐγκλήματα Luthero in hac quæstione intentata.

§. L. Videamus, quæ fulcra Bellarminus communioni sub una substernat: pollicetur enim diligentem hujus quæstionis explicationem, cum nihil sæpius nec magis invidiosum Romanæ ecclesiæ objiciatur, quam quod contra expressum Dei mandatum privaverit populum usu calicis. Cap. 20. inconstantiæ Lutherum adcusat in hac quæstione, quod utramque speciem modo liberam, modo necessariam esse scripserit, ac remittit lectorem ad septicipitem Joh. Cochlæi, cap. 23. & ad tabulam Casparis Querhameri, in qua notentur 36. contradictiones de hoc articulo. Eandem calumniam repetunt Pistorius, Vetterus, Ungersdorffius atque alii Luthero-mastiges. Resp. 1.) Fides nostra non nititur Lutheri adsertione, sed Christi institutione. 2.) Lutherus cum Augustino se in eorum numero professus est, qui proficiendo scribunt & scribendo proficiunt; in præfat. tom. I. scripta sua priora cum commiseratione legi postulat. *Ante omnia* (inquit) *oro pium lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, imo cum multa miseratione, & sciat, me fuisse aliquando monachum & papistam insanissimum, cum istam causam adgressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus papae, ut paratissimus fuerim, omnes si potuissem occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui vel una syllaba obedientiam detrectarent, &c. Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa & magna humilime concesserim papae, quae posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia & abominatione habeo & exsecror, dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel ut ipsi calumniantur, antilogiam tempori & imperitiae meae.* 3.) Cumprimis vero in præfat. articulorum Schmalc. tom. VI. Jenensi f. 544. contra illos antilogistas graviter intonat. *Was soll ich sagen? Wie soll ich klagen? Ich bin im Leben, schreibe, predige, vnd lese täglich, noch finden sich solche giftige Leute, die sich vnterstehen, meine Schrifft vnd Lehre stracks wider mich zu führen, lassen mich zusehen vnd zuhören, ob sie wol wissen, daß ich anders lehre, vnd wollen ihr Gifft mit meiner Arbeit schmücken, vnd die armen Leute vnter meinem Namen verfüren. Was will doch immer nach meinem Tode werden? Ja ich solte alles billich verantworten, weil ich lebe. Ja wiederumb, wie kan ich allein alle Mäuler des*

(*) Cotterus in enchir. c. 10. *Diligenter notandum, hanc consuetudinem non tam episcoporum mandato, quam populi usu & facto, conniventibus tamen praesulibus, irrepsisse, quam abstinentiam episcopi propter quaedam pericula comprobabant.* Sed reliqui Pontificii ex verbo Dei & veteris ecclesiæ consuetudine communionem sub una specie probare fatagunt. Communionem sub utraque specie quidam faciunt peccatum contra primum præceptum, ut videre est in libro, qui inscribitur: *Exercitium pietatis, in gratiam studiosorum auctoritate cardinalis Radzivilii* scriptum & editum Coloniæ anno 1592. in c. de methodo recte confitendi: *Circa primum praeceptum inquiratur, an fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis &c. ut sub utraque specie communicando.* GERHARDUS.

des Teuffels ſtopffen? &c. Tom. VII. Jenenſ. f. 247. *Es ſind viel Sprüche in der Schrifft, die nach den Buchſtaben wider einander ſind, aber wo die Urſachen angezeiget werden, iſt alles recht. Halt auch wol dafür, daß alle Juriſten vnd Medici ſolches in ihren Büchern auch überaus viel finden werden, und was iſt alles Weſen der Menſchen, denn eitel antilogiae oder widerwertiges ding, biß man die Sachen höret? Darumb ſind meine Antilogiſten trefflich feine fromme Säwe und Eſel, die meine Antilogien zuſammen klauben, und laſſen die Urſachen anſtehen, ja verdunckeln ſie mit fleiß, gerade als könte ich nicht aus ihren Büchern antilogias fürtragen, da ſie auch nicht mit einiger Urſach zu vergleichen ſind.* Vid. plura de conflictis hiſce Lutheri antilogiis apud Georg. Zeæmannum, theologum Lavinganum, in refut. ſcripti Ungersdorffii part. II. c. 17. 4.) Bellarminus vehementer exagitat, quod Lutherus in formula miſſæ ſcribit: *Si quod concilium ſtatueret aut permitteret utramque ſpeciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, ſed in deſpectum concilii ejusque ſtatuti aut una aut neutra, & minime utraque uti vellemus, maledicturi univerſos, qui ex poteſtate aut ſtatuto concilii utraque uterentur.* Sed legatur integer contextus tom. II. lat. f. 559. tom. III. Jen. germ. fol. 338. & ſententia erit manifeſta. *Poſtquam* (inquit) *evangelium nunc biennio toto apud nos inculcatum eſt, ſatis ſimul indultum & donatum eſt infirmitati, deinceps agendum eſt juxta illud Pauli: qui ignorat, ignoret; &c. quare ſimpliciter juxta Chriſti inſtitutionem utraque ſpecies & petatur & miniſtretur, qui hoc noluerint, ſinantur ſibi, & nihil miniſtretur ipſis. Nec quemquam id morari debet, quod concilium jactant, in quo id rurſum licere ſanciatur. Nos Chriſti jus habemus, & concilia nec morari, nec audire volumus, in his, quae manifeſte ſunt evangelii. Quin amplius dicimus, ſi quo caſu concilium propria auctoritate id ſtatueret aut permitteret, tunc minime omnium nos velle utraque ſpecie poſiri &c. Miraris & cauſam quaeris? audi, ſi tu noſti panem & vinum a Chriſto inſtitutum, utrumque ſcilicet ſumendum eſſe ab omnibus, ut clariſſime teſtantur evangelia & Paulus, ita ut & ipſi adverſarii cogantur id confiteri, nec tamen audes illi credere & fidere, ut ita ſumas, audes vero ut ſumas, ſi homines in concilio illud ſtatuant, nonne tu praefers homines Chriſto? nonne extollis homines peccati ſupra Deum, qui dicitur & colitur? nonne plus confidis in hominum verba, quam in Dei verba, imo verbis Dei prorſus diffidis, & ſolis hominum verbis credis? At quanta eſt iſta abominatio & negatio Dei altiſſimi? quae idololatria tum par eſſe poteſt tuae tam religioſae obedientiae erga concilium hominum? nonne potius millies mori? nonne potius unam aut nullam ſpeciem accipere deberes, quam in tali obedientia tam ſacrilega & apoſtaſia fidei accipere? &c.* Loquitur ergo Lutherus ex hypotheſi adverſariorum, ſi communio ſub utraque ſpecie eſſet res adiaphora, a concilio autem obtruderetur ut ſimpliciter neceſſaria, tunc malle ſe ex libertate chriſtiana una vel neutra uti, quam talem abſolutam poteſtatem obedientia ſua concilio tribuere. Loquitur comparate: ſi quis concilii auctoritatem præferret inſtitutioni Chriſti, præſtaret unam aut nullam ſpeciem accipere, quam in tali obedientia ſacrilega & apoſtaſia fidei accipere.

Argumentum primum pro communione ſub una ex concomitantia petitum.

§ LI. Cap. 21. probare inſtituit *concomitantiam* ſanguinis cum corpore in pane & *concomitantiam* corporis cum ſanguine in calice, hoc eſt, ut habet ἐπιγραφὴ capitis, *totum Chriſtum eſſe ſub utraque ſpecie*, ut obtineat, ſanguinem etiam in pane accipi, & proinde non eſſe neceſſarium, ut ſpecies utraque in euchariſtia accipiatur. Reſp. 1.) Bellarminus in *antecedente* probando totus eſt, cum *conſequentiam* probare deberet. Nemo noſtrum negat, Chriſtum, ubicunque adeſt, totum adeſſe, ſiquidem unio perſonalis duarum naturarum eſt indiſſolubilis, ſed ex hoc principio communionem ſub una ſpecie probari poſſe negamus. Heſshuſio, Hamelmanno & Illyrico tribuit quidem Bellarminus, quod *concomitantiam* aperte negaverint, ſed facit ipſis injuriam; nequaquam enim ſimpliciter negant, totum Chriſtum eſſe ſub utra-

utraque specie, sed sacramentali præsentia sanguinem Christi sub pane esse negant, hoc est, negant, mediante pane sacramentaliter bibi Christi sanguinem. 2.) Dicimus ergo, confundi in argumento a concomitantia ducto unionem *naturalem*, *personalem* & *sacramentalem*. Quod corpus Christi non est sine sanguine, id pertinet ad unionem *naturalem* corporis & animæ. Quod Christus, ubicunque præsens est, ut θεάνθρωπος secundum utramque naturam præsens est, id pertinet ad unionem *personalem*. Quod corpus Christi mediante benedicto pane in sacra cœna manducatur, & sanguis ejus mediante benedicto vino bibitur, id pertinet ad unionem *sacramentalem*. Quisquis hæc confundit, non docet, sed seducit. 3.) Agnoscit hoc ipsum Andr. Fricius scriptor pontificius libr. IV. de emend. reip. christ. c. 19. *Separatim comestio nominatur, separatim bibitio ab illa sapientia, cui sapientia omnis humana de inseparabilitate sanguinis vivi a carne viva cedere debet, non enim hic disputandum est ex rationibus humanis, sed voluntas Christi intuenda, quae convivium non mancum instituit, sed cibo addidit potum.* 4.) Contra expressum Dei verbum nullæ ratiocinationes humanæ audiri debent, sed de communione sub utraque specie exstat dictum Christi mandatum: *Edite, hoc est corpus meum*; *Bibite, hoc est sanguis meus; Hoc facite in mei commemorationem.* Contra illam Christi institutionem non debet audiri ratiocinatio humana de concomitantia. 5.) Si dicas, concomitantia exstat in Dei verbo, proinde non est principium rationis: resp. ad argumentum theologicum non solum requiritur veritas principii, sed etiam legitima ejusdem adplicatio, ut exemplis quamplurimis demonstrari potest. Verum est principium, quod Christus habeat verum & naturale corpus humanum, sed vitiose ex eo infertur, quod corpus Christi non sit præsens in sacra cœna; ideo talis adplicatio illius principii ad ratiocinationes humanas seductrices rejicitur, quamvis principium ipsum sit theologicum & immotæ veritatis. Id ipsum de concomitantia dicimus. Verum est principium, quod Christi corpus non sit sine sanguine, sed vitiose ex eo infertur, quod communio sub utraque specie non sit necessaria, quia hoc consequens repugnat institutioni Christi, ideo talis adplicatio illius principii itidem ad ratiocinationes humanas seductrices merito rejicitur. 6.) Si enim liceret eo modo pro nostro arbitrio contra Christi institutionem argumentari, posset totum eucharistiæ sacramentum uno impetu everti. *Quotquot baptizati sunt, Christum induerunt*; Gal. III. 27. *& Christus per fidem habitat in cordibus nostris*; Eph. III. 17. illud *habitare* respicit præsentiam gratiæ; jam vero ubicunque Christus præsens est, totus ut θεάνθρωπος præsens est: hinc juxta medium terminum Bellarmini promte inferri posset, quorsum igitur opus erit eucharistia? sed modestia & simplicitas christiana institutionem, ordinationem & voluntatem Christi omnibus humanæ rationis argutiis longissime præfert. 7.) Si propterea, quia Christus sub utraque specie totus est, judicandum, institutioni satisfieri sola benedicti panis manducatione, cur sacerdotes utramque speciem sumunt? Respondent, id requiri propter sacrificium, sed hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. 8.) Res ergo eo redit, quod de legitima sacræ cœnæ administratione & participatione non ex rationis acumine, sed ex auctoris dictamine sit judicandum. Quod enim in cœna mediante benedicto pane corpus Christi edatur, & mediante benedicto vino ipsius sanguis bibatur, id ex sola Christi institutione dependet ac discitur, unde sic concludimus. Quæ est ratio benedictionis sacramentalis, ea etiam est ratio præsentiæ sacramentalis: at benedictio sacramentalis efficit, ut panis sit κοινωνία corporis, & vinum sanguinis Christi, 1 Cor. X. 16. non contra, (distincte enim apostolus loquitur:) ergo etiam sacramentalis præsentiæ ea est ratio, ut cum pane corpus manducandum detur, cum vino sanguis Christi bibendus exhibeatur, non contra. Propositionis veritas manifesta est, quia præsentiæ sacramentalis fundamentum unicum & causa solitaria est Christi institutio, quam cum nostra benedictione repetimus, juxta Christi institutionem ad usum sacramentalem externa symbola destinamus. Huc respiciunt nostrates, quando distinguunt inter *præsentiam* & *sumtionem*: sanguinem esse in corpore Christi

præsentem concedunt, sed sacramentaliter cum pane sumi negant, quia Christus voluit sub pane manducari corpus, sub vino bibi sanguinem. Distinguunt etiam inter causam *naturalem* & *voluntariam*. Bibitio sanguinis Christi in sacra cœna non pendet ex causa naturali, sed voluntaria, testamentaria scilicet Christi dispositione. 9.) Quæcunque præsentia corporis & sanguinis non est sacramentalis, ea hoc loco nec potest nec debet attendi. Præsentia, quæ oritur ex concomitantia & ex unione personali, non est sacramentalis. Ergo hoc loco non est attendenda. 10.) Quod Christus dicit in cœna bibi, illud non editur. Atqui dicit sanguinem suum mediante benedicto poculo bibi. Ergo is non editur; & per consequens, qui non accipiunt benedictum poculum, illi etiam non bibunt sanguinem Christi sacramentaliter. 11.) Si sanguis Christi ideo sacramentaliter bibitur sub pane, quia est corpori Christi unitus, sequetur, omne id, quod corpori Christi est unitum, sub pane sacramentaliter manducari ac bibi. Ratio *connexionis* est manifesta, quia unitorum eadem utrobique ratio. Sicut sanguis Christi corpori est unitus naturaliter, ita quoque anima naturaliter illi est unita, & divinitas personaliter. Sequetur ergo, etiam animam ac divinitatem Christi sub pane sacramentaliter manducari ac bibi. 12.) Necessario igitur distinguendum, uti diximus, inter præsentiam *naturalem*, *personalem* & *sacramentalem*, id quod ipsi adversarii coguntur agnoscere. Sic enim Bellarminus in hoc ipso capite §. sed antequam scribit: *Sunt, qui existimant, ex verbis cœnæ Domini*: Hoc est corpus meum, *colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim, voce corporis eo loco significari corpus vivum, & proinde corpus cum anima & sanguine. Significari autem corpus vivum probant, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cum illa diceret, tunc autem vivum corpus habebat, non mortuum.* Postea addit Bellarminus ἐπίχρισιν. *Haec sententia repugnat concilio Tridentino & mysterio eucharistiae, nec concludit argumentum pro ea adductum. Nam etiamsi Dominus vivus esset, cum dicebat*: Hoc est corpus meum, *& proinde loqueretur de corpore, quod tunc vivum erat, tamen per vocem* corpus *non significabat nisi corpus, id est, partem illam naturae humanae, quae cum anima componit hominem.* Hæc Bellarminus, ex quibus sic infero: Si ex verbis cœnæ propterea non potest probari concomitantia, quia Christus per vocem *corpus* non significabat nisi corpus, multo minus bibitio sacramentalis sanguinis Christi sub specie panis ex illis colligi potest. Si enim Christus dicens: *Accipite, hoc est corpus meum*, non sanguinem vel animam vel divinitatem, sed tantum corpus suum designat, utique mediante benedicto pane non sanguis, non anima, non divinitas, sed tantum corpus Christi sacramentaliter manducatur. Gregorius de Valent. disp. VI. quæst. 3. de præs. Christi in eucharist. puncto 1. *Corpus Christi est in eucharistia modo sacramentali & per accidens, nempe ratione eucharistiae. In cœlo autem est modo naturali & per se. Praesentia enim sacramentalis ejusdem Christi corporis & praesentia naturalis in alio atque alio loco minime inter se opponuntur contradictorie, cum utraque praesentia per affirmationem asseratur.* Hæc Valentinianus, ex quibus sic infero: Si ex præsentia naturali inferri posset præsentia sacramentalis, sequeretur, corpus Christi etiam in cœlo sacramentaliter esse præsens. 13.) Nec valet argumentum: Si corpus Christi editur, & non simul accipitur sanguis Christi, ergo corpus ex-sangue & mortuum editur. *Communis est christianorum sensus*, (scribit hoc loco Bellarminus §. denique) *ut in eucharistia sub specie panis se accipere credant non aliquod cadaver, sed ipsum vivum atque integrum Christum. Apud haereticos autem, qui concomitantiam negant, non solum sumitur cadaver ipsorum opinione, sed etiam ipsi eorum ministri, quoties cœnam faciunt, toties Christum re ipsa occidunt, vel certe se credunt occidere.* Resp. somnia rationis non sunt opponenda expresso Dei verbo. Non statuimus separationem sive dissolutionem naturarum, vel sanguinis vel animæ a Christi corpore, nec divulsionem λόγῳ a sua carne introducimus, sed distinctam corporis Christi mediante pane manducationem & sanguinis Christi mediante vino bibi-

bibitionem sacramentalem a Christo institutam esse urgemus, rationem sub obsequium fidei captivamus, & in Christi institutione humili obedientia fidei adquiescimus, scientes, quod Christus sit *Dei sapientia*. 1 Cor. I. 24. 14.) Si eo modo in rebus divinis liceret argutari, possemus ex hypothesi adversariorum ita procedere: panis convertitur aut in corpus vivum aut in mortuum. Non in mortuum, nam ut scribit Bellarminus hoc loco §. secundum: *Deus non facit, nec facturus est in aeternum, ut Christi corpus alicubi reperiatur mortuum.* Ergo in vivum; atqui corpus vivum non est sine sanguine. Ergo panis etiam convertitur in sanguinem, quod tamen negant Pontificii: sic enim scribit Bellarminus h. l. §. sed haec sententia: *quod est sub specie panis vi sacramentalium verborum, non est nisi sanguis.* 15.) Ex dictis Durandi, Bonaventurae & aliorum Scholasticorum superius citatis adparet, ne ipsos quidem Scholasticos concedere Bellarminianam argumentationem. Distinguunt enim inter integritatem *totius Christi* sub utraque specie praesentis, & inter integritatem *sacramenti*; ex illa hanc legitime inferri negant, sed ad integritatem sacramenti utramque speciem requiri adstruunt. De concomitantia vide plura apud Lutherum in scripto de utraque specie sacramenti, anno 1528. edito tom. 3. germ. pag. 574. (*):

2.) *Totam sacramenti rationem in una specie inveniri.*

§ LII. Cap. 22. Bellarminus conatur probare, totam sacramenti rationem in una specie inveniri, ex quo rursus infert, communionem sub una specie esse legitimam. *tionem in una specie inveniri.*

Resp. 1.) Scholastici ipsi non concedunt, ad integritatem sacramenti unam speciem sufficere, ut vidimus superius. 2.) Institutio Christi ostendit non solum panem, sed & vinum ad sacramenti integritatem pertinere, nec manducationem solum, sed etiam bibitionem a communicantibus requiri: contra hanc institutionem Christi nullae rationis argutiae sunt audiendae. 3.) Panis & vini usus vel constituunt unum sacramentum, vel duo. Posterius dici nequit. Sic enim Bellarminus in hoc cap. prop. 4. scribit: *Duae species sacramenti cum simul sumuntur, non sunt duo sacramenta, sed unum.* Ergo prius, & per consequens usus calicis ad integritatem sacramenti pertinet. 4.) Si una species integrum constituit sacramentum, sacerdotes sument geminatum sacramentum, semel sub specie panis & iterum sub specie vini. Bellarminus respondet, *duas species a sacerdotibus sumi non propter sacramenti sed sacrificii integritatem*, sed haec est petitio principii. Christus non sacrificium sed sacramentum ac coelestе epulum instituit. Sed demus, coenam esse sacrificium, unde probabitur, propter integritatem sacrificii utramque speciem necessario a sacerdote sumi? Bellarminus adfert tres rationes: Primo *quia eucharistia, ut sacrificium, significat Christi passionem, est enim quaedam imitatio sacrificii in cruce peracti, sola autem species non repraesentat exacte Christum ut mortuum, nisi ab altera parte conspiciatur sanguis ut effusus: & similiter sola species vini non re-*

(*) Ubi sic scribit: *Hierzu schlegt die concomitantia, das ist, die Folge, weil Christus Leib nicht ohne Blut ist, so folget daraus, daß sein Blut nicht ohne Seele ist, daraus folget, daß seine Seele nicht ohne die Gottheit ist, daraus folget, daß seine Gottheit nicht ohne den Vatter und heiligen Geist ist, daraus folget, daß im Sacrament auch unter einer Gestalt die Seele Christi, die heilige Dreyfaltigkeit gegessen und getruncken wird samt seinem Leib und Blute. Daraus folget, daß ein Meßpfaff in einer jeglichen Meß die H. Dreyfaltigkeit zweymal opffere und verkeuffet, daraus folget, weil die Gottheit nicht ohne die Creatur ist, so muß Himmel und Erden auch im Sacrament seyn, daraus folget, daß der Teuffel und die Hölle auch im Sacrament seyn, daraus folget, daß wer das Sacrament auff einerley Gestalt isset, der frisset den Bischoff zu Meissen mit seinem Mandat und Zeddel, daraus folget, daß ein Meißnischer Priester seinen Bischoff in einer jeglichen Messe zweymal frisset und seuffet, daraus folget, daß der Bischoff zu Meissen muß einen grössern Leib haben, denn Himmel und Erden. Und wer will alle Folgen immermehr erzehlen? Aber zuletzt folget auch daraus, daß alle solche Folger Esel, Narren, blind, toll, unsinnig, rasend, thöricht und tobend sind, diese Folge ist gewiß &c.* GERHARDUS.

praesentat sufficienter Christum ut immolatum, non enim solus sanguis est victima. Praeterea *in sacrificio missae debet esse re ipsa, quod fuit in typo in sacrificio Melchisedech, cum Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. CIX. Melchisedech autem obtulit panem & vinum. Gen. XIV.* Denique *sacrificium proprie ordinatur ad remissionem peccatorum, unde dicitur propitiatorium, sine sanguinis autem effusione non fit remissio; Hebr. IX. necesse igitur fuit, ut perspicue repraesentaretur sanguinis effusio.* Resp. hae rationes (praeterquam quod falsa hypothesi de vero & reali sacrificio a Christo in coena instituto nituntur) id solum probant, speciem vini in sacrificio esse necessariam, nequaquam vero probant, praeter speciem panis etiam vini speciem a sacerdotibus necessario *sumendam* esse. Si confugiant ad mandatum Christi: *Bibite*, urgemus hoc, quod datum fuerit apostolis non conficientibus, ac proinde laicorum vicem in prima coena repraesentantibus: hic autem quaeritur de mandato, quod utramque speciem a sacerdotibus conficientibus accipiendam esse probet.

§. LIII. Quomodo vero probat Bellarminus, unam speciem tam esse integrum sacramentum, quam ambas? *In quolibet sacramento* (inquit) *requiritur significatio & causalitas, haec autem reperiuntur in qualibet specie. Siquidem significatio eucharistiae, ut est sacramentum, duplex est: prior internae refectionis, posterior unionis fidelium inter se & cum Christo. Utraque autem significatio in qualibet specie reperitur. Nam in specie panis significatur sufficienter refectio animae, etiamsi non adderetur species vini, & similiter in specie vini, etiamsi non adderetur species panis. Nam etiamsi species panis non significet refectionem spiritualem, nisi per modum cibi, & species vini non significet eandem refectionem, nisi per modum potus, tamen ut aliquid dici possit absolute & vere sacramentum, satis est, si significet refectionem aliquam spiritualem, & eandem revera efficiat. Quocirca duo illa signa, species scilicet panis & species vini, non tam essentiales, quam integrales partes hujus sacramenti esse videntur, ex quo sequitur, ut eucharistia sub una specie sit verum & integrum sacramentum essentialiter, licet etiam pars sacramenti dici possit, si partes materiales symboli externi considerentur &c. Quod attinet ad alteram significationem, in specie sola panis & in specie sola vini significatur unio fidelium cum Christo & inter se. Quantum ad causalitatem seu efficientiam, eadem reperitur in qualibet specie hujus sacramenti. Nam tota efficientia nascitur ex Christo, qui sub illis speciebus continetur, Christus autem idem & totus est, tam sub specie panis, quam sub specie vini. Accedit, quod quaelibet species habet propriam materiam, propriam formam, & quod est amplius, propria quadam actione & consecratione conficitur, nec ullo modo, ut sacramentum sit, una species pendet ab alia. Nam Dominus prius sub specie panis sacramentum confecit & manducandum dedit, ac deinde manducatione absoluta sub specie vini sacramentum confecit & bibendum tradidit. Id ipsum ex figuris vet. test. probatur &c.* Haec Bellarminus. Resp. 1.) Primarium officium panis & vini in sacra coena non est significare ac repraesentare, sed esse medium, organum & vehiculum, per quod communicantibus exhibeantur res coelestes, corpus scilicet & sanguis Christi. Illa vero κοινωνία juxta manifestam Christi institutionem & apostoli declarationem ita comparata est, ut panis sit κοινωνία corporis, vinum autem sanguinis Christi, ac proinde una species ad sacramentalis usus integritatem non sufficit. 2.) Num vero plena & perfecta refectio est absque potu? medici tradunt & experientia attestatur, homines gravius torqueri siti, quam fame. Si ergo species panis significat refectionem tantum per modum cibi, ergo non significat perfectam refectionem. Et vicissim, si species vini significat refectionem tantum per modum potus, ergo non significat perfectam refectionem. 3.) Essentia ac forma eucharistiae consistit in actione a Christo definita & expressa, sicut & baptismi ac reliquorum sacramentorum forma. Actio illa in eucharistia non est tantum benedicti panis manducatio, sed etiam benedicti vini

vini bibitio. Ergo usus calicis est pars essentialis eucharistiæ. 4.) Si species vini ex concessione Bellarmini est pars integralis & materialis, utique erit in usu eucharistiæ necessaria. Sublata enim parte integrali & materiali, res ipsa non amplius manet integra. 5.) Si unio fidelium cum Christo & inter se *optime* una solum specie significatur, cur Christus sub utraque eucharistiam instituit? cur primitiva ecclesia utramque speciem usurpavit? 6.) Quæ de efficientia sacramenti perfecte ab una specie promanante disputantur, fundamento concomitantiæ nituntur. De efficacia sacramenti eucharistici judicandum est ex propria institutionis sede, quæ ostendit, mediante pane manducari corpus Christi, quod pro nobis in mortem traditum, mediante vino bibi sanguinem Christi in ara crucis pro peccatis nostris effusum. 7.) Si nullo modo una species ab alia pendet, ut sit sacramentum, quomodo concilium Constant. & Trident. dicunt, Christum sub utraque specie eucharistiam instituisse? 8.) Pars una nunquam est totum, neque una pars absolvit totum. Singulæ species sive symbola in cœna sunt partes eucharistiæ totius, nempe essentiales terrenæ. Ergo singulæ species sive symbola in sacra cœna non sunt ipsum totum, nempe integrum eucharistiæ sacramentum. 9.) De figuris, quas Bellarminus addit, infra suus erit dicendi locus (*).

§. LIV. Cap. 23. conatur Bellarminus probare, non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una. Resp. 1.) Alensis part. IV. quæst. 53. membr. 1. Caspar Cassalius libr. II. de cœna cap 25. Georg. Cassander de comm. sub una specie, & ex parte Ruardus Tapperus, decanus Lovanienſis, ex ipsis Pontificiis hoc negant. 2.) Fundamentum eorum omnium, quæ Bellarminus hoc loco adducit, est concomitantia, de qua superius. 3.) Si non sumitur major utilitas ex communione sub utraque specie, quam sub una, cur Christus hoc sacramentum instituit sub utraque, ut concilium Constant. & Trident. concedunt? ita nimirum *justificatur sapientia a filiis suis.* Luc. VII. 35. 4.) Non potest sperari fructus ex eucha-

3.) Non sumi majorem utilitatem ex communione sub utraque, quam sub una specie.

(*) Alii ex Pontificiis urgent, *etiam una specie dominicam passionem repræsentari, idque docuisse Lucam eo ipso, dum significationem passionis adjunxit primæ speciei.* Joh. Gibbonus in thesib. de communione sub una specie, Treviris anno 1583. propositis, thes. 114. *Resp.* Lucas ea propter non excludit alteram speciem, utpote quam statim subjicit. Lucas significationem passionis adnectit primæ speciei, Matthæus alteri, Paulus utrique: ex quo manifestum redditur, utraque specie simul dominicam passionem significari & non una tantum; alter enim evangelistarum ex altero explicandus est, alioquin ex Marco colligeretur, mortem Christi neutra specie significari, quando quidem ille non subjungit hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem.* Exstant in iure canonico dicta veterum, in quibus non una sed utraque specie passio Domini denotari dicitur cap. cum frangitur dist. 2. de consecr. cap. quia morte, dist. ead. Stanisl. Grodicius in post. fer. II. pasch. conc. II. *In vitam rediit Lazarus ad solam Christi vocem, Johan. XI. filius viduæ & filia archisynagogi tum ad vocem tum ad tactum, illic quidem loculi, hic vero manus puellæ. Vides tantumdem unam, quantum plures ceremonias valere. Ergo in eucharistia tantumdem sub una specie, quantum sub utraque sumitur.* Resp. 1.) A posse ad esse non valet consequentia. Non negamus, quemadmodum Christus vel sola voce, vel tactu cum voce conjuncto, vel solo nutu vel pluribus modis eundem effectum miraculosum potuit producere; ita etiam eundem potuisse & posse sub una specie seu elemento sacramentali tam sanguinem quam corpus suum exhibere, si voluisset. Noluisse enim illum, testamenti sanctio manifestum fecit, in qua diserte dicit: *Hoc facite.* 2.) Nihil ergo ad rem pertinet talis analogia, quæ a liberis ceremoniis actionis privatæ & ad imitationem vel continuationem nunquam trahendæ ad sacramentalem actionem traducitur. Hoc erat ostendendum, postquam Dominus sacramenta certis substantialibus requisitis sua institutione expresse circumscripsit, liberum mansisse apud fideles, vel etiam libere & pie factum esse ab apostolis aliisque fidelibus, ut unum vel plura omitterentur cum Dei beneplacito & salva integritate sacramenti. GERHARDUS.

eucharistiæ sacramento, si contra institutionem Christi celebretur. Eam vero utriusque speciei sive symboli externi usum requirere, ostendimus suo loco. Sed videamus, quomodo Bellarminus thesin suam probet. Format quatuor propositiones. 1.) *Ejus fructus, quem Lutherani omnes in sacramentis quaerunt, non minus percipiunt, qui sub una specie communicant, quam qui sub duabus. Nam fructus, quem Lutherani in sacramentis quaerunt, est excitatio fidei vel confirmatio; dicunt enim, sacramenta non aliter prodesse quam significatione sua tanquam visibili verbo repraesentando promissiones Dei. Iste autem fructus melius obtinetur videndo eucharistiam in mensa, quam eam manducando, nam dum manducatur, continuo perit significatio, at dum cernitur & attente cogitatur, semper repraesentat & significat promissiones Dei, etiamsi per integrum annum quis eam cernere vellet. Praeterea significatio melius adprehenditur per oculos, quam per gustandi sensum, cum sit illa longe spiritualior & aptior ad intelligentiam juvandam. Nihil ergo fructus perit communicantibus sub una, quia licet unam tantum ore sumant, tamen oculis utramque sumunt* (*). Sed resp. nequaquam dicimus, sacramenta non aliter prodesse, quam significatione sua: sed duos principales sacramentorum fines statuimus, *primo* quod sint salutaria & efficacia media, per quæ bona evangelii propria, videlicet gratia Dei, remissio peccatorum, justitia & vita æterna nobis offerantur & credentibus adplicentur: *deinde* quod sint sigilla, quibus promissiones evangelii ad fidei confirmationem obsignentur. Hic fructus omnino requirit, ut vera fidei obedientia juxta Christi institutionem sacramentis utamur, nihil quidquam addentes vel dementes, vel mutantes. Quare cum in eucharistia non nisi mediante benedicto vino sacramentalem sanguinis sui bibitionem Christus instituerit ac promiserit, ideo non solum benedictum panem manducare, sed etiam e benedicto calice bibere debemus: cum vinum eucharisticum non solum signum, sed etiam organum sit & κοινωνία sanguinis Christi, ideo non ex usu tantum significandi, sed etiam medio participandi de sacramentalibus symbolis judicare debemus. Libr. II. de sacram. c. 2. Bellarminus sententiam nostram sic exponit, quod sentiamus, non sacramenta, sed fidem, quatenus a sacramentis excitatur, justificare. Atqui fidem non opponimus sacramentis, sed conjungimus tanquam subordinata. Et verbum & sacramenta sunt manus Dei offerens, fides ex parte nostra est manus adprehendens. Sacramenta fidem excitant, non solum exterioribus sensibus repræsentando, sed fidem vere conferendo, augendo & confirmando, ut suo loco ostendimus. 2.) *Secunda* Bellarmini propositio hæc est: *Ex qualibet specie percipitur tantum ejus fructus, quem catholici in sacramento quaerunt, quantum necessarium est ad salutem. Fructus ille est gratia Dei animae infusa, sed quaelibet species confert gratiam, cum sit verum sacramentum, & quilibet gradus gratiae sufficit ad implenda mandata, imo etiam ad pellenda omnia peccata.* Resp. principales sacræ cœnæ fines sunt obsignatio promissionis de remissione peccatorum & fidei confirmatio. Promissio de remissione peccatorum notanter addita est calici eucharistico: *Hic calix est nov. test. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ut igitur illa promissio nobis adplicetur, non abrogandus est calicis usus. Et quæ potest esse fidei confirmatio, si propter ratiocinationes humanas a Christi institutione discedimus? Ut Christo inseramur, & vitæ spiritualis ex ipso participes reddamur, requiritur, ut vera fidei

(*) Versus Pontificiorum sunt:
Ut careas rebus, iis est modo de speciebus.
Haud Christus species, sed veras instituit res.
Ut cortex species & verus nucleus est res,
Sic panis species & Christi viva caro res.
Tegmina sunt rerum species, non res specierum.

Adparet species, credenti porrigitur res.
Cur igitur speciem captans rem negligis ipsam?
Sit tibi cura rei, non signi vel speciei.
Si frueris rebus, non cures de speciebus.
Nam pereunt species, sed Christus vera manet res.
GERHARDUS.

dei obedientia panem, qui est κοινωνία corporis Christi, manducemus: & vinum, quod est κοινωνία sanguinis Christi, bibamus. *Haec sumta & hausta*, ait Hilarius libr. VIII. de Trinit. *faciunt, ut Christus in nobis & nos in Christo maneamus.* Quod Bellarminus h. l. addit, *quemlibet gradum infusae gratiae* (nos ex scripturis vocamus renovationem per Spiritum sanctum) *sufficere ad implenda mandata, & pellenda omnia peccata*, de eo quid statuendum sit, in tractatu de justificatione ostensum fuit. 3) *Tertia* Bellarmini propositio succedit; *Licet plus gratiae & fructus ex utraque specie, quam ex una caperetur, non propterea opus esset vel expediret, ut omnes utramque speciem sumerent. Nam ex duobus malis semper est minus eligendum, est autem minus malum, ut homines aliqui careant aliquo bono non necessario, quam ut sacramentum Dei evidenti periculo irreverentiae exponatur. Exponeretur autem evidenti periculo, si communiter populo daretur eucharistia sub specie vini: moraliter enim fieri non posset, quin saepius effunderetur sanguis Domini: & confirmatur exemplis similibus. Certe sacerdotium gratiam confert, nec tamen expedit omnibus fieri sacerdotes. Parvulis eucharistia gratiam conferret, & tamen, quia ea non indigent necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, non datur eis neque a catholicis, neque ab haereticis. Praeterea plus gratiae recipi potest ex frequenti communione sub una specie, quam ex rara sub utraque, non igitur necessaria est communio sub utraque, cum facili negotio compensari possit damnum, si quod sit. Denique posita veritate secundae conclusionis magis lucratur, qui ut ecclesiae obediat, communicat sub una, quam qui sub duabus, sine illo ingenti obedientiae fructu.* Resp. si communio sub utraque specie hoc sacramentum evidenti irreverentiae periculo exponit, qui fit, quod Christus sub utraque specie illud instituit? num hoc periculum ei ignotum fuit? de tota hac re plura suo loco. Exempla de sacerdotio & communione infantum sunt dissimilia. Sacerdotium est institutio *status*, ad quem non omnes christiani obligantur, sed eucharistia est institutio *ritus*, qui ad totam ecclesiam spectat. Quod parvulis non datur eucharistia, illud non fit propter periculum irreverentiae, ut Bellarminus putat, sed quia probare se nondum possunt juxta praescriptum apostoli 1 Cor. XI. 28. Libr. I. de bapt. c. 9. resp. ad 9. argum. Anabapt. Rectius differit Bellarminus de causa, propter quam infantibus non datur eucharistia, nimirum quia ipsis non est a Christo instituta. Quod plus gratiae recipi dicit ex frequenti communione sub una specie, quam ex rara sub utraque, ad illud respondemus, nec raram nec frequentem communionem sub una specie institutioni Christi convenire, sed frequentem communionem sub utraque. Denique quod Bellarminus concludit, magis illum lucrari, qui, ut ecclesiae obediat, communicat sub una, quam qui sub duabus sine ingenti illo obedientiae fructu, illud convenit cum eo, quod olim Zieglerus contra Waldenses scripsit: *Nos unam tantum speciem sub obedientia Romanae ecclesiae manducamus, certi quia per hoc obsequium fidei vivamus in aeternum.* Verum haec est coeca & praeposlera obedientia. Fidei obedientiam nobis commendat scriptura Rom. I. 5. XVI. 26. Fides autem respicit verbum. Vera ecclesia inhaeret verbis sui sponsi. *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis*, dicit salvator. Joh. VIII. 31. Dispositio de usu calicis intermittendo est contraria institutioni, ut fatetur concilium Constantiense sess. XIII. & Gregor. de Valentia de missa f. 95. quomodo igitur pro veræ ecclesiae dispositione acceptari potest? Animadvertenda autem hoc loco praeposlera disputandi ratio Pontificiis usitata. Quæritur: an lex illa de communicatione laicorum sub una tantum specie sit legitima? Adfirmat Bellarminus, quia est lex ecclesiae, hoc est, concilii Constantiensis & Tridentini: at de hoc ipso est quæstio, an scilicet concilia illa recte statuerint. 4.) *Quarta* propositio Bellarmini haec est: *Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.* Hanc propositionem fatetur non esse adeo certam, ut est superior, cum de ea varie sentiant theologi, neque concilium eam aperte definierit; probat vero eam hoc modo: *Si sumtio utriusque speciei plus gratiae aut fructus spiritua-*

lis

lis conferret, quam sumtio unius, id necessario oriretur vel ex symbolo continente, vel ex re contenta. Ex symbolo id nasci non potest, quia symbolum non operatur, nisi per virtutem sibi impressam, in eucharistia autem loco virtutis impressae est ipse Christus, sive corpus ejus & sanguis. Nec ex re contenta major gratia oritur, quia unus & idem Christus est in utraque specie. Resp. panis benedictus est communicatio corporis Christi, vinum benedictum est communicatio sanguinis Christi, 1 Cor. X. 16. qui ergo calicem in sacra cœna non usurpant, de communicatione sacramentali sanguinis Christi certi esse nequeunt. Urget Bellarminus fructum, qui percipitur ex obedientia erga decreta ecclesiæ: rectius feciſſet, si respexisset fructum, qui percipitur ex obedientia erga institutionem Christi. Quæcunque Bellarminus hoc loco disputat, nituntur fundamento concomitantiæ, de qua superius fuit actum. Argumentamur autem contra illum hoc modo: si non plus fructus percipitur ex utraque specie, quam ex una, quare sacerdotes non sunt contenti una specie? Bellarminus hic mutat quadrata rotundis, & andabatarum more pugnat: *Dico*, inquit, *sumtionem eucharistiae sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in sumtionem utriusque speciei ut in unam causam esse referendam, quandoquidem ad unam refectionem utraque species confert.* (At si utraque species est causa gratiæ sacramentalis, ergo laici communicantes sub una specie non fiunt participes gratiæ sacramentalis, quia ubi duæ causæ ad effectum producendum requiruntur, altera non agit sine altera.) Pergit Bellarminus: *Posset etiam dici, eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi tota sumtione eucharistiae absoluta. Et quia cum sequitur utraque species, non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species, ideo eucharistiam sub specie panis conferre quidem gratiam, sed non ante sumtionem alterius speciei.* (Atqui si eucharistia non confert gratiam sub specie panis, nisi tota sumtione eucharistiæ absoluta, & si non censetur absoluta sumtio, nisi cum sumta est utraque species, consequens est, communionem sub una specie non conferre gratiam, quia ex institutione Christi utraque species sequi debet.) Pergit Bellarminus: *Sacerdotes non solum non inutiliter sumunt utramque speciem, quia utraque species operatur, sed etiam quia ea sumtio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte sacramenti, nam quia sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessario ab aliquibus sumenda.* (Imo vero ab omnibus, quibus est instituta, jam vero institutio ad laicos spectat, nisi vel aliam quandam institutionem cœnæ pro laicis factam monstrare possint, vel in universum laicos a communione sacramenti excludere velint. *Sed maxime omnium necessaria est sacerdotibus utriusque speciei sumtio ob perfectionem sacrificii.* (At hoc est principium petere. Christus non instituit sacrificium pro sacerdotibus, sed sacramentum pro omnibus christianis.)

§. LV. Cap. 24. conatur Bellarminus variis rationibus probare nullum præceptum divinum a Christo datum de utraque specie sumenda. *Primam* rationem petit a figuris: *Pleraeque figurae eucharistiae manducationem sub una specie significant; ubi quinque figuras enumerat, videlicet lignum vitae in medio paradisi, agnum paschalem, manna, panes propositionis & participationem sacrificiorum* (*). Resp. 1.) Ex allegoriis non ducuntur argumenta apodictica in articulo fidei. *Theologia symbolica non est argumentativa*, dicunt Scholastici. 2.) Applicatio figurarum non est facienda pro arbitrio, sed niti debet literali aliquo scripturæ textu, & cum analogia fidei congruere. Institutio cœnæ verbis propriis & perspicuis utramque speciem requirit: hic literalis textus non est explicandus per figuras, sed potius vet. test. figuræ

4.) Nullum præceptum divinum de utraque specie esse datum, probatur primo ex figuris.

(*) Ita & in confutatione Augustanæ confessionis Faber & Eccius pro confirmanda una specie allegarunt historiam de filiis Heli manducaturis panem, 1 Reg. II. & ex ea concludere voluerunt, solo pane debere laicos esse contentos. Chytræus in Aug. conf. p. 189. GERHARDUS.

figuræ ex illo sunt explicandæ. 3.) Aqua ex petra profluens itidem fuit eucharistiæ figura, fatente Bellarmino: ergone etiam sola species vini usurpari potest? atqui id non concedunt omnes Pontificii. 4.) Proponimus igitur hoc *theorema* theologicum; si multæ figuræ rem unam repræsentant, quidquid est in figuris singulis, quatenus sunt figuræ, id totum est in re figurata. Posset hoc confirmari multis exemplis, sed judicamus, in re manifesta id non esse necessarium. Quando ergo Bellarminus cumulat tales figuras pro una specie, committit ἀλλοτριὸς enumerationis, quia antitypus cœnæ ostendit typum debere esse plenum, ideoque conjungendas figuras cibi & potus. 5.) Et cur non adferunt typum Melchisedeci, quem alias pro stabiliendo sacrificio missatico urgere solent? Melchisedecus protulit panem & vinum, id quod typum eucharistiæ fuisse patres passim docent. Vide Clementem Alexand. libr. IV. στρωμ. Cyprianum libr. II. epist. 3. Eusebium libr. V. demonstrat. c. 3. Ambrosium libr. V. de sacram. c. 1. Epiphanium hæres. LV. Augustinum epist. 95. Theodoretum, Arnobium, Hugonem, Cassiodorum & alios in Psalm. CIX. Bellarminus excipit, *se non contendere pro necessitate unius speciei, sicut nos pro necessitate duarum.* Arqui praxis ostendit contrarium. Concilium Constant. sess. XIII *Sancta synodus declarat, effectualiter puniendos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum sub utraque specie panis & vini exhortati fuerint, & sic faciendum docuerint.* Et postea: *Qui ex illis ad pœnitentiam redire non curaverint animo indurato, per censuras ecclesiasticas, ut hæretici sunt coërcendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.* Vide etiam concilium Trident. sess. XXI. & Gregorium de Valent. de missa fol. 95. Præterea, ne sic quidem satisfit Christi institutioni, quæ non liberum reliquit utriusque speciei usum, sed necessarium esse ostendit. 6.) Adprime hoc loco notandum, quod Paulus de sacramentorum figuris tractans, 1 Cor. X. utrasque figuras cibi & potus conjungit, quando ad eucharistiam eas adplicat, sicque suo exemplo ostendit, non divisim sed conjunctim vet. test. figuras sumendas esse. v. 3. *Omnes eandem escam spiritualem comederunt.* v. 4. *Omnes eundem potum spiritualem biberunt* (*). Regerit Bellarminus, *aquam, cum data est populo in signum spiritualis potus, solam datam esse, sine ullius cibi spiritualis adjunctione.* Resp. imo vero, quia singulis diebus manna cœlitus depluit, inde colligitur, quod eodem tempore manna & aqua ex petra populo data fuerint ad perfectam per cibum & potum refectionem. Quod si vel maxime aqua sine cibi adjunctione fuisset data, tamen ex eo, quod Paulus utramque figuram cibi & potus in hoc negotio conjungit, immote colligitur, quod & nos utramque figuram conjungere debeamus. 7.) In paradiso non solum fuit arbor vitæ, sed etiam irriguus ille hortus quatuor fluminibus ex uno fonte promanantibus humectatus fuit. Genes. II. 10. Non solum caro agni paschalis manducabatur, sed etiam sanguine ejus postes adspergebantur. Gregorius homil. XXII. in evangel. *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Regerit Bellarminus, *sanguinem illum non posse referri ad potum, cum nec biberetur, nec daretur hominibus, & prius linirentur ex eo postes, quam agnus manducaretur.* Resp. non est necesse, ut idem sit in antitypo, quod est in typo, sed sufficit, ut analogum quid in antitypo inveniatur. Sanguinis esu Judæis interdictum fuit: interim ut figura eucharistiæ in typo agni paschalis esset plena, postes domus eo liniri præceptum fuit. 8.) Ex figura

(*) Ambrosius in libr. de his qui init. mysteriis cap. 8. & 9. utramque figuram mannæ & aquæ conjungit. *Manna illud* (inquit) *de cœlo, hoc super cœtum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit: illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis a Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum.* cit. dist. 2. de consecrat. cap. 69. GERHARDUS.

figura participationis sacrificiorum sequeretur, etiam sacerdotes non debere calicem bibere, quia vet. test. sacerdotes carnem victimarum sine sanguinis usu comedebant. Regerit Bellarminus, *sacerdotum bibitionem respondere consumtioni per ignem.* Resp. illa consumtio per ignem non magis spectat ad sacerdotes, quam ad laicos. Recte ergo Cassander de comm. sub utraque specie p. 47. *Exstiterunt quidam, qui vet. test. testimoniis abusi sunt ad probandum, jus Domini sanguinis ad solos sacerdotes, non autem ad fideles pertinere, eo quod in vet. test. offerentes quidem e populo de sacrificiis, quae erant in materia solita, edebant, de libaminibus vero, quae erant in materia liquida, solis ministris, non autem populo libare fas erat: quasi huic commento non satis Chrysostomus occurrat, cum ait: non sicut in lege veteri partem quidem sacerdos comedebat, partem etiam populus, & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos, sed nunc non sic: verum omnibus unum corpus proponitur & poculum unum.* Sacerdotum bibitio in sacra cœna nititur mandato Christi: si enim Christus non instituisset cœnam eo modo, ut manducationi benedicti panis adderetur bibitio benedicti vini, nunquam ex typo consumtionis per ignem vel libaminum bibitio sacerdotum probari posset. Atqui eodem Christi mandato nititur & laicorum bibitio (*). Bellarmini adplicatio nititur falsa hypothesi, quod scilicet sacra cœna sit sacrificium propitiatorium vere & proprie sic dictum. 9.) Quod si vel maxime bibitio sacerdotum ex consumtione sacrificiorum per ignem vel libaminum potu utcunque probari posset, quid de reliquis figuris fiet? Si enim argumentum a figura arboris vitæ, agni paschalis, mannæ & panum propositionum deductum efficaciter concludit, sequetur, etiam sacerdotibus sub una tantum specie communicandum, siquidem non solum laici, sed etiam sacerdotes in illis figuris cibum absque potu habuerunt. 10.) Concludimus igitur responsionem ad hoc argumentum forti inversione. Quia in paradiso non solum fuit arbor vitæ, sed etiam irrigatio fluminum, Gen. II. 10. quia Melchisedecus non solum panem, sed etiam vinum protulit, Gen. XIV. 18. quia non solum caro agni paschalis fuit manducata, sed etiam sanguine ejus postes & limina domuum adspersa, Exod. XII. 7. quia Israëlitis non solum manna ex nubibus, sed etiam aqua ex petra fuit data, Exod. XVI. 15. XVII. 6. quia Eliæ non solum panis tostus, sed etiam aqua per angelum fuit adlata: 1 Reg. XIX. 6. ideo vi institutionis Christi panis eucharisticus non solum manducandus, sed etiam ex calice eucharistico bibendum.

§. LVI. *Secundum* adsertionis suæ rationem petit Bellarminus ex doctrina & exemplo Christi. *Dominus enim, cum Joh. VI. de fructu eucharistiae loquitur, non semel, sed quater unam speciem sufficere docet ad salutem. Ibidem panes multiplicavit, non potum. Luc. XXIV. cum discipulis in Emaus panem fregit.* Resp. 1.) Sacramentalis manducatio & bibitio fundamentum habent in sacræ cœnæ institutione, Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. 1 Cor. XI. sed in cap. VI. Johannis de spirituali manducatione & bibitione agitur, ut ex multis circumstantiis evidentissime probari potest, & suo loco plenius demonstrabimus (**). 2.) Hæc aperta veritas multos ex Pontificiis coëgit fateri, non agi hoc cap. VI. Johannis de sacra-

Secundo ex doctrina & exemplo Christi.

(*) In participatione sacrificiorum Israëlitæ etiam biberunt. Deut. XII. 11. jubentur adducere holocausta, victimas, decimas, &c. ac lætari, at quomodo sine potu reliquias sacrificiorum consumere & cum voluptate convivia illa instituere potuissent? adde, quod vina, id est, primitiæ & decimæ de vino etiam fuerint oblatæ. Deut. XIV, 26. Sic 1 Sam. I. 9. *surrexit Hanna, postquam in Silo comederant & biberant.* In solennibus sacrificiis paschalibus etiam biberunt. Deut. XVI. 1. GERHARDUS.

(**) Bellarminus libr. IV. de sacr. euchar. c. 22. *In spirituali refectione non distinguuntur cibus & potus.* GERHARDUS.

cramentali manducatione. Tales sunt: Biel lect. 84. sup. can. (*). Cusanus card ep. VII. ad Bohem. Cajetanus in p. III. Thomas q. 80. art. ult. Ruard. Tapperus in explic. art. 15. Hesselius l. de comm. sub una specie. Corn. Jansenius c. 59. harm. evang. (**). 3.) Christus in deserto non multiplicavit potum, quia ejus nulla penuria. Figuræ non sunt nostro arbitrio adplicandæ, sed juxta fidei analogiam exponendæ: sæpe plus est in antitypo, quam in uno aliquo typo seorsim sumto. Ratione *generis* potest fieri adplicatio hujus miraculi ad sacram cœnam. Quemadmodum Christus ibidem corporaliter refecit turbam, ita adhuc hodie spirituali cibo in eucharistia nos reficit. 4.) Historiam cœnæ Emauniticæ fatetur Bellarminus ab ipsis Pontificiis varie exponi. Johannes a Lovanio & alii contendunt, *sacramentum eucharistiae datum a Christo fuisse duobus discipulis.* Cornel. Jansenius in expositione illius loci statuit, *panem a Domino benedictum in Emaus non fuisse quidem eucharistiam, sed fuisse tantum eucharistiae figuram, & voluisse Dominum hoc exemplo demonstrare fructum & utilitatem eucharistiae in una specie.* Bellarminus dubitat, quæ expositio alteri præferenda sit, tandem dicit, *utramque expositionem ostendere, quod ea sit utilitas eucharistiae in una specie, ut minime sit existimandum, fuisse imperatum omnibus illius usum in specie utraque.* Idem statuit Sebast. Barradius in conc. evangel. &c. 5.) At priori expositioni merito obvertitur, quod non possit institutio cœnæ pro laicis ex hoc loco excusari, cum omittantur verba substantialia: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Inde Augustinus serm. CCXLVI. de temp. Gregorius hom. XXIII. in evang. atque alii ex veteribus ad communem cœnam referunt, quam explicationem Lyranus probat ex eo, quia Matth. XIV. itidem dicitur, quod Christus *acceptis panibus adspiciens in cœlum benedixerit,*

(*) c. Dupliciter 49. dist. 2. de consecrat. ex Hieronymo c. Credere 59. dist. ead. ex Augustino docetur de spirituali manducatione agi Joh. VI. Suarez libr. II. defens. fidei cathol. c. 5. p. 368. *Multi catholici negarunt, illa verba Joh. VI. intelligenda esse de manducatione sacramentali.* Majerus controv. III. p. 104. §. Sed contra, fatetur, *Christum cepisse illum sermonem de manducatione spirituali Joh. VI. quæ fit per fidem in ipsum.* GERHARDUS.

(**) Quibus laudatis auctoribus hoc nomine graviter succenset Maldonatus in Joh. VI. 53. *Scio* (inquit) *catholicos, scio doctos, scio religiosos ac probos viros esse, sed minime projecto utilem atque fidelem in hac re ecclesiæ operam navaverunt, quod contra scripturæ sensum, contra patrum omnium interpretationem, contra tacitum, imo minime tacitum, sed satis superque explicatum consensum ecclesiæ dixerint, atque contenderint, hoc loco de sacramento non agi, quod, ut benignissime dicam, est temerarium, gravioribusque condemnarem verbis, nisi compertum haberem, homines bene catholicos errore magis animi, quam vitio in hæreticorum sententia impegisse.* Majerus in VIII. controv. cap. 5. p. 87. *Ideo urgens Christus veritatem rei, quæ in hoc sacramento sumitur, perpetuo & manducationem carnis & potum sanguinis inculcat. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum. Loquens vero Christus de specie, sub qua illa sumuntur, tantum abest, ut utramque speciem urgeat, ut calicis vel vini nunquam faciat mentionem, sed perpetuo solius panis tantum. Neque enim in hoc textu aliud reperies, quam mentionem carnis, sanguinis, panis. Panem autem Christus eundem fructum, qui ex sumtione carnis & sanguinis percipitur, (qui fructus est vita æterna) adscribit.* Resp. 1.) Argumentum est a quæstione alienum: Christus loquitur de manducatione spirituali: quæstio inter nos & Pontificios est de manducatione & bibitione sacramentali. 2.) De illo pane Christus loquitur, qui simpliciter & absolute omnibus est necessarius sub æternæ salutis dispendio, v. 53. quique semper pascit ad vitam æternam v. 51. & 54. Jam vero panis & calix sacramentalis non est absolute & omnibus necessarius, quippe absque quo omnes in vet. test. & plurimi in nov. test. sunt salvati, neque panis sacramentalis semper est salutaris, sed sumitur per accidens ad judicium. 3.) Si solius panis perpetuo Christus mentionem facit; ergo non arbitrarie, sed necessario tantum sub una & quidem illa specie omnibus communicandum. 4.) Falsum est, Joh. VI. solius panis fieri mentionem: fit enim mentio non solius comestionis, sed etiam bibitionis sanguinis. v. 53. 54. 55. 56. 57. At sanguis non bibitur sub pane. GERHARDUS.

fregerit & discipulis dederit. Wilhelmus Widefortus, qui contra Wiclefum anno 1396. scripsit, expresse dicit: *neque ex textu, neque ex glossa, neque ex patribus probari posse, fuisse hanc panis eucharistici fractionem.* Cajetanus in cap. XXIV. Luc. *In sola fractione agnitus dicitur inferius, ut intelligamus fractionem fuisse miraculosam, hoc est, quod frangebat panem manibus, sicut alii incidunt cultello.* Dionysius Cartusianus ibidem: *Accepit panem & benedixit, non in suum corpus convertit, sicut in cœna, sed ut moris est benedicere cibum, in quo instruxit nos, ut ante refectionem benedicatur cibus & potus.* Anton. Julianus in postill. *Accepit panem, benedixit, fregit & porrigebat illis, sicut consueverat ante passionem.* Alphonsus de Castro lib. VI. contra hæres. c. ult. non vult definire, *hunc locum ad eucharistiam spectare.* Basilienses & Constantienses concilia voluerunt ex hoc loco communionem sub una specie probare: sed Alb. Piggius in hierarch. dicit de his conciliis, *quod contra legem naturae, contra manifestas scripturas, contra vetustatis auctoritatem & contra catholicam ecclesiae fidem* (in quæstione de primatu papæ) *decreverint.* 6.) Quidam ex nostris contra pontificios hoc utuntur argumento: Si Christus hic instituit cœnam sub una specie, tum sacerdotibus potius, quam laicis una solum species erit exhibenda, quando quidem ipsi pontificii hos duos inter septuaginta discipulos referunt, qui Luc. X. 1. jam ante ad prædicandum emissi fuerunt. 7.) Sed cum obvertere possint, hos discipulos non fuisse conficientes, jam vero sacerdotibus non conficientibus itidem ut laicis unam solum speciem dandam esse, se pugnare: ideo argumentum hoc modo formamus. Aut in voce *panis* admittenda est hoc loco *synecdoche*, ut subintelligatur potus etiam, aut Christus consecravit sine vino: si prius, non possunt communionem sub una specie ex hoc loco probare. Si posterius, ergo etiam hodie sacerdotes sine vino consecrare possunt. Atqui hoc negant, adeo ut Cajetanus in part. III. quæst. 80. art. 12. q. 1. pronunciet, *sacrilegus est sacerdos consecrando panem & non vinum*, quod ipsum etiam agnoscit Bellarminus lib. IV. de euchar. c. 22. ubi in hanc sententiam adlegat concilium Toletanum VII. can. 2. & cap. 25. *Sacerdotes propter perfectionem sacrificii tenentur sumere utramque speciem, cum conficiunt eucharistiam* (*). 8.) Bellarminus negat figuram intellectionis hic habere locum, cum historia evangelica ita conjungat distributionem panis benedicti cum Domini recessu, ut nullum relinquat locum benedicendo vel distribuendo calici: sed argumentum nostrum modo adductum evidenter convincit, aut *synecdochen* hoc loco agnoscendam, aut de vulgari cœna locum accipiendum. 9.) Posteriori expositioni, quod Christus panem tantum fregerit in figuram communionis sub una specie, hoc obvertimus, quod institutio sit norma ac regula sacræ cœnæ legitime celebrandæ, ideo figuras & exempla ad institutionem referenda, nequaquam vero institutionem ex figuris & exemplis limitandam (**).

§. LVII.

(*) Bellarminus de pontif. Rom. p. 511. *Sacerdos missificans non potest sub una specie communicare, quia imperfectum sacrificium redderet.* Costerus in enchir. pag. 408. *Non ob id tantum sub speciebus panis & vini hoc sacramentum est institutum, ut a fidelibus sumatur, sed primo quidem, ut sacrificium offeratur, quo sub specie quidem panis corpus tanquam mortuum, sub specie vero vini sanguis tanquam fusus Deo patri exhibetur: deinde vero ad significandum, hoc sacramento eucharistiae plenam & perfectam dari refectionem spiritualem, quae per cibum & potum hic significatur.* GERHARDUS.

(**) Quidam ex pontificiis adducunt exemplum Pauli Act. XXVII. 35. *Sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, coepit manducare: quem locum de eucharistia accipiendum esse, probant Chrysostomi auctoritate.* Resp. Oecumenius diligens Chrysostomi sectator hunc sumti cibi finem adsignat, μὴ ποτε τῷ λιμῷ διαφθαρῆτε, ergo fuit esca vulgaris, non sacramentum eucharistiæ. Idem adparet ex integro contextu. Qui cum Paulo navigabant, tempestate exorta variis casibus marinis erant macerati ac languidi, quia per 14. dies jejuni permanserant: rogati igitur a Paulo, ut cibum sumerent, tandem paruerunt. Fuere in navi plerique gentiles, quibus sacra cœna administrari non debuit. GERHARDUS.

Tertio ex doctrina & usu apostolorum.

§. LVII. *Tertiam* rationem Bellarminus petit ex doctrina & usu apostolorum. *Nam Actor. II. 42. ita describitur communicatio eucharistiae:* Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus. *Quod de eucharistia ibidem agatur, patet ex eo: 1.) quia conjungitur fractio panis cum doctrina & oratione. 2.) Vituperatio potius quam laus fuisset, de fidelibus commemorare, perseverantes eos fuisse in prandiis & cœnis corporalibus. 3.) Fatetur id Lutherus serm. de euchar. & Calvinus lib. IV. instit. cap. 17. §. 35.* Resp. 1.) Concilium Constant. fatetur, primitivæ ecclesiæ utramque speciem in usu fuisse. Idem agnoscunt multi scriptores pontificii, quorum testimonia adduximus superius. 2.) Locus hic diversimode accipitur a veteribus. Chrysostomus per panem intelligit jejunium & austeritatem vitæ. Oecumenius tenuitatem & simplicitatem victus notari adserit. Glossa interlin. ambigue: *panis sive communis, sive sancti.* Lyranus: *tum quia quotidie communicabant, tum quia omnes cibos, sicut & caetera communia habebant.* Cajetanus: *per singulas domos frangebant panem, quia per singulas domos familiarum conversarum ad Christum fiebat distributio panis.* 3.) Quidam patrum de eucharistia hunc locum accipiunt, sed nullus eorum communionem sub una tantum specie ex illo probare voluit, ut merito miremur impudentiam Hosii, qui de sacr. euch. pag. 34. ex h. l. colligere vult, *Jacobum in sua diœcesi unam tantum speciem administrasse*, cum tamen in liturgia Jacobi p. 26. 36. & 37. utraque species & sanctificetur & distribuatur primum clero, deinde ceteris fidelibus. 4.) Nec verisimile est ullo modo, apostolos ab institutione Christi in administratione sacræ cœnæ discessisse, jam vero Christus sub utraque specie eam instituit. 5.) Argumenta Bellarmini, quæ contra expositionem de vulgaribus epulis format, non sunt apodictica: neque enim simpliciter fractio panis, sed ὁμόνοια & concordia, quæ in publicis cœnis elucebat, in primitiva illa apostolica ecclesia commendatur. Verba sic habent: v. 42. *Erant perseverantes in doctrina apostolorum & communione & fractione panis & orationibus*, ubi communio sacra a fractione panis vulgaris distinguitur. v. 46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panem, sumebant cibum in exsultatione & simplicitate cordis.* 6.) Sed demus, de eucharistiæ celebratione locum accipiendum esse, res tamen ipsa cogit, ut agnoscamus hic *synecdochen*, qua per fractionem panis etiam calicis benedictio & distributio intelligatur; (sicut in oratione dominica nomine *panis quotidiani* victus in genere intelligitur, & per panem vulgaris cœna denotatur Luc. XIV. 1.) alias sequeretur, sine consecratione vini eucharistiam celebrari posse. Bellarminus regerit, *Lucam non describere, quid apostoli, sed quid populi facerent.* Resp. negari omnino nequit, etiam apostolos fuisse membra primitivæ ecclesiæ, at de illis dici nequit, quod solummodo benedictum panem manducarint, nec de calice benedicto biberint. 7.) Ac ne ulla restet dubitatio, urgemus hoc, quod Act. XX. 11. Paulus dicitur, *fregisse panem:* explica id de cœna sacra, & habebis Paulum sub una specie communicantem, cum tamen, ut pontificii solent loqui, fuerit clericus conficiens. 8.) Regerit Bellarminus, *ex conversis quosdam fuisse Nazarenos, qui a vino abstinuerint.* Resp. cessaverant jam leviticæ ceremoniæ, ergo non est ullo modo probabile, quod propter observationem earum primitiva ecclesia ab institutione Christi in celebratione eucharistiæ discesserit. Act. XXI. Paulus observat ritus Nazareorum: num & ille a cœna abstinuit, aut unam solum speciem usurpavit? 9.) Urget Bellarminus *non sine causa de calice*

(*) Κοινωνία a fractione panis expresse distinguitur Act. II. 42. jam vero nomine κοινωνίας intelligitur eucharistia 1 Cor. X. 16. Adde, quod v. 46. sequatur explicatio, *frangentes panem circa domos sumebant cibum cum exsultatione.* GERHARDUS.

dici: 1 Cor. X. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus; de pane autem: panis, quem frangimus: calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur, unde etiam paulo infra dicitur: Unus panis & unum corpus sumus, qui de uno pane participamus.* Resp. cap. seq. resp. ad arg. 3. concedit ipse Bellarminus, in ecclesia Corinthiorum utramque speciem in usu fuisse: cur igitur hoc loco ex epistola ad Corinthios probare conatur, calicem non semper fuisse distributum? Apostolus certe perpetuo ibidem conjungit manducationem panis & bibitionem calicis, unde vulgata versio addidit: 1 Cor. X. 17. *unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Quamvis vero hæc verba in Græco non habeantur, tamen non poterit Bellarminus vulgatam versionem repudiare, nisi velit incurrere fulmen concilii Tridentini, quod quovis prætextu eam rejicere prohibet. Neque quidquam momenti obtinet, quod Bellarminus dicit, *in correctioribus exemplaribus hoc membrum non haberi*, quia olim non erat sic: admoniti a nostris & ad fontes pertracti vel tandem correxerunt. Quod argumentum attinet ex v. 16. deductum, illud nimis infirmum. Si licet Bellarmino ex eo, quod apostolus dicit, *calix cui benedicimus*, colligere, quod calix non fuerit semper distributus, pari ratione colligere quis posset, panem eucharisticum non fuisse semper benedictum, quia Paulus dicit: panis, quem frangimus, non autem, cui benedicimus.

Quarto ex testimonio veteris ecclesiæ, quæ 1.) *nunquam improbavit communionem sub una specie.*

§. LVIII. *Quartam* rationem Bellarminus desumit ex testimonio veteris ecclesiæ, in qua communionem sub una specie licitam fuisse tribus modis demonstrare conatur. I.) *Primo quia nunquam eam reprehendit aut damnavit, cum tamen non ignoraret apud aliquos eam in usu fuisse. Nam Manichaei nunquam communicabant, nisi in una specie panis, nec tamen hunc errorem Epiphanius vel Augustinus notarunt.* Resp. bene est, quod Bellarminus agnoscit, communionem sub una specie a Manichæis ortam, & in ecclesiam introductam esse; quod vero hoc nomine non fuerint a catholicis reprehensi, falsum est: sic enim (*) Leo serm. IV. quadrages. *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemtionis nostrae haurire omnino declinant: quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Hoc Leonis testimonium expendens Petrus a Soto in initio Dillingæ prælecta & impressa scribit, *aperte eo ostendi, quod communio sub una specie contraria tunc fuerit consuetudini catholicorum.* Nec solum in Manichæis hæreticis, sed etiam in superstitiosis christianis communio sub una specie fuit improbata, ut ostendit decretum Gelasii cap. Comperimus dist. 2. de consecr. *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacrati cruoris abstineant, quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi &c.*

§. LIX. II.) *Deinde* (ait Bellarminus) *testimonium veteris ecclesiae haberi potest ex duobus illustribus exemplis haereticorum fraudum. Scribit Sozomenus lib. VIII. hist. c. 5. & Nicephorus lib. XIII. c. 7. fœminam quandam haereticam Macedonianam, cum vellet tegere suam haeresin & se catholicam simulare,*

2.) *Unam speciem reliquit liberam.*

(*) Augustinus lib. XX. contra Faustum cap. 13. *Cur arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio, cum Manichæis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit. In uva enim agnoscunt Deum suum, in cupa nolunt, quoti aliquid eos calcatus & incluſus offenderit. Noster autem panis & calix non quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur, &c.* GERHARDUS.

lare, accepisse in manibus Chrysostomo sacris operante panem eucharistiae tanquam paulo post illum manducaturam, sed clam dedisse illum ancillae, & ab ea sumsisse panem profanum, quem ex domo auferri jusserat, ut illum palam comederet loco eucharistiae, sed eum panem continuo in lapidem conversum. Ergo moris fuit, ut acciperent, qui vellent, eucharistiam sub una tantum specie; at si omnes coacti fuissent bibere de calice Domini, mulier illa nullo modo simulare potuisset. Alterum exemplum est apud Leonem serm. IV. quadrag. ubi de Manichaeis dicitur, eos, ut haeresin suam tegerent, panem eucharistiae sumere solitos cum catholicis, non tantum calicem bibere. Resp. 1.) Concilium Constantiense concedit in primitiva ecclesia communionem sub utraque specie viguisse. 2.) Et repetimus egregium illud Cassandri in consultat. art. XXII. *Satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo in solenni praesertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Graecorum quam Latinorum testimoniis manifestum est.* 3.) Tempore Chrysostomi, quo hanc historiam contigisse scribit Sozomenus, omnibus utriusque speciei usum communem fuisse, ostendimus superius. 4.) Potuit fraus illa foeminae haereticae deprehendi, antequam calicem acciperet, sicut etiam hodie veneficae consecratam hostiam ori solent eximere, eademque ad magicas incantationes abuti, ex quo tamen neutiquam colligi potest, unius solum speciei usum in nostris ecclesiis haberi. Theophylactus in cap. XXVI. Matth. refert, *quod Judas acceptum panem eucharisticum occultarit, & Judaeis non sine irrisione magistri sui monstraverit,* nec tamen inde sequitur, quod non biberit ex calice. 5.) Potuerunt Manichaei cum catholicis in una specie latenter communicare, etiamsi catholici alterius speciei usum adjungerent. Breviter ex incertis conjecturis & factis singularibus non potest de universali consuetudine primitivae ecclesiae judicari, multo minus institutioni Christi quidquam decedere.

§. LX. III.) *Tertium* testimonium Bellarminus petit *ex variis ritibus, qui aperte testentur usum unius speciei.* Primus *ritus est adservatio sacramenti, quae non habet locum, nisi tantum in specie panis.* Resp. 1.) Quid de adservatione eucharistiae statuendum sit, dispicietur inferius. In ecclesia non quid fiat, sed quid fieri debeat, respiciendum, ac de omnibus factis praesertim particularibus ex norma verbi divini judicandum. Jam vero Christus benedictum panem non jussit adservari, sed manducari. 2.) Temporibus Cypriani, Augustini, Hieronymi satis mature quidam abusus in ecclesiam irrepserunt, qui ex prima institutione corrigendi sunt. Cyprianus serm. de lapsis commemorat, *nonnullas mulierculas eucharistiam in arculis & strophiolis adservare solitas.* Baronius tom. I. annal. 57. refert, apud Hieronymum haberi, *quod novis sponsis eucharistia missa fuerit domi sumenda* (*). Si libello illi, qui Amphilochii nomine circumfertur, fidem

3.) *Variis ritibus id ipsum manifestavit, quales sunt 1.) adservatio.*

(*) Formam administrandi eucharistiam Moscovitis usitatam sic describit Alexander Guagninus Veronensis, eques auratus, in descriptione Sarmatiae Europeae de religione Moscovitarum omniumque Rutenorum in cap. de usu euchar. *Sacramenta eucharistiae Ruteni sub utraque specie utuntur, aliud autem pro infirmis & aliud pro communicantibus secundum consuetudinem habent. Pro infirmis sacramentum in hebdomade magna ante paschа die Jovis consecratum in vase mundo per integrum annum servatur. Dum autem id sacerdos pro infirmo daturus est, tum parum vini & aquae tepidae addit, portiunculamque bene humectatam aegroto cochleari de calice porrigit. Si autem puer infirmus fuerit, adeo ut non possit de pane sumere, tunc infunditur ei gutta vini consecrati in os de calice. Pro communicantibus vero secundum consuetudinem sacramentum, dum sacrum sive liturgia peragitur, consecratur, quod sacerdos cochleari ex calice in portiunculas minutas redactum & vino commixtum communicantibus distribuit.* (Adparet ex hac relatione, utramque speciem

fidem habemus, *Basilius ea hora, qua e vivis excessit, hostiae illam partem accepit, quam secum contumulare decreverat, & statim in lecto jacens, Deo gratias egit atque ita exspiravit.* Servatam scilicet per septennium, tot enim a visione illa ad mortem interfunt anni. Ita fictitius Amphilochius in vita Basilii (*). Ex Cypriano serm. de lapsis; Augustino epist. CVII. lib. V. hypognost. & lib. de dogm. eccles. cap. 52. constat, *infantibus eucharistiam dari solitam* (**). Concilium Turonense (***), referente Burchardo lib. V. cap. 9. decrevit, *dandam esse eucharistiam aegrotis intinctam sanguine Domini* (****) *ut presbyter vere possit dicere, cor-*

ciem adservari olim solitam. Item vina etiam in septentrionalibus locis haberi). GERHARDUS.

(*) Haec *vita Basilii*, non AMPHILOCHII, qui circa ann. Chr. CCCLXX. floruit, atque Iconii, Lycaoniae metropolis episcopus fuit constitutus, sed nugivenduli cuiusdam opus est.

(**) Copiosius hoc ostendunt PETR. ZORNIUS in *historia eucharistiae infantium cap. IV. §. 1. seqq. p. 35. & cap. VI. §. 3. p. 78.* itemque JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. sive antiquitat. ecclesiast. libr. XV. cap. IV. §. VII. vol. VI. p. 391.* Jungi meretur JO. SCHILTERUS *de libertate ecclesiar. German. libr. IV. cap. V. §. IV. p. 557.*

(***) apud YVONEM *part. II. cap. XIX.*

(****) Pravam hancce consuetudinem, particulas panis consecrati, vino imbutas, parvo cochlearí non tantum aegrotis, sed aliis quoque porrigendi, iam seculo XI. HUMBERTUS, ecclesiae Romanae cardinalis ac Sylvae candidae episcopus, Graecis exprobravit in *disputatione* Constantinopoli adversus Graecos schismaticos habita, quam ex bibliotheca Vaticana desumtam, BARONIUS *tom. XI. annal. ecclesiast.* subiecit, *fol.* mihi *690.* & certum omnino est, hancce consuetudinem noviter introductam, a more ecclesiae christianae antiquioris prorsus fuisse alienam. Haec enim elementa eucharistica non miscebat, sed distincte ac separatim porrigebat; prout ex CYRILLI HIEROSOLYMITANI *catechesi mystagog. V.* quae plenam liturgiae seculo IV. usitatae exhibet descriptionem, clare satis patet. Observavit quoque hoc ipsum JO. BONA, pater purpuratus, *libr. I. rerum liturgic. cap. XXIII. & libr. II. cap. XVIII. §. III.* Notandum tamen, hunc ipsum morem, quem HUMBERTUS in Graecis tantopere reprehendebat, paullo post publica pontificum auctoritate in ipsam ecclesiam Romanam invectum fuisse. URBANUS enim secundus, qui exeunte seculo XI. ecclesiae Rom. praefuit, in concilio Claromontano ann. MXCV. habito, sacram eucharistiam hac ratione porrigi iussit, *ne sanguis forte effunderetur.* Equidem PASCHALIS II. paulo post, constitutionem hanc ab antecessore suo imprudenter latam revocavit, *epistola XXXII.* ad PONTIUM, abbatem Cluniacensem, exarata, quam exhibet HARDUINUS *tom. VI. concil. part. II. fol. 1756.* Ast in hoc pontificis decreto haud adquievere concilii Turonensis patres, quorum supra mentionem fecit GERHARDUS. Ii enim decreto sanciverunt, *sacram oblationem aegrotis dandam esse intinctam in sanguine Christi.* Atque inde ab hoc tempore ista panis intingendi consuetudo non in Gallia duntaxat, sed alibi quoque, cumprimis in Anglia ita invaluit, ut ARNOLPHUS, vel, ut ab aliis adpellatur, ERNOLPHUS, ex monacho Benedictino ad episcopatum Roffensem evectus, eandem epistola quadam, quam LUCAS DACHERIUS in *spicilegio veterum aliquot scriptorum tom. III. fol. 471.* edit. novae, exhibet, copiose propugnandam in se suscepérit. Ex altera tamen parte RICHARDUS, praesul Cantuariensis in concilio Westmonasteriensi III. ann. *MCLXXVII.* habito serio interdixit, *ne quis quasi pro complemento communionis* intinctam alicui eucharistiam tradat. Vid. HARDUINUM *tom. VI. concil. part. II. fol. 1638.* & DAV. WILKINS *tom. I. concil. Britt. f. 486.* Dum vero controversia haec in ecclesia Latina agitaretur, ac nonnulli quidem mixtorum elementorum usum laudarent, alii vero eundem damnarent, omnes autem periculum effusionis devitandum esse ducerent, in eam vel tandem nonnulli descenderunt sententiam, sufficere communionem sub unica panis specie. Hanc sacram eucharistiam administrandi rationem nonnulli primo quidem privatim in suas introduxerunt ecclesias, quarum exemplum, ut fieri solet, aliae deinceps sunt secutae, donec vel tandem in concilio Constantiensi *communio sub una* peculiari decreto confirmata, & sumtio calicis populo prorsus fuit ademta. Atque hac ratione abusus, qui olim in ecclesiam irrepsit, panem eucharisticum vino intingendi, cum alio errore, eoque longe graviori fuit commutatus.

Hanc

corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi &c. Ex concilio Carthag. III. can. 9. & concilio Hipponensi, itemque VI. synodo universali in Trullo can. 84. colligitur, *eucharistiam ori mortuorum fuisse a quibusdam impositam.* Gregorius lib. II. dialogi cap. 24. refert, *Benedictum eucharistiam pectori cujusdam monachi imposuisse*, quod in concilio Altisiodorensi can. 12. prohibitum. Hos ritus omnes & singulos an probare velit Bellarminus, mature dispiciat: nos de illis judicamus ex verbis institutionis. 3.) Adde, quod non solum panem veteres adservarint, sed etiam poculum, apud Chrysostomum epist. I. ad Innocentium: *etiam sanguis Domini in sacrario servatur.* Gregorius Nazianzenus in orat. funebr. in laudem Gorgoniæ sororis commemorat, eandem *pretiosi corporis & sanguinis Domini antitypa domi reservasse.* Neve restet dubitatio, audi Baronium ad ann. 404. *Hic lector considera, quam procul abhorreant a patrum traditione usuque ecclesiae catholicae, qui nostro tempore haeretici negant, adservandam esse sacratissimam eucharistiam, quam videmus non sub specie panis tantum, sed etiam sub specie vini olim recondi consuevisse. Habes id quoque probatum auctoritate Gregorii, dum ait, in navi portasse navigantes corpus & sanguinem Christi.* (Locus Gregorii habetur lib. III. dialog. cap. 36.) Vides, ipsum Baronium refutationem argumenti Bellarminiani nobis suppeditare. 4.) Quin imo ipse Bellarminus sibi contradicens utramque speciem adservatam fuisse adserit: sic enim scribit lib. IV. de euchar. sacr. cap. 4. §. post annum: *Johannes Chrysostomus in epist. I. ad Innocentium papam, quae exstat tum inter opera ejusdem Chrysostomi tom. V. tum apud Nicephorum lib. XIII. cap. 19. scribit, milites quosdam ad vesperam magni sabbati sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum, ut etiam sacratissimus Domini sanguis, qui in sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Quod autem id gestum non fuerit, dum sacra cœna celebraretur, sed extra actionem illam, patet ex eodem loco: ibi enim Chrysostomus dicit, hoc factum esse, cum mulieres jam praepararentur ad baptismum; constat autem, mysterium eucharistiae semper celebrari post baptismum. Quare sanguis ille dominicus, qui in sanctuario erat, non tunc consecrabatur, aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.* Hæc Bellarminus sibi contradicens (*).

§ LXI. *Secundus* ritus est communicatio domestica (**). *Usi-* 2.) *Communicatio domestica.*

Hanc subtracti calicis occasionem ac causam fuisse, ipse cardinalis BONA fatetur, *libr. II. rerum liturg. cap. XVIII. §. III. p. 598.* ubi sequentem in modum scribit: *Nunc omnes intinctiones abierunt in desuetudinem, cum enim ad tollendos abusus decreta & praecepta non sufficerent, coepit tandem communio fieri sub una specie, nullusque locus intinctioni in ecclesia occidentali fuit relictus.* Retinuerunt tamen Græci, omnesque fere ecclesiæ orientales consuetudinem a majoribus traditam, panem consecratum in vinum intingendi, populoque parvo cochleari porrigendi. Unde & cochleare, una cum calice & patina, inter vasa sacra non in Græcis tantum, sed & Æthyopicis ecclesiis numeratur, referente JOBO LUDOLPHO *libr. III. hist. Æthyop. cap. VI. num. 79.* Idem suo suffragio confirmat THOM. SMITH, scriptor Anglus, in libello *de ecclesiæ Græcæ statu hodierno p. 91.* qui & hoc subjungit, solos clericos in ecclesia Græca elementa seorsim accipere. Vid. DEYLINGIUM *dissert. II. de errorum pontificiorum novitate in art. de s. eucharist. num. VI. §. XI.*

(*) Burchardus etiam lib. V. decret. cap. 9. *Mandat*, ait, *ut omnis presbyter habeat pyxidem aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus a seculo, quae tanta oblatio intincta debet esse in sanguine Christi.* In concilio Turonico sic statutum: *Sacra oblatio, quae ad viaticum recedentibus de seculo reservatur, intincta esse debet in sanguine Jesu Christi, ut veraciter presbyter infirmo dicere possit: Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi proficiat tibi in remissionem peccatorum & vitam æternam.* GERHARDUS.

(**) De hocce ritu sequentia paucis notamus: 1) symbola eucharistica, panem & vinum, in primitiva ecclesia non solum præsentibus fuisse exhibita, sed & ad absentes per diaconos missa

Usitatum erat in antiqua ecclesia, ut eucharistiam domum deferrent, & ibi tempore opportuno sumerent, domi autem sub una specie christianos communicari solitos, perspicuum est tum ex eo, quod sola species panis dabatur in manus fidelium, sanguis autem dabatur ex calice bibendus, ut demonstrat Cyrillus catech. V. mystag. tum etiam quia non erant in domibus laicorum calices sacri, seu vasa, quibus contineri posset sanguis Domini, ut patet ex apol. II. Athanasii contra Arianos. Resp. 1.) Utramque speciem fuisse in privatas ædes delatam, constat ex Hieronymo tom. I. epist. 4. ad Rusticum pag. 48. *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Ambrosius in orat. de obitu Satyri *hauriendi & transfusionis* vocibus utitur, quæ non possunt nisi de vino sacramentali intelligi, absurdum enim est, quod Bellarminus statuit, *has voces etiam ad cibum referri posse, quum aliquid integrum sumitur.* 2.) Ruardus Tapperus, decanus Lovanienſis, tom. II. pag. 353. negat, communionem sub una specie ex hoc ritu probari posse, sic enim scribit: *Ex historia de Satyro fratre Ambrosii & sermone Cypriani de lapsis videtur, quod illis temporibus sanguinem Domini ex calice omnes bibebant, & quod corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique*

ab episcopo, ad testificandum, quod cum ipso essent in communione. Exstat hanc in rem locus apud JUSTINUM *martyrem apolog. I. §. 85. p. 128. II)* usitatum quoque fuisse, ut sacerdotes quandam symbolorum consecratorum partem vel in ecclesia reponerent, vel domum secum deferrent, ut ista, iubente necessitate, frui possent. Patet hoc ex historia de Serapione, ab EUSEBIO *libr. IV. histor. ecclesiast. cap. XLIV. p. m. 246.* descripta. Quin & *III)* hominibus probatæ religionis & fidei permissum subinde fuisse, ut quasdam huius sacramenti partes, a ministris ecclesiæ acceptas, secum domum sumerent, ut istas ad usum paratas haberent. Neque enim in misero, qui tum temporis fuit, ecclesiæ statu, christiani singulis diebus conventus instituere, sacramque eucharistiam celebrare poterant. Hinc privatim suscipiebant, quod publice peragere integrum ipsis haud erat. Obtinuisse hanc consuetudinem apud christianos seculo post Christum natum tertio, CYPRIANUS nos condocet. Quando enim exempla divinæ animadversionis in lapsos commemorat, de muliere quadam hæc refert: *quum quædam mulier arcam suam, in qua domini sanctum fuit, manibus indignis* (quibus idolis sacrificium fecerat) *tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere*, libro *de lapsis p. 189.* Hunc CYPRIANI locum STEPH. BALUZIUS in *notis p. 540.* sequentem in modum illustrat: *in illa ecclesiæ novitate, quum illa inter persecutores suos degeret, & in occulto christiani peragerent divina mysteria, locus non erat tutus & certus, in quo concludi posset eucharistia. Itaque distribuebatur fidelibus a ministris, & unusquisque partem suam deferebat domum, ut communionem acciperet.* Conf. ven. WALCHII *histor. ecclesiast. novi testam. p. 1099.* Notandum tamen *IV)* loco eucharistiæ subsequentibus temporibus inventas esse *eulogias*, quarum pariter partem domum deferre solebant christiani. Denotantur vero hoc nomine panes consecrati quidem, sed ab *eucharistia* distincti. Licet enim in antiquioribus scriptoribus voces *eucharistia* & *eulogia* ad eandem rem significandam adhibeantur, quam & gentium apostolus intelligit, quando ait: *calix benedictionis* (το ποτηριον της ευλογιας) *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? 1 Cor. X. 16.* subsequentibus tamen temporibus *eulogia* ab *eucharistia* distingui cœpit, tanquam id, quos eius vices aliquo modo suppleret. Institutæ enim erant istæ *eulogiæ*, ut darentur iis, qui mysteriorum participes fieri aut non poterant, aut nolebant. Distribuebantur iis post missarum solemnia omni die dominico, & diebus festis; prout patet ex canone IX. concilii Nannetensis exeunte seculo IX. celebrati, apud HARDUINUM *tom. VI. concil. part. I. fol. 459.* Græcis dicebantur αντιδωρα, *dona vicaria*, quoniam loco eucharistiæ, quæ ab antiquis ecclesiæ doctoribus *donum* adpellatur, olim data fuerunt. Qui plura hanc in rem legere voluerit, adeat cardinalem BONAM *libr. I. rerum liturg. cap XXIII. §. XII p. m. 447.* JAC. BASNAGIUM in *præfat.* CANISII *lectionib. antiq.* præmissa, *cap. VII. §. V. fol. 74.* JOSEPH. BINGHAMUM in *observat. sive antiquitat. ecclesiast. libr. XV. cap. IV. §. III. vol. VI. p. 377. seqq.* & b. DEYLINGIUM in *dissert. V. de novitate error. pontif. circa sacr. eucharist. observ. III. §. IX.*

ibique sumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent. 3.) Bellarminus regerit, *haustum sanguinis in ecclesia & manducationem corporis Domini non potuisse haberi pro una communione, sed fuisse diversas communiones.* Resp. ipsi tamen pro una communione habuerunt, quia utramque speciem sumserunt, licet diversis locis & temporibus. Nobis autem consuetudo illa non probatur, quia non convenit institutioni dominicæ. 4.) Quinimo consuetudo illa sublata fuit per concilia, can. 14. concil. Toletani I. *Si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit, velut sacrilegus propellatur.* Can. 3. concilii Cæsarauguſt. *Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam non consumsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum.* 5.) Privata igitur hæc & extraordinaria exempla, quæ per concilia postmodum abrogata sunt, non possunt nec debent opponi universali primitivæ ecclesiæ consuetudini sub utraque specie communicandi.

§. LXII. *Tertius* ritus est communicatio infantum (*). *Communicabant enim veteres aliquando infantes, sed sub una tantum specie, nimirum instillando in os eorum aliquid sanguinis Domini, ut patet tum ex Cypriano in serm. de lapsis, tum ex manifesta ratione, quia non possunt infantes cibum aliquem solidum sumere.* Resp. 1.) Propositum est Bellarmino, unam speciem panis comprobare: at infantibus in primitiva ecclesia juxta Bellarmini adsertionem dabatur solus calix; hactenus igitur argumentum est a quæstione alienum. Paritatem rationis inter usum solius panis & solius calicis non concedunt omnes Pontificii. 2.) Communicatio infantum pugnat cum præscripto apostolico: 1 Cor. XI. 28. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice illo bibat*, v. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex illo calice bibetis, mortem Domini adnunciabitis.* Quomodo igitur ex ritu ecclesiæ cum norma verbi divini minus congruo communio sub una specie probari poterit? 3.) Ne in pontificia quidem ecclesia hodie locum habet communicatio infantum: unde Bellarminus ipse eam improbat libr. I. de baptis. cap. 9. resp. ad 9. argum. Anabap. *Ipse Dominus, ut indicaret eucharistiam non esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte constituere, quod est unicum infantum alimentum, sed in pane & vino, quae ad solos adultos proprie pertinent.* Libr. IV. de euchar. cap. 23. propos. 3. *Quia parvuli non indigent eucharistia necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, ideo non datur eis neque a catholicis, neque ab haereticis.* Quomodo igitur ex ritu veteris ecclesiæ, quem Romana ecclesia abrogavit, communionem sub una specie Bellarminus, Romanæ ecclesiæ cardinalis, probare poterit? 4.) Falsum est, infantibus solum poculum semper fuisse datum, quia Cyprianus serm. de lapsis & ex illo Augustinus epist. XXIII ad Bonif. tom. II. p. 18. in persona infantum sic loquuntur: *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana convivia sponte properavimus.* Idem Augustinus epist. CVII. ad Vital. Carthagin. pag. 97. de infantibus sic scribit: *Illi si in parva aetate moriuntur, utique secundum ea, quae per corpus gesserunt, &c. quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando & sanguinem biberunt vel non biberunt, secundum haec ergo, quae per corpus gesserunt, judicantur.* Et hoc ex Augustino tam manifestum, ut ipse etiam index operum Augustini edit. Paris. sub lit. E. ponat hanc propositionem: *eucharistia dabatur olim parvulis sub utraque specie*, & remittat lectorem ad libr. V. hypognost. tom. VIII. pag. 288; Gregorius Turonensis libro in gloriam plurimorum martyrum c. 9. *Judaei cujusdam vitriarii filius, cum inter christianos pueros ad studia literarum exerceretur, quadam die, dum missarum festa cum aliis infantibus in Basilica Mariae celebrarentur, ad participationem gloriosi corporis & sanguinis dominici cum aliis infantibus, infans judaeus accessit.* 5.) Communicatio-

3.) *Communicatio infantum.*

(*) Auctores, qui de hocce ritu data opera egerunt, supra in *not.* ad §. *LX. p. 104.* recensuimus, Jungi iisdem meretur cardinalis BONA *loc. cit. libr. II. cap. XIX.*

cationem infantum non fuisse uniformem in primitiva ecclesia, colligi potest ex Innocentio, pontifice Romano, qui in sua summa cap. 9. sic scribit: *Quia eucharistia augmentum dat gratiae, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset eucharistia in forma liquida sanguinis dominici, vel in forma panis comminuta & contrita in aqua, quia si aliquid eis subtraheretur, de gratia aliquid diminueretur, & ita minus haberent in cælo praemium. Unde peccare dicunt, qui eis eucharistiam subtrahunt. Alii dixerunt, quod non esset parvulis danda eucharistia propter periculum ejectionis, & quia nihil eis valeret, nisi deglutirent. Sed ad hoc dixerunt quidam magni viri, quod non exigitur in eucharistiae sumtione, nisi quod gustus invitetur & sapor sentiatur &c.* Quomodo igitur ex ritu vario & inconstante communio sub una specie probabitur?

4.) *Communicatio ægrotorum.*

§. LXIII. *Quartus* ritus, quem Bellarminus urget, *est communicatio aegrotorum* (*), quam ut plurimum sub una specie factam probare conatur ex Eusebio lib. VI. hist. c. 36. Paulino in vita Ambrosii, Amphilochio in vita Basilii &c. *Resp.* 1.) Justinus apol. II. & Hieronymus epist. IV. ad Rusticum testantur, utramque speciem solitam deferri ad absentes & infirmos. Verba Hieronymi haec sunt: *Nihil Exuperio ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Beda libr. IV. hist. eccles. cap. 14. cuidam puero ægroto apostolos dixisse refert: *Exspectare habes, donec missae celebrentur, ac viatico dominici corporis & sanguinis accepto sic infirmitate simul ac morte absolutus ad aeterna in cœlis gaudia subleveris.* 2.) Bellarminus ipse addit, *ut plurimum* (**) *sub una specie aegrotos communicasse;* fuit ergo ritus particularis, qui non potest nec debet universali ecclesiae consuetudini sub utraque specie communicandi opponi. 3.) Eusebius libr. VI. hist. cap. 36. ex epistola Dionysii Alexandrini refert quidem, *presbyterum dedisse puero particulam eucharistiae Serapioni seni aegroto perferendam*, sed statim addit, *praeceptum puero fuisse, ut eam madefactam in os senis infunderet;* quod intelligitur ex canonibus concilii Turonensis sive Turonici apud Yvonem & Burchardum, ubi praecipitur, *ut eucharistia, quae in viaticum ex vita excedentium reservatur, intincta sit in sanguinem Domini, ut veraciter presbyter dicere possit: Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam aeternam:* unde intelligitur, utramque speciem judicatam fuisse necessariam. 4.) Paulinus in vita Ambrosii scribit, *cum corpore Domini sumto, ubi illud deglutiverat, continuo animam Deo reddidisse*, sed ex peculiari illo mortis superwenientis casu, quo usus calicis ex accidenti fuit impeditus, non potest colligi, ægrotos reliquos sub una tantum specie communicasse. Eralmi judicium de illo scriptore vitae Ambrosii sub titulo Paulini notum est: *Qui ille idem artifex est,* (ait in praefat. Ambrosii) *qui tam multa contaminavit in scriptis Hieronymianis natus in hunc ludum.* 5.) Si Amphilochii libello fides habenda, Basilius ea hora, qua excessit, hostiae illam partem accepit, quam secum contumulare decreverat, & statim in lecto jacens Deo gratias egit, atque ita exspiravit, servatam scilicet per septennium, tot enim a visione illa ad mortem interfuerunt anni. An hoc Basilii consilium vel potius Amphilochii figmentum probari debeat, Bellarminus deliberet.

§. LXIV.

(*) Conferenda, quae BINGHAMUS *loc. cit. libr. XV. cap. IV. §. IX. vol. VI. p. 403. seqq.* b. DEYLINGIUS, *loc. cit. observat. VI. §. XI.* aliique de hocce argumento scripserunt.

(**) Longius progreditur BOSSUETUS, praesul Meldensis, qui peraudacter adfirmat, *ordinarie* & communiter aegrotos sub una communicasse. Vid. eius *traité de la communion sous les deux especes p. 6.* Idem adserere haud dubitat cardinalis BONA, vir alias non tantum eruditus, sed & candidus, saepiusque iam a nobis laudatus, *libr. II. rer. liturg. cap. XVIII. p. 595.* Ast refutavit eos ex nostris b. DEYLINGIUS *loc. cit.* multisque exemplis in medium adlatis luculenter ostendit, aegrotis utramque sacri epuli partem olim porrectam fuisse.

§. LXIV. *Quintus* ritus est *usus communionis laicae*, quæ in pœnam gravis alicujus delicti olim dabatur clericis, ablata eis communione clericali, cujus mentio fit in epistolis Felicis & Siricii, in concilio Elibertino can. 76. Sardicensi cap. 2. & Agathensi cap. 2. 5. & 50. Pœna autem clericis inflicta hæc erat, *quod communicantibus aliis clericis sub utraque specie, ipsi prohiberentur a calice Domini, & urgerentur unam tantum speciem sumere* (*). Resp. 1.) Notamus contradictionem in Bellarmino. Superius magno conatu concomitantiam stabilire voluit, *totum scilicet Christum esse sub utraque specie*, cap. 21. *totam etiam sacramenti rationem in una specie inveniri.* cap. 22. *non majorem utilitatem sumi ex communione sub utraque specie, quam sub una: nihil spiritualis fructus capi ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una:* cap. 23. hoc autem loco scribit, *unius speciei usum in pœnam gravis alicujus delicti olim clericis impositum;* at quæ hæc pœna, si cum corpore & sanguine Christi ratione concomitantiæ acceperunt? 2.) Clerici illi, quibus pœnæ loco unius speciei usum impositum fuisse Bellarminus dicit, aut fuerunt conficientes, aut non conficientes. Prius dici nequit, quia *sacrilegus est sacerdos consecrando panem & non vinum*; Cajetanus in part. III. Thomæ q. 80. art. 2. Manet igitur posterius, quod fuerint non conficientes. Atqui concilium Tridentinum clericos non conficientes æque ut laicos a communione sub utraque specie arcet, sess. XXI. c. 1. Aut ergo statuendum, grave quoddam delictum clericos omnes admisisse, propter quod pœnæ loco illud eis fuerit impositum; aut negandum est, communionem laicam clericis olim impositam fuisse unius speciei communionem. 3.) Quæ olim fuerit communio laica, ex veteribus intelligi potest. Pamelius in notis super epist. Cypriani ad Antonianum 52. exponens hæc verba: *ut laicus communicet*, sic scribit: *Laicum communicare non aliud est veteribus, quam inter laicos communicare. Orabant autem & communicabant illi extra cancellos* (**) *per ministerium archidiaconi, hoc est, extra chorum, ut hodie*

5.) *Communio laica.*

(*) Huic BELLARMINI assertio opponimus judicium cardinalis BONÆ, quod perpetuo antiquitatis ecclesiasticæ suffragio superstructum, hisque conceptum est verbis: *Recentiores audito nomine communionis laicæ, ejus veteri notione neglecta, id solum concipiunt, quod hodie ea voce significatur. Laicam communionem nihil aliud esse putant, quam perceptionem eucharistiæ sub unica specie. Quod quam falsum sit, vel ex eo liquet, quod sæpe clericos ad laicam communionem detrusos legimus, eo tempore, quo etiam laici sub utraque specie communicabant.* Vid. *libr. II. rer. liturg. cap. XIX. §. III. p. m. 601.* Fuerunt vero, præter cardinalem BONAM, alii quoque iique eruditissimi viri in ipsa ecclesia Romana, qui notionem vocabuli *communionis laicæ* a BELLARMINO suppeditatam, penitus reiecerunt solideque confutarunt, ex quibus hoc nominasse sufficiat GABR. ALBASPINÆUM, NICOL. RIGALTIUM, PETR. DE MARCA, atque IO. STEPH. DURANTUM, senatus Tholosani præsidem.

(**) Hanc notionem *communionis laicæ*, præter PAMELIUM, supra a GERHARDO adlegatum, complures viri eruditi, veluti FORBESIUS, VOSSIUS, CHRIST. LUPUS, aliique suo adprobarunt calculo. Ex horum enim sententia per *communionem laicam* ittius modi intelligitur pœna, qua *clericus inter laicos extra cancellos sanctuarii sacram eucharistiam olim percipere debuit.* Equidem negari nequit, hancce notionem aliquid ex vero habere. Ita enim omnino res se olim habebat. Laici communicabant extra cancellos, episcopi & sacerdotes vero ἐντὸς τε βήματος, καὶ θυσιαστηρίου. Laici communicabant extra chorum, clerici in choro, atque intra cancellos. Nec tamen hoc ipsum sensum communionis laicæ prorsus exhaurit. Clerici enim, quibus propter delictum aliquod *communio laica* olim imponebatur, non tantum extra cancellos cum reliqua laicorum turba sacram cœnam sub utraque specie accipiebant, sed & simul officio clericali abdicabantur, & ad simplicem laicorum reducebantur conditionem. Proinde *communio laica* eam infert rationem puniendi clericum, per quam is dignitate, potestate atque auctoritate, quæ cum munere sacro alias coniuncta est, penitus privatur, inque laicorum statum redigitur. Consentiunt nobiscum, præter complures alios, monachi Benedictini in Gallia, qui in notis suis ad *epist. VIII.*

die loquimur, quam expositionem Pamelii manifeste probat c. convenientibus. 1. q. 7. ex II. synodo Nicæna, ubi *ad laicam communionem recipi, & administratione ecclesiastica prohiberi*, sese mutuo explicant. Canon apostol. XV. facit mentionem communionis laicæ: at concilium Constantiense fatetur, apostolicæ & primitivæ ecclesiæ utramque speciem in usu fuisse, & omnes illi canones conciliorum, qui laicæ communionis mentionem faciunt, eo tempore editi sunt, quo omnes fideles utramque speciem sumere soliti sunt, unde Georgius Wicelius, scriptor pontificius, laicam communionem nihil aliud esse pronunciat, quam *inter laicos communionem percipere, non administrare, non sacerdotis officio fungi*, cui adstipulantur Lindanus & Tapperus. 4.) Id ipsum agnoscit Baronius, qui tom. I. annal. anno 314. sect. 88. explicans canonem 9. synodi Ancyranæ, *a ministerio cessare debebunt: additur* (inquit) *in secunda editione. Laicam tantum recipientes communionem, nimirum non cum sacris ministris amplius, sed cum populo extra cancellos communicantes.* 5.) Bellarminus contra hanc explicationem laicæ communionis duo argumenta format: primo *quia etiam de diaconis agitur in illis canonibus, ad quos nunquam spectavit eucharistiam conficere.* Resp. quid tum? sufficit, quod a munere ecclesiastico remoti & in ordinem laicorum redacti fuerint, etiamsi antea non consecraverint: adde quod ad diaconos in primitiva ecclesia calicis distributio etiam pertinuerit, ut intelligitur ex apol. II. Justini. Alterum, quod Bellarminus urget, petitum est ex canone Sardicensi II. ubi *ob crimina quaedam graviora ne in morte quidem laica communio quibusdam concedenda dicitur: at cum datur communio aegroto, idque in privato cubiculo, nulla distinctio potest notari loci aut temporis inter laicos & clericos.* Resp. perinde hoc est ac si diceretur: omnino communionem non recipiant perfecte abdicati & excommunicati, ut ne morientes quidem communione digni censeantur, atque ita hunc canonem exponit Balsamon in comment. Quod enim canon Sardicensis dicit, *ne in fine quidem laicam communionem recipiant*, id canon. V. concilii Ilerdensis sub Theodosio de sacerdotibus ad libidines revertentibus loquens sic exponit: *non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem, nisi in exitu, non percipiant.* Sardicensis synodus a patribus orientalis ecclesiæ est congregata. Atqui in ecclesia orientali communio sub utraque specie ad nostra usque tempora perdurat: quomodo igitur per communionem laicam unius speciei usus intelligi potest? 6.) Laicam communionem sic describit Bellarminus, quod fuerit ea, *quae laicis permittebatur tangenda & etiam deferenda, si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus, ex calice autem bibebant, qui volebant, in ecclesia, sed non licebat laicis calicem tangere, nedum secum deferre.* Vide Cyrillum Hierosol. cath. V. mystag. Atqui ex hac descriptione laicæ communionis colligitur, *primo* quod laicis concessus & liber fuerit calicis consecrati usus, a quo in ecclesia Romana hodie penitus arcentur: *deinde* quod laica communio pœnæ loco clericis imposita non possit de necessario unius tantum speciei usu intelligi. Etenim si hæc est communio laica, quod laici ex calice bibebant, qui volebant, quomodo per laicam communionem clerici a calice fuerunt prohibiti?

§. LXV.

VIII. libr. V. GREGORII *M. fol. 743.* sequentia adnotarunt: *communio laica nihil aliud fuit, quam clericum iam non haberi, nisi ut laicum, eumque ad laicorum gradum, societatem, iuraque revolvi. Ex quo fiebat, ut cui clerico ne communio quidem laica relinqueretur, is non modo ab officio depositus haberetur, sed & excommunicatus: Cui autem communio saltim laica relinqueretur, is solum ab officio depositus censeretur.* Conferri quoque huic merentur IGNATIUS HYACINTHUS AMAT. DE GRAVERSON *tom. I. histor. ecclesiast. p. 445.* & cumprimis JOSEPH. BINGHAMUS, in libro anglico sermone edito, sub titulo: *scholast. history of Laybaptism. part. II. chap. IV.* itemque in *origin sive antiquit. ecclesiast. libr. XVII. cap. II. §. II. vol. VIII. p. 12. seqq.*

6.) *Communio præsanctificatorum.*

§. LXV. *Sextus* ritus, quem Bellarminus urget, *est communio præsanctificatorum* (*), apud Græcos certis quadrageſimæ diebus uſitata, in qua ipſe ſacerdos ſub una tantum ſpecie communicat. *Reſp.* officium Græcorum de myſteriis ante conſecratis in bibliotheca patrum diſertis verbis utriuſque ſpeciei meminit: ibi enim legitur, *ſacerdotem, poſtquam ſanctificarit panem, infundere vinum in ſacrum*

(*) Per communionem *præſanctificatorum* illa intelligitur communio, quæ fit in elementis antea iam conſecratis. Solebant nimirum veteres chriſtiani ſacram euchariſtiam nonnunquam in publicum cœtus chriſtiani uſum adſervare, ut aliquot poſt conſecrationem diebus daretur communicantibus. Invaluit hæc conſuetudo ſeculo poſt Chriſtum natum quarto, & in primis tempore quadrageſimæ locum habuit. Hocce enim temporis intervallo conſecrare euchariſtiam non amplius erat receptum. Fiebat quidem iſto tempore communio, ſed ſine conſecratione, & quidem ex iis ſymbolis, quæ antecedentis hebdomadis ſabbato, vel die dominico iam erant conſecrata, & ad ſubſequentium dierum uſum reſervata, atque Græcis προηγιασμενα, Latinis *præſanctificata* dicebantur. Huc reſpicit canon LII. concilii Trullani ſeculo VIII. celebrati, apud HARDUINUM in *actis concilior. tom. III. p. 1682.* qui hiſce conceptus eſt verbis: *In omnibus ſanctæ quadrageſimæ ieiunii diebus, præterquam ſabbato, & dominica, & ſancto adnunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium.* Hic ipſe vero canon lucem accipit ex alio concilii Laodiceni, anno CCCLXXII. celebrati, decreto XLIX. ubi dicitur, *quod non oporteat in quadrageſima panem benedictum offerri, niſi in ſabbato & dominica;* apud HARDUINUM *loc. cit. tom. I. p. 790.* Quæ quidem verba non hoc innuunt, ac ſi aliis diebus ſacramentum euchariſtiæ diſtribui haud potuerit, (quotidie enim hoc fiebat;) ſed quod hiſce diebus ea tantum diſtributa fuerint ſymbola, quæ die ſabbati, itemque die dominico iam fuerant conſecrata. Perantiqua eſt hæc eccleſiæ Græcæ conſuetudo, inque hodiernum usque diem conſervata, prout teſtantur THOMAS SMITH, in libello *de ſtatu hodierno eccleſiæ Græcæ p. 118.* itemque LEO ALLATIUS, homo Græcus, in epiſtola ad GABRIELEM NAUDÆUM *de libris eccleſiaſticis Græcorum*, nec non in diſſertat. *de miſſa præſanctificatorum apud Græcos*, quæ legitur ad calcem librorum *de eccleſiæ occidentalis & orientalis perpetua conſenſione, p. 1541.* Vid. JOSEPH. BINGHAMUM in *originib. ſive antiquitat. eccleſiaſt. libr. XV. cap. V. §. XII vol. VI. p. 411. ſeqq.* Atque hæc ipſa Græcorum conſuetudo ſucceſſu temporis in eccleſiam quoque latinam introducta eſt, ita tamen, ut diſcrimen aliquod heic obſervare liceat. Apud Græcos enim, ut ex dictis patet, omnibus quadrageſimæ diebus, excepto ſabbato, die dominica, & feſto adnunciationis Mariæ, uſus προηγιασμενων admittebatur; cum contra apud Latinos ſemel duntaxat in anno, die nimirum paraſceves, fuerit admiſſus. Hoc enim tempore pane pridie conſecrato ac reſervato communio peragebatur. Addi & hoc meretur, quod Græci non panem duntaxat, ſed & vinum præſanctificatum adhibere conſueverint; cum ex altera parte in eccleſia Latina uſu fuerit receptum, panem præſanctificatum, qui in calicem intinctus erat, iis, qui eo die ad epulum ſacrum accedebant, exhibere. Hanc Romanenſium de miſſa præſanctificatorum ſententiam copioſius edifſerit JO. BONA, eccleſiæ Romanæ cardinalis, *libr. I. rerum liturgic. cap. XV. p. 209. ſeqq.* Verba quoque de ea facit GUIL. BEVEREGIUS ad *can. Trull. LII. p. m. 158.* Ex noſtris vero theologis evolvi heic meretur IO. ANDREAS QUENSTEDIUS, in *antiquit. bibl. & eccleſiaſt. cap. IV. ſect. III. num. IX. p. 447. ſeqq.* Hoc unicum paucis adhuc notamus, communionem iſtam præſanctificatorum, generatim ſpectatam, ſanctiorum litterarum teſtimonio, eccleſiæque primitivæ exemplo prorſus deſtitutam, ac proinde neutiquam adprobandam eſſe. Hinc & HUMBERTUS eccleſiæ Romanæ cardinalis, ſeculo undecimo ad finem vergente clarus, in *reſpoſione adverſus Nicetam*, in morem Græcorum, per ſymbola præſanctificata communicandi, graviter invehitur, eundemque tum ex inſtitutione Chriſti, tum vero ex praxi apoſtolorum redarguit. Aſt HUMBERTUM hac ipſa ratione ſimul latinæ etiam eccleſiæ conſuetudinem improbare, non ſine ratione iudicat LEO ALLATIUS, qui contra Humbertum copioſe diſputat in *diſſert. ſupra* iam adlegata *de miſſa præſanctificator. p. m. 1559.* ubi argumentum hocce data opera excutitur. Jungi vero eidem merentur JAC. GOARUS in *notis ad euchol. Græc. fol 210, 211.* JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. ſive antiquit. eccleſiaſt. tom. VI. libr. XV. cap. IV. §. XII. p. 411. ſeqq.* itemque *cap. V. §. I. p. 437. ſeqq.* & b. cancell. PFAFFIUS in *diſſert. de liturgiis*, Tubing. *MDCCXVIII.* edita, *§. III. p. 7. ſeqq.*

sacrum calicem & aquam, & recitare consueta. Sic etiam liturgia præsanctificatorum (*) interprete Genebrardo utriusque speciei meminit. *Ecce* (inquit) *immaculatum corpus ipsius & vivificus sanguis hac nunc hora ingredientia in hac mensa mystica sunt, quae multitudine cœlestis exercitus invisibiliter stipantur, quorum communionem innocuam nobis tribue &c.* Sic *postcommunio* (id est, gratiarum actio post communionem (**), utramque speciem diserte exprimit. Atqui hi sunt ritus ecclesiæ veteres, ex quibus communionem sub una specie Bellarminus probare voluit, sed adcurate notandum: 1.) quod nullus ritus ecclesiæ institutioni, voluntati & ordinationi Christi quidquam minima ex parte derogare possit; neque enim ex ritu ecclesiæ de institutione Christi, sed contra potius ex institutione Christi de ritu ecclesiæ judicium fieri debet, nisi velimus præpostero ordine regulam & normam ad *normatum* (ut sic loquar) & *regulatum* inflectere. Bellarminus libr. I. de sacramentis in genere cap. 26. §. *Ex quo intelligimus*, contrarium plane statuit, sic enim scribit: *Cum certum sit, consuetudinem universae ecclesiae perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare, & clarior sit consuetudo, quam ipsum verbum, recte judicabant illi*, (qui Cypriano se opponebant) *ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum, non ob verbum Dei obscurum & ambiguum consuetudinem abolendam, ut Lutherani hoc tempore faciendum esse contendebant.* Sed nemini vere pio & erudito hoc pronunciatum, ex Cusano cardinali epist. II. ad Bohemos petitum, quod scripturæ juxta currentem ecclesiæ ritum exponendæ sint, probari unquam poterit. 2.) Quod ritus particulares, privati, varii & diversi nec possint nec debeant universali & probatæ consuetudini ecclesiæ opponi. Jam vero diserte scribit Cassander in consultatione de August. confess. art. XXII. *Satis compertum est, universalem Christi ecclesiam in hunc usque diem, occidentalem vero seu Romanam mille amplius annis a Christo in solenni praesertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione utramque panis & vini speciem omnibus ecclesiae membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum tam Graecorum, quam Latinorum testimoniis manifestum est.* 3.) Quod ritus per concilia sublati non possint institutioni Christi immotæ ac perpetuæ opponi, &c.

§ LXVI. Vidimus hactenus quartam rationem, quam pro stabilienda ποτηριοκλεψία Bellarminus attulit. V.) *Quintam petit ex consensu & testimonio ecclesiae posterioris*, ubi profert testimonia *Bernhardi, Bedae, ordinis Romani & conjecturam valde magnam, quod in ecclesiis numerosis non potuerit dari communio toti populo ex calice veri sanguinis Domini.* Resp. 1.) *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est:* cap. consuetudo dist. 8. *Dominus non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas, quaelibet consuetudo quantumvis vetusta,*

5.) Ex consensu ecclesiae posterioris.

(*) Hæc liturgia præsanctificatorum a nonnullis GREGORIO II. ab aliis autem GERMANO, patriarchæ Constantinopolitano, adscribitur, sæpiusque fuit edita. Exstat illa non solum in *bibliotheca patrum* Lugdunensi, & quidem *tom. XXVII.* ubi latine exhibetur, sed & in *auctario Græco-latino bibliothecæ patrum*, a FRONTONE DUCÆO Parisiis *MDCXXIV.* edito, *tom. II.* nec non in GOARI *euchologio Græcorum*, *fol. 192. seqq.* alibique.

(**) Non tantum gratiarum actio post communionem peragenda, quæ in liturgia præsanctificatorum legitur, sed & preces ante communionem, secundum hancce liturgiam, recitandæ, luculenter demonstrant, Græcos non solum panem, ut BELLARMINUS & JO. BONA nobis persuadere volunt, sed & vinum consecratum ad huiusmodi communionem reservasse. Idem ex NICOLAO CABASILA & SIMEONE THESSALONICENSI luculenter demonstravit LEO ALLATIVS in dissert. sæpius iam adlegata *de missa præsanctif.* §. *VII. p. 1559.* Conferenda, quæ GEORG. CASSANDER in libro *de communione sub utraque specie, p. 1027.* JO. GERARDUS VOSSIUS in *thesib. theolog. p. 331.* JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. ecclesiast. tom. VI. libr. XV. cap. V. §. I. p. 437. seqq.* itemque b. DEYLINGIUS in *observat. miscell. p. 332. seqq.* hanc in rem scripserunt.

vetusta, quamtumvis vulgata, veritati est omnino postponenda; si consuetudinem ead. *Usus longaevus non vincat rationem aut legem*, l. consuetudinis C. quæ sit longa consuetudo. 2.) Ecclesia græca usum utriusque speciei inviolatum conservavit. 3.) Consuetudo primitivæ ecclesiæ apostolis vicinæ merito præferenda consuetudini ecclesiæ posterioris. Cyprianus epist. ad Pompejum habet elegantem sententiam, quam Augustinus libr. V. de unico baptismo cap. 26. *sine dubitatione optimam esse dicit. In compendio est apud religiosas mentes & errorem deponere, & invenire, atque eruere veritatem. Nam si ad divinae traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus. Si canalis aquae, qui copiose prius & largiter fluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur, utrumne arescentibus venis in capite siccaverit, an vero integra inde & plena percurrens in medio itinere defiterit? quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, & in aliquo si mutaverit vel vacillaverit veritas, ad originem dominicam & evangelicam & apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit.* Latomus scribit, *primam ecclesiam, cum adhuc rudis esset, ritum a Christo acceptum religiose tenuisse, donec a patribus docta intelligeret, utramque speciem convenire sacerdotibus, laicos solo pane contentos esse posse.* At laudabilis illa fuit ruditas in verbis magistri fideliter & simpliciter adquiescere. 4.) Thomæ Aquinatis tempore fatemur introductum unius speciei usum: idem tamen part. III. quæst. 74. expresse adserit, *in quibusdam solum ecclesiis ita observari*; fuit ergo ritus particularis & privatus. Bernhardus utriusque speciei passim meminit: quæ ex libr. I. de vita Bernh. cap. 11. Bellarminus adlegat, in illo loco non habentur. Beda libr. I. in Joh. II. homil. de sanctis & alibi usum panis & calicis in eucharistia semper conjungit. Ordo Romanus de officio missæ p. 23. *Recepto calice archidiaconus confirmat omnes sanguine dominico, quos communicaverit pontifex corpore dominico.* 5.) Concludimus igitur verbis Georgii Cassandri de comm. sub utraque specie f. 17. *Non puto demonstrari posse, totis mille amplius annis in ulla ecclesiae catholicae parte sacrosanctum hoc eucharistiae sacramentum aliter in sacra synaxi e mensa dominica fideli populo, quam sub utroque panis & vini symbolo, administratum fuisse.*

§. LXVII. VI.) *Sextam* & ultimam rationem petit Bellarminus *ab incommodis, quae sequuntur necessitatem utriusque speciei.* Mirum vero, Christum & primitivam ecclesiam incommoda illa non vidisse. Audiamus tamen, quæ sint illa. I.) *Primum incommodum est impossibilitas implendi legem istam in iis locis, ubi populus est valde numerosus & unus tantum sacerdos. Neque enim simul multi calices consecrari possunt, neque consecrari potest vinum in calice aliquo vastissimo, qui tantum vini capiat, quantum universo populo sufficiet: neque potest in eadem actione saepius repeti consecratio* (*). Resp. ratio hæc est *particularis*, non ergo potest probare universale calicis interdictum, quia argumentum non debet esse angustius conclusione probanda. Adde quod *antecedens* multis laboret vitiis: ordinentur plures ministri, iteretur sæpius cœnæ administratio, tribuatur tantum temporis spatium communioni, quantum in numeroso populo requiritur; quodvis potius quæratur remedium, quam ut contra Christi institutionem aliquid agatur. Tertullianus in apologet. cap. 37. de incrementis primitivæ ecclesiæ sic scribit: *Vestra omnia implevimus, urbes,*

6.) Ab incommodis, quae necessitatem utriusque speciei consequuntur, qualia sunt;
1.) Impossibilitas legem istam implendi.

(*) Vitus Milecus in refut. libr. de sexcentis erroribus. anno 1593. eo progreditur, ut scribat, num. 961. *Christum propter casus, qui tandem in ecclesia contigerunt, non potuisse praecipere, ut semper & ubique sub utraque specie hoc epulum sacrum administraretur, imo negat, Christum, si hodie denuo sacramentum dispensare deberet, utramque speciem dispensaturum.* GERHARDUS.

urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum &c. nihilominus tamen utriusque speciei tum fuit usus. Proponimus autem Bellarmino hoc perpendendum. Si in magna populi frequentia sacerdotum numerus ad audiendas auriculares confessiones sufficit, multo magis ad calicis administrationem sufficiens esse potest. *Connexio* est manifesta, quia plus temporis requiritur ad audiendam singulorum peccatorum enumerationem, quam ad calicis eucharistici administrationem. 2.) *Secundum incommodum est irreverentia sanctissimi sacramenti, quae in effusione sanguinis metuenda. Fieri enim non potest, ut sanguis Domini ministretur tantis populorum turbis, quantae in paschate ad communionem accedunt, quin saepius effundatur, cum praesertim multi sint senes, debiles, rustici, qui vix ad bibendum de manu alterius se adcommodare norunt. In deportatione etiam ad aegrotos facillimum esset, ut effunderetur, vel ex illa agitatione turbidum & ineptum fieret.* Resp. metuenda potius irreverentia Christi, si ab ejus verbo recedatur. Tertullianus de corona militis cap. 3. Origenes, homil. XXXIII. in Exod. Cyrillus Hierosolymitanus catech. mystag. V. de pane eucharistico idem praecipiunt. *Cum corpus Domini suscipitis,* (inquiunt) *cum omni cautela & veneratione servetis, ne ex eo parum quid decidat.* Utrobique igitur adhibeatur cautio, nequaquam vero usus alterutrius speciei plane tollatur. Sed nec militat haec ratio, si pauci adsint laici. In periculo effusionis non spectatur numerus christianorum, sed communicantium; jam vero primitivae ecclesiae zelus in frequenti hujus sacramenti usu major fuit, quam posterioribus seculis, & nihilominus sub utraque specie in primitiva ecclesia fuit communicatum. Idem judicium de eucharistiae deportatione ad aegrotos, quae publicae & solenni communioni non potest praejudicare, quin imo posset etiam in privatis aedibus consecratio fieri. Justini aetate *per diaconos eucharistia, id est, panis, vinum & aqua, in quibus gratiae actae, absentibus mittebantur* sine ullo irreverentiae & effusionis periculo; apol. II. Quod Bellarminus addit, *Christum instituisse quidem eucharistiam sub duplici specie, sed non jussisse dari omnibus sub duplici*, est oppositum in adjecto, quia institutio Christi est norma legitimae administrationis. Quod subjungit, *crescente ecclesiae multitudine adparuisse incommodum, & sic paulatim desisse utriusque speciei usum*, id omnisapientis Christi institutioni & primitivae ecclesiae historiae repugnat. Idem scilicet Bellarminus verbis paulo modestioribus dicere voluit, quod Matthias Breidenbachius ludi Embricensis moderator scripsit, *institutionem Christi multis modis incommodam exstitisse, ideoque non sine causa a sanctis patribus fuisse mutatam.* 3.) *Tertium incommodum est, quod multi abhorrent a vino, & vel natura abstemii sunt vel educatione, quibus tamen per leges divinas a communione non licet abstinere.* Resp. ratio haecitidem particularis est, proinde non potest ex ea universale calicis interdictum deduci: num enim propter paucos abstemios totus fidelium populus calice eucharistico privandus? adde, quod rarissime inveniantur, qui non possint tantum vini haurire, quantum sufficit ad usum sacramentalem; ac testatur experientia, etiam illos, qui natura vel educatione abstemii sunt, guttulas aliquas vini in eucharistia sine periculo vomitionis adsumere. Quid reliquis faciendum sit, inferius declarabitur. 4.) *Quartum incommodum est penuria vini, siquidem in multis regionibus vinum non crescit, &, quod aliunde adfertur, partim summo pretio emitur, partim non diu conservatur, ex quo oporteret plurimos aut nunquam aut rarissime communicare, si non posset fieri communio sub una specie.* Resp. non poterit ullus terrarum monstrari locus, in quem non advehatur tantum vini, quantum ad eucharistiae administrationem requiritur. Et quomodo haec vini inopia reliquis terris, regnis & provinciis, in quibus magna copia vinum crescit, praejudicare potest,

2.) *Irreverentia sacramenti.*

3.) *Abstemii a communione arcerentur.*

4.) *Penuria vini in quibusdam regionibus.*

quo

quo minus communio sub utraque specie juxta Christi institutionem ipsis concedatur? (*). Volaterranus libr. VII. geograph. refert, Innocentium VIII. concessisse Norvegis, *ut sine vino sacrificarent, quod vinum in Norvegia non crescat, & aliunde importatum acescat.* At cum ipsi Pontificii hoc non concedant, misere in illo facto excusando sese torquet Bellarminus: *Id pontifex ille ideo concessit, si tamen concessit,* (inquit) *vel quod ejus sententia esset, non esse de jure divino, ut sacrificium in utraque specie confici debeat, vel quod judicaverit, jus divinum ita interpretandum esse, ut excipiatur casus necessitatis.* At si pontifex in decretis suis errare non potest, ut alibi pugnat Bellarminus, cur contra hoc Innocentii decretum scribit libr. IV. de euch. c. 22. prop. 2. *In una specie non habetur perfecte & integre sacrificii ratio, sed utraque necessaria est.*

Gersonis rationes pro stabilienda communione sub una specie.

§. LXVIII. Atque hæ sunt rationes sive potius folia ficus, quibus secessionem a verbo & institutione Christi in communione sub una specie factam Bellarminus tegere & palliare voluit, a quo non immerito quærimus, cur omiserit rationes Gersonis, cancellarii Parisiensis, paulo post Constantiensis concilii decretum editas. Cum enim post promulgatum interdictum calicis animadverterent, multis non satisfieri illis rationibus, quibus tanquam fundamentis prohibitio superstructa erat, seniores concilii hoc negotium dederunt Johan. Gersoni, ut is conquireret decreti rationes, quas in tractatu de communione laicorum biennio post concilium edito (**) his verbis complectitur: „ Præsentes sunt in hoc „ concilio de præclaris universitatibus tam numero, quam merito præcellentes theologi, „ unde dicunt eorum plurimi, (*non ergo omnes*) „ qui super hoc fuerunt simul congregati, quod „ consuetudo licite & rationabiliter fuerit introducta (*ergo non a primis ecclesiæ temporibus „ usitata*) de non communicando laicos sub „ utraque specie, præsertim post multiplicationem fidelium, & hoc propter evitationem „ multiplicis periculi, irreverentiæ & scandali circa susceptionem hujusmodi benedicti sacramenti. *Primum* periculum in effusione. *Secundum* „ in deportatione de loco ad locum. *Tertium* „ in vasorum sordidatione, quæ deberent esse „ sacrata, nec passim tractata vel tacta a laicis. „ Et multo minus deberet vinum consecratum „ vendi in apothecis, sicut fit apud tales, ut „ dicitur. *Quartum* in barbis longis laicorum. „ *Quintum* in conservatione pro infirmis, cum „ posset in vase acetum generari, & ita desineret ibi esse sanguis Christi, nec suscipiendum esset, nec noviter consecrandum sine missa. Et fieri posset, quod daretur acetum „ purum pro sanguine Christi. Addit, quod „ in æstate vermes aut muscæ generarentur, „ quantumcunque esset vas clausum, cumque „ etiam putresceret, aut fieret velut abominabile „ ad bibendum. Et hæc ratio est efficax valde „ et ex alia ratione, quoniam alii multi præbiberent. Et quæritur, in quo vase fieret consecratio tanti vini, quantum requireretur in

P 2 „ pa-

(*) Illa ultima Thule, quam hodie Islandiam vocant, vinum non admittit modo, verum etiam in usus necessarios reponit, quod testantur nautæ, qui remotissimas illas septentrionis plagas pernavigant. Nec sacra eucharistia in illa regione aliter celebratur, quam sub panis & vini specie. Quid? potestne missa celebrari apud Pontificios sine vino? dispensari autem apud eosdem cœna non potest, nisi missa ante. Missa. GERHARDUS.

(**) Hicce JO. GERSONIS tractatus, iussu patrum concilii Constantiensis ann. *MCCCCXVII.* editus, continet consilium publicum *causam* JACOBI DE MISA *& Bohemorum, quoad communionis laicalis sub utraque specie necessitatem uberius discutiendi*, inque concilio hoc ipso anno publice fuit prælectus. Exstat in *operibus* GERSONIS, a DU PINIO iunctim editis, *tom. I. part. II. p. 57.* & in HERM. VON DER HARDT *actis concil. Constantiens. tom. III. p. 766. seqq.* Præcipua eius capita recensuit JAC. L'ENFANT in *hist. du concile de Constance, tom. II. liv. V. §. LXVI. p. 99. seqq.*

„ paschate pro decem aut viginti millibus perso-
„ narum. *Sextum* damnum esset in sumtuosi-
„ tate vini, saltem apud multas partes, in quibus
„ vix invenitur vinum ad celebrandum, & alibi
„ care comparatur. Esset præterea periculum
„ in congelatione. Esset rursus periculum in
„ falsæ credulitatis inductione & hoc multiplici-
„ ter: 1) quod tanta esset dignitas laicorum
„ circa sumtionem corporis Christi sicut & sacer-
„ dotum. 2.) Quod hoc facere semper fuit
„ est necessitatis. Et ita perierunt omnes &
„ pereunt aliter sentientes, facientes aut doceu-
„ tes, & omnes generaliter tam clerici, quam
„ doctores & prælati, qui non possetenus oppo-
„ suerunt se tali consuetudini verbis, scriptis aut
„ sententiis, & quod sacram scripturam omnes
„ illi perverterint. 3.) Quod virtus hujus sa-
„ cramenti non est principalius in consecratione,
„ quam in sumtione. 4.) Quod ecclesia Ro-
„ mana non rite sentiret de sacramentis, nec in
„ hoc esset imitanda. 5.) Quod concilia ge-
„ neralia & specialiter Constantiense errassent in
„ fide & bonis moribus. 6.) Multipliciter oc-
„ casio esset seditionum & schismatum in chri-
„ stianitate „. Has fuisse rationes theologo-
rum in concilio Constantiensi, ex Gersone di-
scimus, quarum operosam refutationem addere
non est necessarium, cum potiores ex superioribus
intelligi possint, reliquarum vero ipsos scripto-
res pontificios hodie pudeat.

CAPUT X.

DE RETINENDO ΤΩ ΡΗΤΩ IN VERBIS SACRÆ COENÆ.

Vera corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia.

§. LXIX. Egimus hactenus de externis symbolis sive re terrena hujus sacramenti, quæ sunt panis & vinum: restat, ut de re *cælesti* hujus sacri convivii, quæ sunt corpus & sanguis Christi, pari perspicuitate differamus. Quamvis enim in sacra cœna panem & vinum ex Christi ordinatione accipiamus, manducemus ac bibamus: non tamen nudum panem ac nudum vinum accipimus, *sed panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: poculum, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* 1 Cor. X. 16. Unde Irenæus libr. IV. c. 34. p. 263. graviter monet, *panem, qui vocationem Dei in administratione sacrae cœnae percipit, non esse communem panem, sed eucharistiam ex duabus rebus constantem terrena scilicet & cælesti.* Quam vere igitur in sacra cœna præsens est res *terrena*, panis & vinum: tam vere etiam præsens res *cælestis*, corpus & sanguis Christi: proinde credimus, docemus & confitemur in eucharistiæ sacramento *veram, realem & substantialem* corporis & sanguinis Christi præsentiam, exhibitionem, manducationem & bibitionem, quæ præsentia non est *essentialis* conversio panis in corpus & vini in sanguinem Christi, quam *transsubstantiationem* vocant, neque est corporis ad panem, ac sanguinis ad vinum extra usum cœnæ *localis* aut *durabilis* adfixio, neque est panis & corporis Christi *personalis* unio, qualis est divinæ & humanæ naturæ in Christo unio, neque est *localis* inclusio corporis in panem, neque est impanatio, neque incorporatio in panem, neque est consubstantiatio, qua panis cum corpore Christi, & vinum cum ipsius sanguine in unam massam *physicam* coalescat: neque est *naturalis* inexistentia, neque delitescentia corpusculi sub pane, neque quidquam hujusmodi carnale aut physicum; sed est præsentia & unio *sacramentalis*, quæ ita comparata est, ut juxta ipsius salvatoris nostri, veracis, sapientis, & omnipotentis institutionem, pani benedicto tanquam medio divinitus ordinato corpus: & vino benedicto, tanquam medio itidem divinitus ordinato, sanguis Christi modo nobis incomprehensibili uniatur, ut cum illo pane corpus Christi una manducatione sacramentali, & cum illo vino sanguinem Christi una bibitione sacramentali in sublimi mysterio sumamus, manducemus ac bibamus. Breviter, non ἀπουσίαν *absentiam*, non ἐνουσίαν *inexistentiam*, non συνουσίαν *consubstantiationem*, non μετου-

σίαν

σίαν *transsubstantiationem* accepram, sed παρουσίαν corporis & sanguinis Christi in sacra cœna statuimus.

Ea unice nititur institutione Christi.

§. LXX. Fundamentum nostræ sententiæ non quærimus in peregrinis locis, sed in propria hujus articuli sede, videlicet in verbis institutionis, quæ si κατὰ τὸ ῥητὸν accipiantur, sententiam nostram de vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi præsentia evidentissime comprobant: siquidem Christus in prima sacræ cœnæ institutione & administratione verbis claris & perspicuis ad discipulos dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Bibite, hoc est sanguis meus* (*). *At* (inquis) *si verba institutionis in proprio & literali sensu accepta sunt unicum sententiae nostrae fundamentum,*

Cur Lutherus quatuor fundamenta ponat.

quare Lutherus in confess. majori tom. III. Jen. pag. 497. quatuor fundamenta statuit, quæ etiam adlegat liber concord. p. 296. in lat. & p. 727. in germ. 1.) Quod Jesus Christus sit verus, substantialis, naturalis & perfectus Deus & homo in una persona indivisus & inseparabilis. 2.) Quod dextra Dei non est loco adligata, sed ubique, ad quam Christus secundum humanam naturam revera *exaltatus*, regnat præsens. 3.) Quod verbum Dei fallere & mentiri non possit. 4.) Quod Deus non unicum tantum modum *localem* & *circumscriptivum*, sed plures modos habeat, quibus præsens alicubi esse possit. *Resp.* verba institutionis voluntatem Christi exprimunt, ideo apud illos, qui verbis Christi utpote veracis & omnipotentis Dei Filii fidem habent, ac firmiter statuunt, ipsum, quod promisit, præstare posse, sunt unicum & sufficiens fundamentum. Sed quia adversarii de facultate Christi disputare cœperunt, an corpore suo vere humano in tot locis, in quibus sacra cœna celebratur, præsens esse possit, ideo pertracti eo ab adversariis ad reliqua etiam fundamenta de unione personali divinæ & humanæ naturæ in Christo, de sessione ad dextram Dei &c. accessimus. Distinguendum igitur inter fundamentum adæquatum & *primarium*, quo voluntas Christi confirmatur, quod suppeditant nobis verba institutionis, & inter fundamenta ἑπομένως & *consequenter* huc adducta, quibus facultas præstandi, quod promisit, contra adversariorum ἐνστάσεις Christo vindicatur, qualia suppeditant articuli de unione hypostatica durarum naturarum in Christo & sessione humanæ naturæ ad dextram Dei; illud potest dici fundamentum *probationis*, hæc vero fundamentum *refutationis*, id quod ab electoribus, principibus & reliquis ordinibus Augustanæ confessioni addictis in præfatione libri concordiæ his verbis declaratur: „ Quamquam nonnulli theologi & „ in his ipse Lutherus, cum de cœna dominica „ agerent, inviti etiam ab adversariis ad disputationes de personali unione duarum in Christo „ naturarum pertracti sint: tamen theologi nostri in concordiæ libro & ea, quæ in illo est, „ sanioris doctrinæ norma, diserte testantur, „ & nostram & hujus libri sententiam constantem & perpetuam esse, pios homines in negotio cœnæ ad nulla alia fundamenta, quam „ verborum institutionis testamenti Domini nostri Jesu Christi deducendos esse. Nam cum „ ille omnipotens & verax sit, expeditum ei „ esse, ea, quæ instituit, & verbo suo pollicitus est, præstare. Et sane cum hoc fundamentum ab adversariis impugnatum non fuerit, de aliis probandi rationibus in hoc argumenti genere non contendent, sed in vera fidei simplicitate verbis apertissimis Christi firmiter insistent, quæ ratio tutissima & erudiendis imperitis hominibus adcommodatissima est, neque enim illi ea, quæ de his rebus „ adcuratius disputata sunt, intelligunt. At

(*) Calumnia igitur est, quando Ulenbergius causa VI. cur ad catholicos redeundum: *Eutyches*, scribit, *cum sua hæresi clam in Augustanam confessionem irrepsit; itaque eam ob causam, quod Lutherani vera, eaque simplici doctrina de præsentia corporis & sanguinis Christi in eucharistia repudiata, alia fundamenta quæsiverunt.* GERHARDUS.

„ vero cum illa adſertio noſtra & ſimplex ver-
„ borum teſtamenti Chriſti ſenſus ab adverſariis
„ impugnatur, & veluti impius & rationibus
„ veræ fidei repugnans rejicitur, denique arti-
„ culis ſymboli apoſtolici, præſertim de Filii
„ Dei incarnatione, adſcenſione in cœlum, &
„ ſeſſione ad dextram omnipotentis virtutis &
„ majeſtatis Dei, contrarius & proinde etiam
„ falſus eſſe contenditur, vera ſolidaque articu-
„ lorum illorum interpretatione demonſtrandum
„ eſt, noſtram illam ſententiam nec a verbis
„ Chriſti, nec ab articulis illis diſſidere „. Hæc illi. Vide etiam apolog. form. concord. cap. 6.

Τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ retinendum.

§. LXXI. Porro verba Chriſti in ſacræ cœnæ inſtitutione κατὰ τὸ ῥητὸν ſecundum nativam, genuinam & *literalem* ſignificationem, non *tropice* aut *figurate* accipienda eſſe, oſtendimus primo in *genere*, ſecundo in *ſpecie*.

Probatur

I.) *Generales* demonſtrationes hæ ſunt. 1.) Proprietati verborum inhærere tutiſſimum ſemper viſum fuit prudentibus. l. Labeo. 7. ff. de ſupell. legata, *Non ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debere Servius fatetur. Id Tubero parum ſibi liquere ait. Nam quorſum nomina,* (inquit) *niſi ut demonſtrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror quemquam dicere, quod non ſentiret, ut maxime nomine uſus ſit, quo id adpellari ſolet, nam vocis miniſterio utimur, cæterum nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitaverit. Sed etſi magnopere me Tuberonis & ratio & auctoritas movet, non tamen a Servio diſſentio,* (ait Celſus) *non videri quemquam dixiſſe, cujus non ſuo nomine uſus ſit. Nam etſi prior atque potentior eſt, quam vox, mens dicentis: tamen nemo ſine voce dixiſſe æſtimatur, niſi forte & eos, qui loqui non poſſunt, conatu ipſo & ſono quodam κῇ τῇ ἀναρθρῳ φωνῇ, id eſt, inarticulata voce dicere exiſtimamus.* Ergo qui in communi vocum notione in intelligendo aliquo ſcripto vel ſermone conſiſtit, is velut in communi via ac velut in ſua poſſeſſione conſiſtit, ut ſi quis eum inde, præſertim in controverſia ac lite depellere velit, eum valde bonis ac evidentibus rationibus inſtructum eſſe oporteat. In judicio quoque illi incumbit probatio, qui repudiato ſenſu nativo verborum tropicum adſtruit, inprimis ſi tropica uſurpatio ſit peregrina, obſcura & inuſitata. Bellarminus libr. I. de euchar. cap. 9. *Non debent a nobis petere, cur ſequamur proprium verborum ſenſum. Simile enim id eſſet, ac ſi quis peteret ab iis, qui ſunt in itinere, cur ſequantur viam communem & tritam, nemo enim ſanus id quaerit, vel cur ingrediamur per portam, non per feneſtram,* ut idem loquitur libr. eodem cap. 12. Franc. Junius libr. II. verſ. 31. contra Bellarminum de clericis. *Simplicis & aperti ſermonis ſimplicem interpretationem, non multiplicem eſſe oportet.* 2.) Cumprimis vero in ſcripturæ interpretatione verborum proprietas obſervanda eſt, niſi ipſa ſcriptura ab ea nos recedere cogat. Cum enim ſcriptura non ſit ἰδίας ἐπιλύσεως, 2 Petr. I. 20. ideo a genuino, literali & nativo verborum ſenſu non eſt recedendum, aut privato arbitrio peregrinæ interpretationes excogitandæ, ſed ex ipſis verbis ſententia Spiritus ſancti haurienda. Hilarius libr. V. de Trinitate: *Ex verbis ſenſum ſequamur, ex ſenſu rationem, & ex ratione veritatem adprehendamus.* Auguſtinus libr. I. qq. in Geneſ. cap. 31. *Scripturae ſacrae ſi defenduntur ſecundum locutiones proprias, quae adpellantur idiomata, quanto magis ſecundum eas, quas cum aliis communes habent.* Bellarminus libr. I. de euchariſt. c. 9. *Nunquam dimittendus proprius verborum ſenſus, niſi cogamur ab aliqua alia ſcriptura, vel ab aliquo articulo fidei, alioquin peribit fides, & ſola remanebit opinio de rebus divinis, & porta infinitis erroribus aperietur.* Urſinus in explic. catech. p. 509. diſputans contra Anabaptiſtas ſtatuentes *ſynecdochen* in voce *familiae* ab apoſtolis baptizatæ. *Non eſt decurrendum ad figuram, ubi nulla eſt ratio, cur non retineatur ſententia propria.* 3.) Maxime omnium in divinis præceptis, promiſſis

α.) in genere
α.) ex conſenſu omnium prudentum.

β) ex requiſito legitimæ interpretationis ſcripturæ.

γ.) Ex natura præcepto-

rum & articulorum fidei.

missis, comminationibus, atque in articulis fidei proprietas verborum arcte tenenda est, nisi velimus in errorum avia abripi. Non negamus, quædam in præceptis, promissionibus & comminationibus divinis, uti & in fidei christianæ articulis figurato sermone constare, juxta illud Augustini libr. III. de doctrina christian. c. 10. *Quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognosco;* hoc vero dicimus, nullum esse præceptum divinum, nullam promissionem, nullum fidei articulum, qui non alicubi in scriptura propriis & perspicuis verbis exponatur, ideoque a literali sensu in præceptis, promissionibus & fidei articulis non esse discedendum, nisi ipsa scriptura improprietatem alibi ostendat & exponat; quo pertinet regula Hieronymi in cap. IV. Gal. *Allegoria non est quaerenda in praeceptis, quae ad vitam pertinent, aut in his, quae perspicua & manifesta sunt, haec enim est regula sanctarum scripturarum.* Gen. III. 6. male cessit primis parentibus, quod a ῥητῷ prohibitionis de non comedendo fructu arboris vetitæ discederent: speciosis movebantur rationibus, utpote, quia Deus reliquarum arborum omnium potestatem dedit, cur hanc solam excepisset? quia Deus non est invidus, ideo non denegabit nobis pulcerrimos hosce fructus? quia omnium creaturarum nos constituit dominos, quomodo unicum pomum denegabit? quia Deus est Spiritus, cui in spiritu serviendum, ideo corporalem pomi contactum & esum non magnopere curat; alia igitur quærenda verborum sententia, nec inhærendum literæ præcepti. Hæc primorum parentum transgressio perpetuæ admonitioni nobis esse debet, ne temere a literali & nativo verborum sensu in præceptis dominicis discedamus (*). Contra vero Abrahæ fides nobis commendatur, quod promissioni de semine ex corpore suo effœto propagando crediderit, Rom. IV. 18. *Abraham contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium*, v. 19. *& non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum jam emortuum, cum fere centum esset annorum, & emortuum uterum Sarae.* v. 20. *In promissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo*, v. 21. *plenissime sciens, quia, quaecunque promisit, potens est & praestare.* Ex circumstantiis textus colligitur, Abrahamo accepta promissione de multiplicatione seminis Gen. XII. 2. & XV. 4. cum obstreperæ rationis cogitatis luctandum fuisse, ut sub fidei obedientiam eam redigeret; ideo quærit, an hic forte sit promissionis sensus, quod filius servi Eleazari hæres esse debeat, Gen. XV. 3. & quamvis expressam declarationem Deus adderet, *filius, qui egreditur ex utero, erit haeres*, tamen cogitat Sara, alium forte esse horum verborum sensum, ideo Agarem, ancillam suam, Abrahæ in matrimonium elocat. Gen. XVI. 2. *Conclusit me Jehova, ne parerem*, (inquit) *ingredere quaeso ad ancillam meam, si filios ex ea suscipiam, & paruit Abraham voci Sarae.* Postea cum denuo expressis verbis Deus promissionem suam repeteret: Gen. XVII. 16. *Ex Sara dabo tibi filium*, obversatur cordi & oculis Abrahæ corpus suum emortuum, & uxoris natura sterilis, ætas provectior, ideo *ridet ac dicit in corde suo:* v. 17. *Numquid mihi centenario nascetur filius, & an Sara nonagenaria pariet?* Tandem cum ultimo loco Deus promissionem illam repeteret, Gen. XVIII. 10. *ridet Sara intra se dicendo, postquam senui, erit mihi voluptas? praeterea dominus meus senuit;* v. 12. sed Deus respondet: *Numquid Domino quidquam impossibile?* v. 14. Inde ergo confirmatur fides Abrahæ, ut contra omnes rationis objectiones firmiter credat promissioni seminis. Sic cum circumcisionis sacramentum ipsi promulgaretur, variis procul dubio cogitationibus distractus fuit, cur in illa corporis

Exemplum primorum Parentum.

Exemplum Abrahae.

(*) Probe hoc loco notandum, quod exemplum lapsus Evæ illis ipsis Corinthiis, quibus doctrinam de cœna tradiderat, apostolus proponat, admonens, ne excidant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu. 2 Cor. XI. 3. GERHARDUS.

ris parte circumcisio suscipienda, sed sub fidei obsequium denuo rationem suam captivat, & omnes masculos domus suæ sine mora circumcidit. Gen. XVII. 23. Cum de immolando filio suo Isaaco mandatum acciperet, quam speciosis rationibus a literali sensu mandati potuisset abstrahi? Deus homicidium in lege sua prohibuit, est φιλάνθρωπος & vitæ amator, dedit promissionem de multiplicatione seminis, repugnat ipsi naturæ, filium a parente occidi, conjunctum erit hoc cum maximo gentium vicinarum scandalo: ergo alia potius quærenda præcepti interpretatio, quam quæ ex verbis proprie acceptis peritur, sic ergo *tota carnis militia adversus fidem animi repugnat*, ut pulcerrime de ipso loquitur Origenes homil. VI. in Gen. p. 30. *sed fides in Dominum fortior est, quam carnis affectus*, ut idem addit p. 32. quia fide tentationes illas vincit, & literalem mandati sensum amplectitur. Gen. XXII. 3. Quod si igitur Abrahæ, qui est *pater omnium credentium*, Rom. IV. 11. spirituales filii audire cupimus, pari ratione intellectum nostrum sub obsequium fidei captivemus, nec in præceptis & promissis Dei, vel in articulis fidei a literali verborum sensu recedamus, nisi ipsa scriptura nos cogat. Institutio sacræ cœnæ est Christi θεανθρώπε præceptum & ordinatio: jubemur enim manducare, bibere, mortem Domini adnunciare: est Christi θεανθρώπε promissum, quia pollicetur, quod mediante benedicto pane suum corpus, & mediante benedicto vino suum sanguinem nobis exhibere velit: literalis ergo & genuinus verborum sensus in verbis institutionis arcte tenendus. Si in fidei articulis a litera temere velimus recedere, propterea quod sensus literalis rationi nostræ minus congruere videatur, quid fiet de mysterio Trinitatis, de Filii Dei conceptione, nativitate, crucifixione, morte, sepultura, descensu ad inferos, resuscitatione, adscensione ad cœlos, sessione ad dextram Dei? &c. de nostra ex mortuis resurrectione? hi articuli non minus repugnant humanæ rationi, nihilo tamen minus τὸ ῥητὸν in illis omnes vere pii firmiter amplectuntur. Concludimus igitur hoc modo: Nullum est fidei nostræ dogma, nullus christianæ religionis articulus, qui non alicubi in scripturis propriis & perspicuis verbis tradatur. Jam vero doctrina de sacra cœna est fidei christianæ peculiaris articulus. Ergo alicubi in scriptura verbis propriis & perspicuis proponitur. Ulterius: Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. 1 Cor. X. & XI. ex professo tractatur articulus de sacra cœna, cujus institutio ibidem describitur, atque hæc est propria hujus doctrinæ sedes. Ergo loca illa κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda sunt. *Connexionis* rationem damus hanc, quia quidquid in descriptione christianorum dogmatum figurate, modificate, seu *tropice* in sacris bibliis proponitur, id ex aliis manifestis, perspicuis & claris, iisque non peregrinis & alienis, sed *homogeneis* scripturæ locis explicari potest ac debet. Dogma de sacra cœna nusquam alibi in scriptura ex professo traditur, nisi in illis locis. Ergo illa loca in sensu proprio & literali accipienda sunt: nisi enim id fieret, sequeretur, doctrinam de sacra cœna nusquam propriis verbis in scriptura proponi, & sic periret scripturæ perfectio, siquidem *ex solo sensu literali in dogmatibus fidei comprobandis firma ducuntur argumenta*, ut agnoscit ipse Bellarminus libr. III. de verbo Dei c. 3. perfectionis illius adversarius, qui desumsit hoc ex Thoma part. III. quæst. 1. art. 10. Neque possunt hic provocare ad cap. VI. Johan. quasi ex eo petenda sit verborum cœnæ interpretatio, quia concio illa integrum annum antecessit institutionem cœnæ, & omnes loci circumstantiæ evincunt, non de *sacramentali*, sed de *spirituali* solum manducatione & bibitione ibi agi, ut suo loco evidenter demonstrabimus. Consideratori commonef. (Ursinus) part. I. numer. 40. fol. 185. argumento nostro hoc obvertit, *quod in protevangelio diabolus vel metonymice vel synecdochice dicatur serpens: destructio regni satanæ, conculcatio capitis: afflictiones & mors Christi, laesio calcanei.* Resp. nequaquam hoc volumus, quod articuli fidei nusquam verbis *tropicis* & *metaphoricis* describantur; sed hoc adserimus, quod nullus sit fidei articulus, qui non alicubi in scripturis proprie & *literaliter* sit propositus, idque demonstratur ex hac ipsa promissione, quæ procul dubio viva Dei voce primis parentibus latius

fuit

fuit expoſita, & in aliis ſcripturæ locis præſertim 1 Joh. III 8. verbis propriis & perſpicuis declaratur. Oſtendant vero adverſarii, ubi articulus de cœna propriis verbis ſit expoſitus, ſi in verbis cœnæ τὸ ῥητὸν velimus deſerere; ut jam nihil dicam de differentia claritatis in vet. & nov. teſt.

2.) *In ſpecie, ubi producitur,* 2.) *ſacramenti proprietas.*

§. LXXII. II.) *Speciales* pro adſerendo ῥητῷ verborum cœnæ rationes producimus haſce, quarum *primam* ſuppeditat ſacramenti proprietas; ſacra cœna eſt nov. teſtamenti ſacramentum: ergo verba inſtitutionis illius proprie accipienda. Adverſariis perpetuo in ore eſt hæc collectio: *Cœna Domini eſt ſacramentum. Ergo ſacramentaliter, hoc eſt, figurate verba inſtitutionis ejus accipienda*, ſed nunquam poterunt hanc collectionem probare, quod *ſacramentaliter & figurate* accipi ſint ἰσοδυναμοῦντα, ut poſtea videbimus. Invertimus igitur argumentum: ſacra cœna eſt novi teſtamenti ſacramentum. Ergo verba inſtitutionis ejus proprie & in ſenſu literali ſunt accipienda. Res novæ, peregrinæ & quaſi extraordinariæ ſolent proprio termone explicari: quomodo enim quis intelligat de rebus ignotiſſimis improprio & figurato ſermone loquentem, niſi accedat interpretatio? jam vero ſacramenta per ſe, quoad eſſe ſuum, ſunt res plane novæ, & omnibus mortalibus ignotæ, niſi divinitus revelentur. Certe Chriſtus in inſtitutione ſacræ cœnæ novum apoſtolis plane incognitum revelavit myſterium, proinde voluit proprie & ſignificanter loqui, ac verba ejus in proprio, literali & genuino ſenſu accipienda ſunt, alias nihil certi de hoc myſterio relinquetur. Notanda etiam *emphaſis* in eo latens, quod ſacra cœna novi teſtamenti ſacramentum ſit. Nam ſi vel maxime ex deſcriptione ſacramentorum vet. teſt. figuratas & *metonymicas* ſuas locutiones probare poſſent adverſarii, (quod tamen nunquam poterunt) id nondum everteret τὸ ῥητὸν in verbis inſtitutionis ſacræ cœnæ, cum hæc non veteris, *quod umbram tantum habuit futurorum bonorum*, ſed novi teſtamenti ſit ſacramentum, quod ipſam εἰκόνα μὴ σῶμα obtinet. Col. II. 17. Hebr. X. 1. In deſcriptione baptiſmi, quin etiam in deſcriptione circumciſionis & agni paſchalis, quid improprium, quid figuratum? omnia verba propriam & nativam retinent ſignificationem, ut ex inductione manifeſtum; cur igitur in ſacra cœna a literali verborum ſenſu recedere velimus? *Sacramentalem analogiam* perpetuo urgent adverſarii: at hæc eſt vera & communis omnium ſacramentorum analogia, quod deſcriptio eorum ſimplici & proprio ſermonis genere conſtat.

2.) *Teſtamenti qualitas.*

§. LXXIII. *Alteram* rationem ſuppeditat teſtamenti qualitas. Quidquid ſolenniter ſub forma teſtamenti alicubi proponitur, ejus verba ſimpliciter & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda ſunt. Cœna Domini ſolenniter ſub forma teſtamenti inſtituta eſt; Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII unde calix euchariſticus vocatur *nov. teſt. in Chriſti ſanguine.* Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 21. Ergo verba inſtitutionis illius ſimpliciter & κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda ſunt. Ad ſtuporem uſque mirandum foret, (ſcribit amicus noſter Balduinus in artic. Schmal. diſp. XVI. th. 58.) quod verba inſtitutionis tam clara ſint & perſpicua in præcedentibus, eo vero in loco, ubi ipſorum legatorum nomina exprimuntur, tam perplexa & intricata, ut omnia nativam ſuam ſignificationem amittant, hoc ſenſu: *Edite*, id eſt, credite; *Hoc*, id eſt, hic ſolus panis, *eſt corpus meum*, id eſt, eſt ſignum corporis mei, quod traditur, id eſt, quatenus traditur pro vobis, id eſt, ſolis electis. At quis evangeliſta, quis apoſtolus hujus explicationis vel unico ſolum verbo meminit? Immote igitur concludimus: verba inſtitutionis ὁριστικὰ *definitiva*, ſunt διατακτικὰ *diſpoſitiva*, ſunt διαδοτικὰ *exhibitiva*, ſunt διαθετικὰ *ordinativa* & quidem teſtamentaria: ergo proprie & ſine troporum involucris accipienda. Quod enim verba teſtamentaria in ſignificatione propria & genuina ſint accipienda, confirmari poteſt ſcripturis ſacris, patrum teſtimoniis, legibus imperatoriis, jurisconſultorum pronunciatis & rationum momentis. Gal. III. 15. *Fratres* κατ' ἄν-

θρωπον seu ἀνθρωπίνως, *hoc est, humano more loquor*, similitudine petita a rebus humanis rationi, sensui & experientiæ subjectis, a testamentis scilicet seu ultimis hominum voluntatibus; *hominis* διαθήκην, id est, honestam ordinationem morituri & justam voluntatis ultimæ sententiam, dispositionem ac testificationem, qua hæredes instituuntur, legata certis personis attribuuntur, ac certa quædam mandata fidei testamentorum & hæredum quasi sub religione exsequenda committuntur, *si sit* κεκυρωμένη, hoc est, legitime & judicialiter confirmata, ratificata ac plenam auctoritatem consecuta, *nemo* ἀθετεῖ *abrogat*, abolet, contemtui habet aut irritam facit, *nemo etiam* ἐπιδιατάττει, *aliquid amplius disponit*, ac μέρος προσθήκης vel in *materialibus* vel *formalibus* adjicit. Sic formula fœderalis in vet. test. *Hic est sanguis testamenti aut fœderis*, (quia vox בְּרִית utrumque significat) *quod Deus pepigit vobiscum*, Exod. XXIV. 8. Hebr. IX. 20. olim semper proprie ac ad verbum intellecta de præsentis sanguinis adspersione & per illam fœderis confirmatione: hanc formulam Christus adjectis discriminis causa duabus tantum voculis nempe *meus* & *novi* ad novum fœdus proprio sanguine sancitum transtulit: necesse igitur est, eam etiam nunc proprie de præsentis sanguinis Christi exhibitione intelligi, unde propter paritatem rationis sequitur, etiam priorem partem: *Hoc est corpus meum*, itidem proprie accipiendam esse. Augustinus in Psalm. XXI. super verba: *Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentibus; Fratres sumus, quare litigamus? non intestatus mortuus est pater, fecit testamentum, & sic mortuus est, mortuus est & resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum, & cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulae aperiantur & recitentur. Judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui non sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius, sedet Christus in cœlo, & contradicitur testamento ejus? Aperi, legamus. Fratres sumus, quare contendimus? placetur animus noster, non sine testamento nos dimisit Pater. Qui fecit testamentum, vivit in aeternum, audit voces nostras, agnoscit suum. Legamus, quid litigamus? ubi inventa fuerit ipsa haereditas, eam teneamus.* Optatus Milevitanus libr. V. adv. Parmenian. *De cœlo quaerendus est judex, sed ut quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus in evangelio? Testamentum, inquam, quia hoc loco recte possunt terrena cœlestibus comparari, tale est, quod quivis hominum habens numerosos filios. His quamdiu pater praesens est, ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus, quamdiu praesens in terris fuit, (quamvis nec modo desit) pro tempore quidquid necessarium erat, apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus pater, dum se in confinio senserit mortis, timens, ne post mortem suam rapta pace litigent fratres, adscitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert, in tabulas diu duraturas, & si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quaeritur testamentum, & qui tumulo quiescit, tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas ejus velut in testamento, sic in evangelio inquiratur &c.* (Atqui si a verbis testamenti discedituri, nihil certi ex eodem colligi potest.) Huc etiam pertinent leges imperatoriæ & jurisconsultorum responsa. l. Ille aut ille. 25. ff. de legatis 3. *Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio* l. Non aliter. 69. ff. de legatis & fidei commissis. 3. in princip. *Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem.* l. Labeo. 7. §. 2. de supellect. legata: *Quorsum nomina, nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? equidem non arbitror quemquam dicere, quod non sentiret.* Vide Vigilium in §. 1. inst. de pupill. & vulgari substitut. Tiraquellum in l. si unquam. verb. Libertos. n. 17. cod. de revoc. donat. Tilemannum part. II. disp. 7. in ff. th. 31. Godd. ad l. 219. de V. S. Stephanum de Phedericis tract. de interpr. legum. p. 155. & refer huc dicta jurisconsultorum. *Si contrarium volebat testator,*

ſtator, nulla erat difficultas ita diſponere. Verba teſtamenti diligenter conſideranda ſunt, ne, dum nimia utamur circa hujusmodi ſenſus ſubtilitate, judicia teſtantium defraudentur. In dubio tutius eſt, non recedere a verbis, ſed illis tenaciter inhaerere ſine extranea interpretatione. Magis verba ponderanda ſunt, quam mens imaginaria & incerta. Non eſt recedendum a verbis teſtatoris, quia talis praeſumitur fuiſſe intentio, qualem verborum proprietas importat. Non eſt credendum, teſtatorem id velle, quod non dixit. Finibus verborum contenti eſſe debemus, quia nulla diſpoſitio ultra egreditur, quam verba patiantur: lector itaque inſtrumenti ſolutionem habet quaeſiti. Quod teſtator non loquitur, velle non praeſumitur. Ejus, quod multipliciter exponitur, veritas ignoratur. Multi decipiuntur, qui non ponderant verba teſtamentorum, quae in ſe magnum pondus habent ad cognoſcendum, quid eſt. Niſi de contraria lege mentis evidenter conſtet, a propria verborum ſignificatione non receditur (*).

3.) *Chriſti inſtituentis majeſtas.*

§. LXXIV. *Tertiam* rationem exhibet Chriſti inſtituentis majeſtas (**). Chriſtus, qui ſacram coenam inſtituit, 1.) eſt verus & omnipotens veri & omnipotentis Dei Filius; ad illius igitur verba etiam hoc pertinet: *Non declinabitis ab eis, nec ad dextram vel ſiniſtram, addendo vel detrahendo.* Deut. IV. 2. V. 32. *Si quis diminuerit de his verbis, auferet Deus partem ejus de libro vitae & de civitate ſancta.* Apoc. XXII. 19. 3.) Eſt mediator noſter audiendus omnibus, de coelo nobis commendatus. Deut. XVIII. 18. *Ponam verba mea in ore ejus*, v. 19. *Quicunque non audierit verba mea, quae loquetur in nomine meo, ego requiram ab eo.* Pater coeleſtis de eo teſtatur: Matth. XVII. 5. Marc. IX. 7. Luc. IX 35. *Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite.* Matth. XXIII. 8. *Unus eſt magiſter veſter Chriſtus.* Joh. VIII. 31. *Si manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem.* Joh. X. 27. *Oves meae vocem meam audiunt.* Joh. XII. 48. *Qui non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.* 1 Tim. VI. 3. *Si quis aliter docet, & non adquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quae ſecundum pietatem eſt, doctrinae*, v. 4. *inflatus eſt, nihil ſciens.* Hæc certe graviſſima pronunciata merito impetrare a nobis debent, ut ſine contradictione ac dubitatione verbis Chriſti fidem habeamus. 3.) Eſt ipſa Dei Patris *ſapientia*, 1 Cor. I. 24. cui Pater dedit *eruditam*

(*) Excipiunt, *in teſtamento Jacobi patriarchae Geneſ. XLIX. multas proponi metaphoras.* Reſp. 1.) Moſes expreſſe vocat *prophetican* v. 1. 2.) Idem probant circumſtantiae textus, quia Jacobus patriarcha cuique filiorum futuram generis ſortem praenunciat. 3.) Quando proprie inſtituit teſtamentum, ſatis perſpicue loquitur: *Domine exſpecto ſalutare tuum.* v. 29. jubet corpus ſuum ſepeliri in ſpelunca agri Ephronitici. Calviniani perinde nobiſcum agunt, ac ſi quis perſuadere velit ei, cui domus, agri, fundi ſunt legati, ut figuris eorum depictis ſit contentus. Negerunt, *tropos ad perſpicuitatem eſſe aptos natos.* Reſp. 1.) Figurae potius ad rhetorem pertinent, cujus finis eſt movere adfectus, quam ad doctorem, cujus eſt aridis, ſiccis & rotundis verbis ſuum ſenſum proponere. At Chriſtus in coenae inſtitutione non rhetorem agere voluit, ſed doctorem. 2.) Perſpicuitas alia eſt διδακτική, alia πομπική, ad illam figurae, ad hanc potiſſimum plana & propria verba faciunt. GERHARDUS.

(**) Chriſtus eſt 1.) perſona *vera*, Joh. XIV. 6. ipſius dicere eſt facere, Pſalm. XXXIII. 4. 2.) perſona *mira*, Eſa. IX. 6. ipſius cogitationes non ſunt ſicut noſtrae, Eſa. LV. 8. 3.) perſona *ſapiens*, Eſa. IX. 7. *in ipſo reconditi omnes theſauri*, Col. II. 3. Ipſius eſt noſſe, noſtrum credere. Athanaſius. 4.) perſona *omnipotens*, Gen. XVII. 14. *Num Deo aliquid impoſſibile?* Luc. I. 37. Eph. III. 20. Chriſtus in inſtitutione euchariſtiae aut noluit aut non potuit perſpicue loqui. Noluiſſe non eſt ullo modo veriſimile, cum judicium ſibi manducet, qui non diſcernit corpus Domini: non potuiſſe multo minus dici poteſt, cum ſit Dei ſapientia. Nicephorus libr. I. hiſt. c. 28. *cum vere corpus ſuum & ſanguinem eſſe quaſi fide interpoſita confirmaſſet.* GERHARDUS.

tam linguam, Esa. L. 4. potuit igitur diserte & perspicue mentis sensa exponere. *Num enim mentis & linguae artifex diserte loqui non posset, imo vero summa providentia carere fuco voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intelligerent, quae ipse omnibus loquebatur.* Lactantius lib. VI. institut. cap. 22. si aliud quidpiam de hoc mysterio nos sentire voluisset, quam literalis verborum sensus importat, facili negotio mentem suam clarius exposuisset. 4.) Est omniscius; novit igitur tam tristes & diuturnas contentiones de hac doctrinæ cœlestis parte in ecclesia excitatas iri: *praesentia, quae modo facitis, jam futura conspexerat Christus*, ait Optatus Milevitanus lib. V. adv. Parmen. Novit, indignam hujus sacræ cœnæ tractationem cum reatu æterni judicii apud multos fore conjunctam; 1 Cor. XI. 29. an ergo ullo modo verisimile est, quod clare, perspicue & proprie loqui noluerit, quod veram & certam de hoc mysterio sententiam obscuris verborum involucris in multorum millium perniciem involvere data opera voluerit? 5.) Morti vicinus hoc testamentum suum condidit. Verba hujus sacræ cœnæ sunt verba testamenti, non nudi hominis, sed ipsius Filii Dei, quod in ea nocte, qua traditus est, de negotio omnium gravissimo, adfectibus, verbis & gestibus maxime seriis condidit; jam vero notum est, quam graviter, quam præmeditate viri pii & prudentes loqui soleant, quando in confinio mortis exsistunt, ut merito detestanda sit blasphemia Alberti Hardenbergeri, qui referente Schlüsselburgio catal. hæret. tom. III. p. 295. dixit, *Christum cum morte consistantem prae nimia tristitia & summis animae doloribus nescivisse, quibus verbis in institutione sacrae cœnae uteretur.* 6.) Nuspiam indicavit, aliam quærendam esse verborum interpretationem ac sententiam, quam est ea, quam literalis sensus importat, quinimo ad dextram Patris cœlestis evectus in gloria cœlesti verbis iisdem omnino ac nullo modo variatis hanc sacræ cœnæ institutionem ad apostolum Paulum repetivit, 1 Cor. XI. 23. ut traditionem illam novi & singularis dogmatis velit illis verbis in ecclesia permanere usque ad finem seculi. Quando Christus in parabolis & figuris ad apostolos locutus est, statim addit explicationem, ut omnem præcaveret erroris occasionem. Marc. IV. 34. *Sine parabola non loquebatur turbis, seorsim autem discipulis suis ediserebat omnia*, ἐπέλυε πάντα, solutionem omnium dubiorum & obscuritatum addidit. Idem adparet Matth. XV. 17. XVI. 11. & alibi passim, sed tale quid in verbis cœnæ non animadvertitur.

§. LXXV. *Quartam* rationem suppeditat evangelistarum omnium & Pauli apertissima in descriptione conformitas. Verba institutionis non ab uno, sed a tribus evangelistis & apostolo Paulo, non uno sed diversis temporibus ex ore Christi excepta & descripta sunt, siquidem Matthæus octavo, Marcus decimo, Lucas decimoquinto, Paulus quarto & quinquagesimo post Christi adscensionem anno verba institutionis descripserunt; (Theophylactus in Matth. fol. 1. Ματθαῖος πρῶτος πάντων ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον μετὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως. Μάρκος δὲ μετὰ δέκα ἔτη τῆς ἀναλήψεως ἔγραψε παρὰ τοῦ Πέτρου διδαχθείς, Λουκᾶς δὲ μετὰ πέντε καὶ δέκα) omnes tamen παναρμόσως ea describunt, nec ullus eorum vel verbulo innuit, alium quærendum esse verborum sensum, quam literalem, multo minus, quisquam eorum interpretationem de suo addit. Matthæus solus ex reliquis omnibus, qui eam describunt, interfuit primæ cœnæ administrationi. Marcus non interfuit, quia non erat ex numero discipulorum, sed evangelicam historiam accepit a Petro, unde *interpres & sectator Petri* dicitur ab Irenæo lib. III. cap. 11. p. 183. Hieronymus in catal. commemorat, *Petrum vidisse Marci evangelium, idque ecclesiae legendum sua auctoritate commendasse;* is verba Matthæi invariata retinet. Lucas itidem non adfuit conviva in prima cœna, sed a Paulo evangelicum accepit commentarium; is τὸ ῥητὸν diserte repetit. Paulus ex ipsius Christi ad dextram Patris evecti ore in tertio cœlo repetitionem institutionis audivit, omnes vero in descriptione mirifice concordant: unde sic concludimus:

4.) *Evangelistarum conformitas.*

eludimus: In cujus dogmatis descriptione omnes, qui id adnotarunt, ad amussim concordant, ejus verba simpliciter & proprie sunt accipienda; quia si aliter accipienda essent, vel unus eorum addidisset explicationem. Jam vero in descriptione sacræ cœnæ Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus ad amussim concordant. In priore cœnæ parte omnes testantur, Christum dixisse: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* In secunda parte variantur verba, sensu eodem permanente: *Bibite, hoc est sanguis meus nov. test.* ita Matthæus & Marcus; *Bibite, hic est calix nov. test. in meo sanguine*, hoc est, propter meum sanguinem, cujus est communicatio: ita Lucas & Paulus, quæ collatio mirifice τὸ ῥητὸν confirmat. Solent alias sancti evangelistæ præcavendi erroris causa explicationem addere: sic Joh. II. 19. cum Christus dixisset: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; subjicit Johannes v. 21. *hoc dicebat de templo corporis sui.* Cum Christus dixisset Joh. VII. 38. *Qui credit in me, de ventre ejus fluent flumina aquae vivae*, subjicit Johannes v. 39. *Hoc dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes.* Cum Christus dixisset Joh. VI. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus est diabolus?* subjicit Johannes v. 71. *dicebat autem de Juda Ischariote.* Cum Christus dixisset Luc. XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, non potest esse meus discipulus*, id Matthæus sic exponit cap. X. 37. *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.* Sed tale quid in verbis cœnæ non animadvertitur, neque enim in propria descriptionis sede, neque alibi additur ab evangelistis explicatio, quod verba cœnæ *tropice* sint accipienda. Quidam adversariorum remittunt nos ad cap. VI. Johannis, sed illis suo loco inferius satisfaciemus.

§. LXXVI. *Quintam* rationem nobis suppedidat sensus literalis concinnitas, & cum ea pugnans tropi absurditas (*). Ubi omnes rimæ tropis ac figuris obstructæ sunt, ibi proprietas sermonis arcte & firmiter tenenda. In descriptione cœnæ omnes rimæ tropis sunt obstructæ, illis scilicet, quibus verba cœnæ *substantialia* in alium sensum torquentur, tota enim controversia est de illis propositionibus: *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus.* Non esse tropum invehendum in vocem *panis* aut poculi, patet ex eo, quia interprete Matthæo τὸ ποτήριον dicitur pro vino: nec esse tropum in voce *corporis* vel *sanguinis*, patet ex addita descriptione; *Corpus meum, quod pro vobis traditur; sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effunditur.* Sic ergo concludimus: si in verbis cœnæ: *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus*, esset tropus, esset aut in partibus propositionis, aut in tota propositione. Si illud, aut foret in *subjecto* aut in *praedicato*. Sed in nulla parte statui potest. Non in *subjecto*: 1.) quia δεικτικὸν *hoc* sive de toto complexo accipias, ut requirit constructio & rei evidentia, sive de solo pane & vino, ut volunt adversarii, a tropo liberum esse, manifestum est. 2.) Alias incerta forent symbola sacramentalia (**). 3.) Ipse Beza hom. II. de cœn. hoc agnoscit: *Confiteor, hic nullum tropum esse, quia signum proprie exponi necesse fuit, ne falleremur.* Idem fatetur consideratio commonefact. p. 307. Nec in *praedicato* statui potest tropus: 1) quia Christus diserte addit, se dare nobis *suum* corpus, & *s.) Tropi absurditas.*

(*) Ubi nec ὁλικῶς nec μερικῶς dari potest tropus, ibi verba simpliciter & in sensu literali sunt intelligenda. Sed in verbis cœnæ nec ὁλικῶς nec μερικῶς dari potest tropus. Ergo. GERHARDUS.

(**) Omnis tropus mutat propriam vocis significationem in alienam. In particula *hoc* non mutatur propria vocis significatio. Ergo. *Minor* est manifesta, nisi quis velit confundere tropum *rhetoricum* cum synecdoche *grammatica*, quæ est talis loquendi formula, qua duæ res certa quadam ratione unitæ simul efferuntur, & ea, quæ principalior & sensui nimis obvia, in *praedicato* expresse ponitur. GERHARDUS.

& *suum* sanguinem; illud ipsum corpus, *quod pro vobis traditum*, illum ipsum sanguinem, *qui pro nobis effusus*. Inde Beza epist. V. ad Alemannum p. 57. edit. Genev. *certe*, inquit, *corporis & sanguinis nomina nimis absurdum foret, de fructu & efficacia mortis Domini interpretari, vel ad solum ipsius spirituale institutum restringere, quod, ut quam planissime intelligatur, age pro his vocibus*: corpus & sanguis, *substituamus illam interpretationem & dicamus: Hoc est efficacia mortis meae, quae pro vobis traditur, & hic est Spiritus meus, qui pro vobis effunditur. Quid ineptius hac oratione? Nam certe verba illa: quod pro vobis datur, necessario te huc adigunt, ut de ipsa corporis & sanguinis Christi substantia hoc intelligere cogaris.* Adv. Illyric. p. 127. *Non dubitamus, quin per corporis adpellationem id ipsum pro nobis adsumtum & crucifixum corpus declaretur.* Idem agnoscunt Zanchius, Grynæus, Pezelius, Sadeel, Crellius & Paræus. 2.) In verbis Pauli 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: Calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi*; vox *corporis* & *sanguinis* ex ipsorum adversariorum confessione propriè accipitur. Ergo etiam in verbis Christi eo modo accipitur, quia ex illis locutio apostolica est deducta. 3.) In *praedicato* exprimitur ipsum legatum, quod Christus in hoc testamento nobis donat: jam vero testator proprie loquitur, quando ipsa legatorum nomina exprimit. Et quis per fundos, hortos, agros &c. legatos signa duntaxat fundorum, hortorum & agrorum sibi legata esse persuaderi velit? plura hac de re dicentur inferius, ubi de *metonymia* sacramentali, quam adversarii confingunt, disputabitur (*). Nec in *copula* statui potest tropus. 1.) Quia ea non est pars enunciationis. Aristoteles περὶ ἑρμην. c. 3. Tataretus & Schegkius in comment. illius loci, Crellius lib. II. logic. cap. 2. Goclenius part. II. probl. logic. p 20. & 59. Keckermannus lib. II. system. log. sectione 1. cap. 1. pag. 314. (**) Conimbricenses in l. περὶ ἑρμην. c. 4. art. 4. q. 2. &c. (***) 2.) Quia est συγκατηγορέμενον & προσκατηγορέμενον quiddam, tropus autem

(*) Non igitur in *praedicato* ipso, nec in *praedicari descriptione* locus est tropo. Non in *praedicato*, quia Christus falso addidisset, illud corpus manducandum nobis exhiberi, quod pro nobis est traditum &c. Nec in *praedicati descriptione*, ubi *quod* per *quatenus* falso exponunt, cum in Græco non ponatur adverbium ὅτι, sed relativum τὸ, quod expresse respicit σῶμα & ποτήριον. Polanus syst. theol. lib. VI. c. 56. p. 447. *Metonymia sacramentalis non est in praedicato, quia per illud intelligitur verum & naturale Christi corpus, priorem & naturalem retinens formam, speciem, circumscriptionem & essentiam, etsi per resurrectionem immortale factum est & ad dextram Dei collocatum, ab omni creatura adoratur.* Idem statuunt Paræus de cœna lib. VI. c. 9. lib. III. c. 4. Keckermannus syst. theol. p. 444. cujus hæc sunt verba: *Oportet vocem corporis proprie accipi in ista praedicatione, id est, ea significatione, qua corpus disparate opponitur pani.* GERHARDUS.

(**) Idem Keckermannus lib. III. system. theol. c. 8. p. 444. *Alii volunt tropum esse in copula: quod & ipsum non potest probari. Nam si statuant copulam pro voce & verbo copulativo, non potest esse in ea tropus, utpote qui locum habet in vocibus categorematicis, hoc est, talibus, quae certam rem per se significant, non autem in vocabulis significativis, quale est verbum illud, quod copulae loco ponitur. Quinimo si tropus est in copula, non potest esse praedicatio disparati de disparato, sed relatio panis accedens ad panem dicitur.* GERHARDUS.

(***) Notandum vero, quod Beza, Pezelius in copula tropum quærant. Aut si copulæ inest tropus, inerit ei, vel quatenus est copula in esse, vel quatenus quandam rei significationem seu προσκατηγορίαν a prædicato seu κατηγορίᾳ habebit. Non prius, res enim non ex copula, sed ratione prædicati insunt & definiuntur, tropus autem est *modificatio* rei. Non posterius, quia si hoc, tunc esset in ipso prædicato, quia copula est quasi pars & προσκατηγορέμενον prædicati. Quidquid autem non est in toto, id nec in parte. At tropus non est in toto prædicato, ut ostensum. Ergo. Ex iis constat res, in quæ resolvitur. Atqui prædicatio resolvitur in duos terminos simplices, qui

autem locum tantum habet in vocibus *categorematicis*, quæ certam rem significant, cum vocem a nativa significatione vertat in alienam. 3.) Quia in verbis cœnæ apud Lucam & Paulum non habetur copula, sed simpliciter dicitur τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη. Recte igitur fecit Piscator Herbornensis, qui postquam aliquot annos publicis scriptis tropum in copula fortiter defendisset, tandem admonitus & convictus argumentis contrariis publice illam sententiam retractavit in resp. ad dict. Hoffmanni quæst. III. p. 205. diserte adfirmans & luculento argumento probans, copulam a nativa significatione hic non immutari. Neque in *tota propositione* est tropus: 1.) cum enim tropus absque mutatione significationis non sit, ita postulante tropi natura & definitione, quomodo tropica erit propositio: *Hoc est corpus meum*, in qua nullius vocis significatio per tropum mutatur? 2.) Ab illis, qui in tota propositione tropum statuunt, præsupponitur, quod subjectum *hoc* denotet solum panem: cum enim disparata de se invicem prædicari ipsis non posse videantur, inde in modo attributionis tropum quærendum esse statuunt. Atqui hæc hypothesis est falsa, ut suo loco demonstrabimus. Vide Meisnerum part. I. sobr. philosoph. sect. 1. quæst. rhetor. 2. ubi ostendit, *tropum rhetoricum in prædicatione integra locum non habere*: a.) a *defectu* exemplorum, quia non potest idoneum aliquod proferri exemplum tropicæ prædicationis, in qua singulæ voces nativam retineant significationem. b.) a *notatione* tropi: tropus dictus est a τρέπεσθαι, *vertendo*, jam vero ipsa rerum connexio, quæ est prædicatio, verti & mutari nequit, sed tantum vocum significatio. c.) a *natura* tropi, quia omnes rhetores non in rebus, sed in verbis tropum consistere docent. d.) a *primo fonte* tropi. Omnis tropus hauritur ex locis topicis, & ad illos reducitur, jam vero prædicatio ad unum aliquem locum topicum reduci nequit. e.) a *reductione* prædicationis tropicæ ad propriam; per cujus vocis mutationem prædicatio tropica ad propriam reducitur, in illa tropum latere fit conspicuum: atqui illud fit non totius prædicationis, sed partis tantum mutatione. f.) A *confusione* logicæ & rhetoricæ. Prædicatio est fori *logici*, tropus *rhetorici*, hæc distinctio artium tollitur, si in integra prædicatione tropus ponitur (*).

§. LXXVII. *Sextam* rationem subministrat πληροφορίας fidei necessitas. Sensus literalis unam eandemque certam ac minime dubiam gignit sententiam, adeo ut fidem in immota πληροφορία stabiliat: contra vero, qui tropos sectantur, in diversas abeunt partes, nec habent, ubi pedem figant, ut ex diversitate tropicarum interpretationum manifestum. Ergo sensus literalis repudiatis tropis humano ingenio excogitatis amplectendus est. Lutherus in libr. cui titulus: confessio major; tali apologia se coram Christi tribunali usurum esse scribit: „ Al- „ me Christe, lis in terris agitata fuit de verbis „ cœnæ tuæ eucharisticæ, quibusdam in diver- „ sam a verborum tenore sententiam eadem „ trahentibus, quibus ego fidem & conscien- „ tiam meam committere nec potui nec volui. „ Ego vero, quia testamenti tui & ultimæ volun- 6.) Πληροφορίας *fidei necessitas.*

qui inserviebant subjecto & prædicato. Ergo etiam ex his constat. Aristoteles lib. I. anal. 1. c. 32. & 37. dicit, propositionem in sua extrema resolvendam esse. At copula non est extremum, sed extremorum copula & ligamentum. Vide ipsum philosophum lib. I. anal. 1 c. 1. Si dicas, non esse quidem partem *essentialem*, sed tamen *integralem*, resp. Keckermannus, non posse hoc fieri, quia omnis pars integralis materialis est, quod de copula dici nequit. GERHARDUS.

(*) Breviter, 1.) tropus non est in partibus enunciationis eucharisticæ. Ergo nec in tota enunciatione. Quidquid enim non est in parte, non est in toto, cum totum nihil sit aliud, quam partes simul sumtæ. 2.) Repugnat hoc naturæ tropi. Tropus consistit in una dictione, teste omni rhetorum schola, quæ inter *tropum* & *figuram* distinguit. Enunciatio tota non consistit in una, sed pluribus, (nimirum *explicita*, qualis est Christi, non *elliptica*). Ergo in tota Christi enunciatione non potest esse tropus. GERHARDUS.

„ luntatis verba ista esse expendi, neque com-
„ peri uspiam in scriptura diverso, quam sona-
„ rent, sensu, eadem abs te vel apostolis expo-
„ ni, cui declarationi haud dubie non pepercis-
„ ses in re tam gravi ac seria, si aliter, quam
„ sonant, ea intelligi voluisses, ideo in nativo
„ & simplice eorundem sensu adquievi. Judica
„ ergo tu Domine, an erraverim, & si erravi,
„ cujus culpa factum sit, ut erraverim. „ Philippus Melanchthon in epist. ad Frider. Myconium: „ Ego nullam satis firmam rationem in-
„ venio, propter quam ab hac sententia discе-
„ damus. Fieri potest, ut alia sententia blan-
„ diatur otioso animo, quæ est magis consen-
„ tanea humano judicio, præsertim sic instru-
„ cta & ornata argumentis erudite excogitatis,
„ sed quid fiet in tentatione, cum disputabit
„ conscientia, quam habuerit causam dissen-
„ tiendi a recepta sententia in ecclesia? tunc
„ ista verba: Hoc est corpus meum, fulmina
„ erunt; quid hic opponet mens perterrefa-
„ cta, qua voce Dei se muniet, ac sibi persua-
„ debit, necessario hic fuisse interpretandam
„ metaphoram?

Dicta patrum.

§. LXXVIII. *Septimam* rationem suppeditat patrum auctoritas. Referenda huc pia piorum veterum pronunciata. Irenæus lib. II. cap. 46. procul dubio ex traditione apostolica (fuit enim discipulus Polycarpi, Polycarpus autem Johannis apostoli auditor) hanc proponit regulam: *Is sanus sensus & sine periculo est, qui aperte & sine ambiguo ipsis dictionibus in scriptura ponitur.* Hilarius lib. I. de Trinit. p. 7. *Optimus scripturae lector est, qui dictorum intelligentiam exspectat ex dictis potius, quam imponat, & retulerit potius, quam adtulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumserit intelligendum.* Idem libr. VIII. de Trinit. pag. 102. de communicatione corporis Christi in sacra cœna disputans subjungit: *Non est humano aut seculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque impudentem praedicationem cœlestium dictorum sanitati alienae atque impiae intelligentiae extorquenda perversitas est. Quae scripta sunt, legamus, & quae legerimus, intelligamus, & tunc perfectae fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate, quae dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus: Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, &c.* Cyrillus lib. IV. thesauri cap. 13. *In mysteriis simpliciter credendum, quia ideo sunt mysteria.* Chrysostomus homil. LXXXIII. in Matth. p. 703. ὁ λόγος αὐτὸς ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ ἀισθησις ἡμῶν ἐυεξαπάτητος. ὅτος ἐδέποτε διέπεσεν, αὐτὴ δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται, ἐπ' ἂν ὁ λόγος φησὶ, τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, ἡ πειθώμεθα ἢ πιστεύωμεν ἢ νοητοῖς ἀναβλέπωμεν ὀφθαλμοῖς Epiphanius in Ancor. p. 492. ὁ μὴ πιστεύων, εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν ἐκπίπτει τῆς χάριτος ἢ τῆς σωτηρίας. Bernhardus epist. LXXVII. col. 825. *Sacramentum Dei altissimi suspiciendum est, non ratione discutiendum, venerandum, admirandum, non dijudicandum.* Damascenus lib. IV. orth. fid. cap. 14. p. 315. *De hoc mysterio nihil amplius novimus, quam quod verbum Christi est verum & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis* (*). Pulcerrimum locum de conservando τῷ ῥητῷ vide in catechesi græca Camerarii, quam theologiæ suæ inseruit Neander cap. de cœn. pag. 522. Vis veritatis coëgit ipsum Zegedinum Calvinianum, ut scriberet tab. VIII. de cœna pag 183. *Petendus est sensus verborum Domini ex ipsis cœnae dominicae vocabulis, quorum singula gignunt argumenta.* Carolstadius ante excitatam controversiam eucharisticam in thesibus Witebergæ disputatis anno 1521. *Proprie verum est, panis est corpus. Debemus in verbis scripturae immoti consistere, nequaquam de*

(*) Paschasius de corp. & sang. Domini c. 13. *Si rationem quaeras, quis explicare poterit, aut verbis comprehendere? imo scias, quaeso, quia ratio in virtute Christi est, scientia in fide, causa in potestate, effectus in voluntate, quod potentia divinitatis contra naturam ultra rationis nostrae capacitatem operatur.* GERHARDUS.

de veritate dubitare licet, nec dum penetremus sensum, & oculos defugiant, quia nihil possumus illi adjicere, sicut nec apiculum demere.

§. LXXIX. Atque hæc sunt fundamenta τῶ ῥητῶ firmiter in verbis cœnæ retinendi. Adversarii veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam negantes in diversas scinduntur partes, unde in plures classes propter opinionum diversitatem eos dividit Mentzerus in collat. poster. August. confess. cum doctr. Zwingl. th. VI. & seqq. *Quidam* enim a verbis Christi plane discedentes ea pro fundamento in hac causa admittere recusant, idque vel *directe* vel *oblique*. *Directe*, ut Bullingerus & Tigurini, qui in libro contra Jac. Andreæ fol. 45. postulant, *verba cœnae non amplius pro fundamento allegari, quia sint τὸ κεινόμενον*. Idem repetunt Calvinus in admonit. ult. p. 240. consid. commonef. p. 15. & 188. Witakerus de script. q. 5. c. 9. (Eodem scilicet modo nobiscum agunt, ac si quis alterum in certamen provocans ab eo postularet, ut arma & gladium prius deponeret. Atqui non de ipsis verbis quæritur, nisi quis dicere velit, adhuc dubitari, an verba illa vel a Christo usurpata, vel ab evangelistis recte adnotata sint; sed de vero illorum verborum sensu unice quæstio est, quem nos dicimus esse eum, qui ex verbis κατὰ τὸ ῥητὸν & proprie acceptis immediate profluit, adversarii vero ad tropos confugiunt, quibus nativam, simplicem & genuinam illorum sententiam pervertunt.) Orthod. consensus cap. 7. f. 161. *Manifestus est abusus verborum cœnae in probando eo, quod ex verbis in quaestione vel controversia est.* (Si verba scripturæ propter peregrinas hæreticorum detorsiones, quibus ea pervertunt, non amplius pro fundamento veritatis adduci possent, periret omnis doctrinæ cœlestis certitudo (*).) Daniel Burenus, consul Bremensis anno 1560. in conventu publico dicebat, *Lutheranos pro sua sententia nihil quidquam proferre posse praeter tria impotentia verba.* Quod dubio procul ex Petro Martyre didicit, qui in dial. de nat. human. f. 127. hisce verbis nos adloquitur: *Semper visi estis minus, quam par est, sapere, cum pro dogmate absurdo ac inutili sic laboretis, nec eo tuendo quidquam habeatis nisi Christi τὸ ῥητὸν, hoc est corpus meum,* (atqui norunt piæ mentes, unicum Christi verbum cœli terræque machina firmius ac potentius esse; Luc. XXI. 33. *verba, quae loquor vobis, sunt Spiritus & vita;* Joh. VI. 63. imo *verba vitae aeternae.* v. 68. *Sermo, quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die*, inquit Joh. XII. 48.) Admonit. Neostad. p. 94. *Contra vero illi,* (nos intelligit) *postquam diu verba, verba, verba Christi sonuerunt, cum urgentur, ut reddant rationem suae glossae, confugiunt ad ubiquitatem.* (Verba Christi unicum sententiæ nostræ fundamentum statuimus, doctrinam de sessione ad dextram Dei & omnipotentia secundum humanam naturam Christo data opponimus tunc demum adversariis, quando Christum juxta promissionem & ordinationem suam corpore suo in his terris præsentem adesse præfracte negant.) *Oblique* verba institutionis negant, qui ex aliis scripturæ locis, veram de sacra cœna doctrinam petendam esse, statuunt. Victor Strigelius in epist. ad Wilibaldum Rambecum edita a Pezelio part. IV. locor. p. 132. *Ut Hippocrates mandat, ut medicus oculo dextro in naturam, sinistro in artem medicinae respiciat, ita*

Antithesis adversariorum.

(*) Bullingerus decad. V. serm. 9. de cœna Dom. fol. 367. in nostros invehitur, quod verbis Christi: *Hoc est corpus meum;* simpliciter subscribant, & ab eis nequidquam recedant; dicit, *id esse tumultuari, clamare & clamando repetere: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Hoc est, Hic est, Hoc est, Hic est, Hoc, Hic.* Calvinus lib. IV. instit. cap. 17. S. 20. adsertionem ῥητῶ vocat *stultam provinciam.* (Ast si Christus ex institutione conjugali controversias de eadem exortas diremit, & Paulus ex verbis cœnæ dominicæ abusus in ecclesiam Corinthiacam introductos sustulit, utique etiam nos ex institutione cœnæ possumus & debemus controversias in ecclesia de ea exortas decidere. Sed verum prius. Matth. XIX. 4. & 5. 1 Cor. XI. 20. & seq. Ergo etiam posterius.) GERHARDUS.

ita moneo te, ut non solum in verba cœnae attendas, sed magis tibi proponas totam christianam doctrinam. Boquinus in canonibus, quibus defenditur διάνοια, can. III. f. 35. *Ut certo cognoscamus, quaenam sententia atque interpretatio verborum Christi, de quibus quaerimus, amplectenda retinendaque sit, non sola illa verba, quae, dum mysterium hoc institueret, pronunciasse traditur, cogitanda atque expendenda sunt, quantumvis certe ea clara expressaque esse videantur, certa tamen dijudicatio ex his solis peti aut haberi nequit.* Orthod. conf. cap. 5. f. 98. *Non oportet simpliciter intueri verba Christi, hoc enim est carnaliter intelligere, sed aliud quidpiam cogitare, & interioribus oculis ea adspicere tanquam mysteria;* quæ verba a Swencfeldio mutuasse videntur: is enim referente Luthero in confess. min. proposuit hanc regulam: *Verba institutionis ex oculis seponenda esse, quia spiritualem intellectum impediant.* Huc etiam referendi sunt illi, qui ex cap. VI. Joh. veram de sacra cœna sententiam petendam esse disputant. (Atqui verba institutionis sunt propria sedes hujus doctrinæ; qui ergo prætermissis illis ad alios scripturæ textus confugiunt, perinde agunt ut ii, qui doctrinam de justificatione ex aliis potius scripturæ locis, quam ex cap. III. & IV. Rom. cap. II. & III. Gal. & cap. II. Eph. petendam esse statuunt.)

§. LXXX. *Quidam* verba Christi pro fundamento retinenda esse agnoscunt, a ῥητῷ vero & literali eorum sensu discedunt. Calvinus in form. conf. pag. 16. *Qui in solennibus cœnae verbis:* Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus; *praecise literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes repudiamus.* Idem lib. IV. instit. c. 17. sect. 20. adsertionem τῷ ῥητῷ nominat *stultam pervicaciam hostiliter litigantem de verbis Christi.* Beza & socii ipsius in colloq. Mompelg. ad dogm. I. de cœna. p. 33: *Nos existimamus, verba institutionis Domini κατὰ τὸ ῥητὸν accipi salva fidei analogia non posse.* Joh. Jac. Grynæus præfat. disp. de cœna anno 1584. *Nos sententiam sequendam ducimus, alii scriptum retinere malunt.* Perkinsus in cathol. reform. p. 228. *Si verba Christi de cœna proprie intelligerentur, omnes hospites cœnae essent homicidae Christi.* (Falsum hoc, quia loquimur de præsentia viva Christi: scimus enim, quod mors ei ultra non dominabitur, ut apologia August. confess. monet.) Huc pertinet, quod nos adpellent *Buchstäbler*, perinde ut pontificii *scripturarios* nos vocant. Quamvis vero uno ore omnes statuant, *tropice & figurate* verba cœnæ intelligenda esse, nondum tamen convenire hactenus inter ipsos potuit, in quibus tandem verbis præcise statuendus sit tropus, sicut postea adparebit, ubi diversas, imo contrarias opiniones de interpretatione verborum cœnæ ex ipsorum scriptis recensebimus, unde recte scribit Lutherus in confess. minori: *Cum in ipso statim exortu sacramentaria haeresis ita in diversas partes fuerit scissa, ut ex una hydrae instar septiceps quodammodo fieret, perinde hoc fuisse, quasi cœlo clamaret Spiritus Domini, cavendum esse ab illa haeresi.* Neque quidquam momenti habet exceptio, quod in summa rei, hoc est, in neganda corporis & sanguinis Christi *reali & substantiali* præsentia conveniant, quia Simsonis vulpes, licet caudis colligatæ erant, capitibus tamen inter sese dissidebant. Non de eo præcipue sollicita est ecclesia Dei, in qua summa aut scopo quidam homunciones conveniant, sed quænam sit certa & immota Dei voluntas in scripturis patefacta? Non hoc quæritur, quomodo scriptura diversimode exponi, vel potius torqueri possit; sed quis sit verus, genuinus & proprius cujusque loci sensus, quem intendit Spiritus sanctus? Non hoc quæritur, quam variis ac diversis modis verba cœnæ intelligi queant, sed quæ sit genuina sententia sacrosancti testamenti ac fœderis cum Deo per dilectum ipsius Filium nobiscum sanciti? Filius Dei moriturus condidit hoc testamentum, eo ut salutariter fruamur, vere ac solide id ipsum nos intelligere oportet, ut nullius voculæ ambiguitate ludamur, sed veram & genuinam omnium verborum sententiam adsequamur. Tropi ipsorum non eos tantum a nobis, sed etiam inter se in plurimas opiniones distrahunt, atque adeo unumquemque eorum in diversas partes discernunt.

§. LXXXI.

Explicatio verborum institutionis.

§. LXXXI. Antequam vero adversariorum tropos, quos verbis cœnæ inserunt, enumeremus, expendenda sunt verba institutionis in proprio & genuino sensu. Sic scribunt amanuenses Christi sancti evangelistæ & divus Paulus: *Dominus noster Jesus Christus in ea nocte, qua traditus est, cœnantibus ipsis, accepit panem, gratias egit, fregit ac dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, (frangitur) hoc facite in mei commemorationem. Similiter accipiens & calicem, postquam cœnassent, gratias egit ac dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hoc est enim sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. (Hic calix est novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.) Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem, & biberunt ex eo omnes.* Matth. XXVI. 26, 27. Marc. XIV. 22, 23, 24. Luc. XXII. 19, 20. 1 Cor. XI. 23, 24, 25. Institutionis partes sunt duæ: prior de Christi corpore, posterior de ipsius sanguine agit. Utraque verbis propriis, claris & perspicuis constat, utraque pro vera reali & substantiali corporis & sanguinis Christi præsentia immota fundamenta suppeditat. In priore parte ex ipsorum adversariorum concessione proprie accipiuntur hæc verba: *Dominus noster Jesus Christus in ea nocte, qua traditus est, cœnantibus ipsis, accepit panem, gratias egit, fregit ac dedit discipulis suis, dicens: accipite.* In reliquis tropos comminiscuntur, sed absque ulla necessitate. 1.) *Edite* refertur ad panem, (licet non solum) jam vero non *tropice*, sed proprie jubebat manducare panem. Ergo verbum *edite* accipiendum est proprie, qua de re suo loco plura. 2.) Τὸ δεικτικὸν *hoc* non respicit solum panem, sed totum συμπεπλεγμένον sive complexum. Si denotaretur solus panis, quænam foret constructio grammatica ἄρτος τοῦτο? Ergo non *adjective*, sed *substantive* ponitur. Et quemadmodum alias fieri consuevit, quando duæ res modo quodam conjunctæ demonstrantur & exhibentur, quarum una sensui est obvia, altera vero, nobilior scilicet ac præstantior, minus conspicua, tunc δεικτικὸν *substantive* & subjecti loco positum respicit utrumque unitorum, sed *prædicatum* exprimit dignius & sensui minus obvium: ita quoque Christus mediante benedicto pane visui obvio corpus suum invisibiliter præsens discipulis manducandum exhibens dicit: *Hoc est corpus meum.* Neque hic ullus subest *tropus rhetoricus*, sed *grammatica synecdoche*, quia particula τοῦτο comprehendit & ostendit duo, quorum alterum est αἰσθητὸν, alterum utro νοητὸν, nequaquam vero duplicem significationem sortitur, quæ omnia ex sequentibus erunt clariora. 3.) Copula *est* propriam & nativam suam significationem retinet, quia tropi incapax est, ut ostendimus superius. De iride Genes. IX. 13. dicitur, quod sit *signum*, de virga Aaronis Num. XVII. 10. ac de serpente æneo Num. XXI. 8. asseritur, quod fuerint *signa*, sed hoc loco Christus nequaquam dicit: Comedite hunc panem, qui est signum corporis mei, sed comedite, hoc, quod vobis exhibeo, est vere & ὄντως corpus meum. 4.) Vox *corporis* aut *proprie* aut *mystice* de spirituali Christi corpore, quod est ecclesia, in scripturis accipitur, tertium aliquod non datur. Jam vero non accipitur *mystice*, quia non de ecclesia, sed de vero & proprio suo corpore Christus loquitur. 5.) Id ipsum comprobat vox *meum*; loquitur enim Christus de illo corpore, quod ipse Dei Filius in utero Mariæ virginis sibi conformavit, & in unitatem personæ suscepit, in quo tota plenitudo deitatis habitat, quod est vivificum &c. 6.) Neve ulla restaret dubitatio, addit Christus se exhibere illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem traditum, flagellatum, crucifixum & ex mortuis resuscitatum. Atqui illud est verum Christi corpus. Reliqua verba: *Hoc facite in mei commemorationem*, proprie accipi, ne ipsi quidem adversarii inficiantur. Merito autem urgemus eos, ut causam nobis edisserant, cur verba substantialia: *Edite, hoc est*

Edite

Hoc

Est

Corpus

meum

Quod pro vobis datur.

est corpus meum, tropice accipienda sint, cum antecedentia & consequentia proprie accipiant. An ullo modo verisimile est, Christum proprie & perspicue in prioribus & posterioribus locutum, ipsa autem substantialia cœnæ ac legata hujus testamenti troporum peplo studiose involvisse? posterior pars cœnæ itidem perspicuis & propriis verbis describitur. Verba isthæc: *Similiter accipiens & calicem, postquam cœnassent, gratias egit ac dedit illis dicens*, proprie accipienda esse non negant adversarii. Idem de reliquis dicimus. 1.) Vox *bibite* respicit vinum in poculo, (licet non solum) proprie igitur accipitur, ubi actio prædicatur de *objecto* suo proprio, vox actionem exprimens proprie ut accipiatur necesse est. Id ipsum intelligitur ex mandati exsecutione: *biberunt ex eo omnes*, ubi verbum *bibendi* proprie accipi tum per se patet, tum exemplo Judæ proditoris confirmatur. 2.) Τὸ δεικτικὸν τοῦτο *hoc* itidem respicit non solum vinum, ted totum illud, quod Christus bibendum exhibebat, ut ex priore cœnæ parte intelligitur: vulgata igitur versio minus recte addidit: *Hic est sanguis meus.* 3.) Copula *est*, itidem tropo caret. Quia unus & idem in priore & posteriore parte est ejusdem sensus. 4.) Vox *sanguinis* Christi non potest figurate accipi, quia typus & figura sanguinis Christi in sanguine agni paschalis jam tum præcesserat, quem Christus institutione sacræ cœnæ abrogavit, ut umbræ succederet expressa imago. Hebr. X. 1. Adde, quod sanguis Christi in novo testamento nuspiam pro signo tantum sanguinis accipiatur. 5.) Id ipsum comprobat προσδιορισμὸς: hoc est sanguis *meus*, quo confirmat Christus, se non signum aliquod sanguinis, sed ipsum suum sanguinem nobis exhibere. 6.) Eum vocat Christus sanguinem *testamenti*. Dispositio testamentaria verbis propriis & perspicuis constare solet, præsertim eo in loco, ubi expressa sit mentio legatorum.

Bibite

Hoc

Est

Sanguis

meus

Testamenti

7.) Differentiæ causa additur, quod sit sanguis *novi testamenti*. Vet. testam. sanguine juvencorum typico sanctum fuit: Exod. XXIV. 8. *En sanguis fœderis, quod pepigit Jehova vobiscum.* Christus verba formalia illius fœderis retinuit, discriminis loco addidit: Hoc est sanguis *meus novi testamenti*, ostendens, non typico, sicut vetus, sed vero suo sanguine novum sanciri testamentum. Nov. testam. non amplius habet typos, umbras ac figuras, sed ipsam expressam rerum imaginem. 8.) Neve ulla restaret dubitatio, Christus addit, se illum sanguinem nobis exhibere, *qui in ara crucis pro multis effusus est*, jam vero non typicum, sed verum Christi sanguinem pro peccatis nostris in ara crucis effusum esse, omnes vere pii agnoscunt. 9.) Apud Lucam & Paulum calix eucharisticus dicitur *nov. testam.* non simpliciter & absolute, sed *in Christi sanguine* τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, ubi τὸ ἐν respondet Hebræo ב & causam exprimit, per & propter quam hoc poculum sit novum testamentum, nimirum quia non solum vinum, sed & mediante illo Christi sanguinem vino eucharistico sacramentaliter unitum nobis bibendum exhibet, unde Erasmus, Tigurini & Beza in secunda editione anno 1565. recte verterunt *per sanguinem.* Quod autem προσδιορισμὸς ille ἐν τῷ αἵματί μου non cum καινὴ διαθήκη, sed cum ποτηρίῳ conjungendus sit, patet ex eo, quod post vocem διαθήκη articulus fuisset repetendus, si ad illam immediate τὸ αἷμα pertineret hoc modo: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἡ ἐν τῷ αἵματί μου. Hoc poculum est novum test. quod testamentum meo sanguine sancitur. Quia vero articulus ille neque a Luca neque a Paulo repetitus est, ex eo manifestum, verba illa *in sanguine meo* non ad testamentum, sed ad poculum in *grammatica* constructione referenda esse. 10.) Ex quo etiam intelligitur, quare & quo sensu poculum eucharisticum *pro nobis* dicatur *effusum* apud Lucam, τὸ ποτήριον

novi

qui pro vobis effunditur.

Hic calix est N. T. meo sanguine.

qui effunditur pro vobis.

τήριον ἐκχυνόμενον, nimirum quia in eo bibendus nobis offertur sanguis Christi in ara crucis pro nobis effusus. Poculum enim, τὸ ποτήριον non *materialiter*, sed *formaliter* pro ipsa potione sive hausu accipitur, inde enim atque ideo vas aliquod dicitur poculum, quia ex eo bibitur, ποτήριον dicitur quasi πότου τηρεῖν, cum potus tanquam res liquida difficulter terminis propriis contineatur, aliisque dari non possit, nisi vasi seu poculo inclusus. Eodem sensu paulo post Christus dicit: *Transeat a me τὸ ποτήριον, ille calix*, hoc est, illa amara potio, acerbus ille haustus, passionum mensuram *metaphorice* exprimens Luc. XXII. 42. Reliqua verba: (*Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Et biberunt ex eo omnes*) proprie accipienda esse, ipsimet adversarii concedunt.

Enumeratio troporum, quos adversarii in verbis cœnæ constituunt.

§. LXXXII. Sic ergo nulla nos cogit necessitas, ut a nativa, genuina & propria verborum significatione in verbis cœnæ recedamus, cum sensus literalis ita munitus sit, ut nullis troporum arietibus expugnari queat. Restat, ut adversariorum tropos enumeremus, modo enumerari etiam possint. Lutherus in confess. majori septem diversas interpretationes profert, quibus jam tum verba cœnæ a sacramentariis contorta fuerunt. Editus est autem liber ille Lutheri anno 1544. (*) post motam controversiam sacramentariam plus minus vigesimo, sed ab eo tempore tropus sacramentarius plures edidit fœtus, quia longe plures excogitatæ sunt interpretationes vel potius detorsiones (**). Cæterum potiores istæ Calvinianorum detorsiones juxta Mentzeri distributionem in tres classes dispescere possumus. Prima est *grammatica* in vocum ordinatione & explicatione grammatica. Secunda *rhetorica* in tropis. Tertia *logica* in dispositione propositionis Christi.

Prima classis grammatica, ad quam pertinet 1.) Carolstadius.

Ad classem *grammaticam* pertinet I.) Carolstadius (***), sic distinguens verba Christi, ut sententia finiatur post verbum *edite*, cui succedat nova sententia: *Hoc*, quod in mensa adsidere cernitis, *est corpus meum* (*). Notandum vero, quod Carolstadius in libr. de sacrament. anno 1524. Basil. edit. scribat, *cœlitus hanc interpretationem sibi revelatam esse, adparuisse*

(*) Equidem anno *MDXLIV.* illa b. LUTHERI de sacra cœna confessio prodiit, quæ *minor* adpellari solet. Verum, quod ad illam attinet confessionem, quæ *maior* dicitur, ac supra a GERHARDO adlegatur, ea iam ann. *MDXXVIII.* Vitemb. lucem adspexit publicam. Extat hæc confessio *oper.* LUTHERI *Altenburg. tom. III. fol. 812.* atque CAROLSTADIO, ZWINGLIO, OECOLAMPADIO, nec non SCHWENCKFELDIO, qui veram ac realem Christi in sacra eucharistia præsentiam olim impugnarunt, opposita est.

(**) Pelargus in disp. de fract. panis anno 1606. Francof. habita viginti octo diversissimas verborum cœnæ interpretationes a Calvinianis excogitatas recenset. Itque, redituque tropus, nec certum novit asylum. Vorstius contra Bellarminum pag. 394. expresse fatetur, *se vix scire, an tropus in copula, an potius in prædicato statuendus sit.* Zwinglius quidem in epistola ad Billicanum: *Hæc diversitas*, scribit, *tam nullis debet esse offendiculo, quam ducibus eandem arcem oppugnandam esse consentientibus nihil prorsus dissidii aut obstaculi adfert, dum alius statuit ariete concutiendam, alius scalis superandam, alius machinis dilacerandam. Nam in arce exscindenda conveniunt; de via disputatur, non de summa rei. Nec culpandus est, qui non optimam, sed quæ videbatur esse, sententiam dixit.* Ast Benedictus Thalmannus in exegemate de cœna edit. Tigur. anno 1579. p. 195. *Nemo sentire potest cum illis, qui inter se dissentiunt.* GERHARDUS.

(***) De ANDR. CAROLSTADIO. primo certaminis eucharistici auctore, eiusdemque fatis & scriptis, vid. SECKENDORFIUM in *hist. Lutheranismi* passim, LOESCHERUM in *der ausführlichen historia motuum libr. I. cap. I.* & MAYERUM in peculiari *dissertat. de Carolstadio*, Gryphiswaldiæ *MDCCV.* edita. Ut auctorem *der auserlesenen hällischen Anmerkungen*, itemque GODOFR. ARNOLDUM aliosque a FABRICIO in *centifol. lutheran. p. 89.* excitatos, taceamus.

(*) Volebat nimirum CAROLSTADIUS, in verbis institutionis dominicæ pronomen *hoc* non refe-

ruisse enim sibi virum quendam, a quo illam didicerit; sed dignis eam Lutherus excepit modis in libro contra cœlestes prophetas (*) edito anno 1525. Responsionis summa huc redit 1.) Cum nullus sit fidei articulus, cum quo continua orationis series pugnet, impium esse ἀπὸ τῆ ῥητῆ καὶ τῆ γράμματος ad monstrosam illam orationis rupturam sese convertere. 2.) Si in priore parte verborum institutionis interpretatio illa admittatur, in posteriore de Christi sanguine aut nullam aut non nisi absurdissimam interpretationem dari posse. 3.) Quæ hæc φρεβλότης foret in oratione Christi, si is in cursu orationis continuo, uno eodemque temporis momento, de rebus diversissimis, discipulorum scilicet manducatione & corporis sui sessione locutus fuisse, tandem rursus per saltum ad materiam præsentem reversus esse fingeretur, cum absoluta ἐπεμβολὴ peregrina manducationem in sui recordationem faciendam esse subjunxerit? 4.) Christus porrecto pane discipulos edere jubens id, quod porrigebat, corpus suum esse dicebat: exhibito vino eosdem bibere jubens id, quod exhibebat, sanguinem suum esse dicebat; at quæ illius præcepti de edendo & bibendo cum verbis: *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus*, connexio, si non corpus suum manducandum, & sanguinem suum bibendum exhibuisset? Vide partem secundam libri Lutheri contra cœlestes prophetas tom. III. Jenens. germanic. fol. 68. ejusdemque analysin propositam a Mylio in volum. disput. theolog. contra Sacram. disput. I. Cumque Carolstadius primus certaminis eucharistici auctor sit, ideo gravissimum Philippi Melanchthonis de eo judicium huc referemus. Sic vero ille scribit in epistola ad Fridericum Myconium præfixa libello complectenti sententias veterum de eucharistia: „ Carolstadius excitavit primum hunc tumul„ tum, homo ferus sine ingenio, sine doctri„ na, sine sensu communi, quem nullum unquam

referendum esse ad panem, quem discipulis distribuebat servator, neque ad totum complexum, ex corporis & panis κοινωνίᾳ resultans, sed ad solum corpus Christi, quod ad mensam adcubabat. Hoc digito veluti designasse Christum, quasi dixisset: *accipite, edite panem hunc in mei memoriam; hoc enim sedet corpus, quod pro vobis tradetur.* Negabat insuper, sacramentum eucharistiæ a Christo institutum, esse arrabonem, arram & pignus redemtionis nostræ a Christo præstitæ. Nec admittebat, in sacra cœna corpus Christi vere adesse atque exhiberi communicantibus, sed contendebat, celebrari duntaxat corporis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis effusi memoriam.

Atque hanc doctrinam non tantum viva voce proposuit CAROLSTADIUS, sed & eandem variis scriptis propugnandam in se suscepit, quæ anno *MDXXIV.* & sequenti *MDXXV.* sine mentione loci prodierunt. Referunt tamen nonnulli auctores, speciatim ii, qui cœtui Reformatorum sunt addicti, omnia ista scripta Basileæ primum lucem adspexisse. Huc pertinent eius tractatus *von dem wiederchristlichen Mißbrauch des Herrn Brod und Kelchs MDXXIV.* 4. item *dialogus von dem grœulichen abgœttischen Mißbrauch des Sacraments Jesu Christi*, eodem tempore, 4. contra LUTHERUM directus; porro, *Auslegung der Worte Christi: das ist mein Leib, MDXXV.* 4. ubi itidem in LUTHERUM acerbe invectus est; ac vel tandem libellus, qui inscribitur: *oh man mit heiliger Schrift beweisen könne, daß Christus im Sacrament seye.* De quibus omnibus uberius differit vener. J. G. WALCHIUS, in *der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten ausser der evangel. luther. Kirche, part. III. p. 13. seqq.* Cæterum tam obscura & contorta est explicatio verborum institutionis s. cœnæ, quam CAROLSTADIUS dedit, ut nec ipsi ZWINGLIO placuerit, nec olim duntaxat, sed recentiori etiam ævo æque a Reformatis fuerit refutata, quam a Lutheranis. Cæterum de tota hac controversia eucharistica evolvi meretur LOESCHERUS, supra iam nobis laudatus, *loc. excit.*

(*) Hicce LUTHERI libellus, in cuius parte secunda CAROLSTADIUS confutatur, germanico sermone Vitembergæ 4. prodiit, absque anni mentione: Licet vero CAROLSTADIUS in duobus aliis libellis caussam suam denuo egerit, composuit tamen postea scriptum, in quo publice confessus est, se doctrinam de præsentia Christi reali in sacra cœna sine caussa hactenus impugnasse. Vid. vener. J. G. WALCHIUM in *bibliotb. theolog. selectæ tom. II. p. 419, 420.*

„ quam humanitatis officium aut intelligere aut „ facere? animadvertimus, tantum abest, ut „ ab eo significatio aliqua Spiritus sancti anim- „ adversa sit, imo exstant manifesta signa im- „ pietatis, in tota doctrina solebat εἰδαΐζειν καὶ „ σατιάζειν, damnabat omnes leges ab ethni- „ cis conditas. Controversiam de cœna Domi- „ ni tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis „ opinione movit. Etenim cum ἐικονομαχία „ ipsius a Luthero improbata esset, cœpit ille, „ inflammatus immani cupiditate vindictæ, quæ- „ rere causam vendibilem, qua Lutheri existi- „ mationem prorsus obrueret. Bona pars Ger- „ maniæ testari posset, nihil me in hac parte „ fingere. Quamquam si testibus opus sit, li- „ belli ipsi adversus auctoritatem dicent certissi- „ mum testimonium. In his adparet, homi- „ nem ne ratione quidem aliqua in specie pro- „ babili motum esse ad scribendum: quam sua- „ viter nugatur de demonstratione vocis τοῦτο? „ quod adfert ad causam tantam ecclesiæ vete- „ ris aut ullius magni auctoris testimonium? „ quæ vox est in tota disputatione, in qua sit „ aliqua pietatis significatio? tantum vociferatur, „ ut nunc solent homines βάναυσοι inter po- „ cula, qui nullis fabulis nisi maxime profanis „ delectantur, adhæc magnam librorum par- „ tem consumit in convitiis, & homo insulsus „ studet etiam urbanitatis laudem auferre. Qui „ tam imparatus ad tantam causam accedit, is „ ostendit se aliqua cœca cupiditate præcipi- „ tem ferri, non moveri ratione, aut studio „ pietatis, atqui hic est hujus fabulæ πρωτα- „ γωνιστής. Hæc Philippus (*).

§. LXXXIII. Ad classem *grammaticam* pertinent, II.) qui per δεικτικὸν *hoc*, intelligunt solum panem, quod plerique omnes faciunt sacramentarii, ut robur accedat argumento. *Disparatum de disparato non potest adfirmate praedicari proprie.* Atqui 1.) repugnat constructio grammatica ἄρτος τοῦτο. 2.) Quando Paulus *subjecti* loco ponit panem, in *praedicato* non ponit corpus, sed κοινωνίαν corporis. 3.) Quando apud Lucam subjecti loco ponitur τὸ ποτήριον, in prædicato additur, quod sit nov. test. in Christi sanguine. 4.) Quando duæ res modo quodam unitæ monstrantur vel exhibentur, tunc subjectum exprimit totum complexum, prædicatum vero dignius & sensui minus obvium manifestat (**). III.) Johan. a Lasco qui δεικτικὸν *hoc* totam actio-

2.) *Qui per δεικτικὸν intelligunt solum panem.*

3.) *Johannes a*

(*) De figmentis Carolstadii dicit Zwinglius part. II. in epist. ad Matth. Alberum pag. 153. *Carolstadius magis offendit, quam ædificat. Carolstadii oratio non adsequitur, quod res postulat.* De se ipso dicit pag. 156. *Nos cardinem hujus rei in brevissima syllaba versari arbitramur, videlicet in hoc verbo* est, *quod accipitur pro* significat. GERHARDUS.

(**) Bergius disput. de cœna quæst. 2. utitur his argumentis. 1.) *Paulus ipse subjectum* hoc *per panem interpretatus est 1 Cor. X. 16.* Resp. prædicatum est diversum. 2.) *In posteriore parte cœnæ per* τοῦτο *intelligitur solum poculum, quia Paulus 1 Cor. XI. 25. sic* ἀναλύει: *Hoc poculum est nov. testam. in meo sanguine.* Resp. etiam hic mutato subjecto mutatur prædicatum. 3.) *Quod Christus cum discipulis bibit, id intelligitur per* τοῦτο, *sed bibit vinum. Matth. XXVI. 29.* Resp. non de eucharistico, sed alio poculo Matthæus loquitur. Quoad discipulos invertimus argumentum: quod discipuli jussu Christi in eucharistiæ celebratione biberunt, illud per τοῦτο intelligitur. At discipuli biberunt non solum vinum, sed cum vino sacramentaliter unitum sanguinem vi verborum institutionis. 4.) *Quod Christus de mensa accepit, fregit, & distribuit discipulis, illud & non aliud per particulam* hoc *intelligitur, sed solum panem accepit.* Resp. solum panem accepit, fregit, sed non solum distribuit. Ne ipsi quidem adversarii negant, spiritualiter manducatum fuisse Christi corpus ab apostolis. 5.) *Sequitur hæc augatoria propositio: Panis & corpus Christi est corpus Christi.* Resp. propositiones *exhibitivas* non sic licet ἀναλύειν. Demonstrativa particula *universaliter* & indefinite ob duarum substantiarum unionem & conjunctionem prolata in ipsas duas substantias absolute & distincte non resolvitur, ratio est, quia nec directe nec æqualiter subjectum *hoc* & vinum & sanguinem significat. Non *directe*, quia sub signo

de

actionem denotare pugnavit; (atqui illud quod Christus exhibet & offert vocabulo δεικτικῶ notatur, ut contextus manifeste ostendit.) IV.) Quidam relativum *quod* exponunt per *quatenus*; ita statuunt Orthod. consensus, Piscator, Grynæus, Bucanus, Trelcatius, aliique complures, nimirum ut obtineant, corpus & sanguinem Christi non ratione substantiæ, sed tantum ratione salutaris efficaciæ, *quatenus* corpus in mortem pro nobis traditum & sanguis pro peccatis effusus est, in sacra cœna adesse. (Atqui 1.) relativum *quod* vi suæ constructionis antecedens substantivum corpus *quidditative*, non limitative, respicit. 2.) Id quod ex græco textu manifestius: τοῦτό ἐστι τὸ σωμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Τοῦτο ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον. 3.) Unde Lutherus in confess. de cœna majori tom. Jen. germ. fol. 483. recte monet, *Zwinglianam logicam* quod *pro* qualiter, substantiam *pro* accidente, *contra omnes scholas accipere.*) V.) Swenkfeldius, qui referente Luthero in confess. minori verba cœnæ sic transponebat: *Accipite, edite, corpus meum, quod pro vobis traditur, est hoc*, intellige, spiritualis cibus. VI.) Quidam, referente ibidem Luthero, verba institutionis sic ordinarunt: *Accipite, edite, quod pro vobis traditur, est corpus meum.* (At quibus argumentis inversionem illam verborum necessariam esse demonstrant? quis potestatem ipsis dedit subjectum referendi in locum prædicati, & vicissim prædicatum in locum subjecti?) VII.) Johann. Campanus corpus pro *creatura* accipiendum censuit, ut sit sensus verborum: panis ille, quem trado vobis, est corpus per se, non vivum illud meum & naturale corpus, sed a me tamen creatum ac perinde corpus, sicut lapis & lignum quodvis etiam corpus est. (Atqui Christus diserte addit, sese illud corpus nobis manducandum dare, quod in mortem pro nobis traditum, atque illum sanguinem bibendum exhibere, qui pro peccatis nostris est effusus.) VIII.) Beza adnotat in nov. testam. p. 338. in verbis: *Hoc poculum est nov. testam. in meo sanguine, quod pro vobis effunditur*; statuit esse solœcismum, quidam emollire volunt & vocant σολοικοφανές. Bezæ suffragatur Vorstius part. II. antipistor. sect. 4. & Johan. Piscator in illum locum. (Absit vero, ut summo loquendi & sapiendi magistro Spiritui sancto solœcismum tribuere velimus) (*).

Lasco, qui δεικτικὸν hoc de tota actione, exponit. 4.) *Quidam relativum* quod *exponunt per* quatenus.

5.) *Swenkfeldius.*

6.) *Quidam verba sic transponunt: Quod pro vobis traditur, est corpus meum.*

7.) *Campanus.*

8.) *Beza.*

§. LXXXIV.

demonstrationis indefinite & indeterminate, nec *æqualiter*, quia vinum Rhenanum πρώτως propter principalem δεῖξιν ἀναίδηκτον, poculum ἐκομένως propter poculi visibilis cum vino non adparente σύνδεσιν, ac si dicatur, hoc, quod in poculo, quod cernis, bibendum offero, est vinum Rhenanum. 6.) *Lutherus tom. III. Jen. fol. 548.* Resp. a.) Lutherus loquitur de propositione Paulina: Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi. b.) Eam propositionem diserte a Christi propositione distinguit. GERHARDUS.

(*) Diversis istis sententiis, a GERHARDO supra recensitis, quæ ad classem *grammaticam* ab ipsis referuntur, illa quoque addi meretur, secundum quam pronomen τοῦτο in verbis institutionis idem, ac τοιοῦτο significare contenditur, ut hic verborum emergat sensus: *Edite*, nimirum panem, qui, uti corporis nutrimentum est; ita *similiter corpus meum est*, atque animæ alimentum præbet. Auctor novæ huius expositionis est LEONH. CHRISTOPH. STURMIUS, primum Lutheranorum, deinde Reformatorum religioni addictus. Ediditis: *mathematischen Beweiß von dem heiligen Abendmal*, Francof. & Lipsi. *MDCCXIV.* 8. in quo ostendere annisus est, pronomen demonstrativum HOC æquipollere alteri τοιοῦτο HUJUSCEMODI. Sed mox oppositum se ei JO. ALBERT. FABRICIUS, professor Hamburgensis isque doctissimus, edito tractatu: *mathematische remonstration, daß Sturm seine neue Erklærung der Worte der Einsetzung nicht bündig demonstriret habe.* Hamburg. *MDCCXIV.* contra quem libel-

Ad classem secundam rhetoricam pertinent:

§. LXXXIV. In classe *rhetorica* 1.) familiam ducit Zwinglius, qui verbum *est* interpretatus est per *significat* (*), quam glossam ex nocturno quodam monitore, de quo, an ater an albus fuerit, non meminit, se didicisse, refert in libro, cui titulus: coronis

1.) Zwinglius qui est *exponit per* significat.

libellum quum prodiret: STURMII *fernere Ausführung und Versicherung, daß er seinen Beweis von dem heiligen Abendmal so abgefasset, daß er sich einiger gründlichen Wiederlegung nicht befürchten darf*, MDCCXIV. eidem mox satisfecit laudatiss. FABRICIUS, *in der Antwort auf Sturms fernere Ausführung*, MDCCXIV. 8. Confutavit quoque eundem JO. GUSTAV. REINBECKIUS, theologus quondam Berolinensis, isque praestantissimus, in libello, cui index: *Vorstellung an Sturm, daß dessen sogenannter unwiedersprechlicher Beweis von seiner neuen Erklärung der Einsezungsworte des heiligen Abendmals nicht allein wiedersprechlich; sondern auch offenbar falsch sey*, Berolin. MDCCXVI. 8. Cum vero Sturmius huic scripto responsionem opponeret, eandemque manu exaratam ad Reinbeckium mitteret, hac occasione porro prodiit: STURMII & REINBECKII *Wechsel-Antwort*, Berol. MDCCXVII. 8. Nec praetermittendus heic est b. JO. FRANC. BUDDEUS, qui in dissertat. inscripta: *Sylloge recentissimarum de sacra coena controversiarum* Jen. MDCCXV. luculenter ostendit, antiquiores ecclesiae doctores Sturmii expositioni contradicere. Ut ERNEST. MUSHARDUM, JO. JOACH. WEIDNERUM, FRANC. ALBERT. ÆPINUM, CASP. NEUMANNUM, JO. SENSTIUM, JO. ARNOLD. PRAGEMANNUM aliosque, qui contra Sturmium calamum strinxerunt, haud memoremus. Historiam huius controversiae copiosius enarrarunt b. BUDDEUS in *dissert. supra excitata*, quae eius *miscell. sacror. part. II.* inserta est, §. *XIII. p. 69.* in *not.* atque ven. I. G. WALCHIUS, in *bibliotheca theolog. selecta. tom. II. p. 434. seqq.*

Quum itaque, prout ex dictis intelligitur, nova ista Sturmii sententia ab aliis iam abunde fuerit confutata, atque cum auctore suo, quantum nobis quidem constat, dudum sit exstincta, vix opus esse arbitramur, ut eandem sub adcuratius examen heic vocemus. Sufficiat, sequentia paucis heic notasse; 1) quod STURMIUS comprobare haud potuerit, propriam & genuinam pronominis τοῦτο hanc significationem esse, ut praesertim eo modo, quo in verbis institutionis positum est, idem valeat ac τοιοῦτος; 2) quod τὸ τοιοῦτο in nullo codice graeco legatur. Vid. b. BENGELII *adparat. crit.* ad institutionis verba in omnibus evangelistis & Paulo. 3.) quod particula את, quam versio ebraica apud ELIAM HUTTERUM adhibuit, respondeat pronomini Graecorum τοῦτο, non τοιοῦτος; 4) quod significatus vocis τοιοῦτο verbis institutionis, prout a gentium apostolo explicantur, e diametro repugnet. *Panis* enim *1 Cor. X. 16.* ab apostolo distertis verbis adpellatur *communio corporis Christi*; 5) quod τὸ HOC in verbis institutionis opponatur umbris veteris testamenti, quasi diceret Christus: *hoc, quod vos sumere iubeo, ipsum corpus* est, non umbra duntaxat veræ expiationis; itemque 6) quod phrasis a Christo in verbis institutionis usurpata sit allusio quaedam ad formulam loquendi Judaeis olim usitatam, *hoc est corpus agni*, quod patres nostri comederunt in Ægypto; ac denique 7) quod ne unico quidem exemplo ostendi queat, veteres ecclesiae doctores pronomen τοῦτο per τοιοῦτο explicasse, ut potius luculenta in eorum scriptis loca deprehendantur, ex quibus patet, eos praesentiam realem corporis & sanguinis Christi in sacra eucharistia adseruisse. Hanc autem qui credit, illum pronomen τοῦτο per τοιοῦτο explicare haud posse, nemo facile dubitaverit. Testimonia patrum antiquissimorum, quae huc spectant, recitavit b. BUDDEUS *loc. cit.* §. *XIV-XX.*

(*) Sententia ULRICI ZWINGLII, quam is de sacra coena adoptavit, nec ore duntaxat, sed & calamo propugnavit, huc redit: verba Christi, *hoc est corpus meum*, ita esse intelligenda: *panis hic significat corpus meum; edere* vero *corpus Christi*, nihil aliud esse, quam *credere, corpus Christi pro nobis esse mortuum.* Primum scriptum, in quo ZWINGLIUS hanc suam mentem uberius exposuit, fuit *epistola* ad MATTHÆUM ALBERUM, ecclesiastem Reutlingensem ann. *MDXXIV.* exarata, quae brevi post, inscio atque invito auctore, iuris publici facta est. Secuta mox sunt alia scripta, quibus ZWINGLIUS sententiam suam defendendam ac propagandam suscepit, quae, more suo, diligenter recensuit ven. J. G. WALCHIUS in *bibliotheca theolog. selecta, tom. II. p. 420. seqq.* Praecipuum inter ea locum occupat: *amica exegesis, id est, expositio eucharistiae negotii, ad*

ronis de eucharistia part. II. operum fol. 249. „ Vera (*inquit*) narro, adeoque vera, ut cela- „ re volentem conscientia cogat effundere, quod „ Dominus impertiit, non ignorans, quantis me „ contumeliis risibusque exponam. Cum tre- „ decima Aprilis lux adpeteret, visus sum mihi „ in somno multo cum tædio denuo contende- „ re cum adversario scriba, sicque obmutuis- „ se, ut, quod verum scirem, negante lingua be- „ neficium suum, proloqui non possem, quod „ me angor, ut solent nonnunquam somnia fal- „ laci ludere nocte, nihil enim altius quam so- „ mnium narramus, quod ad nos attinet, quam- „ vis leve non sit, quod per somnium didicimus „ gratia Dei, in cujus solius gloriam ista prodi- „ mus, vehementer turbare videbatur ibi, ἀπὸ „ μηχανῆς visus est monitor adesse, ater fuerit „ an albus nihil memini, somnium enim nar- „ ro, qui diceret: quin ignave respondes, qui „ Exod XII scribitur, est enim phase, id est „ transitus Domini: protinus ut hoc phasma vi- „ sum est, simul expergefio & e lecto exilio „. Hanc Zwinglianæ adparitionis historiam repetunt Beza in creophag. & Lavaterus in histor. sacram. &c. Paræus libr. III. de litera & sensu verborum Domini in eucharist. cap. 9. p. 132. itidem statuit, *optimam & tutissimam interpretationem esse eam, quae copulam* est *exponit per* significat. (Atqui ostendimus superius, in copula *Est* non posse tropum subsistere, quod agnovit etiam Piscator. De propositione nocturni monitoris dicetur suo loco.) II.) Oecolampadius (*), corpus interpretatus est pro *signo* seu *figura corporis*. Hanc sententiam plerique ex Calvinianis amplectuntur, vocantes *metonymiam sacramentalem*, qua *signatum* ponatur pro *signo* (**). (Atqui 1.) hæc explicatio præsupponit τὸ δεικτικὸν *hoc* solum *panem* notare, de quo *metonymice* prædicetur *corpus*, hoc est, signum corporis, sed contrarium demonstratum fuit superius. 2.) Talis explicatio repugnat naturæ sacramentorum nov. testam. quæ non consistunt tantum in significando, sed in exhibendo rem

2.) *Oecolampadius.*

Martinum Lutherum, Tiguri *MDXXVII.* 4. Sed fortiter contra ZWINGLIUM eiusque adsectatores dimicavit, caussamque suam peroravit MARTINUS LUTHERUS, in libello: *daß dieſe Worte Chriſti: das iſt mein Leib, noch feſtſtehen.* Vitemb. *MDXXVII.* 4. qui postea repetitis vicibus typis exscriptus, atque a JO. CHRIST. CRAMERO Jenæ *MDCCXX.* 8. notis illustratus fuit. Edidit quoque Lutherus: *Bekæntnis vom Abendmal Chriſti*, Vitemb. *MDXXVIII.* 4. quæ confessio dicitur *maior*, ut a *minore* distinguatur, quæ titulum fert: *kurze confeſſion vom Abendmal.* Jungi meretur eiusdem *ſermon von dem Sacrament des Leibs und Bluts Chriſti wieder die Schwærmer*, Vitemb. *MDXXVI.* 8. Fuerunt vero & alii theologi, qui Lutheri caussam contra Zwinglium propugnandam in se susceperunt, ex quibus eminet JO. BUGENHAGIUS, theologus Vitembergensis, qui edidit epistolam *contra novum errorem de sacramento corporis ac sanguinis Jeſu Chriſti*, ad Hessum, Vitemb. *MDXXV.* 4. eodem adhuc anno germanice conversam.

(*) JO. OECOLAMPADIUS, edito ann. *MDXXV.* libro *de genuina verborum Domini, hoc est corpus meum, iuxta veteſtiſſimos auctores expoſitione* doctrinam ZWINGLII in se propugnandam susce pit, licet verba institutionis paulo aliter, ac iste, explicaverit, atque metonymiam in voce *corporis* quæsiverit, ita ut, observante GERHARDO, hic verborum emergat sensus: *hoc est figura corporis mei.* Confutarunt vero Oecolampadium theologi Suevici, quos ille ad partes suas trahere adlaboravit, in *ſyngrammate Suevico*, Halæ Suev. *MDCXXV.* 4. typis exscripto, atque deinceps sæpius edito, quin & germanice conversо. Composuit huncce librum, nomine Sueviæ doctorum, JO. BRENTIUS, cui vero OECOLAMPADIUS *anti-ſyngramma* opposuit.

(**) Tossanus in notis marginalibus ad verba cœnæ Matth. XXVI. 26. *Hoc, nimirum hic panis, quem coram oculis veſtris fregi & comedendum præcepi, eſt corpus meum, id eſt, ſacrum ſignum (mahrzeichen) & ſigillum mei corporis.* Postea addit: *In his ſacramentalibus propoſitionibus ſignum voce ſignati boni nominatur, non ſolum quia illud ſignificat & veluti ante oculos ſiſtit, ſed etiam quia utrumque ſimul in vero uſu accipitur & participatur.* Ita & de parte altera: *Hoc vinum, quod in calice eſt, eſt ſacrum ſignum mei ſanguinis, per quem nov. teſtam. fœdus ſcilicet gratiæ, quod Deus cum hominibus fecit, obſignatur & confirmatur.* GERHARDUS.

rem ipsam, quam designant. 3.) Vox *corporis* non potest aliter accipi, quam de vero Christi corpore: additur enim, *quod pro vobis traditur*; jam vero non signum corporis, sed verum Christi corpus, quod pro nobis in mortem traditum est. 4.) Si panis & vini officium esse deberet significare tantum corpus & sanguinem Christi, cur sustulisset Christus sacramentum agni paschalis, quod significatione erat longe clarius, cum major convenientia sit inter mactationem agni paschalis & sanguinis effusionem cum sacrificio Christi in cruce, quam inter panem & Christi corpus; vinum & Christi sanguinem. 5.) Nusquam in tota scriptura vox *corporis* accipitur pro signo corporis. 6.) In parte cœnæ posteriore sanguis pro signo sanguinis foret accipiendus: id quod fieri nequit, quia additur periphrasis veri sanguinis Christi, *qui pro vobis effunditur*; jam vero nec typicus aliquis sanguis, nec signum sanguinis, sed verus Christi sanguis est pro nobis effusus. 7.) Quin imo ex hac adversariorum interpretatione absurdæ emergerent propositiones. Matthæi verba ex illorum hypothesi sic erunt resolvenda: *Hoc vinum est signum mei sanguinis*; cum vero eodem modo apud Lucam signatum pro signo sit accipiendum, talis evadet resolutio: *Hoc poculum est signum novi testamenti in meo sanguine.* Paulinæ quoque propositiones hac beabuntur analysi: *Panis est communicatio corporis, id est, signi corporis: vinum est communicatio sanguinis, id est, signi sanguinis.* 8.) Absurdum est, aliter verba Christi accipere, aliter verba apostoli ex verbis Christi deducta. Jam vero apud Paulum 1 Cor. X. 16. vox *corporis* pro vero corpore accipitur, consentientibus hac in parte adversariis. Ergo etiam in verbis Christi vox *corporis* pro vero corpore, vox *sanguinis* pro vero sanguine accipienda. 9.) Metonymia illa sacramentalis destituitur idoneis exemplis: nondum enim vel ex scriptura vel ex profanis auctoribus tales propositiones adferre potuerunt, in quibus signatum de signo prædicetur. Nemo enim unquam dixit: Fasces *sunt* imperium, toga *est* pax, &c. 10.) Metonymia illa signi pro signato secum ipsa conflictatur. Quod enim corpus notatur illis verbis: *Edite, hoc est corpus meum*, illud & non aliud in sacra cœna præsens est, & cum pane editur. Atqui per metonymiam illam sacramentalem signum tantummodo corporis in verbis illis notatur. Ergo non ipsum corpus est præsens, sed signum tantum corporis: cur ergo gloriantur, se non tollere præsentiam corporis? 11.) Hac ratione in verbis cœnæ propositio erit *identica*. Metonymia signati pro signo est, cum signatum exprimitur & signum intelligitur. In hac propositione: *panis est corpus Christi:* ex sententia adversariorum signatum exprimitur, & signum intelligitur. Signum sacramentale est panis, signatum corpus Christi. Pone loco signati signum, & emerget hæc propositio. Panis est panis. III.) Oecolampadio adfines sunt, qui corpus per μνημόσυνον corporis explicant, ut sit sensus: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, hoc est, corporis mei μνημόσυνον seu commemoratio.* Horum meminit Lutherus in confess. min. quos verba cœnæ substantialia cum fructu ejusdem confundere, liquido adparet. IV.) Quidam intelligentes nimis tenue esse, per corpus intelligere tantummodo signum, figuram & monumentum corporis, addunt, intelligi *pignus, tesseram & sigillum corporis.* Polanus in symph. catholica c. 17. p. 365. *Enunciatio eucharistica: Hoc est corpus meum, est figurata, cujus sententia est: Panem eucharisticum esse sacramentum, mysterium, symbolum, typum, antitypum, figuram, signum, imaginem, similitudinem, memoriam, recordationem corporis Christi, seu, quod eodem redit, significare, designare, ostendere, repræsentare corpus Christi.* V.) Calvinus in defens. secunda adv. Westph. corpus accipit *pro efficacia corporis*, quem sequitur Ramus libr. IV. theolog. c. 8. *Metonymiae corporis & sanguinis pro adjunctis eorum bonis ac fructibus conjunguntur.* VI.) Johan. a Lasco in tract. de sacram. eccle-

3.) *Qui corpus explicant per μνημόσυνον corporis.*

4.) *Qui corpus exponunt per tesseram & sigillum.*

5.) *Qui corpus exponunt efficaciam corporis.*

6.) *Qui exponunt: Hoc est jus in meo corpore.*

fiæ sic exponit: *Hoc est corpus meum, id est: Hoc est jus & usus in corpore meo: haec est communio, jus & societas mei corporis.* VII.) Quidam specioſe disputant, *panem esse non tantum signum significans, verum etiam instrumentum offerens & exhibens, respectu scilicet fidelium:* nequaquam enim agnoscunt, sacramentalem corporis Christi mediante benedicto pane manducationem omnibus ad cœnam accedentibus communem, sed spiritualem tantum solis fidelibus propriam; sicque itidem substantiam cum fructu cœnæ confundunt. VIII.) Quidam per vocabulum *corporis* synecdochice intelligi putant *corpus simul & animam, adeoque totam personam Christi*, cum tamen distincte manducationem sui corporis mediante benedicto pane, & bibitionem sui sanguinis mediante benedicto vino Christus instituerit.

7.) *Qui exponunt corpus pro instrumento offerente fidelibus corpus Christi.*

8.) *Qui exponunt de toto Christo.*

§. LXXXV. Ad *logicam* classem pertinent, qui disputant, singula verba proprie quidem accipi, sed in ipsa attributione improprietatem *tropicam* latere. Zanchius de cœna Domini c. 4. *Licet singula verba in illa oratione: Hoc est corpus meum, in sua propria significatione accipiantur, ita, ut de pane verum & essentiale Christi corpus praedicetur, ut revera praedicatur, in ipsa tamen tota oratione aliquis tropus infit necesse est.* Crellius in logicis p. 132. *Multae sunt figuratae enunciationes, in quibus tropus neque in praedicato, neque in copula poni potest, sed in tota attributione, id est, respectu praedicati ad subjectum.* Bucanus loc. XLVIII. p. 693. *Figurata est praedicatio,* (inquit) *eaque non simpliciter metaphorica aut allegorica, sed metonymica.* Et postea: *Figurata praedicatio est non in singulis verbis, seorsim & in sese consideratis (panis enim est proprie panis & corpus non allegoricum, non tropicum, non figuratum, multo minus spectrum aut phantasma, non item corpus mysticum, quod est ecclesia, aut signum corporis, non meritum Christi, sed proprium Christi corpus denotat, omnino enim verum Domini corpus de vero pane enunciatur) sed in tota attributione, quia copula duo disparata conjungit, quam sic resolvere licet, panis est symbolum seu signaculum corporis Christi. Sed rursum notandum est, non esse tantum locutionem figuratam, metonymicam aut significativam, quia languidius explicaret naturam mysterii, sed sacramentalem.* Keckermannus libr. III. syst. theol. c. 8. p. 442. proponens has: *Panis est corpus Christi. Vinum est sanguis Christi,* vocat *propositiones relativas, item extrinsecas & analogicas praedicationes, easque sic explicat: Panis est corpus Christi, id est, summa & sacra unio est inter panem & corpus, vinum & sanguinem Christi, nempe unio significationis & confirmationis.* Ibidem etiam refellit eos, qui tropum statuunt vel in copula vel in prædicato, vel in ipsa connexione; *sunt,* (inquit) *nonnulli, qui fateantur, nec in praedicato nec in verbo copulativo inesse tropum, sed in ipsa connexione praedicati cum subjecto. Verum haec sententia consistere non potest, quia omnis tropus est in verbis, nullus in rebus, res enim non sunt in potestate hominum, nec pendent ex loquentium instituto, ideo non possunt τρέπεσθαι, jam vero connexio seu unio extremorum in propositione est res, non vox, ergo in connexione non potest residere tropus:* hæc ille rectissime. Quidam cum in dictione aliqua simplici non possent tropum ostendere, excogitarunt duplicem metonymiam, *alteram, quae in singulis vocibus occurrat; alteram, quae in integris praedicationibus locum habeat, quando scilicet signatum de signo ob mutuam σχέσιν enunciatur.* Unde distinguunt inter *metonymiam & praedicationem metonymicam:* illam dicunt esse *dictionis,* hanc vero *integri sermonis.* Sed prædicatio illa *metonymica* in tota attributione est merum figmentum, cum non possint idonea ejusdem exempla monstrari. Goclenius una cum Keckermanno statuit, *propositiones quasdam improprias esse propter compositionis rationem impropriam, licet termini simplices proprie accipiantur:* ideo vocat *logice impro-*

Ad classem terziam logicam pertinent, qui in attributione improprietatem logicam statuunt.

proprias, quem solide refellunt Balthas. Meisnerus part. I. philos. sobr. sect. 1. c. 5. q. 8. & Joh. Hesselbeinius antid. sect. 4. Nos hoc loco illud tantum monemus, propositiones illas: *Panis est corpus Christi; Vinum est sanguis Christi*, non esse ipsius Christi, sive scripturæ, sed a doctoribus ecclesiasticis usurpatas, ideo de illis judicandum esse ex ipsa natura hujus sacramenti, unde dicuntur sacramentales. Verba Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum; Bibite, hoc est sanguis meus*, non sunt obnoxia illis cavillationibus, cum δεικτικὸν *hoc* non solum panem, sed totum complexum denotet, cumque nec in aliqua propositionis parte, nec in tota attributione tropus monstrari possit (*).

Tropi in verbis.

§. LXXXVI. Præter hos tropos, quos omnes verbis Christi: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, inferunt, etiam alios quosdam excogitarunt, quibus aliqua verba a genuino & proprio sensu detorquent. 1.) Verba *edite, bibite*, nonnulli ad sola externa symbola referunt, quidam edere & bibere corpus & sanguinem Christi nihil aliud esse disputant, quam *credere*, Christum corpus suum pro nobis in mortem tradidisse, & sanguinem suum pro nobis effudisse: quidam denique duplicem significationem illis verbis tribuunt, ut de pane & vino *proprie*, de corpore & sanguine Christi *metaphorice* accipiantur. 2.) Vocem κοινωνίας apud Paulum 1 Cor. X. 16. accipiunt *metonymice* pro efficaci tessera, symbolo seu pignore communionis nostræ in corpore & sanguine Christi. 3.) Vocem *testamenti* apud Lucam XXII. 20. & Paulum 1 Cor. XI. 25. interpretantur per signum seu sigillum novi illus fœderis confirmandi per sanguinem Christi *metonymia subjecti*. 4.) Indigne manducantes *reos fieri corporis Christi*, sic exponunt, quod rei fiant spreti seu contemti corporis Christi propter sacri signi abusum, quæ glossa in bibliis Tigurinis ipsi textui est inserta.

1.) Edite, bibite.

2.) κοινωνία.

3.) Testamentum.

4.) Rei fiunt corporis.

Quidam dicunt sese τὸ ῥητὸν retinere.

§. LXXXVII. Quamvis vero tot ac tam variis tropis verba testamenti pervertant, quidam tamen adfirmare non erubescunt, sese τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ retinere. Pezelius in tract. de cœna p. 106. *Literalem sensum aestimandum esse* dicit, *non ex proprietate singularum vocum, sed ex*

(*) Goclenius libr. II. instit. logic. c. 8. *Improprium est, quod ratione compositionis est improprium.* Keckermannus libr. II. syst. logic. cap. ult. Figuratum ratione dispositionis sic definit: *cum verbis propriis retentis prædicatum subjecto tribuitur non ob internam & essentialem cohærentiam, sed externam tantummodo relationem & unionem, distinguunt inter improprietatem* λέξεως *&* συνθέσεως. Atqui hæc opinio 1.) est nova: hactenus enim Quintilianus, Philippus & omnes docuerunt, improprietatem sitam esse in eo, quod dictio a propria significatione in alienam vertatur. 2.) Est ficta ad salvandam θέσιν. Goclenius IV. probl. log. p. 101. *Quin nolo amplius contendere cum quoquam de verbis cœnæ, cum corpus intelligi de corpore proprie dicto planum sit ex adnexis*, quod pro vobis datur, *repeto, quod dixi, esse attributionem impropriam.* 3.) Est falsa. a.) Si enim in prædicatione vocabula omnia manent propria, & tamen ipsa dicitur impropria, non amplius a suo, sed a peregrino denominabitur. b.) Ut se habent res, ita earum compositio. At res manent propriæ. Ergo etiam earum compositio erit propria. c.) Tres illæ mentis operationes, simplicium adprehensio, compositio & divisio, ratiocinatio sic cohærent, ut non aliter componam, ac concepi, nec aliter ratiociner, ac composui & divisi. Atqui res primo conceptu concepi proprias. Ergo etiam necesse est, ut proprio modo componam, d.) Relata realia non propter externam sed internam σχέσιν talia dicuntur. Atqui signum & signatum sunt relata realia. Ergo habent internam σχέσιν. Jam vero ex hypothesi adversariorum panis & corpus Christi habent se tanquam signum & signatum. GERHARDUS.

ex cohaerentia & χέσει praedicati & subjecti naturali ac propria. Bucanus loco XLVIII. pag. 695. *Est quidem in ipsis verbis τὸ ῥητὸν scilicet sacramentale retinendum.* Id postea sic explicat: *Hoc ipsum sacramentale ῥητὸν dissimile est regularibus praedicationibus & interpretatione conveniente ad naturam sacramentorum leniendum. Nam in sacramentali locutione non tam litera seu sonus verborum, quam διάνοια, hoc est, sententia certa sequenda est, quae scilicet cum natura sacramenti, quod Christus instituit, & cum circumstantiis omnibus institutionis & analogia fidei conveniat.* Huc etiam pertinent illi, qui clamant, se constanter retinere verba Christi, puta in sensu *sacramentario*, sive cum explicatione *metonymica*. Atqui hoc est ἀντικείμενον ἐν προκειμένῳ *oppositum in adposito*: si in verbis coenae non tam litera, quam διάνοια sequenda, si metonymica explicatio illis inferenda, quomodo τὸ ῥητὸν verborum retinetur? inter ῥητὸν & διάνοιαν non datur aliquod medium testibus omnibus juris interpretibus & rhetoribus. Stante ῥητῷ facessit διάνοια, & contra, proinde peregrinam & alienam διάνοιαν ex proprio cerebro verbis coenae inferre nequaquam est τῷ ῥητῷ inhaerere, & ex verbis proprie acceptis sensum haurire, sed is demum est sensus literalis, qui tunc emergit, quando subjectum & praedicatum in propria significatione retinentur.

Argumenta adversariorum contra τὸ ῥητὸν.

§ LXXXVIII. Qua vero necessitate coacti, quibus argumentis moti a ῥητῷ in verbis coenae discedunt? 1.) primo ac potissimum hoc urgent, *quod literalis sensus incurrat in articulum fidei de veritate corporis & sanguinis Domini, cum verum & naturale corpus non possit esse simul & semel in pluribus locis;* quod argumentum late deducit Bucanus loco XLVIII. & seqq. & ante eum Sadeël de sacram. manduc. cap. 4. p. 317. *Resp.* 1.) Nos utrumque credimus, Christum habere & in aeternum retinere verum humanum corpus, & nihilominus id in sacra coena mediante benedicto pane manducari, cum utrumque scriptura verbis propriis & perspicuis adserat. 2.) Quaestio igitur est, an haec duo simul consistere possint, veritas scilicet corporis Christi & veritas praesentiae ejusdem in sacra coena? Nos adfirmamus, adversarii negant, & ex adfirmatione unius inferunt negationem alterius vitiose: exponant enim rationem, cur veritatem praesentiae in coena potius negent, quam veritatem corporis Christi, cum utrumque scriptura adstruat tam veritatem praesentiae, quam veritatem corporis. Si dicant, veritatem corporis Christi esse articulum fidei, quaerimus, unde hoc sciant? utique ex scriptura: atqui eadem scriptura adserit, corpus Christi in coena vere praesens esse, ergo cum scripturae credant, vel videri velint credere: in uno, cur fidem ei denegant in altero? 3.) At inquiunt, *haec sunt contradictoria: Christus retinet verum corpus, & tamen illud in coena praesens est, jam vero Deus non facit contradictoria.* Resp. urgemus denuo, ut exponant rationem, cur hanc partem contradictionis videlicet veritatem praesentiae malint negare, quam partem alteram, videlicet veritatem corporis. Nullam certe rationem proferre possunt, quae sit solida & constans (*). Nos igitur

1.) *Literalis sensus tollit articulum fidei de veritate humanae naturae in Christo.*

(*) Cum in colloquio Marpurgensi longa rixa esset de argumento philosophico ex ratione ducto, unum corpus non posse esse in diversis locis, refutabat id quidem Lutherus ex ipsa philosophia & Scholasticis, sed subjiciebat, *se non ejusmodi rationis argumenta, sed aperta firmaque scripturae verba requirere; quod si tamen omnino sic libeat, se ad conaïctam horam ex mathematica ad satietatem usque cum ipsis disputare velle; nunc tamen praedicere, hisce disputationibus in hac causa nihil posse effici, scripturae testimoniis hic opus esse.* Wigandus in sacramentariismo ex confignatione cujusdam, qui colloquio Marpurg. interfuit, f. 428. b. In eod. Colloq. Lutherus dicebat: *Nos fundamenti loco ponimus verbum Dei, quod* primo *dicit, Christum habere corpus, hoc ego credo.* Deinde *dicit, illud ipsum corpus adscendisse ad coelos, & sedere ad dexteram Dei Patris, hoc etiam credo. Dicit* praeterea *verbum Dei, illud corpus in coena nobis manducandum dari, & hoc quoque credo. Dominus enim meus Jesus Christus facillime hoc, quod vult, praestare potest,*

igitur dicimus, judicium de vera contradictione in fidei articulis non esse committendum rationi humanæ, quia multa nobis videntur ἀδύνατα, quæ tamen Deo factu sunt facillima. Cum Saræ videretur ἀδύνατον in effœta ætate sterilem parere, quia sit contra naturam, rationem & experientiam, Deus ipsi hoc opponit: Gen. XVIII. 14. *Num* פָּלֵא *separatum a viribus, difficile vel impossibile est Deo quidquam?* ubi in verbo דָּבָר emphasis est, quod Deus, quæcunque promisit ac dixit, præstare etiam possit. Zach. VIII. 6. *Sic dixit Dominus exercituum: Si difficile, vel mirum in oculis populi illius, an etiam in oculis meis difficile vel mirum fuerit?* Matth. XIX. 26. *Apud homines hoc impossibile est;* (camelum per foramen acus transire, ac divitem salvum fieri,) *sed apud Deum omnia sunt possibilia.* Luc. I. 37. *Apud Deum non est impossibile omne verbum.* Eph. III. 20. *Deus potens est* ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ, ὧν αἰτώμεθα ἢ νοοῦμεν, *superabundanter plus praestare potest, quam petimus aut intelligimus.* Ex his dictis manifestissimum est, judicium de vera contradictione in fidei articulis non esse committendum rationi humanæ, sed ex scriptura statuendum esse, quæ vere sint contradictoria; jam vero scriptura utrumque adserit, Christum scilicet habere verum corpus, idemque in cœna nobis manducandum dari, *captivemus ergo rationem sub obsequium fidei;* 2 Cor. X. 5. & demus verbis ejus hunc honorem, ut credamus, ipsum, quod promisit, præstare posse: quod non dat corporis proprietas, id dat Christi omnipotentis veritas. 4.) *At*, inquiunt, *distinguendum est inter rationem renatam & non renatam.* Quærit Bucanus: *num rationi humanae & philosophiae principiis, in iis, quae adseruntur de corpore Christi, sit plane derogandum?* cui quæstioni respondet negative. pag. 711. *Quatenus ratio humana post regenerationem spiritualis facta, verum testimonium creaturis perhibet, & vera principia de humani corporis propriis adserit. Scriptum est enim, ne fitis sicut equus & sicut mulus, quibus non est intellectus;* Psalm. XXXII. 9. *& praeterea omnis veritatis in logicis, ethicis, & physicis, Deus est auctor.* Resp. ratio renata de articulis fidei statuere & judicare debet ex verbo Dei, alias definit esse renata, ut ostendimus in tract. de interp. scripturæ. § 176. Christus dicit: *Accipite, comedite; Hoc est corpus meum:* si ratio contra hoc Christi verbum ex suis principiis disputat, non amplius renata est, sed suum sequitur ductum, sua principia, ac tam non audienda est, quam non audiri debet philosophus contra resurrectionem corporum disputans ex principio illo physico: *Nullum individuum, quod semel interiit, idem numero redire potest.* 5) *At*, inquiunt, *ratio contra praesentiam substantialem corporis Christi in cœna disputans non nititur suis principiis, sed scripturae pronunciatis de veritate corporis Christi.* Resp. non in uno solum debet audire scripturam, quod scilicet Christus habeat verum corpus, sed etiam in altero, quod scilicet verum illud corpus Christi in sacra cœna sit præsens, si unum alteri opponere velit, non amplius est renata ratio. Quemadmodum non sunt audiendi Manichæi & Marcionitæ, negantes veritatem corporis ex eo, quod Christus corpore suo ambularit super aquas, quod factus fuerit invi-

potest, quod vero praestare hoc velit, in suo verbo testatus est, cui ego firmiter adquiesco, donec ipse Christus aversum suo verbo mihi dicat. Ad haec Lutheri verba Zwinglius & Oecolampadius nihil amplius ex Dei verbo proferre & respondere potuerunt, sed ad syllogismos & humanae philosophiae axiomata sese converterunt. Hist. August. confess. pag. 120. Wigandus de sacram. f. 428. a. Quodcunque Christus vult, promittit & facit, illud non repugnat veritati humanæ ipsius naturæ. Sed Christus vult & promittit care, & dat in cœna suum corpus mediante benedicto pane manducandum. Ergo non repugnat veritati humanæ naturæ. *Major* est manifesta, nisi Christum sibi ipsi esse contrarium, & naturam suam sua promissione & promissorum præstandorum veritate evertere velle, impie dicamus. *Minorem* probant expressa institutionis verba. Sic verus homo est Christus, ut veracissimum sit os Christi, præsentiam corporis & sanguinis sui in cœna promittentis. GERHARDUS.

invisibilis, & pluribus in locis uno eodemque tempore præsens sit; ita quoque non debet audiri humana ratio contra præsentiam corporis in cœna disputans ex veritate humanæ naturæ. 6.) Res igitur eo redit; axioma illud: *corpus naturale non est simul & semel in pluribus locis praesens*, est pronunciatum philosophicum. Valet ergo & procedit in philosophia. Agit autem philosophia de cursu naturæ ordinario sive de potentia Dei ordinaria. Quam vero absurdum est, dicere Deum non posse aliquid agere supra naturam, tam etiam absurdum, ex pronunciato hoc philosophico corporis Christi præsentiam ex sacra cœna excludere. Ex quibus omnibus patet, non dubitari de veritate propositionum in syllogismo, sed de principii adplicatione. Non quæritur, an per naturam fieri possit, ut corpus unum sit in pluribus locis, nec quæritur, an Christi corpus sit verum corpus; sed hoc quæritur, an his omnibus concessis, recte inferatur, Deum non posse facere, ut verum Christi corpus sit in cœna præsens? Si dicas, natura corporis id non admittit, est enim finitum, quæro unde scis? certe ex solis principiis rationis. Scriptura enim nuspiam hoc adserit, quod præsentia in sacra cœna pugnet cum veritate corporis, quin imo non solum hoc non dicit, sed etiam contradicit. Vides ergo, ultimam argumenti resolutionem redire ad pronunciatum ex principio rationis deductum, atque illud opponi verbis Christi in institutione sacræ cœnæ prolatis. 7.) Ut autem evidentius adpareat, non debere opponi pronunciata philosophica verbis Christi, expende hæc ipsorum adversariorum dicta: Calvinus libr. III, instit. cap. 23. sect. 4. *Indignum est ad eam legem Dei opera redigere, ut simul, ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* Sadeel in præfat. oper. theolog. de methodo disputandi: *Nos de theologia ex principiis theologicis disputandum esse, ex ipsa theologia didicimus, & ita faciendum esse, vel ex ipso τρόπῳ παιδείας adfirmamus, qui vetat μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος & vagari extra artem illius scientiae, de qua differendum susceperis.* Et postea: *Cum theologia sit supra omnes scientias, eam subjici principiis philosophicis non ineptum modo, verum etiam iniquissimum est, atque indignissimum.* Idem de verit. hum. nat. cap. 3. *De divinis mysteriis non est ex philosophorum regulis pronunciandum.* Zanchius libr. III. de nat. Dei cap. 2. q. 1. p. 256. *Neque enim, quae fide credimus, aut sub sensum cadunt, aut lumine naturalis intellectus percipiuntur.* Lib. V. cap. 2. pag. 621. *Verbum Dei & humana prudentia semper inter se pugnant.* Martyr classe II. locor. cap. 1. §. 25. *Primum, id quod credi volumus, ostendi debet ex sacris literis, deinde si id adsequi non possumus, fide nitemur, rationem seponemus.* Aretius part. I. problem. 2. p. 7. *Quae est ista petulantia, divina mysteria communibus naturae legibus obnoxia facere, quae cum sint omni rationi humanae inexplicabilia, adoranda potius quam ventilanda.* Wolffg. Musculus in locis p. 176. *Secularis literatura non sit magistra religionis ac fidei, sed famula; nec vindicet sibi titulum verae sapientiae, sed habeatur suo loco, sitque infra scripturam divinam serviliter abjecta.* Beza in epigramm. pag. 249. *Quae voce nobis prodidit Deus sua, ratione sciri non queunt humanitatis.* Mornæus præfat. libr. de verit. relig. *Tantum abest, ut humana ratio fidei sit mensura, ut ne naturae quidem propter ignorantiam & pravitatem esse possit.* Libr. VIII. de verit. relig. cap. 28. *Taceat homo oportet, cum Deus loquitur, adquiescat, cum decernit.* præfat. libr. de euchar. *Thomas doctrinam sacram directe ad scripturam restringit, quam hoc ab illis abhorrens, qui ex philosophia aliarumve disciplinarum principiis disputare volunt contra illam logicae regulam, μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, cum secundum verae logicae usum nostra ratiocinatio e principiis unius scientiae theoremata, ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat.* Danæus in elench. hæret. pag. 8. *Theologiae materia tam augusta, tamque sublimis est, ut ex Aristotelicorum & dialecticorum regulis & judicio minime sit adprobanda, quando omnium hominum sensum & captum longe superat, Dei enim mentem continet & explicat, illam quidem arcanam & antea toti mundo incognitam, quae a solo homine spirituali intelligi potest, nullis autem humanae philo-*

philosophiae vel rationis fundamentis nititur &c. Witakerus præfat. controvers. de script. *Humanae rationes & testimonia, si quis eis nimium & praeposterе utatur, instar sunt armorum Saulis, quae Davidem non modo non adjuvant, sed ineptiorem etiam ad pugnandum reddunt.* Idem in libro contra Rainoldum cap. 8. p. 261. *Argumentum illud, quod in rebus fidei & religionis rationi soli innititur, ingenue fatemur, in Domini militia telum illicitum esse. Quidquid ergo contra philosophiam & rationem dixerunt, quando a fide abhorret, quam in scripturis discimus, totum illud laetis animis excipimus.* Bucanus de disp. theolog. aphor. 11. *In religionis controversiis desumta tantum ex libris authenticis, prophetici & apostolicis principia, confirmationes & argumenta proferantur. Taceat uutem mulier in ecclesia, id est, hominum philosophia.* Hæc omnia verissime dicuntur, at utinam ab adversariis in hac quæstione observarentur! 8.) Piæ mentes etiam hoc cogitent, quod potuerit humana Christi natura salva ejusdem veritate & finitate adsumi in infinitam Λόγῳ ὑπόστασιν, quomodo igitur Christi corpus salva ejusdem veritate non possit etiam in cœna esse præsens? 9.) Natura cujusque rei soli Deo perfecte cognita est, nos nec Dei potentiam, nec rerum naturam perfecte in hac vita cognoscimus, unde quidam ex Scholasticis disputant, divina virtute fieri posse, ut quodvis corpus, etiam mere naturale, sit simul in pluribus locis. Hugo de S. Victore libr. II. de sacr. part. 8. c. 12. *Qui locum fecit, corpus fecit, & locum in corpore, & corpus in loco, & qui fecit, ut unum corpus in uno loco esset, fecit, sicut voluit, & si voluisset, aliter facere potuisset, nam & quando vult aliter, facit, & est, sicut ipse semper vult.* Scotus libr. IV. sent. dist. 11. q. 2. movet quæstionem: Utrum idem corpus possit localiter simul esse in diversis locis? *Hic*, inquit, *tenetur a multis conclusio negativa, sed diversi diversimode probant.* Et post recitata aliquot doctorum & sua quoque argumenta subjicit: *Contra istam opinionem* (negativam) *hoc sufficit in genere, quod quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas vel contradictio evidenter concluditur.* Et post refutata argumenta contraria: *Dico ergo ad quaestionem, quod est maxime mihi certissimum, quod Deo est possibile omne, quod non evidenter includit contradictionem, & ad quod non sequitur necessario contradictio. Hoc est hujusmodi, ergo est Deo possibile, ut patebit solvendo rationes. Dico ergo, quod Deo simpliciter est possibile, idem corpus simul facere in diversis locis localiter, hoc patet ex intellectu terminorum &c.* Gabr. Biel libr. IV. sent. dist. 11. *Non solum in diversis locis potest esse corpus Christi definite & sacramentaliter, sed etiam & ipsum & aliud corpus quodlibet esse potest, per divinam potentiam, in pluribus locis circumscriptive.* Franc. Mayronius libr. IV. sent. dist. 11. q. 4. *Utrum Deus facere potest, quod idem corpus sit ubique? dico quod sic, quia quandocunque est aliquid determinatum ad unum, si sit indeterminatum ad plura ejusdem rationis, eadem ratione ad quaecunque se extendit. Cum igitur unum corpus non determinet sibi unum locum numero, sequitur, quod omnia poterit occupare divina virtute. Sed hoc est difficile, si potest esse in locis infinitis? dico quod sic, sed contra, quia est infinitum? dico quod non sequitur, tum quia hoc fit divina virtute, tum quia ratio localis est extrinseca.* Hæc illi. Quantæ igitur proterviæ fuerit omnipotentiæ divinæ hoc derogare, quod non possit glorificatum & λόγῳ personaliter unitum corpus in sacra cœna præsens nobis sistere? De natura corporis Christi disputaturo opus est perfecta glorificatorum corporum cognitione, quæ, quia in hac vita non conceditur, non potest rectius & verius de corpore Christi cogitari, quam si sequamur ductum verbi. De natura corporis Christi disputaturo etiam opus est perfecta unionis personalis & majestatis, ad quam Christus secundum humanam naturam est evectus, cognitione, quæ cum itidem in hac vita non concedatur, tutius est sequi scripturæ lucem, quam cœcæ rationis tenebras. 10.) Est itidem contra regulas physicas, quod corpus hominis naturale penetret lapidem, clausas ingrediatur fores, sedeat ad dextram Dei &c. hæc tamen omnia de Christi corpore adfirmantur. Ambro-

sius de iis, qui initiantur mysteriis c. 9. tom. IV. p. 427. *Praeter naturae ordinem virgo generavit, & hoc, quod conficimus corpus, ex virgine est, quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine.* 11.) Deus vim ac terminos naturæ dedit, interim tamen potentiæ suæ terminos non posuit. Cadaver igitur est consequentiæ, non vera illatio: *Jure naturali verum corpus non est in pluribus locis. Ergo nec divina potentia.* Quinimo:

Naturae dominus Deus est, natura ministra est,
Quam fas est Domini jussa verenda sequi.

Scaliger exerc. V. sect. 6. disputat, quare corpus naturale non possit esse in pluribus locis, sed mox addit: *De naturali corpore sermo est, non de supercælesti synaxi.* Exerc. XVI. sect. 2. *Quae supra leges naturae, ex naturae legibus non sunt judicanda.* Exerc. CCCLXV. sect. 3. *Angusta rationis nostrae decempeda immensos religionis nostrae agros metiri non possumus.* Sect. 9. *Interest & nostrae pietatis & Dei immensitatis ea sentire, quae sentire non possumus, sentire quidem in ipso, per ipsum, quae per nos sentire nequeamus.* Id ipsum ex aliis, etiam profanis philosophis, demonstrari posset. 12.) Si rem recte expendere velimus, quatuor termini sunt in hoc argumento adversariorum: Nullum corpus naturale est in pluribus locis: Christi corpus est naturale. Ergo. *Major* enim loquitur de corpore mere humano, Christi autem corpus non est mere humanum, sed ipsius λόγῳ proprium corpus personaliter ei unitum. *Major* loquitur de corpore naturali quatenus tali, hoc est, quatenus consideratur ex principiis & proprietatibus essentiæ suæ, jam vero quod Christi corpus dicitur esse præsens in cœna, id non asserimus fieri ex quadam corporis proprietate, sed ex Christi promissione & divina efficacia. Argumentum igitur concludit de jure naturali, quod scilicet vi aliqua naturæ non possit unum corpus esse in pluribus locis: atqui quod corpus Christi in cœna præsens adesse statuimus, in eo infinitam Dei potentiam agnoscimus & prædicamus. Probare deberent adversarii, Deum non habere ullum alium modum, quam naturalem, quo corpus Christi præsens sistere possit. 13.) Denique observandus est circulus, quem committunt adversarii in suis argumentis. Quæritur, sintne verba sacræ cœnæ intelligenda κατὰ ῥητὸν, negant, quia corporis proprietas repugnet. Rursum si quæras, possitne Christus, cum sit non solum verus homo, sed etiam verus Deus, corpus suum præsens in cœna sistere? negant: quia non velit, unde emergit argumentatio circularis & principii petitio. Nos contra, voluntatem Christi ex verbis testamenti discimus, facultatem præstandi, quod promisit, ex omnipotentia ipsius divina & collocatione ad dextram Dei demonstramus. Si ergo dicatur esse contra naturam corporis, ut sit in pluribus locis præsens, respondebit pia mens, imo est contra naturam Christi & verborum ejus, fallacibus ac variis promissis ludificari christianos. Fulgentius libr. I. ad Monim. p. 24. *In Dei promissis nulla est falsitas, quia in faciendis nulla omnipotenti est difficultas.*

§. LXXXIX. II.) Τὸ ῥητὸν verborum cœnæ etiam *cum articulo de Christi ad cœlos adscensione pugnare* adserunt, ideoque merito deserendum esse. Witakerus q. 5. c. 9. de scriptur. & reliqui fere omnes. *Resp.* 1.) Utrumque adserit scriptura, Christum suo corpore adscendisse ad cœlos, & verum Christi corpus in sacra cœna præsens esse, utrumque igitur in vera fidei obedientia acceptamus. 2.) Articuli fidei verbis propriis, claris & perspicuis in scriptura propositi non debent sibi invicem opponi. Sicut essentiæ unitas non est opponenda Trinitati personarum, quamvis ratio nostra hæc duo opposita esse judicet, nec aliter judicare possit: ita Christi ad cœlos adscensio non est opponenda præsentiæ corporis & sanguinis ejus in cœna, licet ratio nostra itidem hæc duo opposita esse judicet, nec aliter judicare possit, nimirum quia utrumque scriptura adserit; Deo igitur & verbo ipsius hunc debemus honorem, ut credamus utrumque, licet comprehendere nulla ratione possimus, quomodo hæc simul consistere possint.

2.) *Literalis sensus pugnat cum articulo adscensionis.*

sint. Ille ipse, qui vere in cœlum corpore suo adscendit, in sacræ cœnæ institutione dixit: *Edite, hoc est corpus meum*, & hic veritas est & illic. Ex scriptura igitur ostendendum, articulum de adscensione in cœlum pugnare cum articulo de reali præsentia in sacra cœna. 3.) Nullus unquam ex veteribus articulum adscensionis opposuit præsentiæ corporis in sacra cœna, quin imo diserte docent, non obstante adscensione ad cœlos corpus Christi vere præsens esse. Chrysostomus homil. II. ad pop. Antioch. *Quemadmodum Elias cum corpore adscenderet in cœlum, melotem dimisit Elisæo discipulo suo: ita Christus Dei Filius cum adscenderet, carnem suam nobis dimisit* (*). 4.) Lutherus contra adversarios urget institutionem factam ante adscensionem in cœlos. Ergo (inquit) saltem in prima cœna verba κατὰ ῥητὸν intelligenda erant, quia tum nondum contigerat adscensio in cœlos. 5.) Paulus 1 Cor. XI. 23. & seqq. repetit verba cœnæ, postquam Christus jam ante quinquaginta quatuor annos in cœlum adscenderat; repetit autem eodem modo, quo a Christo primum tradita, ab evangelistis adnotata & a Christo ipso ad dextram Patris regnante erant dictata. Ergo articulus de adscensione ad cœlos non cogit nos, ut a literali verborum sensu recedamus. 6.) Christus etiam post suam in cœlos adscensionem in terris adparuit; Act. IX. 5. XXIII. 11. 1 Cor. XV. 8. Apoc. I. 13. (adparuit autem suo ex Maria virgine adsumto, non alio novo formato corpore, ut aliquando scripsit Zanchius libr. II. de nat. Dei cap. 6. p. 138. sed postea rectius edoctus & admonitus correxit) ergo adscensio in cœlos non impedit veram corporis præsentiam in sacra cœna. 7.) Christus ita adscendit in cœlum, ut adscenderit etiam super omnes cœlos, & consederit ad dextram Dei, hoc est, secundum explicationem Augustanæ confessionis art. III. *ut potenter regnet & dominetur omnibus creaturis.* Hæc explicatio petita est ex ipsa scriptura Psalm. VIII. 7. Matth. XXVIII. 18. Eph. I. 20. IV. 10. & 1 Cor. XV. 25. &c. secundum hanc potentiam, quæ Christo juxta humanam naturam ad dextram Patris exaltato data est, potest omnia sibi subjicere, Philip. III. 21. secundum eandem ergo & corpus suum nobis in cœna manducandum dare potest. Ubi observa, adscensionem Christi ad cœlos in sacris literis non tantum describi *abstracte* & *distincte*, ut sit solus adscensionis motus, quo corpus Christi locali μεταβάσει e terra evectum, ac subinde ad cœlos altius elevatum, (qua ratione adscensio & exaltatio Christi distinguuntur) sed etiam *concrete & conjuncte*, ut adscensio simul complectatur exaltationem Christi ad dextram Dei. Quare cum post adscensionem juxta carnem Christus evectus sit ad omnipotentem & omnipræsentem dextram Dei, ergo ab adscensione, quæ a sessione ad dextram Dei non est separata, nequaquam licet argumentari ad infirmitatem aliquam & omnimodam carnis Christi absentiam, sed contrario potius modo ad infinitam ejus majestatem & effectus divinæ virtutis. 8.) Unde recte scribit Bucerus: *Cum cœli, ad quos Christus adscendit, sint supra omnes cœlos, equidem non ausim illos definire, nisi scripturae verbis, non nostrae rationis praedicamentis. Scripturae autem illos non nisi majestate & virtute definiunt, non locorum intercapedinibus, clareque atteſtantur, eos in cor hominis non adscendisse.* Marloratus in cap. XXVII. Matthæi: *Cœlum, in quod Dominus noster adscendit, invisibilis Patris gloria est, & inaccessa lux divinitatis.* 9.) Ἀνακολούθησις ergo est in argumento adversariorum, cum procedat a negatione unius modi præsentiæ

T 2 ad

(*) Ipse Calvinus veritate impulsus scribit in comm. cap. I. ad Ephes. *Quia sessione Christi ad dextram Dei argumenta ducit contra præsentiam Christi in sacra cœna, is prave facit.* Idem in cap. VI. Joh. *Humilis & abjecta Christi conditio, quam oculis cernebant, cum carne indutus nihil ab hominum vulgo differret, illis obstaculo erat, ne divinæ ejus virtuti locum darent. Nunc vero subducto velo ad cœlestis suæ gloriæ respectum eos revocat, ac si diceret: Quia inter homines sine honore versor, vobis sum contemtui, nec quidquam in me divini agnoscitis; atque paulo post fiet, ut Deus magnifica virtute me ornatum ab hoc contemtibili mortalis vitæ statu super cœlos extollat.* GERHARDUS.

ad negationem omnis modi præsentiæ, a non distributo ad distributum. Corpus Christi eo modo, quo in cœlo est, in sacra cœna non est præsens, at ex eo non potest inferri, quod nullo modo in sacra cœna præsens sit. Bonaventura libr. IV. sent. dist. 10. p. 1. q. 3. ex Innocentio: *Quemadmodum Dei filius secundum divinitatem habet triplicem modum essendi, in omnibus per essentiam, in justis per gratiam, in Christo per unionem: sic corpus Christi localiter est in cœlo,* (dextre id intelligendum, ut alibi exponitur) *personaliter in verbo, sacramentaliter in altari.* Luc. XXIV. 44. Christus post resurrectionem suam ad discipulos dicit: *Haec locutus sum vobis, cum adhuc vobiscum essem,* ostendens, plures præsentiæ modos etiam secundum humanam naturam sibi competere. Distinguit enim illam carnalem & visibilem præsentiam, qua ante passionem cum eis fuerat familiariter versatus, a nova illa post resurrectionem præsentia, quæ tamen adhuc plurimum differt ab ea, qua in extremo die in summa majestatis & gloriæ demonstratione adveniet. Ex quo etiam intelligitur, cur Lutherus in confess. majore inter fundamenta nostræ sententiæ referat etiam illud, quod Deus præter *localem* & *circumscriptivum* plures modos habeat, quibus præsens alicubi esse possit. 10.) Nec est, quod urgeant, adscensionem ad cœlos definiri per transitum Christi ex hoc mundo; Joh. XIII. 1. additur enim, *quod transeat ad Patrem,* quem certo loci cujusdam intervallo concludi nemo dixerit; transitus ergo Christi ex hoc mundo non tam loci permutationem, quam majestatis divinæ plenariam usurpationem, ingressum in gloriam & occupationem regni cœlestis ad dextram Patris significat. Qualis enim est egressus Filii a Patre in hunc mundum, talis est etiam ejusdem exitus seu abitus ex mundo & reditus ad Patrem, propter mutuam relationem. At egressus Filii a Patre in hunc mundum non significat loci mutationem, sed exinanitionem ac majestatis divinæ cum summa humiliatione permutationem, quia semper apud Patrem mansit; ergo etiam abitus ex mundo ad Patrem non proprie loci mutationem, sed conditionis servilis cum glorioso regno commutationem significat. Plura ad argumenti hujus explicationem adferri poterant, sed ea proprie pertinent ad articulum de adscensione Christi ad cœlos, eandemque secuta ad dextram Patris sessione.

§. XC. III.) *Verba cœnae κατὰ ῥητὸν accepta inferunt transsubstantiationem.* Resp. 1.) Christus non dicit: panis est corpus, sed in distributione benedicti panis dicit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Id quod vobis mediante benedicto pane distribuo, est corpus meum, quæ loquendi ratio in communi etiam vitæ consuetudine observatur, quando duæ res modo quodam unitæ simul demonstrantur & exhibentur, ut principalior & sensui minus obvia in *praedicato* exprimatur. 2.) Pontificii transsubstantiatores a verbis Christi plane discedunt, neque enim constanter adfirmare possunt, quid per τοῦτο intelligendum veniat, unde quidam vocant *individuum vagum.* 3.) Nec dicit Christus: panis mutatus est in corpus meum, vel ex pane factum est corpus meum, quod aliquo modo ad transsubstantiationem torqueri posset, sed in distributione benedicti panis dicit: *Hoc est corpus meum.* 4.) Quamvis vero propositionem illam: *Panis est corpus Christi,* a doctoribus ecclesiasticis usurpatam non simpliciter improbemus, ea tamen a verbis Christi distinguenda est, in quibus τὸ δεικτικὸν *hoc* non solum panem, sed totum complexum notat, ut recte monuerunt nostri in colloq. Maulbrun. 5.) Quando apostolus *subjecti* loco ponit panem, non prædicat de eo directe sive in casu recto corpus Christi, sed communicationem corporis Christi. 6.) Hæc ergo propositio: *Panis est corpus Christi;* accipienda est sacramentaliter. Panis est corpus Christi non *essentialiter,* nec *figurate* vel *significative* tantum, sed *sacramentaliter,* hoc est, propter unionem sacramentalem, quæ quomodo comparata sit, ex verbis institutionis discendum. Habet autem unio sacramentalis panis & corporis, vini & sanguinis Christi cum unione personali duarum naturarum in Christo hoc commune, ut panis *sacra-*

3.) *Verba cœnae κατὰ ῥητὸν accepta inferunt transsubstantiationem.*

sacramentaliter dici possit corpus Christi, sicut Christus homo dicitur Deus *personaliter*. Ut enim duæ naturæ in Christo sunt una persona, & constituunt unum personale: sic panis & corpus, vinum & sanguis Christi *mystice* uniuntur & constituunt unum sacramentale, unde nascitur unio sacramentalis, ex qua ipsæ etiam propositiones sacramentales dijudicandæ. De tota hac re suo loco plura.

4.) Propositiones sacramentales sunt sacramentaliter explicandæ.

§. XCI IV.) *Propositiones sacramentales sunt sacramentaliter intelligendae. Verba cœnae:* hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus, *sunt propositiones sacramentales. Ergo sacramentaliter, hoc est, metonymice, figurate, & significative sunt intelligendae.* Beza part. II. resp. ad Hoffm. p. 205. *In omnibus sacramentis commune est, ut signum signato, & contra μετωνυμικῶς tribuatur*, quæ regula perpetuo in ore omnium adversariorum. Bucanus loco XLVIII. p. 707. *Nullum sacramentum sine tropo plene explicari & intelligi potest. Est enim in omnibus sacramentis usitatissimum, ut nomen rei significatae ipsi signo tribuatur, vel signum a re signata denominetur* (*). Resp. 1.) Carolstadius, quem Philippus Melanchthon *primum auctorem hujus tragœdiae* adpellat, negabat utendum esse voce *sacramenti* de cœna dominica, quem Lutherus in libro contra cœlestes prophetas diligenter refellit. Sed & Sadeel lib. de mand. sacram. p. 190. vocem *sacramenti* de baptismo & cœna in scripturis usurpari negat, quomodo igitur ex adpellatione sacramenti contra nos argumentari possunt? 2.) Si dicant, non tam de voce sacramenti, quam de re ipsa quæstionem esse, quod scilicet verba cœnæ eo modo intelligenda sint, sicut in reliquis sacramentis intelliguntur, respondemus, de quolibet dogmate judicandum esse ex propria sede, non patiemur igitur a verbis Christi ad peregrina loca nos abduci. 3.) Libenter damus, verba Christi: *Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus*, esse propositiones sacramentales, ac proinde esse sacramentaliter intelligendas, id est, ex unione sacramentali judicandum de modo prædicandi sacramentali, sed quod additur, sacramentaliter nihil aliud esse, quam metonymice, figurate, & significative, id vero negamus, quia ex verbis institutionis discimus, unionem corporis Christi cum pane non consistere in nuda significatione, sed in eo, quod mediante benedicto pane corpus Christi vere præsens nobis manducandum exhibeatur, sic enim Christus loquitur: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, & apostolus: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi.* 4.) Doctrina generalis de sacramentis nusquam generaliter traditur in scripturis, sed quodlibet sacramentum habet propriam institutionis sedem, ex iis vero, quæ omnibus sacramentis ex æquo convenire intelliguntur, generalis doctrina de sacramentis colligenda est. Quod ergo sacramentalem analogiam, ad quam toties adversarii provocant, attinet, notandum est, eam esse duplicem: vel enim respicit sacramentum integrum, vel sacramenti partem. Analogia sacramenti integri ad finem & usum spiritualem eadem est in sacramentis vet. & nov. testamenti, ut enim idem auctor omnium sacramentorum, ita quoque idem finis generalis omnium sacramentorum. Sed analogia partium sacramenti non est eadem in vet. & nov. testamenti sacramentis, quia scil. σχέσις seu relatio inter rem terrenam & cœlestem in illis non est eadem. Symbola externa in sacramentis vet. test. fuerunt tantum σημαντικὰ rei cœlestis, sed in sacramentis nov. test. symbola externa sunt μεταδοτικὰ & προσφερόμενα rei cœlestis, ut suo loco ex Col. II. 17. Heb. X. 1. plenius ostendimus. 5.) Denique confictæ adversariorum regulæ, quod sacramentales propositiones metonymice & figurate sint exponendæ, opponimus hanc regulam, quod in

T 3 myste-

(*) Alstedius in præcogn. Theol. lib. 2. cap. 103. p. 191. *Si verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, profecto oportebit verba loquendi de sacramentali materia sacramentaliter intelligere.* GERHARDUS.

mysteriis verba proprie & sine tropo intelligenda sint, si vel maxime contineant res supra captum humanæ rationis positas, alias namque desinerent esse mysteria; jam vero sacramentum cœnæ dominicæ est summum, &, ut veteres loqui consuevere, *tremendum* religionis nostræ mysterium. Ergo.

Propositiones sacramentales in specie examinantur.

§. XCII. Age vero in specie expendamus propositiones sacramentales, quas non nisi metonymice, figurate, & significative accipiendas, atque ex iisdem de verbis cœnæ judicandum esse arguunt. 1.) Circumcisio vocatur *Dei fœdus*, Gen. XVII. 10. id versu sequente sic exponitur, quod sit *signum fœderis*. Resp. sacramentum circumcisionis verbum institutionis & promissionis gratiæ includebat, ac qui circumcidebantur, in fœdus Dei recipiebantur; igitur tam vere circumcisio in vet. test. erat Dei fœdus, quam vere baptismus in ecclesia nov. test. est lavacrum regenerationis & stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum. Quod vero dicitur signum fœderis, id Rom. IV. 10. sic exponitur: *Abraham accepit signum circumcisionis*, σφραγῖδα δικαιοσύνης τῆς πίστεως, fuit ergo signum non tantummodo significans, sed etiam obsignans fœdus & gratiam, ac proinde est descriptio totius sacramenti a fine & effectu. Per circumcisionem infantes Israëlitici in fœdus Dei recipiebantur, hoc respectu circumcisio dicitur fœdus Dei. Per circumcisionem adulti confirmabantur in fide gratiæ, & fœdus Dei ipsis obsignabatur, hoc respectu circumcisio dicitur signum fœderis. Nulla igitur confingenda est sacramentalis metonymia, qua signati nomen pro signo ponatur, sed vere & proprie de integro sacramento spiritualis fructus prædicatur, quod scilicet circumcisio sit fœdus Dei respectu infantum, & signum sive sigillum fœderis respectu adultorum. Quidam statuunt in hisce propositionibus: circumcisio est fœdus, & circumcisio est signum fœderis, non esse utrobique idem subjectum, cum in priore circumcisio accipiatur pro integro sacramento, in posteriore vero pro parte tantum sacramenti, videlicet pro externa præputii amputatione, ac nota carni impressa; sed prior explicatio, ex textu apostolico desumta, videtur simplicior & convenientior. Quod si vel maxime probatum esset ab adversariis, rei terrenæ in sacramento circumcisionis per metonymiam sacramentalem tribui rem cœlestem, nondum tamen evictum foret, etiam in sacramentis nov. test. nullam esse aliam rei terrenæ & cœlestis unionem, quam significativam, propter diversam rationem sacramentorum vet. & nov. test. suo loco demonstratam. 2.) *Agnus est transitus* Exod. XII. 11. id quod sic exponitur Exod. XIII. 9. *Agnus est signum transitus.*

1.) *Circumcisio est fœdus.*

2.) *Agnus est transitus.*

Resp. nocturnus Zwinglii monitor per principii petitionem accipit utramque propositionem, cum neutra in textu exstat. *Fontes veritatis*, sicut Hieronymus in prologo ecclesiastico textum hebræum nominat, sic habent: *Comedetis festinanter* פֶּסַח הוּא לַיהוָה *pesach ipse Domino*, פֶּסַח proprie significat *transitum* & *transitionem*, quia respectu regni Ægyptiaci Dominus transibat per omnes ejus angulos; respectu ædium Israëliticarum transilibat vel præteribat: redditur igitur in his verbis ratio præcepti de manducatione festinanda, ideo scilicet festinanter comedendum esse agnum, quia parum superfuturum sit temporis Domino per Ægyptum transeunte, ut ipse Pelicanus explicat. Exod. XII. 34. Zwinglius vocem הוּא ad *objectum* actionis refert hoc sensu: agnus est transitus Domini; Zwinglium sequitur Johan. Piscator in analys. cap. XXVI. Matth. sed nec litera in textu hoc adfirmat, nec sententia verborum admittit; toto enim genere *prædicamentali* distant agnus & transitus Domini, nec ullus hic est significationi locus, cum inter agnum & transitum nulla sit similitudo, ordinatio aut collatio. Etsi enim agnus paschalis & tota ejus tractatio fuit typica significandi vim habens, ea tamen significatio non ad transitum domini, sed ad Christum immolandum, & fide manducandum directa fuit. Rungius in cap. XII Exod. Cæterum cum de פֶּסַח *μνημονευτικῶ* ejusdem transitus Num. IX. 2.

2 Paral. XXX. 1. Matth. XXVI. 1. usurpetur, ideo quidam propositionem sic interpretantur: *Hoc est* פֶּסַח *Domino*, id est, hic ritus mactandi & manducandi agnum est singulare sacramentum & sancta festivitas Domino, quo spectat paraphrasis Chaldaica: *Est phase coram Domino.* Neutra interpretatio metonymiam sacramentalem adversariorum quidquam juvat (*). 3.) *Petra erat Christus* 1 Cor. X. 4. hoc est, significabat Christum. *Resp.* loquitur apostolus non de corporali suo loco fixa manente, sed spirituali Israëlitas consequente petra, spiritualis autem petra non significabat Christum, sed erat ipse Christus, qui etiam alibi sensu metaphorico *petra*, & *rupes* dicitur Esa. VIII 14. Matth. XVI. 18. Rom. IX. 33. 1 Pet. II. 8 &c. Vide Lutherum in postill. eccles. in explic. epist. Dom. Septuag. (**) At quomodo ex illa spirituali petra Israëlitæ bibebant? Certe qui de petra spirituali Christo fide bibit, non potest non placere Deo, jam vero apostolus ibidem adserit, *plures ex Israëlitis Deo non placuisse.* Resp. quosdam hæc ratio movet, ut de corporali petra apostolicam propositionem accipiant, quæ dicatur spiritualis eo sensu, quo manna versu proximo dicitur cibus spiritualis, videlicet tum propter significationem typicam, tum propter miraculum, quod aquæ ex ea fluxerint; eandem fuisse Israëlitas secutam sic exponunt, quod aquæ ex petra profluentes secutæ sint Israëlitas per desertum. Sed prior interpretatio simplicior est & textui conformior, cum non de aquis, sed de petra dicat apostolus, quod fuerit Israëlitas secuta, cum paulo post aquæ penuria laborasse dicantur Israëlitæ; quod ergo de hac spirituali petra bibisse dicuntur, id intelligendum venit hoc discrimine, quod impii in typo duntaxat, pii vero in typo & fide simul biberint, quæ est Hunnii explicatio; vel etiam distinguenda sunt tempora, hoc sensu, quod illi ipsi, in quibus Deo non fuit beneplacitum, primum quidem vera fide ex petra spirituali biberint, postea vero per peccatum inobedientiæ & delicta alia promeritas pœnas sibi adtraxerint. Monemus autem denuo, si vel maxime metonymiam suam sacramentalem in ver. test. sacramentis obtinerent adversarii, eam tamen in verbis cœnæ, quæ est nov. test. sacramentum, ex eo nondum evictam, propter discrimen sacramentorum vet. & nov. test. suo loco plenius exposi-

3.) *Petra erat Christus.*

tum. 4.) *Baptismus est ablutio peccatorum* 1 Paral. XXX. 22. *habetur, quod huic loco adprime congruit*: Comederunt solennitatem, *id est, sacrificia solennitatis: æque ac Exod. XII. dicitur*, agnus est pascha, *id est, sacrificium paschale.* 3.) *Ex præfixi additione. Non dicitur agnus est pascha Domini, sed* לַיהוָה *Domino, ut sit sensus: est oblatio destinata vel offerenda Domino. Non enim ipse transitus fit Domino aut in honorem ejus, sed sacrificium transitus fit in honorem Domini.* Hactenus Glassius contra Viadrinum. GERHARDUS.

4.) *Baptismus*

(*) *Si vel maxime recipiatur illa propositio: agnus est paschа, nihil tamen præjudicare poterit nostræ sententiæ. Explicari enim ea ex v. 27.* שַׁחֲטוּ *dici potest, in prædicatione* פֶּסַח הוּא לַיהוָה *ipse, agnus scilicet est transitus Domini, esse ellipsin prioris substantivi ad vocem* פֶּסַח *subaudiendi, quæ ellipsis completur v. 27. ubi hæc habentur verba* זֶבַח־פֶּסַח הוּא לַיהוָה *ipse agnus est sacrificium transitus seu paschale Jehovæ. Probatur hæc interpretatio. 1.) ex Spiritus sancti explicatione. Quæ explicatio habetur in ipso textu alicujus loci, illa non est respuenda. At hæc talis est. Ergo 2.) Ex similium exemplorum collatione, ubi scilicet substantivi in regiminis statu positi est manifesta ellipsis. Ruth. III. 15.* Et mensus est sex hordea, *id est*, sex mensuras hordeorum, *Esth. V. 1.* Et induta fuit Esther regno *id est*, indumento regni, *2 Reg. XVIII. 31.* Comedite quisque vitem suam, *id est, fructum vitis suæ. Job. XXXII. 19.* Ecce venter meus est sicut vinum, *id est, uter vini. Præsertim*

(**) Beda in comm. 1 Cor. p. 470. vol. III. edit. Bas. *Non est dictum: petra significabat Christum, sed petra erat Christus.* p. 466. *Christus est petra propter firmitatem.* Petrus Martyr in comm. 1 Cor. X. & Junius lib. II. parall. 36. hanc Calvini expositionem refellunt. Præpositio ἐκ hoc loco non materiam, sed causam efficientem significat, seu ortum & scaturiginem aquæ, in qua significatione occurrit Joh. VI. 65. Matth. I. 20. Rom. XI. 36. GERHARDUS.

est lavacrum regenerationis.

peccatorum, Act. XXII. 16. *& lavacrum regenerationis*, Tit. III. 5. hoc est, *significat & obsignat remissionem peccatorum ac regenerationem.* Resp. imo vero baptismus non solum significat & obsignat cœlestia illa bona, sed est efficax medium, per quod eadem offeruntur & credentibus adplicantur; non ergo tropica, sed propria prædicatio est, in qua effectus & fructus spiritualis de integro sacramento prædicatur. De tota hac re suo loco plura. 5.) *Hoc poculum est novum testamentum*, Luc. XXII. 20. *hoc est, signum nov. test.* Ursinus part. II. catech. p. 564. Sadeel de manduc. sacram. Perkinsus de unic. rat. concion. &c. *Resp.* poculum non simpliciter & absolute dicitur nov. test. sed *in Christi sanguine*, id Matthæus & Marcus sic efferunt: *Hoc est sanguis meus novi testamenti*, quæ collatio τὸ ῥητὸν confirmat. Quomodo autem poculum eucharisticum vere sit nov. test. in Christi sanguine, id pulcerrime declarat Chemnitius de cœna cap. 8. p. 187. Sicut vet. test. fanciebatur & cum Deo & cum populo; cum Deo quidem immolatione victimæ & adspersione sanguinis super altare: cum populo vero ita, quod idem sanguis, qui Deo immolatus erat, in populum adspergebatur, ut ita fœdus illud uno & eodem sanguine & cum Deo confirmaretur, & cum populo sanciretur atque obsignaretur. Eodem modo in sanctione nov. test. Christus inquit se sanguinem suum effundere in remissionem peccatorum, ut scilicet fœdus nov. test. effusione sui sanguinis sanciat & confirmet cum Patre. Quia vero fœdus seu testamentum illud vult etiam cum discipulis suis sancire, illud adplicare & obsignare, ut certum habeant pignus, quod in illo fœdere gratiæ comprehendantur, facit illam sanctionem, adplicationem & obsignationem cum discipulis eodem illo sanguine, qui est nov. test. sanguis, cujus effusione testamentum illud cum æterno Patre sancitur & confirmatur (*).

5.) *Hoc poculum est novum testamentum.*

6.) *Panis est* κοινωνία *corporis*, 1 Cor.. X. 16. hoc est, *significat spiritualem* κοινωνίαν. Resp. non de *spirituali* κοινωνία, quæ sit fide, sed de *sacramentali* κοινωνία corporis Christi, quæ sit mediante panis eucharistici distributione & manducatione, apostolus loquitur, hæc κοινωνία sacramentalis corporis de pane eucharistico vere & absque tropo prædicatur, quia panis est organum & medium, per quod corpus Christi sacramentaliter ei unitum nobis communicatur; ubi singulariter notandum, de pane non simpliciter, sed de pane, quem frangimus, hoc est, in usu eucharistico distribuimus & manducamus, prædicari κοινωνίαν corporis Christi. Nulla igitur hic subest metonymia sacramentalis, quia manducatio panis eucharistici, sive panis eucharisticus manducatus non significat tantum κοινωνίαν corporis Christi sacramentalem, sed est κοινωνία corporis Christi sacramentalis vi verborum Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Vide hac de re plura in tract. de interp. script. §. 162.(**)

6.) *Panis est* κοινωνία *corporis Christi.*

§. XCIII.

(*) Mentzerus tom. III. Giss. disp. VI. th. 90. *Poculum, id est, vinum (quia per τὸ κοτήριον non tam continens, quam contentum denotatur) verissime est nov. test. in sanguine Christi. Nam test. illud novum sancitur inter Deum & homines, idque non sanguine sacrificiorum Leviticorum, hoc est, figuris seu umbris vet. test. propriis, sed ipso sanguine Christi, qui quidem sanguis Christi in ara crucis fuit effusus, atque hoc modo sancitum & confirmatum est nov. test. ex parte Dei. Idem Christi sanguis nobis exhibetur bibendus in poculo sacræ cœnæ, ut ex nostra parte etiam nov. test. confirmetur, hoc est, nobis adplicetur & obsignetur. Ac proinde recte & vere dicitur: Hoc poculum juxta Christi institutionem a nobis haustum est nov. test. in sanguine Christi, sive per & propter sanguinem Christi. Aut si clarius velis. Sanguinis Christi ex hoc poculo bibitio est nov. test.* GERHARDUS.

(**) Paræus in comment. cap. III. Rom. part. III. p. 292. *Christus est ἱλαστήριον, id est, significatus est per ἱλαστήριον, & hanc vocat phrasin metonymicam sacramentalem.* Resp. a.) juxta novam metonymiam sacramentariorum sic exponere debuisset Paræus illam propositionem, Christus significat ἱλαστήριον. Prævidit autem absur-

5.) In verbis cœnæ prædicatur disparatum de disparato.

§. XCIII. V.) *Disparatum de disparato non nisi per tropum praedicari potest. Atqui in propositionibus sacramentalibus disparatum de disparato praedicatur. Ergo non nisi per tropum.* Resp. distinctæ sunt propositiones: *Hoc est corpus meum, & panis est corpus Christi*, ut in colloquio Maulbrunnensi a nostris recte fuit monitum. Prior est ἔγγραφος, posterior ἄγραφος, prior est ipsius Christi, posterior doctorum ecclesiæ. In *priore δεικτικὸν hoc* non notat solum panem, sed exprimit totum complexum, (ut superius ostendimus) videlicet totum illud, quod Christus porrigebat, & discipuli manducabant, puta panem benedictum & fractum, cui sacramentaliter unitum erat Christi corpus: nascitur inde propria & quoad modum loquendi usitata prædicatio, quales in sermone familiari frequenter occurrunt, quando scilicet duæ res modo quodam unitæ vel demonstrantur vel exhibentur, ut *subjecti* loco ponatur *δεικτικὸν* totum complexum, sive utrumque unitorum notans; in *praedicato* autem, omissa expressa mentione visibilis & minus principalis, illud solummodo exprimatur, quod est principalius & quandoque invisibile. Quia Christus non solum panem & vinum, sed una cum pane etiam corpus suum, & una cum vino sanguinem discipulis exhibet, ideo dicit: *Accipite, comedite: hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* Quod panem & vinum ipsis exhiberet, id etiam oculi renunciabant, ideo Christus non dicit: Accipite, hoc est panis & corpus meum: bibite, hoc est vinum & sanguis meus; quod vero fides instruendum postulabat, videlicet una cum pane dari corpus, una cum vino dari sanguinem, id nec sensibus, nec rationi erat obvium, ideo claris & perspicuis verbis Christus illud exprimit, dicens: *Edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* Tales propositiones occurrunt tum in scripturis, tum in sermone communi, ubicunque scilicet duo unita simul vel demonstrantur vel exhibentur. In *scripturis* hæc occurrunt: 1.) in persona Christi duæ naturæ, divina τῦ λόγυ & humana adsumta, personaliter sunt unitæ, unde recte dicit Petrus Matth. XVI. 17. *Tu es Christus Filius Dei viventis*, ubi subjectum *tu* totam personam notat, in prædicato exprimitur divina natura, quæ principalius est ex unitis, nec tamen oculis vel sensibus obvia, humanitas adparebat, divinitas latebat. Ex eadem unione profluit, ut recte & vere dicatur, eos, qui Christum viderunt, ipsum Dei Filium atque ipsum verbum vitæ vidisse, Joh. I. 14. 1 Joh. I. 1. eos, qui Christum contrectarunt, ipsum Deum atque ipsum verbum vitæ contrectasse; Joh. XX. 28. 1 Joh. I. 1. nimirum quia humana illa natura, quam oculis conspexerunt & manibus contrectarunt, vinculo unionis personalis cum divina natura τῦ λόγυ est unita. Quemadmodum igitur propter unionem personalem divinæ & humanæ naturæ in Christo recte dicitur, eum qui videt Christum, ipsum verbum vitæ videre; sic propter panis & corporis, vini & sanguinis unionem sacramentalem in distributione benedicti panis Christus recte dicit: *edite, hoc est corpus meum;* in

absurdum, quod hinc sequeretur, videlicet Christum viliorem esse propitiatorio Mosaico, cum figura semper vilior sit re figurata, item ex Christo fieri umbram, ex re repræsentata rem repræsentantem, ideo invertere maluit significationem, quasi dixisset apostolus, ἱλαστήριον est Christus, id est, significat Christum, quæ tamen propositio apud apostolum non reperitur. b.) Paulus istam propositionem non habet, Christus est ἱλαστήριον, sed Deus eum proposuit in ἱλαστήριον. c.) Altera illa propositio, quæ deducitur ex epistola ad Hebræos: Christus est thronus gratiæ, nequaquam intelligenda est per sacramentalem metonymiam, quia omnis metonymica prædicatio præsupponit metonymiam in simplici dictione, tropum autem in simplici dictione negant adversarii; deinde non loquitur apostolus de corporeo illo throno gratiæ, qui erat inter Cherubim super arca fœderis, qui jampridem desiit; sed de spirituali illo throno, quem corporalis præfigurabat. GERHARDUS.

in distributione benedicti calicis: *bibite, hoc est sanguis meus;* ubi tamen monendum, collationem institui respectu unionis &, quæ ex ea nascitur, prædicationis in genere, non autem respectu unionis, in specie. Quamvis enim unio panis & corporis Christi, vini & sanguinis Christi in sacra cœna non sit personalis; tamen ratione generis cum personali unione exemplo veterum conferri potest, cum qua hoc commune habet, quod propter unionem panis & corporis Christi, exhibito pane eucharistico, dicitur: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* 2.) Quando sancti angeli in externis formis corporeis ad tempus adsumtis in vet. test. patriarchis ac prophetis adparuerunt, recte dixerunt, ipsos Dei angelos a se visos, nimirum propter peculiarem illam præsentiam angeli ad adsumtum corpus. Gen. XXXII. 1. *angeli Dei Jacobo occurrerunt,* v. 2. *& dixit Jacob, quando vidit eos,* מַחֲנֵה זֶה אֱלֹהִים *castra Dei haec.* Jud. XIII. 3. *Conspectus est angelus Domini a muliere.* 3.) Quando in externa visione Jehovah sanctis hominibus adparuit, vere potuerunt dicere, quod ipsum Jehovam Dominum Zebaoth viderint, nimirum quia Deus in externa illa visione peculiari modo præsentem sese exhibuit. Gen. XXXII. 24. *Luctatus est vir cum Jacobo.* v. 30. *Vidi Deum a facie ad faciem.* Esa. VI. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & fimbriae ejus replebant templum.* Et Deus & angeli sunt invisibiles, sed quia in externis corporeis formis adparuerunt, ideo propter peculiarem in illis præsentiam recte dicunt pii, se & Deum & angelos vidisse. 4.) Progrediente arca dicebat Moses: *Surge Jehovah, & dispergantur inimici tui:* Num. X. 35. Quod repetit David Psalm. LXVIII. 2. nimirum propter peculiarem illam præsentiam Dei circa arcam, quia ex propitiatorio super arcam inter Cherubim responsa a Deo Israëlitis dabantur. Exod. XXV. 22. 5.) In baptismo Christi Spiritus sanctus in columbæ specie corporea descendebat. Luc. III. 22. Inde Johannes vere poterat dicere: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo,* quia scilicet peculiari quodam modo Spiritus sanctus in columba præsens erat. Nec poterunt adversarii collationem propositionum sacramentalium cum hoc exemplo improbare, cum Calvinus ipse ea utatur, sic enim scribit in commentario 1 Cor. XI. *Cur adpellatio corporis pani tribuitur? Omnes puto concedent eadem ratione, qua Spiritum sanctum Johannes vocat columbam. Porro in Spiritu illa fuit ratio, quod sub columbae specie adparuerat, transfertur ergo Spiritus nomen ad signum visibile. Cur hic negamus similem esse locutionem?* Et postea: *Quaerenda est ratio, hic respondeo, non ideo tantum signo imponi nomen rei signatae, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit, quo res exhibetur. Similitudines enim, quas mutuantur quidam a rebus profanis & terrenis, quoniam a sacramentis Domini habent aliquid diversum, non admitto. Vocatur Hercules statua Herculis. Sed quid illud est praeter nudam inanemque figuram? Columba autem vocatur Spiritus sanctus, quia certa sit tessera invisibilis praesentiae Spiritus sancti. Sic panis est corpus Christi, quia certo testatur, nobis corpus illud Christi exhiberi, quod figurat, vel quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigendo una dat etiam corpus suum. Nec enim fallax est Christus, qui vacuis signis nos deludat, proinde illud mihi est extra controversiam, veritatem hic cum signo conjunctam esse.* Hæc Calvinus, qui quamvis tenuius adhuc de præsentia corporis Christi in sacra cœna sentiat, statuens, fidelibus tantummodo panem esse corporis Christi symbolum *exhibitivum*, tamen recte facit, collationem unionis sacramentalis inter panem & corpus Christi instituens cum unione Spiritus sancti & columbæ illius, in cujus specie corporea Spiritus sanctus descendit. 6.) Christus Joh. XX. 22. sufflans in discipulos, dicit: *Accipite Spiritum sanctum;* nimirum quia externus flatus fuit symbolum, ὄχημα & medium, per quod ipsis datus fuit Spiritus sanctus; ita quoque exhibens discipulis benedictum panem dicit: *Accipite, hoc est corpus meum;* nimirum quia panis ille benedictus fuit symbolum, ὄχημα & medium, per quod & cum quo datum ipsis fuit Christi corpus. Atque hæc sunt exempla talium prædica-

dicationum, quæ in scripturis occurrunt, ubi denuo monemus, collationem propositionum sacramentalium cum illis institui ratione unionis in genere, nequaquam vero ratione unionis in specie. Ratio prædicationis, quæ fluit ex unione *generica*, non *specifica*, potest esse eadem, licet modus unionis specialis seu specificus sit diversus. Sic quando dico, corpus est animatum, homo est docilis, homo est eruditus, paries est albus, mensa est lignea &c. prædicationis ratio in genere est una, scilicet *denominativa*, unio vero in illis exemplis est diversissima, aliter enim uniuntur anima & corpus, aliter homo & docilitas, aliter homo & eruditio, aliter parietes & albedo, aliter mensa & lignum, ut recte monet Grauerus in absurd. Calvin. In *lingua vulgari* itidem usitatus est hic loquendi modus, ut monstratis vel exhibitis rebus duabus simul conjunctis dignius & sensui minus obvium in prædicato tantum exprimatur. Sic de dolio & vino dicimus, illud est vinum Rhenanum, quod amicus tibi donat; de marsupio & pecunia dicimus: accipe, hoc est pecunia, quam tibi debeo; de cunis & infante dicimus: en hoc est infans &c. Ubi denuo propter cavillationes adversariorum monendum est, collationem non institui propter specificam unionis identitatem, sed propter modum prædicationis ex generica unione profluentem, nemo enim nostrum statuit, corpus Christi *localiter* inclusum esse in pane, sicut pecunia in marsupio, vinum in dolio, sed credimus ac docemus, panis & corporis Christi unionem esse mysticam, sacramentalem, adeoque omni humano intellectui absconditam. Porro, quando Lutherus has prædicationes vocat *synecdochicas*, intelligit non rhetoricam, sed grammaticam synecdochen. *Rhetorice* synecdochicum est tropicum & figuratum, sed *grammatice* synecdochicum est usitatus proprius & peculiaris loquendi modus, quo res duæ simul conjunctæ ostenduntur vel exhibentur, & tamen altera tantum, quæ sensui minus obvia ac principalis est, expresse solum nominatur. In talibus propositionibus datur duplex ἔνδειξις sive demonstratio, una ad *sensum*, altera ad *intellectum*, in illa res externa & jam ante oculis obvia non nominatur, in hac vero res intellecta ut minus nota & præstantissima in prædicato evolvitur. Quidam vocant propositiones *exhibitivas*, quia conjunctam unitorum exhibitionem significant, vel *demonstrativas*, quia subjecti locum in illis tenet particula quædam δεικτικὴ.

Explicatio propositionis ecclesiasticæ: Panis est corpus Christi.

§. XCIV. *Posterior* propositio: *panis est corpus Christi*, licet in scripturis sacris totidem verbis & syllabis non occurrat, a nobis tamen minime improbatur, cum scriptores ecclesiastici veteres & recentiores eadem frequenter utantur; addimus vero eam ex verbis Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, & verbis Pauli: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi*, æstimandam, judicandam ac declarandam esse, ideoque eam vocare solemus propositionem *sacramentalem*, quod ut rectius percipiatur, sic procedimus. In omnibus prædicationibus adfirmativis regularibus inter subjectum & prædicatum requiritur mutua consensio & cohærentia, ea si est intrinseca & essentialis, prædicationes *essentiales*; si vero est extrinseca & accidentalis, prædicationes *accidentales* parit. Disparatum autem de disparato proprie & sine tropo adfirmate non posse prædicari, logicorum regula est, inde colligunt adversarii, etiam has propositiones: *panis est corpus Christi*, figuratas esse. Sed noviisse debebant, præter usitatas illas prædicationes, quæ ad logicorum regulas congruunt, in theologia dari inusitatas, in quibus disparatum de disparato sine ullo tropo prædicatur, propter mysticam unionem. Tales propositiones sunt duplices: personales scilicet & sacramentales. *Personales*, in quibus natura humana prædicatur de divina τῦ λόγυ, & vicissim divina τῦ λόγυ natura prædicatur de humana adsumta in concreto scilicet propter unionem personalem. Ut Deus est homo, Homo est Deus, Filius Mariæ est Filius Dei, Verbum est caro. *Sacramentales*, in quibus de elemento terreno prædicatur res cœlestis propter unionem sacramentalem, ut panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi. Quemadmodum in *abstracto* divina

vina natura τῷ λόγῳ non prædicatur de humana & contra, sed tantum in *concreto*, quod evidens argumentum est, unionem personalem esse causam & fontem istarum prædicationum: ita quoque de pane non simpliciter, sed in usu sacramentali prædicatur corpus Christi, unde subjecto solet addi panis eucharisticus, panis benedictus, panis, quem frangimus, &c. est cordus Christi, quod iterum evidens argumentum est, unionem sacramentalem esse causam & fontem illius prædicationis. Ergo si logicorum canonem, quod disparatum de disparato adfirmate prædicari nequeat, non velimus simpliciter repudiare in hisce mysteriis, necessario addenda est hæc limitatio, quod disparata de se non prædicentur invicem, scilicet extra unionem, ex eo vero non debet colligi, quod in ipsa etiam unione de se invicem prædicari nequeant. Disparata enim non sunt contradictoria, sed diversa, quæ conjungi & uniri divina virtute possunt, ut certo modo fiant unum, & ratione illius unitatis de se invicem prædicari possint, id quod extra talem unionem nunquam fieret (*). Quod si ergo dicant adversarii, panem esse corpus Christi vel *proprie* vel *figurate*, respondemus, dari tertium, videlicet *sacramentaliter* hoc sensu, quod panis sit ὄργανον μεταδοτικὸν, symbolum *exhibitivum* & ὄχημα, quo corpus Christi omnibus in usu cœnæ eum manducantibus communicatur, vel ut Paulus loquitur, quod sit κοινωνία corporis Christi. Si dicant, corpus Christi de pane prædicari, vel propter transmutationem *physicam*, vel propter significationem *analogicam*, respondemus, dari tertium, videlicet propter *mysticam* & *sacramentalem* unionem (**). Si dicant, propositionem hanc: panis est corpus Christi, vel propriam vel figuratam esse, respondemus, dari tertium, videlicet esse inusitatam. Quod si speciem inusitatæ propositionis proterve negare velint, reducant propositiones personales: Deus est homo, & homo est Deus; ad usitatas logicorum prædicationes, ita tamen, ut mysterio illi unionis personalis, ex qua resultant, nihil decedat, & subruant fundamenta nostræ sententiæ, quibus demonstramus, panem non transmutari essentialiter in corpus Christi, nec esse nudum signum corporis Christi, sed esse organum ac medium, quo communicatur corpus Christi.

Quid statuendum de metonymia sacramentali adversariorum.

§. XCV. Ex hisce facile adparet, quid statuendum sit de metonymia *sacramentali*, quam in his propositionibus propugnant adversarii, per quam scilicet signatum prædicetur de signo propter relationem extrinsecam, & mutuam χέσιν, ideoque copulam *est* exponendam esse per *significat*. Atqui fundamentum harum prædicationum sacramentalium non est nuda quædam χέσις & extrinseca relatio, sed arctissima inter panem & corpus Christi, vinum & sanguinem Christi unio, quæ juxta institutionis verba in eo consistit, quod mediante benedicto pane manducandum datur præsens Christi corpus, nequaquam vero absens tantummodo significatus, quodque mediante benedicto vino bibendus datur præsens Christi sanguis, nequaquam vero ejusdem effusio, jam olim facta, tantummodo adum-

(*) Quarum rerum unio rationi non est cognita, de illarum unione & modo unionis ac prædicationis logica non potest aliquid præscribere. Atqui panis & corporis Christi in sacra cœna unio, utpote mystica, est omni humanæ rationi incognita. Ergo. *Major* patet, quia logices principia desumta sunt ex ratione, quæ se non extendit ad unionem & prædicationem sacramentalem. GERHARDUS.

(**) Si in latitudine per quandam analogiam terminos illos logicos ad hoc mysterium adplicare velimus, dicere possumus, corpus Christi de pane prædicari παρωνύμως, non tamen ἀσιώδως, ut prædicatum sit de essentia subjecti, siquidem hoc non semper in paronymica prædicatione requiritur, ut Calviniani volunt, sed interdum tantum habitudo, quæ inter panem & corpus Christi talis est, ut panis sit causa *instrumentalis*, qua mediante corpus Christi communicantibus porrigitur, velut Deus a creatione creator *denominative* prædicatur, non ἀσιώδως, sed propter habitudinem creatoris ad creaturam. GERHARDUS.

umbratur. Incassum igitur laborant, quando varias ex scripturis colligunt propositiones, in quibus copulam *est*, pro *significat* poni, & signatum de signo *metonymice* prædicari arbitrantur. Præterquam enim quod principium petunt duplici ratione, *tum* quod δεικτικὸν *hoc* in verbis Christi solum panem notare, *tum* quod uspiam nomen signati *metonymice* signo tribui, præsupponunt, accedit insuper istud, quod non statim sequatur hæc illatio: Copula *est* alicubi ponitur pro *significat*, nomen signati alicubi μετωνυμικῶς de signo prædicatur. Ergo etiam in verbis cœnæ illud accidit. Demonstrandum enim est, non posse nec debere copulam *est* aliter accipi, quam pro *significat*, ac necessario talem quandam metonymiam verbis cœnæ inferendam esse, id vero ad calendas Græcas expeditum dabunt, cum contrarium potius ex propria hujus articuli sede, videlicet ex verbis institutionis, superius demonstratum sit, videlicet omnem viam tropis & figuris hic esse intercluſam. Lutherus in præfat. syngramm. tom. III. Jen. germ. fol. 340. fac. 2. *Wenn schon dieſer Grund, das* est *ſoll heiſſen* significat, *Exempel in der Schrift hette, dennoch were damit noch nicht erwieſen, daß auch in den Worten: Das iſt mein Leib, ſolte und müſte ſo genommen werden, das werden ſie mir nimmermehr beweiſen, das weis ich fürwar, denn es gar viel ein anders iſt, wann ich ſage, das mag ſo heiſſen, und wann ich ſage, das mus ſo heiſſen, vnd kan nicht anders, auf das erſte kan ſich das Gewiſſen nicht verlaſſen, auf das ander kan ſichs verlaſſen.* Percurramus tamen breviter propositiones, quas pro stabilienda metonymia *sacramentali* proferunt.

1.) *Iris est fœdus Dei.* 1.) *Iris est fœdus Dei.* Gen. IX. 9. *Resp.* iris non fœdus, sed signum fœderis dicitur. Gen. IX. 12. & 13.

2.) *Septem vaccæ sunt septem anni.* 2.) *Septem vaccæ sunt septem anni.* Gen. XLI. 26. *Resp.* intelliguntur anni non *reales*, sed *typici* & præfigurati sensu metaphorico, quia reciproce dici potest: septem anni fertiles sunt vaccæ pingues.

3.) *Sanguis est fœdus.* 3.) *Sanguis est fœdus.* Exod. XXIV. 8. *Resp.* sanguis adspersus non dicitur ipsum fœdus, sed sanguis fœderis.

4.) *Sabbatum est fœdus.* 4.) *Sabbatum est fœdus.* Exod. XXXI. 16. *Resp.* non de ipso sabbato dicitur, quod sit fœdus, sed Israëlitis injungitur, ut fœdere perpetuo sabbatum celebrent, ipsum vero sabbatum dicitur signum, v. 17. quo scilicet Israëlitæ a reliquis gentibus distinguebantur.

5.) *Sacrificia expiant peccata.* 5.) *Sacrificia expiant peccata.* Lev. I. 4. *Resp.* non *tropice* vel figurative tantum, sed *vere*, quatenus scilicet fuerunt typi unici illius sacrificii propitiatorii a Christo in ara crucis offerendi, ac vera fide a piis vet. test. adprehensi.

6.) *Ossa hæc universa domus Israël ipsa.* 6.) *Ossa hæc universa domus Israël ipsa*, Ezech. XXXVII. 11. *Resp.* τὸ Israël ponitur in casu obliquo, ut ex constructione manifestum, unde resultat sensus plenissimus: hæc omnia sunt Israëlitarum ossa.

7.) *Johannes est Elias.* 7.) *Johannes est Elias.* Matth. XI. 14. *Resp.* verba integra sic habent: *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*; loquitur igitur Christus non de Elia Thesbite, qui curru igneo in cœlum vectus, sed de Elia venturo, id est, qui in Spiritu & virtute Eliæ Messiam præcedere deberet, Luc. I. 17. quem Johannes non significabat, sed is ipse revera erat. Si τὸ *est* per *significat* exponendum foret, dicendum potius fuisset: Elias est Johannes.

8.) *Ager est mundus.* 8.) *Ager est mundus, semen bonum sunt filii regni, zizania sunt filii iniquitatis, inimicus seminans est diabolus, messis est finis seculi, messores sunt angeli.* Matth. XIII. 38. & 39. *Resp.* in parabolis non *metonymice*, sed *metaphorice* vocabula accipiuntur, Christus enim non loquitur de terreno & corruptibili semine, quod in agrum spargitur, sed de cœlesti & incorruptibili semine in agro dominico, quod non significat verbum Dei, sed revera ipsum est.

9.) *Christus est vitis.* 9.) *Christus est vitis.* Joh XV. 1. *Resp.* Si τὸ *est* σημαντικῶς positum esset pro *significat*, absurda

inde emergeret prædicatio. Christus significat vitem, cum vitis potius significet Christum, (si tamen proprie loquendo inter vitem & Christum est quædam significatio, rectius namque similitudo illis intercedere dicitur:) *metaphorica* igitur, non *metonymica* est prædicatio. Non enim de vite naturali e terra crescente Christus loquitur, sed de vite cœlesti & spirituali, ideoque notanter addit: *Ego sum vitis vera*, id est, mystica illa & spiritualis, cui apostoli & reliqui fideles, ut palmites inserti, succum vitæ ex ea trahunt. 10.) *Pascha nostrum est Christus.* 1 Cor. V. 7. *Resp.* per pascha non intelligitur paschalis festivitas, sed agnus paschalis, non Israëliticus ille e communi grege olim separatus & mactatus, sed verus, spiritualis & per illum designatus Dei agnus, qui in ara crucis pro nobis immolatus novi test. pascha consecravit, illum agnum non significat Christus, sed vere est ipse. 11.) *Duae matres Hagar & Sara sunt duo testamenta.* Gal. IV. 24. *Resp.* verba apostoli sic habent: ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, αὗται εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, ubi posterius membrum non ad remotius, videlicet ad duas uxores Abrahæ Hagarem & Saram, de quibus v. 22. apostolus loquitur, sed ad propinquius, videlicet ad τὰ ἀλληγορούμενα respicit, & exponit, quæ sint illa ἀλληγορούμενα, videlicet duo testamenta: propositio igitur apostoli hæc est: τὰ ἀλληγορούμενα vel duæ uxores ἀλληγορούμεναι sunt duo testamenta, ubi non est tropus in copula, sed allegoricus historiæ usus ostenditur. 12.) *Septem candelabra aurea sunt septem ecclesiae. Septem stellae sunt septem angeli sive doctores ecclesiae.* Apoc. I. 20. *Resp.* Johannes de illis candelabris loquitur, in quorum medio Christus ambulabat, ac de illis stellis, quas Christus in manu sua habebat, ergo de spiritualibus candelabris & stellis propositiones sunt intelligendæ, sensu scilicet *metaphorico*, non *metonymico*. Atque hæ sunt propositiones, ex quibus metonymiam a se confictam in verbis cœnæ probare conantur adversarii, sed conatu prorsus irrito, siquidem præter duplicem principii petitionem, jam ante demonstratam, ac præter vitium consequentiæ a particulari deductæ itidem sæpius ostensum, accedit insuper hoc, quod Christus in verbis sacræ cœnæ non somnia, non visiones, non parabolas, non typos, non allegorias nobis proponat, sed sanctissimum instituat testamentum ac venerabile sacramentum, in quo verbis claris perspicuis & propriis hujus testamenti legata, & hujus sacramenti res cœlestes fuerunt exprimenda; quodque tradat peculiarem fidei articulum, de quo nihil quidquam discipulis jam ante erat notum, necesse igitur erat, ut proprie & significanter loqueretur. Præterea illæ metaphoræ in visionibus, somniis ac parabolis adhibitæ, in scripturis a Spiritu sancto pleræque omnes explicantur & declarantur, sed de verbis testamenti dominici nusquam ne innuitur quidem, quod vel *metonymice* vel *metaphorice* sint intelligenda, sed omnes tres evangelistæ & Paulus sensu invariato eadem repetunt & inculcant, cum tamen longe plus referat, verba cœnæ, quam illas visiones, somnia ac parabolas recte intelligere, siquidem quisquis *indigne de hoc pane manducat, & ex calice bibit, sibi ipsi judicium manducat & bibit, eo quod non discernit corpus Domini.* 1 Cor. XI. 27. & 29.

10.) *Pascha nostrum est Christus.*

11.) *Duae matres sunt duo testamenta.*

12.) *Septem candelabra aurea sunt septem ecclesiae.*

§. XCVI. VI.) Sæpius etiam hoc ab adversariis nobis objicitur, quod ipsimet a ῥητῷ verborum discedamus, usi scilicet in hoc mysterio hisce propositionibus: *In cum & sub pane benedicto datur corpus Christi: In, cum & sub vino benedicto datur sanguis Christi*, unde propudiosum excogitarunt versum:

6.) *Particulae in, cum & sub, discedunt a ῥητῷ.*

In, cum, sub, totum fallunt monosyllaba mundum.

Beza in creophag. p. 297. consid. commonef. cap. 2. p. 87. & cap. 3. pag. 220. Vrsinus part II. catech. q. 78. pag. 541. &c. &c. Keckermannus libr. I. syst. log. cap. 12. pag. 118. nobis tribuit, *quod propter usum particulae in fiatuamus panem quasi*

quasi intus excavatum aut alio quovis modo mirifice dispositum occultare in se receptum corpus Christi (*). Resp. 1.) Concedatur nobis vera realis & substantialis corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia; concedatur, verba Christi κατὰ τὸ ῥητὸν in genuino, nativo & proprio sensu accipienda esse, ac de usu harum particularum facile cum illis transigemus. 2.) Prædicationes sacramentales: *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, sunt comprehensivæ, & exhibitivæ, id est, duarum rerum distinctarum unionem & conjunctam exhibitionem notant, ut superius ostendimus, ideo non possunt commodius resolvi, quam per particulas: *in, cum, sub*, quibus unitorum conjunctio, & conjuncta exhibitio exprimitur. Sicut hæc exhibitiva propositio: *Accipe, hoc est vinum*, non posset dexterius & commodius resolvi, quam eo modo: *In* vel *cum* hoc vase exhibetur vinum, quamcunque enim aliam proferas analysin, nugatoria erit & absurda; ita quoque prædicatio illa sacramentalis: *hoc est corpus meum*, commodissime resolvitur: *in, cum, sub* hoc pane exhibeo corpus meum, quia ex instituto Christi panis eucharisticus est organum, ὄχημα & symbolum, cum quo & sub quo datur Christi corpus (**). 3.) Æquipollet etiam hæc propositio: *in, cum, & sub* pane datur Christi corpus, sacramentali illi theologis veteribus & recentioribus usitatæ, panis est corpus Christi; æquipollentia enim nihil aliud est, quam propositionum verbis variantium convenientia in sensu, jam vero hæ propositiones: *panis est corpus Christi*, &: *in, cum, sub pane datur corpus Christi*, conveniunt in sensu, siquidem panis est Christi corpus non *essentialiter*, non *figurate*, sed *sacramentaliter*, id est, panis est symbolum offerens & exhibens Christi corpus, vel ut apostolus notanter loquitur: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi.* Vide Meisnerum part. I. sobr. philos. sect. 1. cap. 5. q. 7. (***). Τῷ ῥητῷ nihil derogat synonymia grammatica, paraphrasis oratoria, æquipollentia logica, interpretatio theologica, quæ aliis eandem rem verbis effert, ut recte scribit Major in tractatu περὶ τῷ ῥητῷ tit. 3. cap. 1. thes. 17. 4.) Usu igitur harum particularum tum essentialem mutationem panis in corpus Christi, tum nudam significationem absentis corporis excludimus. Si enim una cum pane datur Christi corpus, utique non corpus solum,

(*) Idem Keckermannus libr. II. cap. II. syst. log. p. 343. *Nullus logicorum dixerit, has propositiones convenire: Panis est corpus Christi & corpus Christi est in vel cum pane eucharistico, quia æquipollentes debent habere idem subjectum & prædicatum. Atqui hæ propositiones non habent idem subjectum & prædicatum.* GERHARDUS.

(**) Ut veritas hujus propositionis: animal est corpus, probatur ex modo *inesse di*, quia animali inest corpus, sic quoque veritas hujus propositionis: Panis est corpus Christi, deducitur ex modo ἑνώσεως, qua corpus Christi unitum est sacramentaliter cum pane. GERHARDUS.

(***) Argumentamur: in quibus manet idem sensus, illæ sunt æquipollentes. Sed in his propositionibus manet idem sensus. Ergo. *Major* probatur ex Keckermanno p. 342. ubi *æquipollentem prædicationem* definit *verbis dissentientem, sensu convenientem.* Distinguendum tamen *inter* æquipollentes propositiones ratione modi enunciandi simul & significationis, & *inter* æquipollentes ratione significationis tantum. Si in hac propositione: in pane est corpus, terminus *corpus* sumatur ut subjectum, tum omnino concedendum, quod ratione modi enunciandi logici non æquipolleat huic: panis est corpus Christi. Nam æquipollentes propositiones in logicis sunt illæ, quæ sibi invicem substitui possunt, manente eadem sententia & significatione simulque eadem figura & modo syllogistico in syllogismo. Hoc igitur ut fiat, oportet prædicata & subjecta coincidere, & esse synonyma. Hoc vero concesso non statim sequitur, quod mutatis subjectis & prædicatis, atque ita mutato modo prædicandi logico, ac æquipollentia formali logica, statim necesse sit mutari æquipollentiam significationis. Quando ergo dicimus, has propositiones: panis est corpus Christi, & corpus est in pane; esse æquipollentes, significationem attendimus, non modum enunciandi logicum. GERHARDUS.

solum, sed & panis datur. Si una cum pane datur etiam Christi corpus, utique non solus panis, sed etiam corpus Christi vere præsens manducandum exhibetur. 5.) Nequaquam igitur localis inclusio, physica quædam inexistentia, aut duarum substantiarum in unam massam commixtio, sed mystica & sacramentalis panis & corporis Christi, vini & sanguinis Christi in sacra cœna unio hisce particulis exprimitur; ea vero sic comparata est, quod mediante benedicto pane verum Christi corpus, & mediante benedicto vino verus Christi sanguis distribuitur, exhibetur & accipitur. Externa symbola panis & vini non mutant suam naturam vel essentiam, neque etiam in nihilum rediguntur, nec tamen in usu sacramentali sunt nuda duntaxat symbola, sed panis est corpus, vinum est sanguis Christi, hoc est, accepto & manducato pane accipitur & manducatur corpus Christi, accepto & hausto vino accipitur & bibitur sanguis Christi. Hæc sacramentalis unio & participatio non potest commodius exprimi & contra quasvis corruptelas muniri, quam si dicatur: *in*, *cum*, *sub* benedicto pane manducandum datur Christi corpus; *in*, *cum*, *sub* benedicto vino bibendus datur Christi sanguis. 6.) Quod particularum istarum usus localem inclusionem denotet, ex eo falsitatis convincitur, quod in mysterio unionis personalis duarum naturarum in Christo Spiritus sanctus eisdem utatur, nemo tamen dixerit, divinam naturam τὸ λόγε in adsumta carne localiter inclusam. Quod *verbum* dicitur *caro factum* Joh. I. 14. id apostolus sic effert 1 Tim. III. 16. *Deus manifestatus est in carne.* Quod Christus dicitur verus Deus, Rom. IX. 5. id Col. II. 9. sic effertur: *In ipso habitat tota plenitudo deitatis corporaliter.* 2 Cor. V. 19. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi ipsi.* Joh. III. 2. Act. X 38. *Deus erat cum illo.* Quemadmodum propter unionem personalem divinæ & humanæ naturæ recte dicitur: Deus est homo, & homo est Deus scilicet *personaliter*, ita propter unionem sacramentalem panis & corporis Christi recte dicitur: panis eucharisticus est corpus Christi scilicet sacramentaliter. Quemadmodum unio personalis exponitur per particulas *in* & *cum*; *Deus est in Christo, Deus est cum Christo*: ita per easdem etiam unio sacramentalis declarari potest. 7.) Quam vero absurdum sit, panis excavationem & localem corporis Christi inclusionem vel aliud quidpiam carnale & physicum ex usu harum particularum nobis adfingere, ex aliis etiam exemplis manifestum fieri potest. *Pater est in Filio, & Filius est in Patre;* Joh XIV. 11. absit vero ut cogitemus Patrem in Filio, & Filium in Patre inclusum esse, sed propter unitatem essentiæ & mutuam περιχώρησιν una persona Trinitatis est in altera. *Deus ambulat in nobis;* 2 Cor. VI. 16. *Christus habitat per fidem in cordibus nostris;* Eph. III. 17. *Spiritus sanctus habitat in nobis;* 1 Cor. III. 16. Ecquis vero somniare velit, Deum, Christum & Spiritum sanctum esse *localiter* in nobis inclusum? Quinimo uti præsentia & inhabitatio gratiæ usu harum particularum exprimitur: ita quoque in pane dicitur esse Christi corpus propter unionem sacramentalem. 8.) Quandocunque invisibile quid in externo quodam symbolo corporeo visibili esse manifestat vel etiam datur, commodissime hæ particulæ adhiberi possunt. Sic Spiritus sanctus in corporali specie columbæ super Christum descendisse, Matth. III. 16. Luc. III. 21. cum flatu apostolis datus, Joh. XX. 22 sub specie linguarum ignearum in apostolos descendisse, Act. II. 3. rectissime dicitur, ubi tamen nemo somniat *localem* inclusionem Spiritus sancti in columbam, vel flatum, vel linguas igneas, sed peculiaris tantummodo præsentia & per hæc externa visibilia symbola invisibilis Spiritus sancti manifestatio & collatio exprimitur: ita quoque in articulo de cœna usus particularum *in*, *cum*, *sub*, nihil aliud, quam sacramentalem unionem & participationem denotat. 9.) Inde apud pios veteres frequens earum usus. Cyprianus libr. II. epist. 3. pag. 51. *Non potest videri sanguis ejus, quo redemti sumus & vivificati, esse in calice; quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur.* Chrysostomus serm. de euchar. in encœn. tom. III. col. 919. *Sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hausius est.* Homil. XXIV. in 1 Cor. tom. IV. col. 510. *Quod est in calice, hoc est, quod*

quod fluxit e latere, & illius sumus participes, τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ἂν ἐκεῖνο ἔστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν καὶ ἐκείνου μετέχομεν. Cyrillus in epist. ad Cœlosy. *Sacram ejus carnem & pretiosum sanguinem in benedictione vivifica accipimus in pane & vino.* Augustinus tract. XXVI. in Johan. *Dominus noster Jesus Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquod rediguntur ex multis.* Serm. ad neoph. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod effluxit e latere.* Theophylactus in cap. V. Hebr. *In carne & sanguine Christi nihil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipit, sed vivificatricem substantiam atque salutarem in pane & vino.* Chrysostomus homil. XXIV. in 1 Cor. X. col. 509. *Cum calice inenarrabilia Dei beneficia & quaecunque consecuti sumus, adimus.* (in Græco tamen paulo aliter legitur) Hesychius in cap. VIII. Levit. *Mysterium illud simul panis & caro est.* Cyprianus serm. de cœna pag. 451. *Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem fine sacramento edimus in cœlis.* Hilarius libr. VIII. de Trinit. pag. 136. *Naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit.* Ambrosius de illis, qui initiantur myster. cap. 9. *Nos vere sub mysterio carnem corporis ejus sumimus.* Augustinus in sent. Prosp. *Sanguinem ejus sub vini specie & sapore potamus.* Bernhardus serm. de cœna: *Quod videmus, species est panis & vini, quod sub illa specie credimus, verum corpus & verus sanguis Christi est* (*).

Photiniani quomodo verba cœnæ exponant.

§. XCVII. Atque hæc dicta sunt de tropis Calvinianorum, quibus verba Christi potius pervertunt quam interpretantur, ut veram, realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi ex sacra cœna auferant. Neophotiniani cupide tropos & metonymias illorum in pervertendis sacræ cœnæ verbis amplexantur, cum omnem omnino corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam proterve negent (**). Sic enim

(*) Ipse quoque Beza non improbat usum harum particularum, sic enim scribit in libr. qq. & respp. part. II. p. 119. edit. anno 1577. *Haec demum propria esset enunciatio, in, vel sub, vel cum pane est corpus meum; in, vel sub, vel cum vino est sanguis meus.* Contra vero in creophag. p. 297. *Vestrum illud in, vel sub, vel cum rejicimus.* Utuntur his particulis Calvinus contra Heshus. p. 94. & 97. Sohnius tom. I. disp. 20. p. 63. Bremenses in apolog. Lij. Beza contra D. Jac. Andreæ & Nicol. Selneccerum p. 200. GERHARDUS.

(**) Neo-photiniani, qui SOCINI castra sequuntur, in eo quidem ZWINGLIO eiusdemque adseclis adstipulantur, quod realem corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam negant pernegantque, adserentes, *corpus Christi tantum a pane & vino abesse, quantum supremum cœlum abest a terra.* Vid. SOCINUM libr. *de officio hominis christiani, sive, quod regni polon. & ducatus Lithuaniæ homines suo se debeant cœtui adjungere, cap. IV. fol. 701. tom. I. oper.* OSTORODUM *institut. rel. christ. cap. XXXIX. fol. 334. seqq.* aliosque. Verum, quod ad ipsa institutionis verba attinet, in eorum explicatione aliam atque a Reformatorum sententia diversam viam ineunt. Existimant enim, vocem HOC non ad *panem*, sed ad *actionem frangendi & comedendi panem* referendam esse, ut hic verborum emergat sensus: HOC, non *panis*, sed *hæc actio frangendi & comedendi panem, est corpus, i. e. commemoratio Christi corporis pro nobis fracti*: Ita reddit VALENTINUS SMALCIUS *disp. XII. fol. 335.* Eadem habet catechismus Racoviensis, cujus verba supra recitavit GERHARDUS. Et JO. VOLKELIUS *libr. IV. de vera religione, cap. XXII. f. 316.* sequentem in modum scribit: *Nativus & genuinus horum Christi verborum sensus est: hæc actio frangendi & manducandi panis hujus, est commemoratio & adumbratio quædam eius, quod corpori meo futurum est, & hæc actio fundendi & bibendi vini huius commemoratio & repræsentatio quædam est, quod sanguini meo fiet.* Add. ipsum SOCINUM *de usu & fine cœnæ dominicæ tom. I. oper. fol. 753, 763, 770, 775.* SMALCIUM *contra Franzium disput. XI. f. 328, 337. & disput. XII. f. 347, 349.* SCHLICHTINGIUM *contra Meisnerum de trinitate f. 708, 746, 781, 830.* aliosque Socini adseclas, qui & hoc addunt, ipsam fractionem panis a Christo esse præceptam, finemque sacræ cœnæ non esse *obsignativum & exhibitivum* eorum

enim scribit Ostorodus in institut. germ. cap. 38. pag. 340. *Dicimus, quod Christus propter nullam aliam causam panem corpus & vinum sanguinem adpellaverit, quam quod quatenus panis fran-*

rum beneficiorum, quæ meruit nobis Christus traditione sui corporis, & effusione sui sanguinis; sed esse nude *significativum* & *theoretice commemorativum* ingentis illius Dei erga nos caritatis, morte Christi confirmandæ. Disputat contra hanc Socinianorum sententiam GERHARDUS noster infra *cap. XI. §. CXVIII. cap. XVI. §. CXC. cap. XX. §. CCXX.* itemque in *synopsi Neophotin. §. XXII. tom. II. disput. academ. fol. 1035. tom. I. part. II. disput. XV. §. XXII. f. 1509.* Jungi merentur ex nostris theologi Wittebergenses in *refutat. catech. Racov.* germanice edita, *art. V. cap. III. f. 379-394.* THEOD. THUMMIUS in *impiet. Photin. art. XVII. fol. 599, 623.* JOSUA STEGMANNUS in *anti-photinianismo disp. XLIX L. LI. fol. 561, 592.* CALOVIUS in *socin. profligat. S. VIII. art. II. qu. 1. ad 6. f. 881. 921.* & in *der Entdekung der socinianischen secte, libr. VIII. cap. V. qu. 1-6. f. 474, 483.* SCHERZERUS in *colleg. anti-Socin. disp. CXI. CXX. fol. 562.* & *f. 1029.* edit. novæ, & LUDOV. GEORG. OEDERUS, in eruditis *annotationibus*, quibus editionem catechismi Racovienſis, Francof. & Lipſ. *MDCCXXXIX.* 8. absolvit, instruxit, *p. 494. seqq.* & *p. 508. seqq.* Ex theologis Reformatis vero JO. HOORNBECKIUS in *socinianismo confutato, tom. III. libr. III. cap. I. S. II. fol. 241. seqq.* & SAM. MARESIUS in *hydra socinianismi expugnata tom. II. libr. IV. cap. XXII. f. 674, 746.* cumprimis heic sunt consulendi.

Socinianis, de quibus modo differuimus, ad latus ponimus JAC. ARMINII discipulos, qui in Belgio *Remonstrantes* adpellantur. Hi in eo quidem suffragantur SOCINI sectatoribus, quod symbola eucharistica tanquam mera *nuda-que signa* corporis & sanguinis Christi tantum, per modum *cærimoniæ*, accedente cumprimis *fractione* atque *effusione*, mortem Christi cruentam *adumbrent*, eamque ob rationem *corpus* & *sanguis* domini adpellentur; ut proinde verborum Domini: *hoc est corpus meum*, hic emergat sensus: „ hæc actio, quam nunc instituo, „ vobis repræsentat, quo modo corpus meum „ pro vobis frangendum, sanguisque meus pro „ vobis effundendus sit „. In eo tamen a Socinianis hactenus discedunt, quod præter *commemorationem* solam, quam isti statuunt, etiam vim *confirmationis fidei*, sed *symbolicam* duntaxat atque *obiectivam*, per repræsentationem sese exserentem, obscuriuscule concedunt. Addunt, in toto hocce ritu non aliud quærendum esse mysterium, nec de eo tam operose disputandum esse. Vid. Remonstrantes *confess. cap. XXIII. §. 4. apolog. ad censuram cap. XXIII f. 250. 255.* JAC. ARMINIUM *artic. diligenti examine perpend. de cœn. dom. thes. I. oper. p. 787.* SIM. EPISCOPIUM *disputat. privatim olim habitarum part. II. disput. XLIX. thes.* VII. *tom.* II. *oper. fol. 439.* & *part.* III. *disp. XXX. thes. X. fol. 459.* STEPH. CURCELLÆUM *præfat. in opera Episcopii §. I. fol. 792.* & vel maxime PHIL. LIMBORCHIUM *theolog. christian. libr. V. cap. LXXI. per tot.* inprimis *§. VI.* & *XIV. f. 626, 628. seqq.* edit. quart. & *cap. LXXII. §. II.* & *III. f. 629.* Ex nostris theologis, qui Arminianos confutarunt, præter BROCHMANDUM, HÜLSEMANNUM, SCHERZERUM, CALOVIUM, QUENSTEDIUM aliosque, cumprimis legi heic meretur GUSTAV. GEORG. ZELTNERUS in *breviario controvers. cum Remonstrant. agitatar. cap. XLI. p. 429. seqq.* Conferenda, quæ theologi Reformati, Leidenses cumprimis in *cens. confess. Remonstrant. fol. 306 seqq.* JAC. TRIGLANDIUS in *antapologia seu refutatione apolog. Remonstrant. cap. LVII. f. 695.* LEONHARD. RYSSENIUS in *synops. impuræ theolog. Remonstrant. cap. XIII. §. 16, 17, 18, 19.* NICOL. BODECHERUS in *socniano-remonstrantismo cap. XXIII. p. 169, 171.* aliique hanc in rem scripserunt.

Nec prætermittendi heic sunt theologi Angli, quorum nonnulli Reformatorum, alii vero Arminianorum seu Remonstrantium vestigia hodie sequuntur. Cumprimis vero notari heic meretur BENJAMIN HOADLEY, celeberrimus quondam Angliae episcopus, qui in libro, quem de sacra eucharistia in lucem publicam edidit, veram & realem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentiam multis iisque sat speciosis argumentis impugnavit. Index huius libri anglico sermone conscripti hic est: *a plain account of the nature and end of the sacrament of the Lord's-supper* &c. Prima eius editio Londini *MDCCXXXV.* 8. lucem adspexit publicam. Conversus postea fuit hicce libellus in linguam gallicam prodiitque sub titulo: *traité sur la nature, le but & les effets du sacrement de la sainte cène.* Habetur quoque eiusdem versio germanica ann. *MDCCLVIII.* Berolini 8. typis exscripta, quam AUG. FRID. WILHELMUS SACKIUS, theologus quondam Berolinensis, præfatione instruxit. Licet vero

frangitur & comeditur, vinum autem, quatenus in calicem effunditur & bibitur, corporis sui pro nobis fracti, & sanguinis sui pro nobis effusi figura & expressa imago sit, quando mortis

vero in ipsa libri inscriptione nomen auctoris olim additum haud fuerit, aliunde tamen certo constabat, illum fuisse laudatiss. HOADLEIUM, episcopum primo Bangorienſem, paullo post Salisberiensem, ac tandem Vintonienſem, id quod etiam ex germanica eius versione, quam modo commemoravimus, abunde patet. Ad ipsam HOADLEII sententiam quod attinet, ea huc redit: panem ac vinum sacræ cœnæ esse tantum mnemosyna corporis Christi pro nobis in mortem traditi & sanguinis eiusdem pro nobis effusi iam prorsus absentis. Unde verba institutionis: *hoc est corpus meum*: ita interpretatur, ut tantum de pane ac vino illa dicta existimet, adeoque improprium sensum propositionibus hisce adfingat. Finem vero sacræ cœnæ in eo duntaxat ponit, ut panem in illa accipiamus in memoriam corporis Christi fracti, vinum autem bibamus in memoriam effusi eiusdem sanguinis. Atque ex hoc ipso epuli sacri fine hanc deducere vult sequelam, dogma cum transsubstantiationis, tum cuiuscunque corporalis præsentiæ servatoris nostri in sacra cœna falsum esse, immo prorsus absurdum. Ita enim verba auctoris in versione gallica habent: *Ceci seul peut fournir à un chrêtien, qui n' est pas même savant, un argument fort court, mais bien clair, pour prouver l' absurdité & la fausseté du dogme de la transsubstantiation & de toute presence corporelle de notre Sauveur dans ce Sacrement.* Addit & hoc, cum sacra eucharistia mera sit cærimonia, non opus esse homini christiano ad eam accedenti probatione sui ipsius.

Plurimum tamen hæc HOADLEII sententia displicuit theologis quibusdam Anglis, qui eandem ad Socinianorum placita propius accedere iudicarunt. Unde *partim* expresso, *partim* vero suppresso nomine suo, libellum huius episcopi adoriri, eiusdemque sententiam confutare, suarum duxerunt esse partium. In priorem classem pertinent *I)* RICHARD. WARRENIUS, theolog. doctor ac rector Cavendisienſis in comitatu Suffolciensi, qui A. *MDCCXXXVI.* librum tribus constantem partibus edidit, hac inscriptione insignitum: *an answer to a book intitled &c.* hoc est, *responsio ad librum, qui titulum fert; plena expositio naturæ ac finis sacræ cœnæ* &c. 8. *II.)* THOMAS BRETT, doctor iuris, qui eodem anno Hoadleio opposuit *a true scripture account* &c. id est, *veram ac scripturariam expositionem naturæ & fructuum sacræ eucharistiæ*, 8. *III)* CONYERS PLACE, qui *remarks on a treatise intitled* &c. hoc est, *notas in tractatum, qui inscribitur: explicatio naturæ sacr. cœnæ &c.* Londini 8. evulgavit. *IV.)* GLOSTER RIDLEY, baccalaureus iuris, qui ann. *MDCCXXXVI. the christian passover &c.* h. e. *pascha christianorum in quatuor sermonibus expositum*, typis exscribendum curavit. Cumprimis *V)* notandus heic est DANIEL WATERLANDIUS, theologus Cantabrigiensis, qui non tantum in sermone sacro, quem coram clero in synodo Middlesexiensi ann. *MDCCXXXVI.* congregato, publice recitavit, Hoadleii sententiam sibi confutandam sumsit; sed & ann. *MDCCXXXVII. a review of the doctrine of the eucharist. &c.* h. e., *examen doctrinæ de eucharistia &c.* eidem opposuit, tandemque ann. *MDCCXXXVIII. the christian sacrifice explained &c.* i. e. *sacrificium christianorum dilucide expositum* &c. edidit. Nec *VI.)* prætermittendus heic est GUIL. WHISTONUS, Arianorum placitis addictus, qui ann. *MDCCXXXVI. the primitive eucharist revived &c.* hoc est, *expositionem doctrinæ & praxeos christianorum duorum primorum seculorum circa celebrationem sacræ cœnæ &c.* luci exposuit publicæ. Adiungimus eidem *VII)* GUILIELMUM LAW, cuius scriptum: *a demonstration of the gross and fundamental errors of a late book called &c.* i. e. *demonstratio crassiorum ac fundamentalium errorum, detectorum in libro: explicatio naturæ &c.* Londini *MDCCXXXVII.* prodiit. Agmen vel tandem claudat *VIII)* GUIL. HARRISIUS, theologus presbyterianorum, quos vocant, partibus addictus, isque haud incelebris, qui *examen succinctum de natura sacramenti sacræ cœnæ*, anglico sermone conscriptum, Londini *MDCCXXXVII.* emisit.

Prodierunt vero & alia scripta HOADLEIO opposita, quorum auctores nomina sua occultarunt. Recensuit illa clariss. GE. DAV. HEFELINUS in *examine succincto controversiarum quarumdam de sacra cœna in Anglia nuper motarum*, nostroque sub præsidio Tubingæ anno *MDCCLIX.* publice defenso, §. *VII. pag. 12. seqq.* qui & §. *IX.* eorum, qui caussam HOADLEII in se defendendam susceperunt, fecit mentionem. Cumprimis vero evolvi heic meretur *la bibliotheque Britanique, tom. VI. VII. VIII. IX.* & *XII.* ubi de scriptis istis in celebri hac controversia in utramque partem editis uberius disseritur. Nos hoc unicum adiicimus, quod & extra Angliam complures fuerint theologi

Domini recordamur, quemadmodum vidimus in simili causa factum esse, nempe cum in sacris literis agnus, quem Judaei quotannis ex mandato Domini edebant, pesach *seu* transitus *Domini saepius adpellatur.* Catech. Racov. major cap. III. p. 223. *Simplex & verus verborum Christi sensus est hic, ac si dixisset: opus fractionis & manducationis panis est adnunciatio &*

logi, qui contra HOADLEIUM calamum strinxerint. Ex Belgis id fecit DAVID MILLIUS in dissertatione *de obligatione hominis christiani ad sacram coenam*, primum seorsim edita, postea vero eiusdem *miscellaneis sacris* Amstelodami anno *MDCCLIV.* 4. editis, inserta. In Germania vero nostra PAULUS SCHAFFHAUSENIUS & b. SIGISM. JAC. BAUMGARTENIUS sententiam Hoadleii examini theologico subiecerunt; *ille* quidem in dissert. *de vera notione vocabuli κοινωνια* Lipsiae *MDCCXXXVIII.* habita; *hic* vero in *vindiciis verae & realis corporis & sanguinis Christi in S. coena praesentiae*, Halae *MDCCXLIV.* editis, *sect. II. p. 10. seqq.* Idem fecit HEFELINUS in *dissertat.* supra iam a nobis *excitata* §. *X - XIV. pag. 15. seqq.*

Missa controversia hac in Anglia olim magnis animorum motibus agitata, pergimus iam ad enarrandam *fanaticorum* de hocce argumento sententiam. Statim ab eo tempore, quo emendata per LUTHERUM sunt sacra, certatim varii generis fanatici in mysterium hocce inprimis involarunt. Primi inter eos fuerunt *Anabaptistae*, qui etsi ipsum sacrae coenae usum haud aboleverint, hocce tamen sacramentum in *meram significationis & commemorationis caerimoniam*, sine ullo alio effectu, commutarunt, ac veram realemque corporis & sanguinis Christi in sacra eucharistia praesentiam dissertis verbis negarunt. Patet hoc ex eorum confessionibus publicis, verb. grat. *Embdana art. XXII.* itemque *Hornana*, nec non aliis scriptis, quae brevitatis studio heic praetermittimus. Neque aliam esse recentiorum *Mennonitarum*, qui veterem Anabaptistarum theologiam in multis repurgarunt, sententiam, ex eorum *confessione*, quam HERMANNUS SCHYN *historiae Mennonitarum part. I.* inseruit, & quidem eiusdem *art.* XXXIII. & XXXIV. colligimus. De CASP. SCHWENCKFELDIO eiusdemque adsectis pariter constat, eos praesentiam istam realem, de qua heic sermo est, olim negasse, quod postea reliqui quoque fanatici inde a WEIGELII temporibus ad nostrum usque aevum fecerunt. Longius progressi sunt *Quackeri*, qui sacram coenam susque deque habentes, eandem plane intermiserunt, tanquam *figuram*, aliquando in ecclesia apostolica imbecillium causa celebratam, sed veluti umbram, nunc, ubi substantiam adsecuti sumus, cessantem & hodie christianis minime incumbentem; uti ipsa ROBERTI BARCLAII verba habent. Vid. eiusdem *apolog. theologiae vere christ. thes. XIII. §. VI. seqq.* Ut alios idem sentientes, atque a BAYERO & SCHELGUIGIO magno numero excitatos, taceamus. Eorum vestigia secutus est THEODORUS SCHERMERUS quidam, qui in peculiari libello germanico sermone, sub titulo: *Anmerkungen vom Abendmahl*, Bremae *MDCXCIX.* 8. edito, eandem sententiam propugnandam in se suscepit, atque a nonnullis nostratium confutatus fuit. Vid. *die unschuldige Nachrichten* ad ann. *MDCCVII. p. 828. seqq.* inprimis *p. 833. seqq.* itemque ad ann. *MDCCX. p. 623. seqq. MDCCXL. p. 367. seqq.* alibique.

Fanaticis modo recensitis accensendus quoque est JO. CONR. DIPPELIUS, qui sub nomine ficto CHRISTIANI DEMOCRITI varia in lucem publicam edidit scripta, in quibus praecipua religionis nostrae dogmata, interque ea doctrinam quoque de praesentia reali corporis & sanguinis Christi in sacra eucharistia, impugnare annisus est. Fecit id cumprimis in libro, qui inscribitur: *papismus protestantium vapulans, part. I. cap. I. p. 72.* & *part. II. c. II. p. 155, 156.* refutatus ea propter a FRANC. ALBERT. ÆPINO, theologo Rostochiensi, in *mataeologia fanatica, cap. XI. thes. II. p. 421. seqq.* Reliquos auctores, qui in refellendis fanaticorum de sacra coena erroribus studium suum operamque collocarunt, enarravit JO. OLEARIUS, theologus quondam Lipsiensis, in *synopsi controvers. selectiorum, quae nobis cum fanaticis intercedunt, disput. XII. thes. LX. p. 543.* Addi tamen iis meretur GUSTAV. GEORG. ZELTNERUS in *breviario controvers. cum enthusiastis & fanaticis adhuc agitatarum, controv.* XXIII. *p. 367. seqq.*

Denique ex nostris commemorandus quoque nobis heic est CHRISTOPH. AUG. HEUMANNUS, theologus nuper Gottingensis, qui, derelicta ecclesiae nostrae sententia, Reformatorum in articulo de sacra coena partes defendendas in se suscepit in libello posthumo ann. MDCCLXIV. edito, cui titulus: *Erweiß, daß die Lehre der Reformirten Kirche vom heil. Abendmahle die rechte und wahre seye.* Vid. de eo *die Gottingischen gelehrten Anzeigen* ad ann. MDCCLXIV. *num. 80.*

& velut repraesentatio ejus, quod accidet meo corpori: & infusio ac bibitio vini est adnunciatio & velut repraesentatio ejus, quod accidet meo sanguini: aut (ut simul apostoli Pauli verba 1 Cor. XI. 26. interpretemur) bibitio ex eo calice est adnunciatio immensi amoris Dei, quem in novo fœdere nobis obtulit, qui per mortem Christi confirmatus est. In eundem sensum scriptum est de inusitato esu agni paschalis, quod sit transitus Domini. Ibidem verba apostoli 1 Cor. X. 16. *calix benedictus, cui benedicimus, est communicatio sanguinis*, &c. catechesis sic interpretatur: *Qui calici benedicunt, hoc est, ejus participes fiunt & nomen Domini devote laudant, similiter qui panem una frangunt, publice testantur, quod participes facti sint corporis & sanguinis Christi, hoc est, omnium bonorum, quae Christus per suam mortem adquisivit, sicuti Paulo post de Israëlitis dicit, qui de immolatis edebant, quod participes sint altaris, hoc est, omnium eorum, quae in illo cultu promissa erant.* Quid de hac verborum Christi & apostoli perversione statuendum sit, patere potest ex superioribus.

CAPUT XI.

DE VERA, REALI ET SUBSTANTIALI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI IN SACRA COENA PRÆSENTIA.

§. XCVIII. Posteaquam demonstratum est, verba sacræ cœnæ κατὰ τὸ ῥητὸν, secundum genuinam propriam & nativam significationem accipienda esse, sententia nostrarum ecclesiarum de vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia non potest esse dubia vel incerta, cum ex verbis institutionis κατὰ ῥητὸν & proprie acceptis immediate profluat, id quod plerique ex ipsis adversariis haud inviti agnoscunt ac fatentur, eo enim fine τὸ ῥητὸν tanto conatu, licet irrito, impugnant, ut veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentiam, utpote humanæ rationi prorsus repugnantem, evertant. Monemus autem denuo propter calumnias adversæ partis, nos nec *impanationem* (*), nec

Qualis præsentia corporis & sanguinis Christi in S. C. a nobis statuatur.

Conferenda, quæ ven. JO. GE. PLITTIUS de hocce argumento scripsit in *dem Beweiß, daß die Lehre der evangelischen Kirche von dem heil. Abendmahle die rechte und wahre seye.* Francof. ad Mœn. MDCCLXIV. 8. Ut alia scripta huc pertinentia in rerum præsentia taceamus.

(*) Cum Bucerus in epistola ad Comandrum fateatur, *se Luthero imputatione dogmatis de impanatione injuriam fecisse*, nihilominus Berolinensis politicus in infelici salvatione suarum causarum, *Regung der zwœlff Hauptursachen* p. 635. cum illa Buceri confessio illi objecta esset, regessit: *Et manet Lutheri opinio de cœna impanatio & consubstantiatio.* GERHARDUS.

Ut bini hi unionis modi, qui a nonnullis perperam huc advocantur, rectius intelligantur, sequentia paucis notamus:

1) *impanationis* vocabulo designari *localem* corporis in pane, tanquam in receptaculo, & vini in sanguine *inclusionem.* Solet hæc de *impanatione* sententia RUPERTO, abbati Tuitiensi, qui ineunte seculo XII. floruit, a nonnullis tribui. CÆSAR BARONIUS eandem hisce verbis edisserit: *In errorem illum impegit incaute, quo asseruit, in sacratissimo eucharistiæ sacramento ita inesse vere ipsum integrum corpus & sanguinem Christi; ut tamen substantia ipsa panis & vini etiam integra remaneret.* Vid. eiusdem *annal. ad ann. MCXI.* in fine. Damnatus fuit iste error in concilio Lateranensi sub INNOCENTIO IV. P. R. celebrato. Sunt tamen alii, qui RUPERTUM rectius de sacra eucharistia sensisse, contendunt. Legenda, quæ JO. GUIL. BAIERUS, theologus quondam Jenensis, hac de re adnotavit in singulari dissertatione *de impanat. & consubstantiatione*, quæ in *decade I. dissertat.* eius *theolog.* exstat §. XXI. Tribuitur quoque hæc sententia JO. DE PARISIIS, exeunte seculo XI. claro, atque ab ordine theologorum Parisiensium condito decreto, olim damnata fuit. Ex recentioribus ANDREAM OSIANDRUM, theologum primum Norimbergensem, post Regiomontanum, eidem errori addictum fuisse, nonnulli pertendunt. Vid. PHIL. ME-

MELANCHTONEM *libr.* II. *epist.* 447. Quin ipsi MART. LUTHERO nostræque ecclesiæ eundem imputant nonnulli ex cœtus Romani doctoribus, speciatim ROBERT. BELLARMINUS, *libr.* III. *de sacra eucharistia, cap.* XI. Verum perperam hoc fieri, luculenter comprobavit BAIERUS, *loco excitato* §. XXIV. nostræque ecclesiæ theologos ab hocce errore penitus abhorrere, supra recte monuit GERHARDUS. Occasionem calumniæ huic præbuisse videntur particulæ *in*, *cum*, *sub*, quibus tamen ad præsentiam realem exprimendam, neutiquam vero ad localem inclusionem significandam, usi sunt ecclesiæ nostræ theologi, qui ipsos veteris ecclesiæ doctores particulas istas adhibuisse, ostenderunt. Factum hoc ab ipso GERHARDO §. XCVI. *de sacr. cœna, p. 160. seqq.* & post eundem a IO. BENED. CARPZOVIO in *isagog. ad libros symbol. p. 346. seqq.* aliisque. Quem ad modum vero *impanationem* reiiciunt nostri theologi, ita

II) nec *consubstantiationem*, quam vocant, admittendam esse censent. Diversimode quidem vocabulum hoc accipi solet. Interdum enim συσσωμάτωσιν, seu localem duorum corporum *coniunctionem*, interdum autem utriusque corporis *commixtionem* denotat, qua panis cum corpore, & vinum cum sanguine in unam substantiam, seu massam, *coalescere* fingitur. Sed in neutra significatione ecclesiæ nostræ tribui potest monstrosum *consubstantiationis* dogma, cum nec localem istam corporum duorum *coniunctionem*, nec *commixtionem* quandam panis & corporis Christi, vinique & sanguinis, statuant Lutherani. Copiose hoc ipsum ostenderunt BAIERUS, supra iam nobis laudatus, in peculiari dissertatione, & DAVID GERTMANNUS in *exercitatione anti-Tilliana*, Francof. & Lipsiæ *MDCCVII.* edita, inque *actis eruditor.* ad ann. *MDCCVII. p.* 347. *seqq.* adcurate recensita. Quibus iungi meretur b. BUDDEI *sylloge recentissimarum de sacra cœna controversiarum*, quæ *part.* II. *miscellan. sacror.* inserta legitur, §. XXVII. *p.* 85. ubi & in *nota*, textui subiecta, observat vir doctissimus, „ eos, qui consubstantiationem nobis obiiciunt, inter alia „ & eum in finem hoc facere, ut inde con„ cludere liceat, ex scholasticorum commen„ tis & hanc sententiam, ut alias, in ecclesiam „ Lutheranam receptam esse. Hinc vir qui„ dam illustris CHRISTIAN. THOMASIUS, „ iuris consultus Halensis b. Lutherum con„ substantiationem a GABRIELE BIELIO, „ OCCAMI discipulo, celebri doctore schola„ stico, didicisse existimat. At GABRIELEM „ BIELIUM, theologum Tubingensem, nec „ OCCAMI discipulum fuisse, nec consubstan„ tiationem docuisse, ostendit PFAFFIUS in *dissertat. de consecratione veterum eucharistica*, quæ primum seorsim prodiit, postea vero *syntagmati dissertationum theolog.* inserta fuit §. XVI. *p.* 499. *seqq.* Jam vero, quod

III) notamus, præter *impanationem* ac *consubstantiationem*, alii quoque præsentiæ realis modi, nimirum *adsumtio*, *augmentatio*, *concomitantia* & *unio*, a nonnullis constitui solent, nec abs re fore arbitramur, si de his quoque nonnulla heic subiungamus.

Adsumtionem vocant, qua panis vinumque per consecrationem cum corpore & sanguine Christi, immo & cum divina eius natura hypostatice uniri creduntur. Sunt tamen nonnulli, qui huncce præsentiæ realis modum sub *impanationis* nomine comprehendunt, cum alias per *impanationem* inclusio localis corporis Christi in pane intelligatur, & ita ab adsumtione distinguatur, ut ex supra dictis patet. Tributa fuit hæc de *adsumtione* sententia non tantum in synodo Hierosolymitana, a DOSITHEO patriarcha anno MDCLXXII. celebrata, LUTHERO eiusdemque adseclis, sed idem etiam ex cœtus Romani doctoribus, præter BELLARMINUM, quem supra excitavimus, fecerunt MART. BECANUS in *manuali controversiar. libr. II. cap. III.* MARGARINUS DE LA BIGNE, *bibliotb. patr. tom. VI. pag.* 389. aliique, quibus nonnulli ex ecclesiæ Reformatæ theologis suum præbuerunt adsensum. Occasionem illis dederunt verba b. LUTHERI, quæ exstant in libro *de captivitate Babylonica*, *cap. de eucharistia, tom. II. Jenens. latin. f.* 278. Verum, si verba ista curatius considerentur, facile patebit, ea neutiquam unionem *sacramentalem* cum *personali* plane eandem facere, sed utramque duntaxat ratione *extremorum* comparare, siquidem ista ita inter se coniunguntur, ut tamen neutrum aboleatur, sed utrumque essentiam suam conservet: prout uberius ostendit BAIERUS in *dissert.* supra iam *adlegata* §. XXIV.

Ad *augmentationem*, sive ἐπαύξησιν, quod attinet, ex mente eorum, qui eandem statuunt, corpus Christi incorruptibile semper augetur, novumque quasi corpus succrescit, quo fit, ut illud nunquam absumatur, sed eucharistiæ ubivis distribuendæ sufficiat. Hancce opinionem, quæ manducationem *physicam*, seu *Capernaiticam* supponit, adoptavit olim IO. DAMASCENUS in epistola ad *Zachariam*, *episcopum Duarorum*, quæ inserta est *oper.* eius *tom. I. p.* 655. edit. MICH. LEQUIEN. Secuti quoque eandem sunt nonnulli ex Græcis, quorum tamen exiguus valde est numerus. Recentiori vero ævo huncce errorem nonnulli ex nostris recoxerunt, speciatim SALOMO BETULIUS, qui sub

ficto

ficto FRID. VULTEII nomine, Mitaviæ in Curlandia tractatum hac inscriptione insignitum: *Caro & sanguis domini nostri Jesu Christi*, in lucem publicam edidit, quem tamen a fratribus eapropter reprehensus, ipsemet postea refutavit; nec non quidam EVERMINUS SWIDDE, ecclesiæ Hornanæ in Hollandia seprentrionali pastor, qui in *sermonibus ecclesiasticis de adsessione Christi & sessione ipsius ad dextram patris*, Amstelodami anno MDCCIX. lingua Belgica typis exscriptis, eandem opinionem, ab unione sacramentali, quam nostra statuit ecclesia, plane diversam, propugnare haud dubitavit.

Sequitur *concomitantia*, quæ nihil aliud est, quam adfixio corporis ad panem, & vini ad sanguinem, ita ut duæ substantiæ in sacra eucharistia simul accipiantur, licet neutra in altera includatur. Hanc nonnulli tribuunt JO. CALVINO. Adfirmavit enim CALVINUS, *corpus Christi* quidem in sacramento *non vere & realiter adesse, sed tamen a credentibus vere & realiter manducari, nec fide id tantum & figura fieri, sed per fidem tanquam instrumentum re ipsa substantiam divini illius corporis nobis offerri, exhiberi, communicari.* Clarius tamen hanc sententiam edisserit nostræque attribuit ecclesiæ vir illustris, GODEFR. GUIL. LEIBNITIUS, in *discours de la conformité de la foy avec la raison* §. XVIII. Ibi enim hæc leguntur verba, ex gallico sermone in latinum conversa: *qui evangelicæ religioni sunt addicti haud adprobant dogma consubstantiationis, vel impanationis, quod ipsis nemo, nisi qui eorum sententiam non satis perspectam habet, imputare potest. Neque enim admittunt inclusionem corporis J. C. in pane, nec ullam quoque unionem unius cum altero requirunt, sed concomitantiam duntaxat statuunt, ita ut substantiæ ambæ simul accipiantur*, cum sacra cœna distribuitur. Addit vir celeberrimus, sententiam CALVINI, *qui participationem substantiæ corporis Christi in sacra eucharistia* admittit, ex multorum sententia, *forsitan non differre* a sententia eorum, qui Augustanæ confessioni sunt addicti, nisi in eo, quod credat, *præter receptionem oralem fidem ad eam requiri, unde & indigni non possint non excludi.* Ipse etiam vir illustris eandem sententiam §. XIX. suo adprobare videtur calculo, putatque, eandem ex hypothesi quorundam magni nominis philosophorum, *quod corpus aliquod, etiam secundum naturæ ordinem, immediate in distans, inque plura simul corpora remota una eademque actione agere possit*, ipsi rationi probabilem reddi posse. Hinc, cum observasset, actionem in distans nunc instaurari in Anglia per NEWTONUM, cui & LOCKIUS in *respons. sua ad episcopum Stillingfleetum* fuerit suffragatus, statim subiicit: *Hoc etiam pacto confessionis Augustanæ theologi adserunt, in Dei potestate esse, non modo ut corpus unum in alia plura corpora a se invicem remota immediate agat, sed etiam ut iis adsit, in ipsisque recipiatur, sed ea ratione, ut intervalla locorum & dimensiones spatiorum hic attendi non debeant. Quod quamvis naturæ vires superet, auctoris tamen naturæ potentiam excedere non putant, cui facile sit, sanctas a se leges abolere, vel suspendere, quoties libet, eadem prorsus ratione, qua ferrum aquæ innatare iussit, & vim activam ignis in humana corpora cohibuit.* Verum hanc de *concomitantia* sententiam ecclesiæ nostræ tribui haud posse, nec admittendam esse, vel ex eo patet, quoniam actio immediata in distans nondum satis fuit comprobata, nec ab ipso illustri auctore admittitur. Accedit, quod actio talis in distans a præsentia corporum inter se distantium plurimum differt, ut proinde ab una ad aliam nulla legitima necti queat consequentia. Unde & theologi Augustanæ confessioni addicti eiusmodi actionem in distans pro fundamento præsentiæ realis nunquam posuerunt, prout dudum monuerunt b. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS in *dissert. de consecratione veterum eucharistica*, quæ in *syntagm. dissertat. theolog.* exstat, §. XVII. *p. 510.* atque b. BUDDEUS in *sylloge recentissimar. de sacra cœna controvers.* quæ *miscell. sacr. part. II.* inserta est, §. XXVIII. *p. 85. seqq.* in *not.* Respondit equidem Pfaffio illustris LEIBNITIUS in *actis erudit. Lipsi.* ann. MDCCXV. *p. 376.* sed conferenda, quæ rursus hac de re monuit laud. PFAFFIUS in *primit. Tubing. part. post. pag. 259.*

Superest unicus præsentiæ realis modus, isque verus ac genuinus, *unio* nimirum *sacramentalis*, supra a GERHARDO §. XCVIII. iremque §. LXIX. luculenter exposita, quam ecclesia nostra statuit, prout ex *formula concordiæ art. VII. p. 725. seqq.* abunde patet. Conferri merentur, quæ, præter GERHARDUM nostrum, JO. BENED. CARPZOVIUS, *isagoge in libros symbolicos, p. 344.* alibique passim, IO. MUSÆUS theologus quondam Ienensis, *prælectionib. in epitomen formulæ concordiæ, art. VII. cap. II. p. 246. seqq.* itemque b. PFAFFIUS in diss. modo adlegata *de consecr. vett. eucharist.* §. XVII. *p. 503. seqq.* de hocce argumento adnotarunt.

Necessarium esse duximus, varias hasce species, seu modos præsentiæ realis corporis sanguinisque dominici uberius, quam quidem a GERHARDO factum id est, heic edisserere. Quod si enim quis species istas hactenus recensitas con-

nec *consubstantiationem* (*), nec ullam aliam *physicam*, vel *localem* præsentiam statuere, sed credimus, docemus ac confitemur, juxta ipsius Christi institutionem modo soli Deo cognito, nobis vero incomprehensibili, pani eucharistico tanquam medio divinitus ordinato corpus Christi vere, realiter & substantialiter præsens: vino eucharistico sanguinem Christi itidem vere, realiter ac substantialiter præsentem uniri, ut cum illo pane verum Christi corpus, cum illo vino verum Christi sanguinem in sublimi mysterio sumamus, manducemus & bibamus. Hæc præsentia dicitur *sacramentalis*, non eo sensu, quo adversarii hac voce utuntur pro χειτικῇ *significativa* præsentia, sed quia res cœlestis in hoc mysterio mediantibus externis symbolis sacramentalibus nobis confertur & exhibetur. Dicitur *vera & realis* præsentia ad excludendum *figurativae, imaginariae & repraesentativae* præsentiæ figmentum: dicitur *substantialis* præsentia ad excludendum adversariorum effugium de sola corporis & sanguinis Christi efficacia in hoc mysterio præsente: dicitur *mystica, supernaturalis & incomprehensibilis* præsentia, quia non modo aliquo hujus seculi, sed mystico, supernaturali & incomprehensibili corpus & sanguis Christi in hoc mysterio adsunt. Quidam ex nostratibus, secuti Cyrillum libr. X. in Joh. XIII. *corporalem* præsentiam vocarunt, respectu habito ad objectum, nequaquam vero ad modum; voluerunt hoc dicere, non solam virtutem & efficaciam, sed ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentem esse; opposuerunt enim hanc vocem præsentiæ spirituali, prout ab adversariis ea definitur, nequaquam vero hoc voluerunt, quod modo corporali & *quantitativo* corpus Christi præsens sit. Sic Hilarius libr. VIII. de trin. pag. 101. adserit, *Christi carnem naturaliter in nobis manere*, quod ibidem sic exponit: *Per naturae veritatem Christum in nobis esse, non tantum per concordiam voluntatis.*

§. XCIX. Pro confirmatione nostræ sententiæ producimus hoc argumentum: Quidquid Christus instituit ac ordinavit, illud vere ipsum præstare firmiter est credendum. Atqui Christus veram, realem & substantialem corporis & sanguinis sui in sacra cœna præsentiam, instituit ac ordinavit. Ergo vera realis & substantialis corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia firmiter est credenda. Ad *majoris* declarationem & confirmationem hoc notandum: 1.) quod voluntas & facultas sint duo actionum principia & necessaria & sufficientia. In actionibus humanis posita voluntate non statim ponitur facultas, quia non omnia, quæ homines volunt, etiam præstare possunt, propter virium ἀδυναμίαν; sed in actionibus divinis res aliter se habet, posita enim voluntate statim ponitur facultas propter infinitam Dei potentiam. Psalm. CXV. 3. *Dominus noster in cœlo, quaecunque voluit, fecit.* Luc. I. 37. *Apud Deum non est impossibile omne verbum.* Quare cum Christus sit ἀνθρωποθεὸς unus verus cum Patre & Spiritu sancto Deus, ideo quæcunque vult, ordinat ac instituit, ea etiam præstare & efficere potest (**). Si Christus esset nudus tantum homo, & voluntas & facultas

Confirmatio nostræ sententiæ per generalem quendam syllogismum.

confuderit, facile in eum dilabi poterit errorem, ut eiusmodi ecclesiæ nostræ adscribat sententiam, quæ ab eiusdem mente prorsus est aliena.

(*) Non statuimus præsentiam corporis & sanguinis συνουσιαστικὴν *consubstantiativam*, quæ a nonnullis definitur *per unius substantiæ in alia inclusionem*. Abest hinc istud figmentum. Non enim statim est consubstantiatio, quando duæ substantiæ sibi sunt præsentes, alias quia divina & humana Christi natura per unionem personalem sibi sunt præsentes, in persona Christi foret ea, quam adversarii adpellant, consubstantiatio, sed quando duæ substantiæ physico & naturali modo coexistunt. At res cœlestis & res terrena in sacra cœna physice & naturaliter sibi non sunt præsentes. GERHARDUS.

(**) Beza cont. Selneccerum p. 115. *Concludimus ergo, Christum non modo nolle, verum etiam non posse velle corpus illud suum verum & περίγραπτον multis*

tas distincte probanda essent, sed cum sit non tantum homo, sed & verus ac omnipotens Deus, ideo posita & probata voluntate statim ponitur ac probatur ipsa actio, inde etiam majorem propositionem non formavimus hoc modo: quidquid Christus vult & potest, illud etiam præstat, cum omne, quod vult, etiam possit, id si negatum eant adversarii, ipsam Dei omnipotentiam proterve negant. 2.) Quod falso nobis tribuant adversarii, nos a Dei omnipotentia ita nude ac crude argumentari: Deus potest efficere, ut corpus Christi vere & realiter præsens sit in cœna. Ergo vere præsens est. At ipsimet novimus Deum multa posse, quæ tamen nec facit nec vult facere. Θεὸς πάντα, ὅσα θέλει, δύναται, οὐχ ὅσα δὲ δύναται, θέλει, ait Damascenus libr. I. orth. fid. cap. ult. Ergo non ab omnipotentia Dei, sed a voluntate Christi in verbis institutionis expressa argumentamur, quod Christus corporis & sanguinis sui præsentiam in sacra cœna ordinaverit, ac instituerit, cum vero omnia, quæ vult ac promittit, præstare possit, ideo de complemento dubitandum non esse, dicimus. 3.) Quod τὰ θελητὰ sint duorum generum, ut exposuimus in tract. de elect. & reprobat. §. 75. Quædam vult Deus absolute & simpliciter, quædam vero certa conditione; in posteriori τῶν θελητῶν genere a voluntate ad effectum ipsum non licet procedere, sed tantum in priori, ad quod cum sacræ cœnæ institutio pertineat, de *majore* nulla restat dubitatio.

Prima classis argumentorum pro adstruenda reali & substantiali corporis Christi præsentia petitur ex Dominica institutione.

§ C. Constituemus autem distinctas argumentorum classes, quibus *minorem* argumenti nostri demonstremus. *Primam* classem suppeditat dominica institutio. Verba sacræ cœnæ κατὰ ῥητὸν in sensu literali & proprio accipienda sunt, ut superius fuit evictum. Atqui eo modo ac sensu accepta realem & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam inferunt, quod sic ostendimus. – 1.) Id quod in sacra cœna manducandum ac bibendum nobis datur, illud vere, realiter ac substantialiter præsens est, quia λῆψις in manducatione ac bibitione consistens prærequirit δόσιν, propter mutuam relationem, δόσις prærequirit veram præsentiam. Jam vero juxta ipsius Christi veracis & omnipotentis adsertionem in sacra cœna non solum panis, sed etiam corpus ipsius, nobis manducandum datur, siquidem porrecto pane benedicto dicebat ad apostolos: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Porrecto benedicto calice dicebat: *Bibite, hoc est sanguis meus.* Quod vero in prima coena, quæ est regula, forma & exemplar reliquarum omnium, manducandum ac bibendum Christus dedit apostolis, illud adhuc hodie in eucharistiæ administratione manducatur & bibitur vi ordinationis, institutionis & mandati: *hoc facite.* Ergo corpus & sanguis Christi vere, realiter & substantialiter in sacra coena sunt præsentia. Si obvertere velint, ex manducatione & bibitione non posse realem & substantialem præsentiam evinci, propterea quod manducatio & bibitio spiritualis, quæ fit fide coelos subvolante, intelligenda veniat, repetenda sunt fundamenta superius exposita, quibus τὸ ῥητὸν in verbis hujus testamenti retinendum esse ostendimus. 2.) Quod corpus in ara crucis pro nobis datum, illud in sacra coena præsens est, & manducandum nobis datur, juxta adsertionem ipsius Christi: *Edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Qui sanguis in ara crucis in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ille in sacra coena præsens est, & bibendus nobis datur juxta ejusdem adsertionem: *Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Jam vero non typicum, non figurativum, sed verum, reale & substantiale Christi corpus in ara crucis pro nobis datum; non typicus, non figurativus, sed verus, realis & substantialis Christi sanguis in ara crucis pro nobis effusus est. Ergo

multis simul in locis in usu consistere. Danæus contr. Chemnitium p. 443. *Deum id facere non posse, ut corpus Christi vorum sit in pluribus locis.* Mart. in dial. f. 568. Simlerus contr. Jac. Andr. p. 55. Tigurini cont. test. Brent. f. 94. Beza in coll. Momp. p. 33. GERHARDUS.

Ergo non typicum & figurativum, sed verum, reale & substantiale Christi corpus in sacra cœna præsens est, & manducandum nobis datur: non typicus, non figurativus, sed verus, realis & substantialis Christi sanguis in sacra cœna præsens est, ac bibendus nobis datur. Si obvertere velint, τὸ *quod* exponendum esse per *quatenus*, repetenda sunt fundamenta τῶν ῥητῶν. 3.) Sanguis novi testamenti, hoc est, ille sanguis, quo nov. test. sancitum est & confirmatum, est verus, realis & substantialis Christi sanguis. Ut enim vetus testamentum sanguine juvencorum typico: ita novum vero Christi sanguine sancitum est & confirmatum, ut docet epistola ad Hebræos IX. 12. Jam vero Christus testatur, sanguinem novi testamenti in sacra cœna nobis bibendum dari. Ergo verus, realis & substantialis Christi sanguis in sacra cœna nobis bibendus datur. Cum Moses sanguine juvencorum typico populum adspergeret, dicit: *En sanguis fœderis, quod pepigit Iehovah vobiscum.* Exod. XXIV. 8. Sed in confirmatione & adplicatione nov. test. Christus non typicum, sed suum sanguinem nobis bibendum tradit, ideoque formulam fœderalem in ver. test. usurpatam adjectis differentiæ causa duabus vocibus (*meus* & *novi*) ad novum fœdus suo proprio sanguine sancitum adplicat. 4.) Novum testamentum non amplius habet σκίαν *umbram & imaginem futurorum bonorum*, sed ipsam εἰκόνα *substantiam & expressam rerum imaginem*; Col. II. 17. Hebr. X. 1. (ubi per futura bona non possunt intelligi beneficia passionis & mortis Christi, quæ fidelibus utriusque testamenti sunt communia; sed intelliguntur corpus & sanguis Christi, cujus typi in vet. testam. præcesserunt, ut alibi late docuimus.) Sacra cœna est sacramentum nov. test. Ergo non habet figuram vel imaginem futurorum bonorum, id est, corporis & sanguinis Christi, sed ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam. 5.) Calicem eucharisticum vocat Christus *novum testamentum*, Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 25. nimirum juxta explicationem immediate subjectam *in suo sanguine*, sive propter suum sanguinem, hoc est, quia non solum vinum, sed etiam Christi sanguis vere præsens ex eo hauritur, unde sic colligimus: Ex calice eucharistico aut bibitur tantum vinum, aut cum vino etiam Christi sangais. Non prius, quia hac ratione calix non esset nec dici posset novum testamentum, quippe quod non vino, sed Christi sanguine est sancitum, atque ejus adplicatio & confirmatio non fit bibitione nudi vini, sed bibitione sanguinis Christi sacramentaliter vino uniti, docente Christo: *Bibite, hoc est sanguis meus nov. test.* Relinquitur ergo posterius. 6.) Calix eucharisticus dicitur pro nobis effusus Luc. XXII. 20. *Hoc poculum est nov. test. in meo sanguine, quod poculum pro vobis effunditur*, τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. Ex textu græco evidenter constat, nec ad διαθήκην nec ad αἷμα τὸ ἐκχυνόμενον referri posse, necessario igitur referendum ad τὸ ποτήριον. At quomodo poculum sacræ cœnæ pro nobis effusum? nulla certe ratione alia, quam quia sacramentaliter sibi unitum ac præsentem habet Christi sanguinem pro nobis effusum, quem ex illo bibimus. Cuicunque tribuitur proprium sanguinis Christi, illi præsentem & unitum oportet esse sanguinem Christi, alias foret prædicatio mere verbalis. Jam vero calici eucharistico tribuitur proprium sanguinis Christi, videlicet effundi pro nobis, ergo calici eucharistico præsentem & unitum esse oportet sanguinem Christi. Vis clarius? Ubicunque *subjecto* tribuitur, quod ipsi in se ac per se ratione essentiæ vel inhærentiæ non convenit, ibi exprimitur unio intercedens subjecto cum eo, cujus proprium est illud, quod de subjecto prædicatur. Ratio *connexionis* est manifesta, quidquid enim de subjecto vere & realiter prædicatur, illud vel per essentiam, vel per inhærentiam, vel ratione unionis cujusdam ei convenit, quartum non datur, quod enim de sola permutatione nominum ab adversariis adfertur, in prædicationibus realibus non habet locum. Atqui in verbis Christi: *Hoc poculum est nov. test. in meo sanguine, quod pro vobis effunditur*, tribuitur poculo tale quid, quod non convenit ei in se ac per se ratione essentiæ vel inhærentiæ. Ergo exprimitur unio inter poculum & illud, cujus proprium est effundi pro nobis, id est, Christi sanguinem. Est autem illa unio sacramentalis. Breviter, de

poculo

poculo prædicatur, quod sit pro nobis effusum, quia ex poculo eucharistico non solum vinum, sed & sanguis Christi, qui pro nobis effusus est, hauritur (*). *Atqui*, inquis, *si de poculo dici potest, quod sit pro nobis effusum, quia continet sanguinem pro nobis effusum, etiam de pane eucharistico dici poterit, quod sit pro nobis crucifixus, quia continet sacramentaliter corpus Christi pro nobis crucifixum.* Resp. Weberus tract. de euchar. cap. 2. sect. 4. fol. 17. esse disparem rationem. Quando enim de poculo sacramentali dicitur, quod sit pro nobis effusum, tunc prædicatur partis adfectio de toto, & recte quidem, quod enim est partis qua pars, id etiam est totius secundum illam partem. Quando autem crucifixio de pane enunciatur, tunc partis adfectio prædicatur de parte, non vero de toto: at hoc, non illud, fieri debere, jubent bene differendi regulæ. 7.) Si Christi propositum fuisset externa elementa sive signa sacramentalia tantummodo permutare, cum in locum agni paschalis sacram cœnam institueret, ac si nullam aliam corporis & sanguinis sui præsentiam & communicationem voluisset instituere, quam quæ in vet. test. locum habuit, consequens foret, quod in locum signorum perspicue & clare significantium signa minus clara & perspicua substituisset. Consequens est absurdum. Ergo & antecedens. *Connexio* probatur, quia mactatio & manducatio agni paschalis longe clarius significat & adumbrat Christi passionem, & sanguinis agni paschalis effusio longe clarius significat sanguinis Christi effusionem, quam manducatio panis & bibitio vini in sacra cœna. Quin imo consequens etiam foret, cœnas domesticas, in quibus ad saturitatem comedimus, apriores esse ad celebrationem sacræ cœnæ, quia scilicet spiritualis animæ cibatio clarius denotaretur per corporis saturationem. At consequens negat apostolus, 1 Cor. XI. 34. ergo nec antecedens concedendum.

§. CI. *Alteram* argumentorum classem suppeditat Paulina conclusio. Apostolus Paulus in institutione Christi sic colligit 1 Cor. X. 15. *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quid dico.* (Hanc prudentiam spiritualem hauserant Corinthii ex verbis institutionis, quæ sequenti statim capite apostolus repetit & inculcat) v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Quod in sacra cœna distribuitur & communicatur, illud utique vere præsens est. In sacra cœna mediante benedicto pane Christi corpus, & mediante benedicto vino Christi sanguis distribuitur & communicatur. Ergo corpus & sanguis Christi vere sunt præsentia in sacra cœna. Eorum, quæ a se invicem longissime remota sunt, alterum alterius κοινωνία esse nequit. Atqui panis ex adsertione apostoli est κοινωνία corporis Christi. Ergo panis & corpus Christi non sunt a se invicem longissime remota, sed potius unita, & per consequens invicem præsentissima. Observa autem, 1.) quod de externis symbolis rei cœlestis communicatio prædicetur, pani enim fracto & distributo tribuitur, quod sit communicatio corporis Christi, vino benedicto & distributo tribuitur, quod sit communicatio sanguinis Christi; loquitur ergo non de spirituali corporis & sanguinis Christi communicatione; quæ fit mediante fide, sed de sacramentali eorundem participatione, quæ fit mediante panis fracti manducatione, & vini benedicti bibitione (**).

Secunda classis argumentorum nostrorum petitur ex Paulo 1 Cor. X.

(*) Ipse Andr. Radeccius, Photinianus, in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem vanæ dissolutionis nodi Gordii p. 47. *Possunt*, ait, *verba illa*, pro vobis effusus, *ad sanguinem referri, licet mutato genere in Græco sermone, cui simile quid est Apoc. I. 5. ubi pro ὅς ponitur ὅ. Calix autem effusus est, quatenus vinum infusum & deinde bibitum repræsentavit futuram tunc Christi sanguinis effusionem.* GERHARDUS.

(**) Quodcunque igitur est per κοινωνίαν aliquid id cum eo, quod per κοινωνίαν esse dicitur, realiter est unitum, adeoque id sibi habet præsens.

2.) Quod notanter adferat apostolus, panem eucharisticum esse communicationem non beneficiorum, sed ipsius corporis Christi, quam emphasin merito urget apologia Augustanæ confessionis; ex eo namque immote colligitur, corpus Christi vere præsens esse in cœna, non tantum ratione beneficiorum & efficaciæ, sed etiam ratione substantiæ. 3.) Quod distincte exprimatur communicatio corporis & sanguinis Christi. Atqui, si communicatio illa intelligenda esset de spirituali solum communicatione, non opus fuisset distincte nominare corpus & sanguinem Christi, quia fides Christum uno actu complectitur, ut ex Joh. VI. manifestum. 4.) Quod apostolus de tali κοινωνία corporis & sanguinis Christi loquatur, quæ omnibus cœnæ convivis dignis pariter & indignis conveniat, quia omnes sacra cœna utentes & hypocritas quidem nominatim quasi adloquitur, eosdem ab usu idolothytorum in sequentibus versibus dehortando. In sequenti etiam capite communicationem indignorum disertis verbis adstruit, ut suo loco videbimus, jam vero spiritualis manducatio solis vere piis & fidelibus convenit. Triplex igitur κοινωνία ab apostolo constituitur. a.) Sacramentalis corporis & sanguinis Christi participatio, quæ fit mediante benedicto pane & vino 1 Cor. X. 16. b.) Spiritualis totius Christi & omnium beneficiorum ejus adprehensio, quæ fit vera fide. 1 Cor. XI. 26. c.) Communio corporis ecclesiæ; 1 Cor. X. 17. *unus panis, unum corpus multi sumus, nam omnes de uno pane participamus.* Prima κοινωνία est fundamentum reliquarum, quia spiritualis participatio Christi & beneficiorum ejus confirmatur & obsignatur in credentibus per κοινωνίαν sacramentalem. Communio corporis ecclesiæ docendi causa potest statui duplex. Externa scilicet & interna; *externa* versatur inter omnes, qui eandem doctrinam amplectuntur, & iisdem sacramentis utuntur: *interna* versatur inter solos vere credentes, qui Spiritum Christi habent. *Externa* corporis ecclesiæ communio oritur ex κοινωνία sacramentali: *interna* vero ex κοινωνία spirituali. Potest etiam observari phrasis apostolica: *Panis, quem frangimus,* (inquit) *est communicatio corporis Christi: Calix, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* Quidam existimant, esse in his verbis *antonomasian* scripturæ usitatam, juxta quam phrasi hebraica *abstractum* pro *concreto* ponatur, hoc sensu: *panis est communicatio corporis Christi,* hoc est, ipsum corpus communicatum. Hilarius libr. VIII. de Trinit. *est communicata, id est, distributa caro Christi.* Lutherus in libr. visitat. *Das Brot das wir brechen, ist der ausgetheilte Leib Christi,* quæ interpretatio nequaquam potest repudiari, sed quia terminus κοινωνίας est relativus, & quia subjectum in propositione apostolica certo modo limitatur ac restringitur, ideo simplicius dicitur, panem eucharisticum describi ab officio & fine, quem in usu sacramentali obtinet. Panis, cui benedicimus, quem frangimus, distribuimus & manducamus, est κοινωνία corporis Christi, id est, panis eucharisticus in usu sacramentali est organum, medium & ὄχημα, per quod distribuitur & communicatur corpus Christi. Panis est communicatio, id est, in quo nobis communicatur, distribuitur, datur, & a nobis accipitur corpus Christi, quam explicationem repetit Philippus in conv. Wormatiensi anno 1557. Panis eucharistici officium & finis est exhibere & communicare corpus Christi, quippe quod sacramentaliter ei est unitum. Jam vero quando duo sunt modo quodam unita, tunc alterum mediante altero communicatur, & alterum est alterius communicatio propter unionem utrique

sens. At panis eucharisticus per κοινωνίαν secundum apostolum est corpus Domini, & vinum per κοινωνίαν est sanguis Domini. Ergo panis eucharisticus cum corpore Domini & vinum eucharisticum cum sanguine Domini realiter est unitum, adeoque panis corpus, vinum sanguinem habet præsentem. *Major* probatur. Nam in eo distinguitur simplex & nuda significatio a significatione, quæ κοινωνίαν rei adjunctam habet, sive in ea fundata est, vel signum nudum ab ejusmodi signo, quod per κοινωνίαν signati signum est, quod illa significatio sive signum are signata abesse potest, hæc vero realissimam requirit præsentiam. GERHARDUS.

que intercedentem. Nec absurde statuitur, quamvis panis eucharisticus sit tam μετοχὴ quam κοινωνία corporis Christi, apostolum tamen ideo voce κοινωνίας quam μετοχῆς uti maluisse, quia præter sacramentalem corporis & sanguinis Christi participationem simul exprimere voluit spiritualem illam unionem cum Christo & reliquis veris ecclesiæ membris, cujus medium & sigillum in credentibus est sacramentalis illa κοινωνία ac participatio. Unde postmodum immediate subjicit: *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus,* μετέχομεν. Chrysostomus in h. l. οὐ τῷ μετέχειν μόνον ἀλλὰ τῷ μεταλαμβάνειν κοινωνοῦμεν, ἀλλὰ τῷ ἐνοῦσθαι. Καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο κεκοινώνηται τῷ χριστῷ, οὕτως καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. Hisce probe observatis corruunt objectiones adversariorum contra hunc locum apostolicum: a.) quidam putant κοινωνίαν *significare illam societatem, quam fideles inter se habent.* Marloratus in h. l. Atqui apostolus loquitur de κοινωνία corporis Christi non mystici, sed naturalis, cum panem adpellet κοινωνίαν corporis, vinum autem κοινωνίαν sanguinis Christi. b.) Quidam κοινωνίαν explicant non *per realem ac sacramentalem participationem, sed per spiritualem* μεθέξιν, *quæ fit per fidem.* Atqui apostolus de tali κοινωνία loquitur, quæ dignis & indignis communis est, ut ostendimus. c.) Quidam κοινωνίαν exponunt *per signum & sigillum* κοινωνίας (*). Atqui aliud est κοινωνία, aliud κοινωνίας tantummodo signum. Et quæ tandem emerget verborum paraphrasis: panis est signum communicationis signi corporis? nam vocem *corporis* pro signo corporis in verbis cœnæ exponendam esse disputant (**).

§. CII. *Tertiam* argumentorum classem exhibet Johannæa adsertio. 1 Joh. V. 6. *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est veritas, &c.* v. 8. *quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, sanguis, & hi tres in unum sunt;* ubi per Spiritum intelligendum esse ministerium evangelii, quod est *ministerium Spiritus*, 2 Cor. III. 8. per aquam baptismum, Joh. III. 5. per sanguinem, sacram cœnam, ostendimus in tractatu de sacramentis. §. 89. Sic ergo colligimus: 1.) Per quod Christus ad nos venit, illud vere præsens est. Atqui per sanguinem ad nos venit, ergo ille vere præsens est, nimirum in sacra cœna, ut ex verbis institutionis discimus. 2.) Quod in terris testatur, illud etiam in terris vere præsens est. Atqui sanguis Christi in terris testatur, numeratur enim inter illos tres testes, qui testimonium dant in terra. Ergo sanguis Christi vere præsens est in terris.

Tertia classis argumentorum ex 1 Joh. V. petitur.

§. CIII. Patrum dicta & plurima & evidentia adferri possunt, quorum quædam a Joach. Westphalo & Johanne Marbachio sunt col-

Testimonia patrum.

(*) Tossanus in notis marginalibus ad biblia 1 Cor. X. 16. *Vinum, quod est in poculo, est certum signum, sigillum & pignus communionis sanguinis Christi, quod omnes credentes in Christum sanguine Christi pro nobis effuso vere fruantur.* GERHARDUS.

(**) Nota igitur: 1.) si Christus instituisset tale sacramentum, in quo panis esset tantummodo signum absentis corporis & vinum absentis sanguinis, certe sacramentum agni paschalis non sustuliisset, quia agni separatio, mactatio, comestio &c. longe clarius significat Christi passionem, quam manducatio panis. Hoc argumentum multis declarat Lutherus in conf. major. p. 65. Excipiunt Calviniani: a.) *in evangelio esse claritatem majorem.* At hic non est quæstio de claritate in evangelio, sed in signis sacramentalibus. b.) *Distinguendum esse inter signa Christi futuri & exhibiti.* Resp. sed nec hac ratione in ipso signo major claritas ostendi potest. 2.) Quod est pani eucharistico commune cum pane vulgari, in eo non consistit sacramentale officium eucharistici panis. At nutrire corpus & hac nutritione significare nutritionem animæ per corpus Christi est commune pani eucharistico cum pane vulgari. Ergo. GERHARDUS.

collecta (†). Nos memoriæ juvandæ ergo certas eorum constituemus classes. 1.) Serio & graviter monent, τῷ ῥητῷ in verbis cœnæ inhærendum esse, nulla habita ratione absurditatis coram ratione & sensibus nostris. Horum quædam recensita sunt superius §. 78. 2.) Statuunt, ore corpus Christi percipi. 3.) Adserunt, etiam indignos corpus Christi in sacra cœna manducare. 4.) Unionem sacramentalem corporis & sanguinis Christi cum symbolis externis conferunt cum unione personali duarum naturarum in Christo. Hæc dicta inferius suum habebunt locum. 5.) Docent etiam, corpora nostra ali corpore & sanguine Christi ad beatam resurrectionem & vitam. Irenæus libr. IV. adv. hæres. cap. 34. p. 263. edit. Gelasii (*): *Quomodo dicunt, carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quae a corpore & sanguine Domini alitur &c.* p. 264. *Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Libr. V. c. 4. p. 318. (**). *Vani omni modo, qui carnis salutem negant, & regenerationem ejus spernunt, dicentes non eam capacem esse incorruptibilitatis. Sic autem, secundum haec videlicet, nec Dominus sanguine suo redemit nos, neque calix eucharistiae communicatio sanguinis ejus, neque panis, quem frangimus, communicatio corporis ejus est &c. Et quoniam membra ejus sumus, & per creaturam nutrimur, eum calicem, qui est a creatura, suum (vel potius: proprium) sanguinem confessus est, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem; & eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo auget nostra corpora. Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostrae substantia, quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, qui est vita aeterna, quae sanguine & corpore Christi nutritur & membrum ejus, quemadmodum & apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios epistola, quoniam membra sumus corporis ejus, de carne & de ossibus ejus, non de spirituali aliquo & invisibili homine dicens haec, (spiritus enim neque ossa neque carnes habet) sed de ea dispositione, quae est secundum hominem, quae ex carnibus & nervis & ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis ejus, nutritur, & de pane, qui est corpus ejus, augetur* (***). Tertullianus libr. de resurrectione carnis c. 8. p. 314. edit. Commel. *Videamus de propria christiani nominis forma,*

(†) Duumviris hisce supra laudatis ex recentioribus addi merentur b. BUDDEUS in *sylloge recentissimar. de sacr. coena controvers.* quae *part. II. miscellaneor. sacr.* inserta est, §. XIV. *p. 71. seqq.* & in *institut. theolog. dogmatica p. 1578. seqq.* atque ven. WALCHIUS in *hist. ecclesiast. novi testam. p. 677.* & *p. 1038. seqq.* Ut alios taceamus.

(*) Secundum recentissimam IRENÆI editionem, quam RENATO MASSUETO debemus, exstant hæc loca, quæ supra recitantur, *libr. IV. adverss. hæres. cap. XVIII. p. 250.* Equidem hic ipse, quem modo laudavimus, MASSUETUS ex his aliisque locis comprobare adnititur, IRENÆUM non tantum præsentiam realem corporis & sanguinis Christi, sed ipsam transsubstantiationem, quam ecclesia Romana profitetur, stabilire. Vid. eiusdem *dissertationes praeviae in Irenaeum dissert. III. §. VII. p. 113. seqq.* Ast, si quis verba Irenæi paullo adcuratius pensitaverit, facile deprehendet, eundem præsentiam realem corporis & sanguinis Christi, sine ulla transmutatione, innuere, nostræque ecclesiæ mentem exprimere, quando ait, eucharistiam ex *duo πραγματων συνεστηκεναι, επιγειας και ουρανιας, ex duabus rebus consistere, terrena & cœlesti.*

(**) Exstat hicce IRENÆI locus *libr. V. cap. II. p. 294.* ex edit. MASSUETI, qui & eundem in *dissertat. praeviis in* IRENÆUM, *cap. III. art. VII. p. 114.* observationibus quibusdam illustravit. Nos locum hunc, qui in prioribus GERHARDI editionibus minus plene exstabat, integrum hoc exhibuimus.

(***) Locis supra recitatis unicum adiungimus, eundemque ex IRENÆI *fragmentis anecdotis* a b. cancell. PFAFFIO editis desumtum, qui hisce

ma, quanta huic substantiae frivolae ac sordidae (carnis) *apud Deum sit praerogativa & caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima Deo saginetur* (*). Vide etiam Cyrillum in Joh. libr. III. cap. 36. & 37. libr. IV. c. 14. & 17. Neque tamen hoc volunt veteres, quod eucharistia nutriat vel augeat mortalem corporis nostri substantiam, ita namque eucharistiam facerent cibum ventris non mentis, sed quod corpora nostra ad immortalitatem per eucharistiam alantur, id est, suscipiant ex contactu carnis Christi vim quandam ad gloriosam resurrectionem & vitam æternam. Bellarminus libr. II. de euchar. c. 4. circa finem. 6.) Confirmant Christum nobis etiam jungi participatione naturali, hoc est, carnis suæ communicatione. Cyrillus libr. X. in Joh. XIII. *Non negamus, recta nos fide caritateque sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis scripturis omnino alienum esse dicimus* (**). In declarat. anathem. 11. tom. IV. col. 140. id, quod in cœna proponitur, adserit esse *proprium verbi vivificantis corpus & sanguinem: & accedentes ad mysticas benedictiones participes fieri sanctae carnis & pretiosi sanguinis Christi.* Hilarius libr. VIII. de Trinit. p. 101. edit. Basil. anno 1570. *Si vere verbum caro factum est, & nos vere verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostrae jam inseparabilem sibi homo natus adsumsit, & naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis*

hisce conceptis est verbis: *Offerimus Deo panem & poculum benedictionis, gratias agentes ipsi, quod terrae mandaverit, progignere hos fructus ad nostrum nutrimentum, & postea, finita oblatione, invocamus Spiritum sanctum, ut exhibeat hanc victimam & panem corpus Christi, ut, qui hæc antitypa accipiunt, remissionem peccatorum vitamque æternam consequantur.* Legenda, quæ ad h. l. in *notis p. 131. seqq.* observavit laudatiss. horum ἀνεκδοτων editor. Conferri quoque merentur, quæ de sententia IRENÆI adnotavit b. DEYLINGIUS in *observat. miscell. part. I. exercit. I. §. XXXIV. & XXXV. p. 74. seqq.*

(*) Præter locum TERTULLIANI, quem supra recitavit GERHARDUS, alia quoque in eiusdem scriptis occurrunt loca, in quibus præsentiam realem ita adserit, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Talia leguntur in eiusdem tract. *de oratione cap. VI. tom. I. oper. p. 151.* itemque *libr. V. adversf. Marcionem p. 590.* alibique passim. Deprehenduntur quidem, quod dissimulare nolumus, alia in eius scriptis loca, quæ insinuare videntur, quod panis corporis & vinum sanguinis Iesu Christi tantum figura sit. Verum si cuncta rite expendantur, loca ista, quæ primo intuitu inter se pugnare videri poterant, facili negotio inter se conciliari queunt. Loquitur quippe TERTULLIANUS iis in locis, in quibus panem figuram corporis Christi adpellat, de pane veteris testamenti. Quin, si vel maxime concedatur, de eo pane ipsi sermonem esse, qui in sacra cœna consecratur ac distribuitur, nihil tamen, quod sententiæ Reformatorum faveat, exinde exsculpi posset. Neque enim TERTULLIANUS ullibi dicit, panem tantum esse figuram corporis Christi, & quidem *absentis.* Potest quidem panis figura corporis Christi adpellari, sed *præsentis*, seu illius corporis, quod in ipso sacræ eucharistiæ usu cum pane est coniunctum. Copiosius hac de re differit THOMAS ITTIGIUS in *select. histor. ecclesiast. capitibus sec. IIdi, cap. III. sect. II. §. 5. p. 238.*

(**) *Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos vero palmites, qui vitam inde nobis adquireremus. Audi Paulum dicentem, quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus, omnes enim de uno pane participamus. An forte esse putat, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? cur enim membra fidelium membra Christi sunt? &c. Salvator etiam, qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, unde considerandum est non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse, sed & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefacta cera alii ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est & nos in ipso.* GERHARDUS.

his communicandae carnis admiscuit? Pag. 102. *De naturali in nobis Christi veritate quae dicimus, nisi ab ipso discimus, impie dicimus, ipse enim ait:* Caro mea vere est esca, &c. *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus, nunc vero & ipsius Domini professione & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est. Et haec accepta & haustae id efficiunt, ut & nos in Christo & Christus in nobis sit* (*). Chrysostomus (**) hom. LXXXIII. in

(*) Similia habet in libr. de Patris & filii essentia circa fin. fol. 675. GERHARDUS.

(**) Praeter testimonium CHRYSOSTOMI, supra a GERHARDO recitatum, illud cumprimis notatu dignum est, quod in eiusdem *epistola* ad *Caesarium monachum p. 23.* ex edit. JAC. BASNAGII exstat, atque ita sese habet: *Sicut enim, antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem appellatione panis, dignus autem habitus est, dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii praedicatur: sic & hic divina ἐνδημούσης, id est, inundante corporis natura, unum filium, unam personam, utraque haec fecerunt.* Nemo non videt, haec verba transsubstantiationis dogmati repugnare, doctrinam vero de praesentia reali corporis & sanguinis Christi in sacra coena egregie confirmare. Diserte enim heic docet CHRYSOSTOMUS, post consecrationem, seu sanctificationem, in ipso pane naturam panis permanere, & mox subiungit, panem hunc & esse, & recte vocari corpus domini: *non duo*, inquit, *corpora, sed unum corpus filii praedicatur*; scilicet per unionem sacramentalem.

Provocavit ad dictum hoc Chrysostomi testimonium, transsubstantiationi diametro adversum, suo iam tempore PETRUS MARTYR, Florentinus. Sed mala fide egisse visus est cardinali PERRONIO, & post Perronium aliis viris eruditis coetui Romano addictis, donec EMERICUS BIGOTIUS in codice manuscripto Florentino (quo & PETR. MARTYR usus fuerat) epistolam istam hactenus ineditam, reperit, eandemque cum aliis veterum monumentis, edere constituit. Verum iam typis exscriptae manus iniecerunt censores Parisienses, ita ut coactus fuerit BIGOTIUS, praefationem, in qua eius mentionem fecerat, refigere, & post *paginam 236.* hiatum relinquere. Neque tamen hac ratione monumentum hoc antiquitatis prorsus supprimere potuerunt censores Romani. STEPHANUS enim LE MOYNE, theologus quondam Lugduno-Batavus, epistolam hanc, quam ex eodem codice Florentino descriptam acceperat, anno *MDCLXXV.* typis exscribendam curavit, eiusdemque versionem latinam *variorum* suorum *sacrorum tom. I.* inseruit. Quid quod ipsum folium editionis *Bigotianae* a censoribus suppressum nactus GUIL. WACKIUS, archiepiscopus postea Cantuariensis, cum parte inedita praefationis BIGOTII, & fragmentis graecis, quae ille versioni latinae addiderat, inseruit libro anglico sermone scripto, quem anno *MDCLXXXVI.* Londini sub titulo: *a defence of the exposition of the doctrine of the church of England* luci publicae exposuit. Wakium anno subsequenti *MDCLXXXVII.* insecuti sunt JO. MABILLONIUS, qui in *musaeo italico tom I. p. 178.* publice testatus est, se epistolae huius exemplum Romae quoque vidisse, & JAC. BASNAGIUS, qui eandem epistolam ex Bigotiana editione, addita praeter alia *dissertatione de haeresi Apollinaris*, denuo evulgavit Trajecti ad Rhenum ann. *MDCLXXXVII.* 8. Denique IO. HARDUINUS, societatis Jesu sacerdos, novam epistolae huius editionem Parisiis *MDCLXXXIX.* in lucem protulit, atque in addita dissertatione ostendere conatus est, vano timore epistolam hanc a censoribus Parisiensibus fuisse suppressam, cum verba Chrysostomi ita explicari queant, ne transsubstantiationis dogmati repugnent, quin potius eidem faveant. Inseruit deinceps eandem cum dissertatione in illam *de sacramento altaris, operibus selectis*, Amstelodami *MDCCIX.* editis, *p. 239. seqq.* Satis astute cautam ecclesiae Romanae hac ratione egit HARDUINUS, consilium PETRI BÆLII secutus, qui in *nouvelles de la republique de lettres* ad ann. MDCLXXXVI. *pag. 685.* sequentem in modum scribit: *On ne peut comprendre la mauvaise politique, qu' on a eue à Paris d' empêcher, que Mr. Bigot ne publie une lettre de S. Chrysostome. Car il eût bien mieux valû enjoindre à Mr Boileau, qui trouve la transsubstantiation dans Ratramne, de la trouver aussi dans cette lettre, que de temoigner ainsi sa terreur à toute l' Europe.* Cum vero paradoxam illam Harduini opinionem, quod Chrysostomus in epistola sapius adlegata transsubstantiationem docuerit, aperta Chrysostomi verba refellant, eandem iure meritoque impugnandam sibi sumsit JO. CLERICUS *tom. XV. de la bibliotheque uni-*

in Matth. *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis interim caedi &c. Sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solum, sed re ipsa nos suum corpus efficit.* 7.) Partes eucharistiæ constituunt duas, rem terrenam & cœlestem. Irenæus libr. IV. cap. 34. *Qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti.* Augustinus in sent. Prosperi: *Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus adprobare contendimus, sacrificium hoc duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine.* Serm. ad neoph. *Quod videtur panis est & calix, quod etiam oculi renunciant, quod autem fides postulat instruendum, panis est corpus, calix sanguis Christi: ista ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Bernhardus serm. de cœna: *In sacramento altaris attendere debes ad speciem panis, ad veritatem carnis, ad virtutem gratiae spiritualis: quod videmus, species est panis & vini, quod sub illa specie cernimus, verum est corpus & verus sanguis Christi, qui fluxit de latere.* 8.) Hæreseos adcusant negantes præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna. Ignatius, recensente Theodoreto dial. III. de quibusdam hæreticis: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non confitentur, eucharistiam esse carnem salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est* (*). Bernhardus serm. de vit. Malach. *Fuit quidam clericus probabilis, ut fertur, vitae, sed fidei non ita, is sciolus in oculis suis praesumsit dicere, in eucharistia esse tantummodo sacramentum & non rem sacramenti, id est solam sanctificationem & non corporis veritatem.* 9.) Negant panem nudum vel communem in sacra cœna accipi, cum sit

universelle p. 253. seqq. Respondit quidem eidem HARDUINUS in *defense de la lettre de S. Chrysostome à Cesaire, addressée à l' auteur de la bibliotheque universelle en Hollande*, quæ anno MDCXC. primum prodiit, & postea truncata *operibus* eius *selectis* fuit inserta. Sed mox refutavit eundem laudatissimus CLERICUS in *tom. XIX. biblioth. univ. p. 527.* Harduini tamen opinionem propugnavit Mirapiscensis in Gallia episcopus, in *lettre pastorale IV. p. 48.* Prætermittimus alia, quæ de satis huius *epistolæ* commemorabilis ad *Cæsarium monachum* scriptæ dici heic possent, lectoremque huius rei curiosum remittimus ad JO. ERHARD. KAPPII dissertationem de hac epistola Lipsiæ anno MDCCXXIII. editam, nec non ad b. cancellarii PFAFFII *dissertat. anti-Rogerian. p. 17. seqq.* itemque b. DEYLINGII *observat. miscell. part. I. p. 361. seqq.* & celeberr. JO. GE. WALCHII *hist. ecclesiast. nov. test. sec.* IV. *cap.* I. §. XXVII. *p. 1385. seqq.*

(*) Exstat hic IGNATII locus, quem ex THEODORETO supra recitavit GERHARDUS, in *epistola* eius genuina ad *Smyrnæos* §. VII. *p. 37.* ex editione JO. BAPTISTÆ COTELERII. Patet ex eo, IGNATIUM inter hæreticos eos referre, qui non confitentur, *eucharistiam carnem esse servatoris nostri Jesu Christi.* Unde sponte consequitur, communem ac receptam orthodoxæ ecclesiæ hanc olim fuisse sententiam, quod eucharistia sit caro servatoris nostri Jesu Christi.

Adiungimus huic testimonio aliud eiusdem IGNATII, quod in *epistola ad Philadelphenos* §. *IV. p. 32.* exstat, hisque conceptum est verbis: Σπουδάζετε ουν μια ευχαριστια χρησθαι· μια γαρ σαρξ του κυριου ημων Ιησου χριστου, και εν ποτηριον εις ενωσιν του αιματος αυτου. *Detis igitur operam, ut una eucharistia utamini. Una enim est caro domini nostri Jesu Christi, ut unus calix in unionem sanguinis ipsius.* Nemo non videt, IGNATIUM hisce verbis non tantum præsentiam realem corporis & sanguinis Christi distertis verbis exprimere; sed &, cum varii dentur modi præsentiæ realis, eum ipsum apertissime indicare, quem & nostra profitetur ecclesia. Commemorat enim εν ποτηριον εις ενωσιν *in unionem sanguinis Christi*, atque hac ipsa ratione unionem sacramentalem corporis & sanguinis Christi cum symbolis eucharisticis indicat. Possemus quoque aliud addere IGNATII testimonium, quod in *epistola ad Ephesios* §. XX. *p. 54.* legitur. Verum cum ista epistola sit interpolata, neque adeo magnam habeat auctoritatem, locum istum studio heic prætermittimus.

fit corpus Christi. Justinus Martyr apol. II. pro christian. pag. 76. edit. Commel. (*) ὲ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. *Non ut communem panem, neque ut communem potum haec sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jesus Christus salvator noster & carnem & sanguinem salutis nostrae causa habuit: sic quoque eam, in qua per orationem verbi ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, ex qua sanguis & carnes nostrae per mutationem aluntur, illius incarnati Jesu & carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Cyrillus Hierosolymit. catech. mystag. IV. pag. 195. *Cum Christus ipse fic adfirmet ac dicat de pane:* Hoc est corpus meum, *quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante & dicente:* Hic est sanguis meus, *quis, inquam, dubitet & dicat, non esse illius sanguinem? Ne ergo consideres tanquam nudum panem, & nudum vinum, corpus enim est & sanguis Christi* (**) *secundum ipsius verba.* p. 530. in Græc. μὴ πρόσεχε ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ, καὶ τῷ οἴνῳ, σῶμα γὰρ καὶ αἷμά ἐστι τοῦ χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν, εἰ γὰρ καὶ ἡ αἴσθησίς σοι τοῦτο ὑποβάλλει, ἀλλὰ ἡ πίστις σε βεβαιώτω, μὴ ἀπὸ τῆς γεύσεως κρίνης τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πίστεως πληροφορεῖ ἀνενδοιάστως, σώματος καὶ αἵματος χριστοῦ καταξιωθείς. Ambrosius libr. IV. de sacramentis cap. 5. tom. IV. pag. 440. *Ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quia corpus suum accipiamus & sanguinem, nunquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare?* Gregorius Nazianzenus orat. II. in pasch. quæ est 42. p. 690. edit. Billii. ἀνεπαισχύντως καὶ ἀνενδοιάστως φάγε τὸ σῶμα, πίε τὸ αἷμα, εἰ τῆς ζωῆς ἐπιθυμητικῶς ἔχεις. *Sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitae desiderio teneris:* Hieronymus ad Hedibiam, q. 2. *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini salvatoris.* Anshelmus 1 Cor. XI. *Manducate, inquit, quod tribuo, hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur in mortem.* 10.) Rejiciunt voces *typi* & *figurae*, si in fraudem veræ præsentiæ adhibeantur. Theophylactus in cap. XXVI. Matth. p. 116. Εἰπὼν τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα δείκνυσι, ὅτι αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐστὶν ὁ ἄρτος ὁ ἁγιαζόμενος ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ οὐχὶ ἀντίτυπον, οὐ γὰρ εἶπε, τοῦτο ἐστὶ ἀντίτυπον, ἀλλὰ τοῦτο μου ἐστὶ τὸ σῶμα. In cap. XIV. Marc. p. 192. ὁ γὰρ ἀντίτυπος τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐστὶν ὁ ἄρτος, οὐκ εἶπεν, ἀντίτυπος ἐστὶν τῆς σαρκός μου, ἀλλ' ἡ σάρξ μου ἐστίν. Damascenus libr. IV. orth. fidei c. 14. p. 315. οὐκ ἐστὶ τύπος ὁ ἄρτος, καὶ ὁ οἶνος τοῦ σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ, μὴ γένοιτο, ἀλλ αὐτὸ τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου τε θεωμένου αὐτοῦ τοῦ Κυρίου εἰπόντος: τοῦτο μου ἐστὶ ὁ τύπος τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ σῶμα, καὶ ὁ τύπος τοῦ αἵματος, ἀλλ' τὸ αἷμα. 11.) Evidenter adserunt, corpus Christi in loco illo, in quo celebratur sacra cœna, esse præsens. Canon synodi Nicænæ: *In hac divina mensa non in propositum panem, & calicem humiliter intenti simus, sed* ὑψω-

(*) Secundum editionem JO. ERNESTI GRABII est *apol. I. pro christianis* §. LXXXVI. p. 128.

(**) Ne quis forte existimet, CYRILLUM Hierosol. heic loqui de quadam panis & vini in corpus & sanguinem Christi mutatione, seu transsubstantiatione, adponenda quoque heic sunt ea verba, quæ porro subiicit: *Nam sub specie panis, datur tibi corpus; & sub specie vini datur sanguis; ut sumto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguis.* Certe si transmutationem quandam credidisset CYRILLUS, non dixisset, nos ἐν τύπῳ, *sub specie* panis & vini, corpus sanguinemque Christi accipere. Legenda, quæ de sensu horum verborum differit DEYLINGIUS *observat. miscell. part. I. p. 158.*

ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίςει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζας τὸν ἀμνὸν τὸ Θεὸ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τε κόσμε, quod sic reddidit Oecolampadius: *mente in altum sublata fide cogitemus in hac sacra mensa positum esse agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, &c. & pretiosum ejus corpus & sanguinem revera sumentes credere oportet haec esse resurrectionis nostrae symbola.* Chrysostomus hom. XXIV. in 1 Cor. p. 175. *Quando corpus Christi προκείμενον propositum vides in altari, dic tecum propter hoc corpus cœlum, & quae in eo bona sunt, accepturum me spero.* 12.) Modum praesentiae statuunt esse mysticum, cœlestem, supernaturalem & incomprehensibilem. Hilarius libr. VIII. de Trinit. p. 102. *Nos vere sub mysterio carnem corporis ejus* (Christi) *sumimus, & per hoc unum sumus.* Ephraem Syrus, de nat. Dei curiose non scrutanda cap. 5. *Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem metum, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus Dei Filius salvator noster, ignem & Spiritum manducandum ac bibendum praestitit nobis, corpus scilicet & sanguinem suum. Esto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide plenissima certus, quod agnum ipsum integre comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi: noli temere ea perscrutari, ne comburaris.* 13.) Provocant ad Christi veracis omnipotentiam. Ambrosius libr. IV. de sacram. c. 4. tom. IV. p. 439. *Sermo Christi conficit hoc sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus & factum est cœlum. Jussit Dominus & facta est terra. Jussit Dominus & facta sunt maria. Jussit Dominus & omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, & in aliud commutentur.* Damascenus libr. IV. orth. fid. c. 14. p. 316. *Si verbum Dei vivens est & efficax, & omnia quaecunque voluit Deus fecit, si dixit, fiat lux, & facta est: fiat firmamentum, & factum est: si verbo Dei cœli firmati sunt & spiritu oris ejus omnis virtus eorum: si cœlum & terra, aqua, ignis, & aër & omnis ornatus eorum verbo Domini perfecta sunt & homo ipse τὸ πολυθρύλλητον ζῶον: Si volens ipse Deus verbum factus est homo, & non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem?* Paschasius de sacr. c. 1. in biblioth. patrum tom. VI. p. 300. *Si rationem quaeris, quis explicare poterit aut verbis comprehendere? imo scias quaeso, quia ratio in virtute Christi est scientia in fide, causa in potestate, effectus vero in voluntate, quod potentia Divinitatis contra naturam ultra rationis nostrae capacitatem efficaciter operatur.* 14.) Distinguunt sacramenta vet. & nov. testam. eo modo, ut in illis typos ac figuras, in his vero rem ipsam praesentem statuant. Ambrosius de iis, qui mysteriis initiantur c. 9. tom. IV. p. 427. *Considera utrum praestantior sit panis angelorum* (manna) *an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum, & potior est lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo.* Hieronymus in cap. I. Tit. *Tantum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter imaginem & veritatem, inter exemplaria verorum & ea ipsa, quae per exemplaria praefigurabantur.* Vide etiam Chrysostomum in cap. VI. Joh. Cyrillum libr. IV. in Joh. XXVIII. Augustinum in qq. V. & N. T. q. 95. &c. 15.) Opinionem Manichaeam de corpore Christi phantastico ex articulo verae & realis praesentiae in coena refutant, ut constat ex Irenaeo libr. IV. adv. haeres. c. 57. *Quomodo juste Dominus, si alterius patris existit hujus conditionis quae est secundum nos accipiens panem suum corpus confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmavit.* Tertullianus libr. IV. contra Marcionem cap. 40. *Figura corporis non fuisset panis, nisi veritatis esset corpus.* 16.) Cultum religiosae adorationis ad Christum θεάνθρωπον in coena praesentem dirigendum esse docent. Ambrosius libr. III. de Spiritu S. cap. 12. circa med. *Illam terram adorandam dicit propheta, quam Dominus Jesus in carnis adsumtione suscepit, itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi,*

sti, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam apostoli in Domino Jesu adorarunt. Idem repetit Augustinus in enarrat. Psalm. XCVIII. 17.) Denique primitiva ecclesia ab ethnicis onerata fuit crimine τῆς ἀνθροποφαγίας. Justinus apolog. II. pro christ. p. 54. inter δύσφημα καὶ μυθολογούμενα ἔργα christianis objecta numerat ἀνθρωπείων σαρκῶν βορὰς. Tertullianus in apolog. c. 7. p. 24. edit. Com. *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii & pabulo inde.* (In quæ verba sic commentatur Franc. Zephyrus: *Suspicio de sacramento infanticidii invaluit ex eo, quod in christiano dogmate haberi audiebant: caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Cumque tormenta Christi tenebrasque illas in memoriam ejus christiani repræsentarent, facile persuasum est malevolis mysterium panis non intelligentibus, ut ibi seferinis ritibus contaminarent.*) Notum est Averrhois convitium, *se perambulasse orbem terrarum, nec invenisse gentem scelestiorem sub sole, quam christianos, quippe qui comedant Deum suum.* Unde vero hujus adcusationis, δυσφημίας ac βλασφημίας occasio, quam quod pii veteres veram & realem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentiam sunt professi (*)?

§. CIV. Huic sententiæ de vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentia strenue obloquuntur Calviniani, non uno tamen eodemque modo. I.) Quidam enim aperte absque ullis verborum involucris profitentur, quod in corde statuunt, videlicet ἀπουσίαν corporis & sanguinis Christi. Beza in colloq. Possiaceno & epist. 5. volum. III. tract. theolog. pag. 204. *A loco, in quo cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quam abest cœlum a terra.* Part. I. resp. ad colloq. p. 75. *signa in terris sita esse* ait, *res autem significatas in cœlis positas, & tamen illarum etiam esse verissimam conjunctionem;* (an vere hoc adseratur, paulo post videbimus) *quantumvis tanto a nobis intervallo essentia sua distent, quanto beatorum illae sedes supra omnes cœlos e terris absunt* (*). Piscator in quæst. rhetor. de verbis Domini: *Hoc est corpus meum;* p. 29. *Hic quaeret fortassis*

Antithesis Calvinianorum.

(*) Cordate Thomas Cranmerus, archiepiscopus Cantuariensis, in epistola ad Ioachimum Vadianum consulem apud S. Gallum in Helvet. edita a Quirino Reutero profess. Heidelb. Offenbacii anno 1610. *Nisi certiora videro, quam hactenus videre potui, sententiae illius veræ* (de ἀπουσίᾳ corporis & sanguinis Christi) *nec patronus nec adstipulator esse volo. Et plane mihi vel ex eo maxime persuasum est, causam esse non bonam, quod eam viri tam ingeniosi tam diserti, tamque omnibus artibus & disciplinis instructi non videamini satis valide tueri ac sustinere. Vidi pleraque omnia, quae vel ab Oecolampadio vel a Zwinglio scripta sunt & edita, didicique omnium hominum omnia cum delectu esse legenda.* Et postea: *Ut ingenia vestra quantumcunque versaveritis, mihi tamen certe nunquam adprobaveritis nec cuiquam opinor æquo lectori veteres illos auctores in hac controversia pro vestra facere sententia.* Item: *Quamobrem cum haec, quam tenemus, catholica fides de vera praesentia corporis tam apertis ac manifestis scripturis fuerit ecclesiae ab initio promulgata & eadem postea per primos ecclesiasticos scriptores fidelium auribus tam clare tamque studiose commendata, ne quaeso ne mihi pergatis eam bene radicatam & suffultam velle amplius convellere aut subruere. Satis jam, satis tentatum est hactenus, & nisi super firmam petram fuisset firmiter aedificata, jamdudum cum magnae ruinae fragore cecidisset. Dici non potest, quantum haec tam cruenta controversia cum per universum orbem christianum, tum maxime apud nos bene currenti verbo evangelii obstiterit.* GERHARDUS.

(**) Calvinus in consens. cum Tigur. in re sacrament. anno 1549. *Cum in cœlo quærendum esse Christum dicimus, haec loquutio locorum distantiam nobis sonat & exprimit. Tametsi enim philosophice loquendo, supra cœlos locus non est, quia tamen corpus Christi, ut ferr humani corporis natura & modus, finitum est, & cœlo, ut loco, continetur, necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest a terra.* Beza in coll. Possiac. anno 1561. *Quod ad spatia*

taſſis aliquis ex me, inquit, *an non concedam verbis illis Domini:* Hoc eſt corpus meum, *ſignificari aliquam corporis Chriſti præſentiam? non concedo inquam.* Inde non verentur convitiis & calumniis noſtram de cœna confeſſionem infectari. Tribuunt enim nobis συνουσίαν *conſubſtantiationem*, *coëxiſtentiam corporis ad locum panis*. Sadeël in lib. de mand. ſacram. *Inexiſtentiam ac deliteſcentiam corpuſculi ſui ſub pane*, *impanationem*. Martyr claſs. IV. loc. c. de euch. κρεοφαγίαν, Beza in lib. pecul. *Beyweſelung oder Mitweſelung*, Anat. Marpurg. Urſinus *penetrationem duorum corporum* nos introducere aſſerit. Sadeël c. 12. refut. theſ. Poſn. & Beza in creoph. p. 18. ſcribunt, ſententiam noſtram de reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in cœna *ex cloaca & fermento tranſubſtantiationis pontificiae deductam eſſe*, *qua etiam longe ſit improbabilior*. Conſid. commonef. p. 38. *arto Chriſtum a nobis introduci* ſcribit. Convitia de *Deo impanato* jam dum Lutheri tempore ab adverſariis audiebantur. II.) Quidam contra τὰ σκληρὰ μαλθακῶς proferre edocti ὅμοια μὲν λέγεσι, ἀνόμοια δὲ φρονεῦσι, ægre enim ferunt ſibi tribui ſententiam de ἀπουσίᾳ corporis, *cum non de ipſa præſentia*, *ſed de modo ſaltem præſentiae quaeſtionem eſſe* ſcribant (*), ideo ſtudent phraſes eccleſiæ imitari,

tia locorum attinet, *corpus Chriſti tanto locorum intervallo a pane & vino ſacræ cœnæ diſtat*, *quantum cœlum a terra diſtat*. GERHARDUS.

(*) Ita, præter veteres cœtus Reformati doctores, complures quoque ex recentioribus ſuam de hoc argumento exponunt ſententiam. Sufficiat ex iis heic adlegaſſe duumviros doctiſſimos, FRANCISCUM atque JO. ALPHONSUM TURRETTINUM, theologiæ in academia Genevenſi quondam profeſſores. Ad FRANC. TURRETTINUM quidem quod attinet, is in *inſtitut. theol. elenct. part. III. loc. XIX. quæſt. XXVIII. num. 4. p. 565.* controverſiam de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna ita pertractat, ut præmittat quædam præcognita, quæ lucem quandam huic controverſiæ adferre queant. Differit eum in finem ſtatim ſub initium §. III. de voce *præſentiæ*, obſervatque, „ eandem eſſe „ relativam, nec poſſe intelligi ſine relatione „ *obiecti*, quod dicitur præſens, ad *ſubiectum*, „ cui illud eſt præſens. Hinc duplicem præ„ ſentiam diſtingui debere pro natura duplici „ rerum, *corporearum* & ſenſibilium, vel *ſpi„ ritualium* & intelligibilium. In rebus *corpo„ reis* illud dici præſens, quod ita præ ſenſi„ bus eſt, ut eo ipſo a ſenſu, cui ſe offert, per„ cipi poſſit: in *ſpiritualibus* vero res dici præ„ ſentes, cum intellectui ita offeruntur, ut fa„ cultate ſua eas adprehendere, eisque frui „ poſſit „. Nonnullis vero interiectis, quæ heic adſcribere nolumus, ita pergit: „ præſen„ tia corporis Chriſti, *vel* attendi poteſt reſpe„ ctu *fidelium*, qui ſacramento utuntur, & u„ nionis ipſorum cum corpore Chriſti; *vel* re„ ſpectu *ſacramenti* & unionis, quam corpus „ Chriſti poteſt cum ſignis ſacramentalibus ha„ bere. *Priori* ſenſu præſens dicitur eſſe Chri„ ſtus animo fideli in celebratione iſtius my„ ſterii: *poſteriori*, præſens dicitur ratione lo„ ci in ſignis, dum concipitur eſſe in pane, „ vel ſub eo, vel ſub ſpeciebus eius „. His aliisque præmiſſis, pergit in ſubſequenti §. *IV.* aitque, patere ex his, „ non quæri de præſen„ tia Chriſti in genere, an Chriſtus ſit præſens „ in euchariſtia? quod utrinque adſeratur: „ ſed de *modo iſtius præſentiæ*, an ſit corporeus „ & per ἀδιαστασίαν, an vero ſpiritualis? „ Idem obſervavit JO. ALPH. TURRETTINUS, qui in *brevi de articulis fundamentalibus diſquiſitione*, eiusdem *nubi teſtium pro moderato & pacifico de rebus theolog. iudicio* præmiſſa, *p. 48.* conſenſum nec non diſſenſum ſententium de hocce argumento hiſce verbis edifferit: „ Ad quæſtionem: *an ipſummet* CHRISTI *corpus* „ *vere & ſubſtantialiter præſens ſit in euchariſtia?* „ licet magna primo adſpectu videatur hæc „ controverſia, tamen, ſi penitius in rem in„ ſpexeris, &, quid utrique fateantur, adten„ deris, ſane plurimum imminui deprehende„ tur. Ac ſane utrique conſentiunt, panem „ & vinum vere adeſſe, & ad finem uſque re„ manere, adeoque non converti aut tranſſub„ ſtantiari in corpus Chriſti. Utrique conſen„ tiunt viciſſim, Chriſtum revera adeſſe, immo „ corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramento „ vere exhiberi, & tantum præſentia eſſe, „ quantum ſacramenti ratio poſtulat. Utrique „ conſentiunt, Chriſti corpus & ſanguinem „ non adeſſe modo craſſo & ſenſibili, non ad„ eſſe per localem incluſionem, non adeſſe ad „ modum corporum, ſed adeſſe tantum ad „ modum ſpirituum, ſeu modo ſpirituali, immo

ri, & totam controversiam adeo extenuant, ut eam non impingere dicant in aliquem fidei articulum, sed esse meram λογομαχίαν. Calvinus lib. IV. institut. c. 17. §. 10. *Omnibus piis ista haec*

„ non plus nec minus adesse, quam sacramenti ratio postulet, adeoque tantum *modo sacramentali*, qua voce utrique utuntur. Utrique porro ecclesiæ Romanæ abusus & superstitiones pariter damnant, transsubstantiationem, sacrificium missaticum, subtractionem calicis, sacramenti circumgestationem, elationem, adorationem, &c. Denique utrinque constat, non manducationem corpoream, quæ probis & improbis communis est, sed eam solam manducationem, quæ fide peragitur, salutiferam esse: qua de re diserta sunt LUTHERI verba, in *catechismo minori*, nec non dicta notabilia BRENTII, tum in *syngrammate Suevorum*, tum in *exegesi in Joannem*, quæ nos brevitati studentes omittimus. Quid ergo superest discriminis? Certe non de *præsentia ipsa*, si adcurate loqui velimus; nam utrisque in confesso est, corpus Christi tantum adesse, quantum sacramenti ratio postulat: de *solo* ergo *præsentiæ modo* inter illos disquiritur, una parte eo præsentiæ genere contenta, quod planum est ac facile, & scripturæ stilo consentaneum, altera parte prodigiosum quendam, planeque incomprehensibilem præsentiæ modum statuente, quem altera, utpote inutilem, & insuperabilibus difficultatibus obnoxium, admittere nequit. Hæc sola dissidii materies; in qua quid sit, quod ad fundamenta fidei vel minimum pertineat, quidve obstet, quo minus alii alios tolerent, usque dum plenior iis, qui errant, lux adfulserit, haud equidem perspicimus.„

Hactenus TURRETTINUS, cuius verba, ut ut longiora, eum in finem heic recitavimus, ut exinde cognoscere possent lectores, quanam ratione recentiores ecclesiæ Reformatæ doctores suam de hocce argumento sententiam edisserant.

Adiungimus Turrettino, theologo quondam Genevensi, SAMUELEM STRIMESIUM, insignem academiæ Viadrinæ theologum, qui in *epist. iren. p. 106.* nomine omnium Reformatorum spondere sustinet, sinceram hanc & dilucidam eorum esse sententiam: *omnes credentes, qui accipiunt & manducant benedictum panem accipere & manducare corpus Christi crucifixum, consecrati vini eandem esse rationem: MODUM autem, quo id fiat, ut corpus Christi crucifixum & sanguis eius effusus, in cœna sacra credentibus realiter præsentia sint, & ab his revera accipiantur, edantur, bibanturque, nos ignorare, esseque modum illum hyperphysicum.* Taceamus effata GUIL. FORBESII, SAM. STRIMESII, PARKERI, COMENII aliorumque theologorum Reformatorum, quæ in unum congessit JO. FABRICIUS in *consideratione controversiarum p. 203. seqq.* Idem quoque iudicia, quæ nonnulli nostræ ecclesiæ doctores, de modo tollendæ huius de s. cœna controversiæ tulerunt, *loc. cit. p. 200. seqq.* protulit in medium. Petita ea sunt ex scriptis GEORG. CALIXTI, itemque theologorum Rintelensium, CHRISTIANI DREIERI, nec non SAM. PUFENDORFII, quibus nostra ætate sese adsociavit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS, academiæ primum Tubingensis, deinde vero Giessensis cancellarius. Is enim in *institut. theol. dogmat. part. III. sect. III.* de sacra cœna, postquam de *præsentia reali*, iuxta mentem nostræ ecclesiæ, non *naturali*, non *locali*, non *expansiva*, non *inhæsiva*, non *circumscriptiva*, sed duntaxat *sacramentali* differuerat, pertendit, vix ullum discrimen, præterquam de solis vocibus, inter Lutheranos & Reformatos heic superesse: unde sic colligit *p. 707.* edit. secundæ: *Ast quid quæso disputeamus, si tota controversia in nudam λογομαχίαν abit?* &c. &c. Eandem sententiam in aliis quoque scriptis uberius expossuit vir doctiss. speciatim in *dissertatione secunda Anti-Bælliana*, itemque in *alloquio irenico ad protestantes p. 11.* & cumprimis in dissert. *de influxu dogmatis reformatorum de sacra cœna in praxin fidei & pietatis*, Tubingæ *MDCCXX.* edita, *thesi VII. p. 15. seqq.* Sed legenda heic sunt probeque ponderanda, quæ de hocce argumento in subsequenti §. *CV.* disserit GERHARDUS noster. Peculiarem quoque dissertationem cancellario Pfaffio oppossuit GOTTLIEB WERNSDORFIUS, theologus olim Vitembergensis, hac inscriptione insignitam: *qualis & quantus sit dissensus in articulo de sacra cœna inter socios Aug. confessionis & Reformatos.* Altera huius dissertationis editio, priori locupletior Vitemb. *MDCCXXII.* prodiit. Conferri quoque meretur eiusdem disput. theol. ann *MDCCV.* edita, *qua dissensum inter socios A. C. & Reformatos in articulo de cœna fundamentalem esse, demonstratur.* Oppossita illa est SAM. STRIMESIO, qui in tractatulo germanico: *kurzer Entwurf von Einigkeit der Luthera-*

haec tenenda est regula, quoties symbola vident a Domino instituta, illi certae rei veritatem adesse, certo cogitent & sibi persuadeant. Confer §. 5. 7. 17. 21. 32. ejusd. cap. & libri: Consid. commonef. c. 2. pag. 109. *Corpus Christi in cœna praesentissimum esse* dicit (*). Perkinsus in cathol. reform. controv. X. cap. 1. fatetur, *corpus Christi in cœna realissime exhiberi.* Cap. 2. *non de ipsa praesentia corporis & sanguinis in cœna, sed de modo duntaxat quaestionem esse* scribit. Pezelius libr. de cœna pag. 44. dicit, se profiteri *objectum hujus κοινωνίας esse non tantum divinitatem aut Spiritum aut meritum ejus, aut efficaciam corporis, sed ipsam Christi carnem & sanguinem.* Pag. 42. *contrarium suis per calumniam tribui* conqueritur. Rodolph. Gualtherus in epist. dedicat. ad Wilhelmum Hassiæ Landgraffium commentario epist. ad Romanos præfixa: *Dolendum est, homines alioquin cordatos & non male adfectos adeo excutere, ut ob certamen sacramentarium, & sic levi de causa offendantur, & tantum non, quod in proverbio dicitur, in culicis morsu Herculem invocent.* Isaacus Casaubonus in resp. ad epistol. Perronii nomine regis Angliæ scripta pag. 35. ex libr. episcopi Elienſis contra Bellarminum: *Quod cardinalem non latet, nisi volentem & ultro, dixit Christus:* Hoc est corpus meum: *non, hoc modo hoc est corpus meum. Nobis autem vobiscum de objecto convenit, de modo lis est. De hoc est, firma fide tenemus: de hoc modo est, (nempe per transsubstantiationem) de modo quo fiat, ut sit per, sive in, sive cum, sive sub, sive trans, nullum inibi verbum est. Et quia verbum, nullum merito a fide ablegamus procul: inter scita scholae fortasse, inter fidei articulos non ponimus. Quod dixisse olim fertur Durandus, neutiquam nobis displicet, verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, praesentiam credimus. Praesentiam, inquam, credimus non minus quam vos veram; de modo praesentiae nihil temere definimus, addo, nec anxie inquirimus, non magis quam in baptismo nostro, quomodo abluit nos sanguis Christi: non magis quam in Christi incarnatione, quomodo naturae divinae humana in eandem hypostasin uniatur (**).*

§. CV.

theraner und Reformirten im Grunde des Glaubens, illam de cœna controversiam, quæ inter theologos protestantes intercedit, capitalem esse negaverat. Cum vero STRIMESIUS hanc suam sententiam denuo propugnandam suscepisset in *hexade observationum henoticarum*, WERNSDORFIUS mox calamum rursus arripuit, eidemque opposuit *vindicias sententiae orthodoxae: quod dissensus inter socios A. C. & Reformatos in art. de cœna sit fundamentalis*, quæ binis constant dissertationibus, ac Vitembergæ *MDCCVI.* lucem adspexerunt publicam.

(*) Idem Calvinus in cap. V. Ephes. p. 189. edit. anno 1548. *Praeposteri sunt, qui nihilo plus in hac re credunt, quam ingenii sui modulo consecuti fuerint. Cum nobis in sacra cœna carnem & sanguinem Christi exhiberi negant, modum, inquiunt, definias, aut non persuadebis. Atqui ego mysterii altitudine in stuporem abripior. Neque vero me pudet admiratione meam ignorantiam cum Paulo fateri. Quanto enim id satius, quam exenuare carnis meae sensu, quod Paulus altum mysterium esse pronunciat. Quidquid enim supernaturale est, id profecto captum ingenii nostri superat.* In comm. 1 Cor. XI. *Christus visibile illud symbolum nobis porrigendo una dat etiam nobis suum corpus. Neque enim fallax est, quo vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi est extra controversiam, veritatem hic cum suo signo conjunctam esse.* Item: *Audio quid verba sonent, neque enim mortis tantum ac resurrectionis suae beneficium nobis offert Christus, sed corpus ipsum, in quo passus est & resurrexit.* Lib. de vera ecclesiae reformatione p. 326. inter tract. theolog. editos anno 1612. *Pronunciat Christus, se corpus & sanguinem suum dare, panem & vinum porrigendo: hoc totum recipimus, nec vero dubitamus, quin sua constet promissioni fides, quae certe constare nequit, quin res exhibeatur ipsa.* Pag. 327. b. *Corpus suum nobis Christus porrigit sed edendum: sanguinem suum propinat, sed bibendum.* In optima concordiæ ratione p. 1002. citante Pelargo ad notas non candidi pag. 159. *In sacra cœna miraculum agnoscimus, quod & naturae fines & sensus nostri modum excedit.* GERHARDUS.

(**) Negant Calviniani, controversiam eucharisticam esse de aliquo fidei articulo, Zwinglius tom. II. fol. 374. in apol. ad serm. Lutheri contra

An de modo duntaxat præsentiæ, non de ipsa præsentia quæstio sit?

§. CV. Speciose igitur & plausibiliter hæc, quod controversia de sacra eucharistia non sit de articulo fidei, dicuntur, nec dubitamus, de quamplurimis auditoribus in ecclesiis Calvinianorum verum esse illud, quod puriores sint ipsorum aures, quam docentium labia, interim tamen si adversæ partis scripta & argumenta expendere velimus, fateri omnino cogimur, non de modo præsentiæ, (quem ipsimet fatemur esse mysticum & inscrutabilem) sed de ipsa præsentia corporis & sanguinis Christi quæstionem esse. Contendunt enim adversarii, 1.) corpus Christi non nisi in cœlo substantialiter præsens esse, unde ex articulo adscensionis contra præsentiam corporis in cœna argumentum petunt. 2.) Christum juxta humanam naturam in terris non esse præsentem, sed cœlo usque ad extremum diem capi ac teneri. 3.) Præsentiam in pluribus locis evertere naturam veri corporis, unde ex proprietatibus veri corporis contra nostram sententiam argumentantur. 4.) Corpus Christi tam præsens fuisse Abrahæ & piis in veteri testamento, quam nobis in sacramento eucharistiæ præsens est. 5.) Manducationem corporis fieri sola fide in cœlum subvolante. 6.) Adesse Christi corpus operatione Spiritus sancti nobis communicatum & unitum, tametsi in cœlo maneat, quo usque ad extremum diem capitur (*). 7.) Præsentiam statui non propter panem, sed propter hominem, (qua ratione medium fini opponuntur, quæ tamen sunt subordinata.) 8.) Sacramentalem unionem in nuda χέσει & analogia consistere, quam sic explicant, quod panis sit signum, figura & repræsentatio corporis juxta essentiam suam absentis. 9.) Indigne manducantes non accipere corpus & sanguinem Christi, sed symbola tantum externa, panem scilicet & vinum. 10.) Præter manducationem naturalem panis & spiritualem manducationem corporis Christi per fidem, non dari sacramentalem manducationem corporis Christi. Quamvis enim Sadeel & alii sacramentalem manducationem concedere, eandemque a spirituali distinguere videantur, per eam tamen nihil aliud intelligunt, quam naturalem manducationem panis, qui est signum & symbolum corporis Christi absentis, quod sola fide & non nisi spiritualiter manducari possit. 11.) Corpus Christi nec localiter nec illocaliter præsens esse, Beza part. I. resp. ad coll. Mompelg. p. 37. 12.) Cor-

tra Suermeros, Erasmus Sabin. Hofnerus, alias Hermannus Fabronius libr. Caffelis edito anno 1607. cui titulus *Lutheraner und Calvinisten* cap. 1. Rationem addit Steinius in Gretsero triumph. cap. 5. p. 57. edit. Heidelb. anno 1605. quia quod non est in symbolo, id nec credendum. *Resp.* 1.) Controversia de sanctorum communione est de articulo fidei. At controversia de cœna est de sanctorum communione, teste apostolo 1 Cor. X. 17. 2.) Si fides est adversariis cœnæ *forma*, ergo circa eam controversiæ sunt de articulo fidei. 3.) Si juxta Epiphanium in ancor. is, *qui non credit de hoc mysterio, ipsum verum esse, sicut ῥητῶς Christus adseverat, excidit e gratia Dei & salute*; si juxta Theodoretum dial. III. *statim post apostolorum tempora qui negabant, eucharistiam constare duabus rebus terrena & cœlesti, publicitus pronunciabantur hæretici*, utique non erit controversia verbalis. 4.) Controversia, in cujus dijudicatione prava judicium damnationis æternæ, reatus corporis & sanguinis Domini conrahitur, verbalis non est. At hæc talis 1 Cor. XI. 5.) An verbales vocabis controversias, quæ tibi cum Capernaitis & Christi homicidis intercedunt, his enim nos ornas titulis. 6.) Bilstenius in logicis libr. I. p. 113. editis Hanov. anno 1594. *caput Johannis VI. referri ad cœnam, esse sub ratione articuli fidei credendum, ut dicat, ubiquitarios nisi in æternum velint damnari, idem ut profiteantur cogi.* Quid ergo fiet de sacra cœna? an non eo magis inter fidei articulos locum habebit. Ergo non est λογμαχία, sed μυστηριομαχία. 7.) Quæ ad cultum divinum pertinent, ea etiam ad articulos fidei pertinent. Sed sacramenta pertinent ad cultum divinum. Exod. XII. 26. *Quando filii vestri interrogabunt: Quid opus hoc vobis?* in quæ verba sic commentatur Tossanus: *Sacramenta sunt pars cultus, quem Deo præstare tenemur.* GERHARDUS.

(*) Zwinglius in resp. ad confess. Lutheri tom. II. p. 425. 426. fac. a. *Cæterum Christi corpus vel mortale vel immortale in cœnæ sacramento præsens esse, ipsius quoque Christi verbum nullo modo admittere potest.* GERHARDUS.

Corpus Christi nec visibiliter nec invisibiliter præsens esse. 13.) Corpus & sanguinem Christi ante reditum ejus ad judicium nec ordinarie, nec extraordinarie in terris, ubi cœna peragitur, præsentia esse. Consid. cap. 2. pag. 173. Quomodo vero aut qua arte hæ falsæ hypotheses cum vera sententia de vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia conciliari possunt? qua fronte adseritur, de modo saltem præsentiæ, non autem de ipsa præsentia quæstionem esse, cum semper protestati fuerimus, de modo nos nolle cum quoquam litigare, cum sit omni humanæ rationi incognitus? quomodo, sublato e terris objecto sacræ cœnæ, de ejusdem in terris præsentiæ modo disquiri potest? Videamus quid adferant.

Num relatio importet veram relatorum præsentiam?

§. CVI. Duo potissimum habent effugia: 1.) relationem importare veram relatorum præsentiam; 2.) fidei esse omnia præsentissima. Ita namque suam explicant sententiam. Esse inter panem & corpus Christi, inter vinum & sanguinem Christi *mutuam relationem*, jam vero non esse necesse, ut unum relatum cum altero in eodem loco præsens sit, sed valere σχέσιν illam, etiamsi alterutrum relatorum longe absit. Keckermannus lib. I. syst. log. c. 12. can. 6. *Relationes ad sui introductionem & conservationem non egent locali contactu. Sic patri versanti in Asia potest nasci filius Romae, & eadem est paternitas, quae foret, si pater Romae fuisset. Christus secundum corpus tantum nunc in cœlo existens veram ac realem habet unionem & cohaesionem cum suis membris adhuc militantibus in terra, ac idem corpus veram ac realem habet unionem sacramentalem cum pane eucharistico in terris, nullus hic localis contactus requiritur, &c.* Item corpus & sanguinem Christi dicunt esse objectum in cœna præsentissimum, non autem ori, non pani, sed fidei, *quae supra se elevata in summum cœlum penetret, ibidemque Christum adprehendat*, Bucanus in instit. loco XLVIII. q. 41. Unde dictitant, *in cœna adesse Christi corpus, non in pane, aut in loco, in quo est panis.* Missa de locali inclusione calumnia a nostris toties refutata, respondemus ad *prius*, relationem qua talem, non importare veram relatorum præsentiam, cum τὸ εἶναι relationis consistat in σχέσει & habitudine unius ad alterum, quæ σχέσις & habitudo potest esse inter non præsentia, ut probat ipsum illud exemplum a Keckermanno adductum. Quis enim patrem in Asia existentem, cui Romæ nascitur filius, præsentem esse filio statuet, nisi ἀφροσύνη mentis laboret? Quod autem non semper rei convenit, id nec per se eidem convenire judicandum, cum κατ' αὐτὸ præsupponat κατὰ παντός. Observandum igitur, ut recte monet Meisnerus, amicus noster singularis, part. I. sobr. philos. sect. 1. cap. 2. q. 2. *tria esse relatorum genera. Quaedam ad suam σχέσιν necessario requirunt absentiam*, quo modo referuntur spes & speratum, exspectans & exspectatum, præfigurans & præfiguratum, typus & ἀντίτυπος, locus supremus & infimus, &c. *Quaedam necessario requirunt praesentiam*, quo modo referuntur omnia unita, sive sit unio *physica* inter locum & locatum, sive *hyperphysica*, utpote *essentialis* inter personas sacro-sanctæ Trinitatis, *personalis* inter divinam & humanam naturam in Christo, *sacramentalis* inter panem eucharisticum & Christi corpus, &c. *Quaedam sunt intermedii generis, quae ad suam σχέσιν, nec praesentiam, nec absentiam requirunt*, quo modo pater ad filium, maritus ad conjugem, dominus ad servum, &c. refertur. Quare cum relatio, quatenus talis non importet præsentiam, ideo præsentia χετικὴ & relativa, quam adversarii excogitarunt, nihil aliud est quam merum subterfugium, quo intentatam sibi a nostris justissimam adcusationem de ἀπουσία corporis repellere frustra laborant (*). Mirifici vero

(*) Si ex nuda relatione vera & realis unio recte infertur, tum justitia Dei & infernus erunt realiter unum, nam & hic quædam est relatio; Dominus & servus erunt realiter unum, creator & creatura erunt realiter unum &c. quæ omnia sunt absurda. Ergo ex nuda illa σχέσει,

vero disputatores & chymistæ sunt adversarii, qui ex una eademque relationis natura contrarias circa eandem rem adfectiones elicere norunt. Quando enim illis objicimus, & quidem jure, quod absentiam corporis in mysterio cœnæ statuant, negant hoc ex natura relationis, quia scilicet mutua relatorum σχέσις veram præsentiam inferat. Vicissim quando contra nostram sententiam de vera corporis Christi in cœna præsentia disputant, itidem ex natura relationis argumentum petunt, quo veram corporis παρουσίαν impugnent. Statuunt enim *relatum correlato non inesse vel adesse, sed locorum intervallis perpetuo esse distincta, ac proinde corpus Christi nec in pane, nec cum pane præsens esse.* Crellius lib. I. part. comm. p. 47. Keckermannus l. d. Jodoc. Naum in adsertione test. c. 3. arg. 6. p. 60. Si obvertant, *localem tantum præsentiam, non vero omnem omnino præsentiam a natura relationis excludi;* respondemus, terminum *localis præsentiae* esse ambiguum, corpus Christi præsens esse dicimus in illo loco, in quo celebratur cœna, sed modo *locali & circumscriptivo* præsens esse negamus. Si præsentiam *localem* sensu posteriori intelligunt, habent nos sibi consentientes; si priori, repugnamus. Præsentia a relatione nec excluditur, nec præsupponitur, sed relatio ad præsentiam modo indifferente se habet, ut ex distinctione inter tria relatorum genera superius adsignata intelligi potest. Pater & filius relata sunt, qua relatione manente pater localiter adesse vel non adesse potest filio.

§. CVII. Quod *fidei omnia præsentissima esse dicunt*, itidem merum & inane est subterfugium (*). Σχέσιν & mutuam relationem inter fidem & objectum ejus, videlicet rem, quæ creditur, concedimus, sed quod objectum semper præsens sit fidei, quodque fides tantæ potestatis sit, ut objecta etiam remotissima vere efficiat præsentia, negamus. Distinguendum enim est inter *verbum promissionis* & *rem ipsam promissam.* Verbum promissionis tam firmiter amplectitur fides, eique fidit, ac si jamdum impleta esset promissio, sed ex eo non consequitur, rem promissam actu semper exstare (**). Ut res se habet in suo *esse*, ita in eam fides debet ferri: si enim fides aliter eam ad- *An fidei omnia sint præsentia?*

& relatione inter panem & corpus Christi, quam Calviniani statuunt, non possunt inferre realem unionem. Fingunt realem unionem sine reali præsentia, sicque ex maxime divisis disjunctissimisque faciunt unum. Posset quidem inter Christi corpus absens & panem eucharisticum aliqua relatio & σχέσις tanquam inter signatum & signum dari, sed non vera & realis unio. Keckermannus nugatur. GERHARDUS.

(*) 1.) Vera fides in fiducia constat. Calvinianorum in contemplatione, & sic illi confundunt fidem historicam cum justificante, & proprium beatorum, Christum scilicet in cœlo contemplari, ad Deum & Christum in cœlum venire, viventibus in carne attribuunt. 2 Cor. V. 7. Phil. I. 23. 2.) Vera fides certa est, hæc incerta. Nullus enim Calvinianorum referre potest, in quo cœli angulo Christum offenderit, ideoque istæ aquilæ instar graculorum circumvolitant. 3.) Fides opus habet promissione & mandato, cui innitatur. At hæc subvolatio in cœlum nullo scripturæ testimonio probatur, ubi enim scriptura adserit, cœlum illud, in quod Christus adscendit, & cui Christi corpus Calvinianus includit, esse in suprema orbis parte. 4.) Vera fides totum Christum simul adprehendit: at Calviniana vel distincte corpus & sanguinem Christi percipit, vel Christi institutionem violat. 5.) Vera fides una in vet. & nov. testam. at in vet. test. nullus in cœlum evolans Christum ibi in certo loco contemplatus est. 6.) Vera fides semper Christum adprehendit. At Calviniani vel non semper Christum intuebuntur, vel semper cœnam celebrabunt. 7.) Veram fidem apostoli in cœna habuerunt, at illi in cœlum evolare, ibidemque Christum contemplari non potuerunt. 8.) Num cibum intueri est edere; at Christus corpus suum edere jussit? GERHARDUS.

(**) Schegkius contr. anonym. p. 49. *Fides omnis in objectum aliquod fertur, & est mensuratum quiddam, ipsa quippe fides posterius quiddam φύσει: est objectum seu mensura ipsius prius quiddam φύσει erit. Non igitur πίστις causa est præsentiæ, sed τὸ πιστὸν præsens τῆς πίστεως est causa, ut ἐπιστήμης* cau-

adprehenderet, vera fides non esset. Ergo si verum est, quod adversarii statuunt, corpus Christi secundum essentiam non esse præsens in cœna, utique etiam fides illud, ut præsens nec potest nec debet adprehendere. 1.) Credimus vitam æternam, quam nobis præsentem esse qui adserere volet, statum ecclesiæ militantis cum triumphante confundet. Credimus mundi creationem ante aliquot millenarios factam. Credimus resurrectionem mortuorum in fine demum seculi futuram. Ergo qui hæc vere præsentia dicere velit, cum ratione insanire censebitur. 2.) Pii veteres crediderunt in Christum venturum in carnem, passurum & resurrecturum. At quis carnem & passionem Christi ipsis præsentem fuisse adseret? 3.) Vetus testamentum habuit σκιὰν μελλόντων ἀγαθῶν, *umbram futurorum bonorum*, Hebr. X. 1. si fuerunt bona futura, utique nondum fuerunt præsentia. 4.) 2 Cor. V. 6. *Dum in corpore sumus, peregrinamur a Domino*, v. 7. *per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Apostolus infert hoc modo, peregrinamur a Domino, nec dum ei præsentes sumus, quia per fidem ambulamus. Adversarii modo contrario inferunt. Ambulamus per fidem; ergo præsentes Domino sumus. 5.) Hebr. XI. 13. *Juxta fidem mortui sunt isti omnes, cum non essent adepti promissa, sed eminus ea vidissent & credidissent*, ubi conjunguntur credere & πορρώθεν videre ac non adipisci. 6.) Ac merito quis miretur, fidei nostræ ab adversariis tantum tribui, quod corpus Christi in cœna præsens sistat, cum verbo Christi, imo divinæ potentiæ hoc ipsum denegent (*). Argumenta, quæ ex Rom. VIII. 24. Hebr. XI. 1. & ex distinctione inter *fidem* ac *spem* petunt, in tract. de justificatione a nobis sunt exposita, & sufficienter ad illa respondet Meisnerus part. I. sobr. philos. sect. 1. cap. 2. q. 1. Immotum igitur perstat, nec fidem nec aliam quamvis relationem quatenus talem inferre veram relatorum præsentiam. Nimirum relatio a mutua χέσει & habitudine, præsentia vero ab entium unione & locorum conjunctione dependet. Quod si in relatione cum mutua χέσει & habitudine entium unio & locorum conjunctio simul concurrat, tunc demum relata sibi vere præsentia & sunt & dicuntur, si vero ab illa χέσει entium unio & locorum conjunctio absit, relata non sunt

causa & mensura ἐπιστὴτον & non ἐπιστήμη τοῦ ἐπιστήτου *causa existit.* Si fides potest facere corpus Christi absens vere præsens, faciet id vel *intentionaliter* & *imaginarie*, vel *realiter*. Si prius, sequetur in verbis cœnæ imaginariam duntaxat præsentiam promitti. Si posterius, sequetur, quod incarnatio & passio Filii Dei patribus in vet. test. per fidem fuerint præsentia in rerum natura. GERHARDUS.

(*) Contra sententiam de fide οὐρανοβατικῇ sic concludimus: 1.) Si per fidem anima nostra in cœlum elevatur, ut ibi in cœlesti mensa corpore & sanguine Christi fruatur, sequitur, eam fruitionem aut esse gloriosam aut gratiosam. Non *gloriosa*, quia ea proprie competit ecclesiæ triumphanti, non militanti. 1 Cor. III. 2. Non *gratiosa*, quia tali præsentia Deus ad nos in terras venit, non nos ad illum. Phil. I. 23. 1 Cor. IV. 17. 2.) De fide in cœlum subvolante & corpus Christi ibi adprehendente nullum proferri potest mandatum, nulla promissio. Apostolus potius contrarium testatur, Rom. X. 6. 3.) Apostolus docet, in cœlo cessaturam fidem ac spem, solam autem caritatem duraturam, 1 Cor. XIII. 12. ambulare nos hic per fidem, in cœlo autem per speciem; 2 Cor. V. 7. At juxta adversarios in cœlo ambulamus per fidem. 4.) Per hanc opinionem solvitur unio sacramentalis inter panem & corpus Christi, quæ duo ipsis longo locorum intervallo sunt disjuncta. 5.) Quamdiu anima est in corpore suo, extra illud non emigrat, nec operatur. Absentium quidem rerum imagines sibi format, non autem ad illas egreditur. 6.) Mirum est, tantam ipsos animæ rationali vim tribuere, ut in cœlo transmundano circa corpus Christi versetur, & tamen in terris corpus suum etiam informet? an non hoc est creaturam finitam in pluribus simul locis, in cœlo simul & terra collocare? num ergo Spiritus sancti efficacia major est in anima hominis peccatoris, quam efficacia τῷ λόγῳ in sanctissimo suo corpore, quod in ὑπόστασιν suam adsumsit? Vide Frid. Petri in adpend. libr. de Nestorian. GERHARDUS.

nec dici possunt praesentia. Ad haec duo potiora effugia etiam reliqua referri possunt, utpote, quod dicunt, *corpus Christi esse in sacra coena praesens communicatione idiomatum, sicut caput est praesens pedi, nempe per communem spiritum: esse praesens nominetenus: esse praesens memoria seu recordatione, adfectione, cogitatione, contemplatione: esse praesens efficacia secundum virtutem: esse praesens, sicut legatum in testamento, vel sicut clare tradita intelligitur tradi domus: esse praesens, ut sol est in terra radiis suis praesens, ut rex in toto regno, ut herba odorem fundit per totam domum, &c.* quae inania χρησφύγετα diligenter refellit Menzerus tom. III. disp. Giss. disp. VII. thes. 20.

praesentiam statuere. Frustra vero id statuitur, cujus nullus est usus. Resp. 1.) Argumentum hoc directe pugnat contra institutionem Christi, in qua sacramentalem manducationem sui corporis, & bibitionem sui sanguinis instituit. 2.) Lutherus recte monet, etiamsi nudum tantummodo mandatum, nuda ordinatio & institutio Christi de sacramentali manducatione ac bibitione exstaret sine expressa fructus mentione, nequaquam tamen a verbis Christi discedendum esse, siquidem verus discipulatus Christi hoc a nobis requirit, *ut in sermone ipsius maneamus*, Joh. VIII. 31. *vocem ejus audiamus*; Joh. X. 27. contra vero *omnem rationem sub obsequium fidei captivemus*. 2 Cor. X. 5. 3.) Manducatio & bibitio sacramentalis cum manducatione & bibitione spirituali non est confundenda, illa pertinet ad essentiam, haec vero ad fructum coenae. 4.) Salutares fructus, quos vere pii ex usu coenae percipiunt, suo exponentur loco. Chemnitius in egregio scripto de coena cap. 11. pag. 462. & seqq. late ostendit, substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra coena praesentiam maximas praebere consolationes. *Primo* fides nostra debet adprehendere Christum Deum & hominem in ea natura, qua propinquus, cognatus & frater noster est, vita enim, quae divinitatis est propria, in adsumta carne residet, & quasi deposita est. Quia igitur onere peccatorum pressi non possumus ad Christum in gloria regnantem penetrare, ideo ad nos venit, adprehensurus nos ea natura, qua frater noster est, & quia gloriam majestatis fragilitas nostra in hac vita ferre non potest, sub pane igitur & vino adest, & exhibetur nobis corpus & sanguis ejus. *Secundo* per peccatum ita eramus abalienati a vita divinitatis, ut fragilitas nostra eam sine medio secum agentem ferre non posset, ideo Christus non solum adsumsit naturam nostram, sed illam etiam nobis rursus restituit, prae-

ficit σαρκικὴν & fidei praesentia.

§ CVIII. Videamus, quibus argumentis veram, realem & substantialem corporis Christi in sacra coena praesentiam impugnent. Recte autem monet Lutherus in praefat. syngram. duo esse praecipua adversariorum in hac quaestione fundamenta, videlicet *absurditas* & *nulla necessitas*, videtur enim rationi ipsorum plane absurdum & non necessarium, statuere corpus Christi in coena praesens esse, quod si rationem suam sub obsequium fidei captivare discerent, jampridem omnis hac de re controversia esset sopita. *Semper nobis visi estis* (scribit Martyr in dialog. de natal. hum. p. 127.) *minus quam par est sapere, cum pro dogmate absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tamen quidquam habetis, nisi Christi τὸ ἐντὸν, hoc est corpus meum* (*). Argumentum ab absurdo superius excussimus; restat excutiendum illud, quod a *non necessario* deducunt.

Argumenta adversariorum contra veram & realem corporis Christi in coena praesentiam.

1.) *Ad corpus Christi spiritualiter percipiendum suf.*

1.) *Ad corpus Christi spiritualiter percipiendum* (inquiunt) *non opus est aliam, quam σαρκικὴν & fidei*

(*) Zwinglius in coll. Marpurgensi: *Nihil credendum esse, quod ratione comprehendi nequeat, quia Deus non proponat nobis incomprehensibilia.* Lutherus tom. IV. Jen. germ. p. 408. cum ipsi responderetur, *corpus Christi manducari in coena modo imperscrutabili*; dixit, *egregiam vero lucem, quae non tantum luminis nobis praebet, ut intelligere queamus, quomodo corpus ejus in pane manducetur?* GERHARDUS.

præbendo nobis in cœna corpus ac sanguinem suum, ut hoc nexu adsumtæ & nobis rursus communicatæ humanitatis suæ subvehat nos ad communionem & conjunctionem cum divinitate. *Tertio* natura nostra principio ad imaginem Dei creata, omnibus cœlestibus & divinis donis ornata erat, quæ bona apud Adamum, ut generis nostri auctorem, deposita erant, sed per lapsum non tantum bona illa amissa, sed natura peccato depravata & morte perdita est. Filius igitur Dei naturam nostram, sed sine peccato adsumsit, in ea peccatum damnavit, mortem destruxit, ac vita eam replevit. Atque ita humanam naturam primum in sua persona sanctificavit, ut autem certi redderemur, hæc ad nostram etiam miseram naturam in nobis pertinere & vere nobis communicari, Christus ipsam naturam, quam a nobis adsumsit, & in se primo reparavit, rursus nobis in cœna præbet. *Quarto* evangelii doctrina in genere pronunciat, traditione corporis & effusione sanguinis Christi placatam esse iram Patris, & æternam redemtionem adquisitam: sed anxiæ & pavidæ mentes conspectu peccatorum, indignitatis, infirmitatis &c. variis tentationibus terrentur & turbantur, ut de speciali adplicatione dubitare incipiant; Christus igitur illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, ac illum ipsum sanguinem, qui pro nobis effusus est, in cœna illis exhibet, & hoc certo ac firmo arrhabone exhibitionem & adplicationem promissionis evangelicæ confirmat. *Quinto* humana natura Christi depositis infirmitatibus residet in gloria Patris: nostra natura, licet juxta promissionem spem habemus glorificationis, tamen sordibus adhuc inquinata, miseriis oppressa, & omnibus telis satanæ, mundi & carnis est exposita; ne igitur fides nostra turbetur, ideo Christus suum corpus & sanguinem nobis præbet, ut hoc pignore certos nos reddat, fore ut aliquando conformemur corpori ipsius glorioso. *Sexto* novum testamentum est fœdus gratiæ in remissione peccatorum: hoc fœdus erga Deum sancitum est & confirmatum effusione sanguinis Christi: ut igitur certi esse possimus, nos in fœdere isto perpetuo mansuros, ideo illum ipsum sanguinem, cujus effusione id sancitum est, in cœna nobis exhibet. *Septimo* instituta est sacra cœna in recordationem beneficiorum Christi, & in confirmationem fidei. Quia autem vera fides firmius a Christo adprehenditur, Phil. III. 12. ideo adprehensione vivificæ suæ carnis vult in nobis excitare, conservare & confirmare veram sui recordationem. *Octavo* Christus in cœna ea natura, qua caput nostrum est, corpore scilicet & sanguine suo se arctissime nobis conjungit, ideo per adsumtam illam & nobis cognatam naturam potenter & efficaciter in credentibus operatur, ut, quia ipsum caput est in nobis, nos etiam invicem simus alter alterius membra. Hæc Chemnitius pie & erudite.

§. CIX. II.) Quidam ex adversariis eo progrediuntur, ut substantialem corporis Christi in cœna præsentiam prorsus inutilem esse probare conentur ex dicto Christi Joh. VI. 63. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Zwinglius part. II. oper. pag. 269. *Si caro ejus manducata non prodest quidquam, haud dubie nec ad manducandum illam nobis exhibere aut dare voluit.* Idem in epist. ad Matth. Alberum scribit, *carnem Christi comestam gignere aliud non posse quam carnem, nam carnem esse, quidquid ex carne nascitur* (*). Resp. 1.) Calvinus ipse in comment. cap. VI. Joh. hanc Zwinglianam detortionem refellit. *Nec recte etiam illi*, (inquit) *qui Christi carnem prodesse dicunt, quatenus est crucifixa, comestam vero nihil nobis adferre, quin potius comedere eam necesse est, ut crucifixa prosit* (**). Mart. Bucerus in cap. VI. Joh.

2.) *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam Joh. VI.*

(*) Idem Zwinglius in comm. de vera & falsa relig. p. 205. *Caro Christi prodest cæsa, non ambesa & co cesa.* Urbinus in expl. catech. pag. 347. GERHARDUS.

(**) Bucanus in inst. loc. XLVIII. p. 738. *Caro Christi est vivifica 1.) ratione unionis, quia est propria verbi omnia vivificare valentis caro, ut loquitur Synodus Ephesina. 2.) Ratione meriti obedientiæ, qua*

agnoscit *Christum non loqui de sua carne.* 2.) Christus in illa ipsa concione summam utilitatem carnis suæ prædicat, & inculcat v. 51. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* v. 33. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* v. 55. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus &c.* Qua igitur specie de carne Christi dici potest, quod οὐκ ὠφελεῖ ἐδὲν, *nihil quidquam* omnino prosit? hoc argumentum merito urget Lutherus. 3.) Christus non dicit: *Caro mea non prodest quidquam*, quin potius contrarium adserit, carnem suam vivificam ibidem adserens, unde synodus Ephesina anathemate eos ferit, qui carnem Christi negant esse vivificam; sed simpliciter & absolute dicit: *Caro non prodest quidquam.* 4.) Christus nihil instituit sine certo fine. Atqui instituit sacramentalem carnis suæ manducationem. 5.) Duæ exstant veterum interpretationes in hunc locum. *Quidam* enim de carne Christi intelligunt, non quod ex se & per se non prosit, sed quod ex *accidenti* non prosit, videlicet vel sola sine divinitate, vel *capernaitice* & carnaliter manducata, vel sacramentaliter sine fide accepta. *Quidam* vero de carnali auditorum intellectu verba Christi accipiunt. Cyrillus lib. IV. in Joh. cap. XXIII. p. 210. *Caro quidem cæterorum omnium quidquam vere non prodest: Caro autem Christi, quia in ipsa unigenitus Dei filius habitat, sola vivificare potest.* Augustinus tract. 27. in Joh. tom. IX. f. 48. *O Domine magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? an vita non prodest quidquam? quid est ergo, caro non prodest quidquam? Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.* Et postea: *Si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest?* Idem serm. XI. de verb. dom. circa medium: *Multi, qui vel corde ficto carnem illam manducant & sanguinem bibunt, vel cum manducaverint & biberint, apostatae fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem & bibendi illum sanguinem, quomodo, qui manducaverit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducaverit carnem Christi, & biberit ejus sanguinem, manet in Christo & Christus in illo, sed certo quodam modo, quem modum utique ipse videbat, quando ista dicebat.* Paschasius lib. de corp. & sang. Christi, in biblioth. patrum tom. VI. p. 347. *Sine Spiritu sancto sicut nec caro Christi prodest quidquam, ita nec hoc sacramentum carnis prodesse potest.* Sed Chrysostomus & Theophylactus in h. l. exponunt de carnali auditorum intellectu. *Quid est, caro non prodest quidquam? non de ipsa carne dicit, absit: sed de his, qui carnaliter accipiunt, quae dicuntur de carnali auditu,* τὸ σαρκικῶς ταῦτα ἐνδέχεσθαι, ἐδὲν ὠφελεῖ, ἀλλὰ σκάνδαλον ἀ'φορμὴ γίνεται &c. 6.) Quamvis vero neutra harum interpretationum no-

qua Christus oblato in sua carne pro nobis in crucem acta sacrificio omnibus credentibus vitam æternam adquisivit. 3.) *Respectu copulationis nostræ cum Christo &c. Quod ergo dicitur Joh. VI. 63.* Caro non prodest quidquam, *non de ipsa Christi carne simpliciter intelligendum, sed de carnalibus opinionibus non convenientibus cum mysterio manducationis carnis Christi.* Toffanus in notis marg. Joh. VI. *Spiritus est, qui vivificat, per Spiritum intelligitur Christi deitas, cui caro in personæ unitate est arctissime unita, ut sit sensus: Vis vivificandi est in carne mea, non quatenus caro est, sed quatenus est æterni Filii Dei caro.* Beza in annot. major. h. l. *Sic quidem adpositissime verba Christi explicari existimo, ita ut in carnis & Spiritus vocabulis usitata sit retinenda significatio, & Christus non proprie & singulariter de carne sua, (expressit enim pronomen μου mea) sed generaliter de omni naturali cibi usu sit locutus.* GERHARDUS.

noſtræ ſententiæ adverſetur, (concedimus enim carnem Chriſti non prodeſſe, ſi ex hypotheſi eſſet nudi hominis caro, vel ſi *capernaitice* & carnaliter manducaretur, quin & ſacramentalem corporis Chriſti manducationem abſque ſpirituali nihil prodeſſe concedimus:) interim poſterior interpretatio præferenda eſt priori, cum textui magis congruat. a.) Quoties enim in ſcriptura caro opponitur ſpiritui, ut ea quidem vituperetur, hæc vero laudetur, tunc illud non poteſt nec debet intelligi de carne Chriſti, ſed de carne noſtra, id eſt, de veteri noſtro Adamo, de carnali intellectu & ſtudio, quam regulam Lutherus multis exemplis probat. Jam vero talis oppoſitio carnis & Spiritus eſt in hiſce verbis. b.) Chriſtus non dicit: caro mea non prodeſt quidquam. c.) Chriſtus abſolute & ἀποτόμως negat, carnem ullo modo prodeſſe, idque de Chriſti carne dici nequit, quæ licet ex accidenti & certo quodam reſpectu non proſit abſolute, tamen nequaquam dicenda eſt non prodeſſe. d.) Τὸ *vivificare* ſpiritui attributum in præcedentibus etiam carni Chriſti tribuitur, quomodo igitur per carnem ſpiritui oppoſitam caro Chriſti intelligi poteſt? quorum eadem ſunt attributa, ea non poſſunt ἐναντίως invicem opponi. e.) Chriſtus in tota illa concione, jam inde ab initio miſcet, & quaſi alternatim tractat jam ſummam celebrationem ſuæ perſonæ, carnis & beneficiorum ejus, quod ſcilicet ſit ſalutaris mundo, jam contra reprehendendo incredulitatem & carnalitatem auditorum, qui eam non curabant, nec in ipſum credebant, quare & hic adcuſando carnem ut prorſus inutilem, non ſuam, ſed auditorum carnem adcuſaſſe ſtatuendus eſt. f.) Ex ipſo Chriſti reſponſo adparet, quænam fuerit lis & quæſtio inter Chriſtum & ipſius adverſarios, videlicet non quomodo caro Chriſti ſit comedenda? Sed adverſarii totam doctrinam, quod ſcilicet de cœlo venerit ac ſit ſalvator mundi &c. dixerunt, eſſe falſam; ideo Chriſtus eam adſerit & confirmat. Capernaitæ non quærebant de modo edendæ carnis, ſed totam Chriſti doctrinam repudiabant; Chriſtus igitur non projicit margaritas porcis myſterium comedendæ carnis ſuæ declarando, ſed veritatem dictorum confirmat. g.) Chriſtus immediate ſubjicit v. 63. *Verba quae loquor vobis, ſunt Spiritus & vita.* v. 64. *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* v. 65. *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre;* quæ omnia evidenter oſtendunt, quod carnem, id eſt, carnalem intellectum auditorum Chriſtus redarguat, revocat enim nos ad v. 44. *Nolite murmurare invicem: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum,* ubi eadem carnalitatis reprehenſio proponitur. c. *Prima quidem diſtinct. 2. de conſecrat.* ex Auguſtino: *Verba quae locutus ſum ad vos, Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſtis carnaliter? etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt Spiritus & vita, qui ſpiritualiter non intelligis.* Cyprianus ſerm. de cœn. p. 450. *Capernaitae exiſtimantes, hoc eo modo dici, ut carnem ejus elixam vel aſſam ſectamque membratim edere docerentur, abierunt retro. Sed in cogitationibus hujusmodi caro & ſanguis non prodeſt quidquam, quia ſicut ipſe magiſter expoſuit, verba haec Spiritus & vita ſunt, nec carnalis ſenſus ad intellectum tantae profunditatis penetrat, niſi fides accedat.*

§. CX. Præter hæc principalia fundamenta (*abſurdi & non neceſſarii*) proferunt etiam alia minus principalia, quæ petita ſunt, vel ex dictis ſcripturæ peregrinis & contortis: vel ex pronunciatis philoſophicis, male adplicatis. Percurramus utramque claſſem I.) Matth. XXIV. 23. *Si quis dixerit vobis, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite credere. Ergo non eſt credendum illis, qui ſtatuunt, Chriſtum ſuo corpore & ſanguine in cœna eſſe praeſentem* (*). Reſp. 1.) Eadem ratione inferri poſſet

Argumenta minus principalia. 1.) Matth. XXIV. 23. Si quis dixerit vobis, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite credere.

(*) Toſſanus in not. marg. bibliorum Luc. XVII. 21. *Non dicent, ecce hic, ecce illic. Poſſunt* (inquit)

posset, non esse docendum, quod Christus suo corpore sit in cœlo, quod per fidem habitet in cordibus piorum, quod tamen utrumque scriptura adserit, nec repugnant adversarii. 2.) Quinimo sequeretur, Christum ne quidem secundum divinam naturam esse in terris præsentem, cum simpliciter adseratur, non esse credendum illis qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic.* 3.) Ex circumstantiis dicti sensus est manifestus. Prædicit Christus ante vastationem Hierosolymitanam multos surrecturos pseudoprophetas & pseudo-christos, qui bonorem Messiæ sibi vendicaturi, numerosum populum sibi adgregaturi & externam a Romanorum oppressione liberationem eidem promissuri sint, illis ne fidem habeant, serio & graviter hortatur. Vide Calvinum in harm. p. 363. 4.) Luc. XVII. 21. Christus de regno suo eadem phrasi utitur: *Non dicent, ecce hic, aut ecce illic*, docens, regnum suum non esse terrenum certo loco adligatum, quodque externa & visibili majestate agnoscatur; sed esse regnum spirituale & cœleste, quod non veniat μετὰ παρατηρήσεως v. 20. sed intra nos sit. v. 21. Ecquis vero inde colligere velit, regnum Christi procul a nobis abesse? Vide Marloratum in com. h. l. (*).

habetis. Joh. XVI. 28. relinquo mundum.

§. CXI. II.) *Surrexit, non est hic.* Matth. XXVIII. 6 *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Marc. XIV. 7. *Relinquo mundum.* Joh. XVI. 28. *Ergo Christus suo corpore & sanguine non est præsens in cœna.* Resp. 1.) Hæc & similia dicta localem, naturalem & visibilem corporis Christi præsentiam tollunt, nequaquam vero vel personalem, vel gratiosam, vel sacramentalem. 2.) Nec simpliciter omnem omnino Christi secundum humanam naturam in terris præsentiam excludunt, sed certum tantummodo præsentiæ modum. 3.) Adparet hoc ex omnibus illis fundamentis, quæ pro personali & sacramentali Christi in his terris præsentia ex scripturis adduci possunt. 4.) Adparet id ipsum ex verbis Christi: Luc. XXIV. 44. *Hi sunt sermones, quos ad vos habui, cum essem vobiscum.* Erat quidem jam tum apud illos, sed alio modo, non in infirmitate carnis, sed in gloria majestatis. 5.) Adparet idem ex locorum istorum circumstantiis. Sic verba angeli: *surrexit, non est hic;* Luc. XXIV. 5. ita explicantur: *Quid quaeritis vivum inter mortuos?* Qualis & quatenus a mulierculis quærebatur, talis & eatenus non aderat, nimirum non jacebat mortuus in sepulcro, sed vivebat glorioſus in suo regno. Sic verba Christi: *me non semper habetis;* ibidem explicantur: *Pauperes semper habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere, me autem non semper habetis*, nimirum, ut possitis mihi eo modo benefacere, quo pauperibus (**). Joh. XVI. 28. additur: *Exivi a Patre, & veni in hunc mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ut ergo a Patre exivit, & in mun-

2.) *Matth. XXVIII. 6. Surrexit, non est hic. Marc. XIV. 4. me non semper*

(inquit) *hæc verba etiam sic reddi: Ecce hic ecce illic est Christus, puta modo corporali, quia Christus corpore suo jam non est in terra præsens, sed in cœlo.* GERHARDUS.

(*) Calvinus in cap. XVI. Joh. *Relinquo mundum &c.* sic commentatur: *Mundum reliquit Christus, cum infirmitates nostras exuens in cœlum receptus est, sed viget nihilominus erga nos ejus gratia, quia sedet ad dextram Dei, ut totius mundi imperio potiatur.* GERHARDUS.

(**) De loc. Matth. XXVI. *me non semper habebitis.* Hieronymus in cap. XXVI. Matth. *Alia oboritur quæstio, quare Dominus post resurrectionem dixerit:* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, *& hic dicat:* me non semper habebitis. *Mihi videtur in his locis dicere de præsentia corporali, quod nequaquam cum ipsis futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu & liberalitate.* Augustinus tract. L. in Joh. *Non semper me habebitis. Quare? quia conversatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis & eis deducentibus videlo non sequelo adscendit in cœlum & non est hic. Ibi enim sedit ad dexteram Patris & hic est: nunquam recessit præsentia majestatis. Secundam præsentiam majestatis semper habemus Christum, secundum præsentiam carnis recte dictum est discipulis:* Me autem non semper habebitis. *Habuit enim illum eccle-*

mundum venit, ita quoque mundum relinquit, & ad Patrem redit. Jam vero in mundum venit, non loci mutatione, sed visibili manifestatione in adsumta carne. 1 Tim. III 16. Ergo etiam mundum relinquit, & ad Patrem vadit, visibilis præsentiæ subtractione. Sicut a Patre exivit, & in Patre tamen mansit, cum in mundum veniret: ita quoque ad patrem rediit, & in mundo mansit, cum e mundo exiret, qua de re in harmonia evangelica pluribus disseremus (*).

§. CXII. III.) 2 Cor. V. 16. *Jam non novimus Christum secundum carnem. Ergo nec nos debemus Christum in cœna quaerere secundum carnis praesentiam.*

3.) *Non novimus Christum secundum carnem. 2 Cor. V. 16.*

Resp. 1.) Calvinus ipse agnoscit, ex h. l. non recte duci argumentum contra præsentiam corporis Christi in cœna. 2.) Si enim hic locus ageret de Christi corpore, sequeretur, Christum post resurrectionem non amplius habere verum corpus, siquidem eo modo Christum agnoscere debemus, quo eum apostoli Spiritu sancto collustrati cognoverunt. 3.) Sensus dicti apostolici patet ex contextu. Loquitur apostolus de carnali intellectu, quem de Christo & ipsius regno quidam adhuc fovebant, quasi scilicet Christi regnum sit mundanum ac terrenum, illis opponit hæc verba: *Si & nos Christum secundum carnem cognovimus, nunc tamen eum non cognoscimus;* quo dicitur: quamvis plurimi, ac inter hos etiam ipsimet apostoli, carnalia commoda in Christo quæsiverint, quippe quem regem mundanum fore credebant, tamen, deposita falsa illa & carnali opinione, non amplius carnalia, sed spiritualia, cœlestia & æterna beneficia in Christo quærimus. Lutherus tom. II. Witteb. fol. 180. *Secundum carnem apostolo non significat in carne, sicut sacramentarii somniant, sed more adverbii carnaliter vel studio & adfectu carnis, vel quomodo caro facit.* 4.) Alii sic explicant, quod apostolus dictum hoc opponat illis, qui nihilo excellentius de Christo judicabant, quam sicut ex infirmitate carnis tempore exinanitionis Christi æstimare poterant, sicut & alibi status exinanitionis vocatur dies carnis. Res eodem recidit. 5.) Aliud ergo est Christum *secundum carnem* cognoscere, aliud vero Christum *in carne* cognoscere; illud carnales de Christo cogitationes, hoc vero adsumtæ naturæ mysterium respicit. Calvinus in h. l. *Non de corporis substantia apostolus loquitur, sed de externa specie, neque dicit, non amplius cognosci a nobis carnem in Christo, sed inde Christum censeri negat, & , nisi carnem Christi nunc agnoscimus, perit nobis tota, quam in ipso habere nos convenit, fiducia & consolatio: verum agnoscimus Christum in carne sua non carnaliter, quia non nisi in consideratione spiritualium ejus donorum adquiescimus.*

§. CXIII. IV.) Col. III. 1. *Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est ad dextram Patris. Ergo Christus corpore & sanguine suo non est praesens in terris,* quo etiam referunt verba profæ ecclesiasticæ in administratione eucharistiæ, jam olim usitata: *Sursum corda habemus ad Dominum.* Resp. 1.) Apostolus nec de cœna, nec de præsentia Christ in his terris eo loco agit, sed disputat contra falsam philosophiam, contra traditio-

4.) *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est. Col. III. 1.*

ecclesia secundum praesentiam carnis paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt. Calvinus in comm. h. l. *Quod se negat cum discipulis semper fore, ad genus praesentiæ referri debet, cui carnalis cultus & sumtuosus honor conveniat. Nam quod Spiritus sui gratia nobis adest, quod habitat in nobis, quod nos etiam carne sua & sanguine pascit, nihil hoc ad corporeos cultus.* GERHARDUS.

(*) Dictum Hebr. VIII. 4. non agit de loco repræsentationis sacrificii Christi seu de existentia Christi in cœlis, sed de ipsa sacrificii oblatione, quod non erat in terris, hoc est, terrenæ conditionis sive res terrena, qualem levitici sacerdotes offerre debebant, sed erat corpus *Domini de cœlo*, 1 Cor. XV. 47. id est, cœlesti modo conceptum & a Filio Dei in personam suam adsumtum. Hoc colligitur ex scopo & contextu. GERHARDUS.

ditiones humanas & ceremonias leviticas Christi morte abrogatas, & hæc vocat *elementa mundi*, ac quæ *sint super terram.* 2.) Diserte ibidem exponit, quid per τα ἐπὶ τῆς γῆς intelligat, videlicet veterem hominem cum suis concupiscentiis: v. 5. *mortificate membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiscentiam pravam & avaritiam;* his opponit ea, quæ sunt sursum, inter quæ *numerat novum hominem, veram Dei agnitionem, caritatem, pacem Dei in cordibus &c.* 3.) Non ergo *sursum* τὸ ἄνω intelligit de loci intercapedine, quasi scilicet ista omnia a nobis in terra versantibus procul sint semota atque sejuncta. Augustinus libr. octog. trium quæstionum q. 29. *Ea, quae sursum sunt, sapere jubemur, spiritualia scilicet, quae non locis & partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiae suae.* Theophylactus in h. l. *Supernam vitae institutionem ac formam imitamini.* 4.) Sursum habere corda nihil aliud est, quam mentes a terrenis liberas ad considerationem verbi & promissionum divinarum directas habere, id quod cum vera corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia minime omnium pugnat, statim enim additur declaratio, *ad Dominum* elevanda esse corda, quem ab actione cœnæ abesse, qua fronte adserere audebunt? In canone Nicæno hæc conjunguntur: ὑψώσαντες τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς τραπέζας τὸν ἀμνὸν τὸ θεὸ. 5.) Contextus apostolicus potius repugnat sententiæ adversariorum, quia ad τὸ φρονεῖν τα ἐπὶ τῆς γῆς etiam hoc pertinet, si res divinas ex ratiocinationibus humanis æstimare velimus. Chrysostomus hom. V. in 1 Cor. *Ex philosophia res divinas intelligere est candens ferrum non forcipe, sed digitis contrectare.* Quare philosophica argumenta non sunt opponenda disertis Christi verbis, quod tamen adversarios facere constat.

§. CXIV. V.) Hebr. VIII. 4.

Si Christus in terris esset, ne quidem pontifex foret. Ergo non est praesens suo corpore eo in loco, in quo celebratur cœna (*). Resp. 1.) Ex hypothesi adversariorum sequeretur, Christum non fuisse pontificem, cum in ara crucis se offerret Deo in odorem suavitatis. 2.) Imo etiam sequeretur, Christum ne quidem secundum divinam naturam in terris præsentem esse, quod tamen adversarii adserunt. 3.) Sensus genuinus hujus dicti ex scopo & circumstantiis manifestus est. Confert auctor epistolæ Christum cum sacerdotibus leviticis, quos vocat *terrenos*, quia *exemplari & umbrae deservierunt*, hoc est, in tabernaculo manu facto terrena sacrificia tractarunt, Christum autem cœlestem sacerdotem, quia *se ipsum obtulit victimam Deo & in tabernaculum ἀχειροποίητον est ingressus*, ut cap. IX. 11. & 12. explicatio additur. Ambrosius in h. l. *Si Christus esset terrenus*

5.) Si Christus in terris esset, ne quidem pontifex foret. Hebr. VIII. 4.

(*) Præcipui ex theologis Reformatis, qui nobis hoc apostoli effatum opponunt, sunt DAVID PAREUS & MATTH. MARTINIVS, quorum *ille* præsentiam corporis Christi realem in sacra cœna; *hic* vero omnipræsentiam humanæ Christi naturæ ex hocce loco infringi posse existimavit. Ast facili ostendi potest negotio, verba apostoli *visibilem* duntaxat & *physicam* humanæ Christi naturæ præsentiam terris hisce denegare, illam nimirum, qua tempore exinanitionis suæ præsens in his terris fuit. Sacerdotes enim modo visibili præsentes ad sacerdotium leviticum peragendum procul dubio requiruntur. Jam vero a negatione præsentiæ *visibilis* & *naturalis* Christi in his terris ad negationem præsentiæ *omnis* & *divinæ* illius, quæ ex communicatione idiomatum fluit, nulla legitima necti potest consequentia. Ita, licet ipsius Dei omnipræsentia in nonnullis sacræ scripturæ locis negari videatur, verb. grat. quando dicitur, eundem habitare in cœlis, descendere nonnunquam in terras, egredi e loco, & reverti in eundem &c. nemo tamen negaverit, non omnem præsentiam divinam, sed certum duntaxat præsentiæ modum his ipsis loquendi formulis negari. Qui plura hanc in rem legere voluerit, evolvat JO. FRID. KOENIGIUM in *vindiciis sacris ad h. l. p. 158. seqq.* JO. GEORG. DORSCHÆUM, in *adnotat. ad h. l. p. 371. seqq.* & b. cancell. PFAFFIUM in singulari *dissertatione in verba sacra Ebr. VIII. 4.* quæ Tubingæ ann. *MDCCXLVII.* in lucem publicam prodiit.

nus pontifex, sicut Aaron, non esset utique sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum. Aaron quippe mortuus est, & non est sacerdos. Christus vero, quia vivit in aeternum, sacerdos est sempiternus, non talis, quales illi fuerunt, qui exemplari & umbrae deservierunt caelestium &c. 4.) Hanc explicationem adprobat ipse Calvinus sic scribens in h. l. *Christus nullum habet terrenum aut visibile sacrificium, terrenus ergo sacerdos non esse potest.*

Argumenta philosophica adversariorum.

1.) Omne corpus naturale est visibile.

§. CXV. Ex *philosophicis* regulis hæc fundamenta proferunt. I.) *Omne corpus naturale est visibile. Corpus Christi in sacra cœna non videtur. Ergo nec ibi praesens est* (*). Mylius in comœdia Misnica refert, Lipsiæ quendam ex professoribus repertum fuisse, quem non puduerit visitatoribus in os dicere, ut monstrent sibi corpus Christi in cœna videndum, tum se præsentiam ejus crediturum esse. *Resp.* 1.) Ne quidem in corpore mere naturali perpetuæ veritatis est, quod semper actu videatur. Actu videri vel non videri est externum corporis accidens, nequaquam vero interna & essentialis ejusdem proprietas. Corpora subtilia, qualia sunt aër & ignis, visum nostrum effugiunt. Scaliger exerc. IX. *Quae in verubus assantur ab eo, quem videmus*, igne, non tanguntur, sed ab eo, quem non videmus, *adeo vere tanguntur, ut etiam crementur.* 2.) Distinguendum igitur inter *potentiam* & *actum*, sive inter actum *primum* & *secundum*. Quodlibet corpus naturale est visibile potentia scilicet, non semper actu. Scaliger exerc. CCCXXV. sect. 4. *Color sua natura visibilis est, etiamsi nunquam videatur, quandoquidem potentia non tollitur per objectorum ablationem, neque e contrario deletur objectum per amotionem potestatum.* 3.) Quod si in corpore mere naturali non est perpetuæ veritatis, quod semper actu videatur, quanto minus de corporibus glorificatis adseri poterit, quod necessarium sit, oculis hominum nondum glorificatorum actu ea semper videri, si sint præsentia; imo vero cum Gesnero statuimus, tantum abesse, ut corpora glorificata ab oculis nondum glorificatis actu semper videantur, ut nec possint videri, nisi peculiaris οἰκονομία ac dispensatio divina accesserit, siquidem corpora glorificata sunt πνευματικὰ propter ποιότητας πνευματικὰς, 1 Cor. XV. 44. sunt lucidissima & fulgidissima instar lucis solaris, Matth. XIII. 43. sunt tenuissima & subtilissima, Matth. XXII. 30. quomodo igitur a carnalibus, obscuris & crassis oculis hominum nondum glorificatorum absque peculiari dispensatione divina actu viderentur vel etiam videri possent? Inter objectum & organum visus certa requiritur proportio & συμμετρία, docente philosopho libr. II. de anima cap. 9. at quæ analogia inter corpus πνευματικὸν & oculum ψυχικὸν? Matth. XXVII. 53. de sanctis cum Christo resuscitatis commemoratur, quod *adparuerint multis*, quo ipso innuitur, quod non quibusvis obviis ex naturalis corporis constitutione, sed aliquibus duntaxat ex peculiari dispensatione adparuerint. 4.) Si in corpore glorificato non est perpetuæ veritatis, quod ab oculis nondum glorificatis semper actu videatur, quanto minus in corpore Christi in hypostasin filii Dei adsumto, & ad dextram Dei evecto locum habebit? Certe Christus in diebus carnis suæ, in statu exinanitionis *per medios Nazarenos transibat*, cum de monte illum præcipitaturi essent; Luc. IV. 30. *abscondebat se & exibat de templo*, cum Judæi lapides tollerent; Joh. VIII. 59. post resurrectionem suam in convivio Emauntico ἄφαντος ἐγένετο, Luc. XXIV. 31. quomodo igitur necessarium, ut corpus ejus, ubicunque præsens est, actu semper videatur? Visibile est ratione sui, licet non ratione nostri:

(*) Calvinus in harm. p. 446. *Cum Christus palpabile esse corpus suum pronunciet & solidis ossibus compactum, hisque notis discernat a Spiritu, scite & vere adductus est hic locus* (Joh. XX.) *a nostris hominibus ad refellendum crassum errorem de transsubstantiatione panis in corpus, vel de locali corporis praesentia, quam homines praeposteri in sacra cœna fingunt.* GERHARDUS.

stri: visibile est potentia, licet non actu: distinguendum enim inter *subjectum & modum*: accipimus naturale & visibile Christi corpus in sacra cœna, non autem modo naturali & visibili. 5.) Absit proinde, imo longissime a nobis absit, ut nolimus plus credere, quam oculi nostri nobis renunciant. *Beati, qui non vident & credunt*, Joh. XX. 29. *Ambulamus per fidem, non secundum adspectum* 2 Cor. V. 7. *Fides est argumentum non adparentium.* Hebr. XI. 1. Sequantur ergo, quicunque volent, judicium rationis & sensuum, nos innitemur verbis Christi. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides. Si tantum credis, quod vides, quid est tua fides?* Dicunt pii veteres (*).

§. CXVI. II.) *Memoria est rerum absentium. Sacra cœna instituta est in commemorationem Christi.* Resp. 1.) Si fidei omnia sunt præsentia, & memoria non est nisi absentium, (utrumque adfirmantibus adversariis) consequens fuerit, fidem de memoria & memoriam de fide esse nullam, ac fidelibus nullum dari posse memoriale. 2.) Cœna instituta est ad Christi commemorationem: *Hoc facite εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*, ait Christus Luc. XXII 19. ergone Christus a cœna absens? holpes a convivio? 3.) Prima cœna Christum præsentem habuit, ut ex evangelistarum descriptione constat, nec ab adversariis negari potest. At si ex voce *commemorationis* legitime infertur ἀπουσία corporis, tum negandum fuerit, Christum in primæ cœnæ administratione præsentem suo corpore fuisse. 4.) Recte igitur Oecolampadius agnoscit, memoriam sæpe esse rerum præsentium, in quam sententiam adducit versum Maronis:

Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.

5.) Populus Israëliticus quoties jubetur recordari Dei sui, & reprehenditur hoc nomine, quod Dei oblitus fuerit, Deut. VIII. 18. Judic. VIII. 34. quoties orant pii, *Domine memento nostri, recordare nostri*, Psalm. XXV. 7. Neh. V. 19. Deus quoties recordatus dicitur piorum; Gen. VIII. 1. Job. XIV. 13. &c. ergone Deum absentem esse dicemus? 6.) Imo vero Deus ipse notanter dicit Exod. XX. 24. *In omni loco, in quo memoriam nominis mei instituero, veniam ad te & benedicam tibi.* Quare cum Christus in sacra cœna memoriale beneficiorum suorum instituerit, Psalm. CXI. 4. utique in ea etiam præsens est. 7.) Sic arca fœderis in vet. test. columna nubis & ignis in deserto erant memoriale Dei non absentis, sed vere præsentis. 8.) Ne quidem philosophice verum est, memoriam esse rerum absentium. Aristoteles libr. de memor. c. 1. memoriam dicit *esse praeteritorum*, interim tamen rerum illarum species sunt præsentes, non quidem sensui, sed intellectui. Sic clausis oculis possum recordari hominis præsentis. Unde distinguunt inter præsentiam *sensibilem & insensibilem*; inter absentiam *rei & speciei*. Quæ res sensibiliter sunt præsentes, id est, quæ in sensus externos occurrunt, eorum proprie non recordamur, cum enim species præsens in sensus occurrat, ejusdem repetitione per *ἀνάμνησιν* non est opus: cum vero res quidem præsens est, sed non incurrit in sensus, tunc ejus meminisse possumus, siquidem species absens semel accepta

2.) Memoria est rerum absentium.

(*) *At Christus a visibilitate & palpabilitate argumentum ducit.* Resp. 1.) Sane argumentum Christi a sensuum experimentis petitum legitime concludit, sed quia est argumentum minus principale & propositio illa: quidquid videtur & palpatur, est corpus, non est reciproca, minime hinc inferre licet, passibiles has qualitates actu ipso semper ac necessario ineſſe, maxime cum hæc demonstratio non dependerit ex naturæ necessitate, sed liberæ voluntatis dispositione, *οὐ νόμῳ φύσεως ἀλλ' οἰκονομίας τρόπῳ* ut loquitur Damascenus. 2.) Alioquin pari ratione concludendum foret: Christus ex eo, quod edit ac bibit, discipulis veritatem corporis sui demonstravit. Ergo edere & bibere corporis glorificati erit proprium inseparabile, quem tamen inferendi modum Calvinus ipse damnat. p. 447. 3.) Christus ipse sui visionem & palpationem haud fore perpetuam prædicit, quando beatos eos prædicat, qui, licet non videant, tamen credant. GERHARDUS.

accepta opera intellectus recoli poteſt. Meiſnerus part. I. ſobr. philoſ. ſect. 3. c. 6. q. 5. 9.) Verba Chriſti: *Hoc facite in mei commemorationem*, exprimunt ſalutarem cœnæ fructum & ſic exponuntur ab apoſtolo 1 Cor XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex hoc calice bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* Ergo non debent opponi veræ præſentiæ corporis, quæ ad eſſentiam ſacræ cœnæ pertinent. Nos igitur his & ſimilibus argutiis adverſariorum conſtanter opponimus verba Chriſti, & cum Auguſtino dicimus libr. VI. contra Julianum cap. 2. *Ego haec arma cœleſtia, quae vincunt Cœleſtium*, (Pelagianum & Sacramentarios Calvinianos) *non dimitto, his fidem meam ſermonemque committo: argumenta, quae profertis, humana ſunt, haec munimenta divina ſunt.* Quæ vero Perkinſus libr. de unic. rat. conc. p. 49. ex circumſtantiis inſtitutionis contra præſentiam corporis Chriſti in ſacra cœna adfert, ea manifeſte principium petunt, & expoſita a nobis ſunt in tract. de interpr. ſcript. §. 160. (*).

§. CXVII. Quæ ex patribus Phil. Mornæus libr. IV. de euchar. cap. 1. Polanus in ſymph. cathol. cap. 17. th. 1. Scultetus in medulla patrum & alii pro confirmatione ſuæ ſententiæ proferunt (**), facilem habent explicationem, ſi obſerventur hæc theoremata. 1.) De vera & genuina patrum ſententia judicandum eſſe ex illis locis, in quibus proprie & ex profeſſo de hoc myſterio tractant, non in quibus obiter & incidenter ſolum de eo agunt. 2.) Diſtinguenda eſſe loca, in quibus de ſalutari uſu & fructu hujus myſterii tractant, ab illis, in quibus eſſentialia ejusdem explicant. 3.) Panem euchariſticum vocari *ſacramentum, myſterium* & *ſymbolum* corporis Chriſti, non quod nuda σχέσις & relatio ſit inter panem & abſens Chriſti corpus, ſed quia vera & realis eademque myſtica unio ſit inter panem & corpus Chriſti præſens, per quam fiat, ut mediante ſymbolo panis externo in ſublimi myſterio corpus Chriſti in hoc ſacramento accipiamus. Incarnatio dicitur *magnum myſterium & admirabile ſacramentum*; at num λόγος a carne abſens propterea ſtatuitur? 4.) Panem dici *ſignum, figuram, ſimilitudinem, ἀντίτυπον* corporis Chriſti, non quod Chriſti corpus ſit abſens, (hunc enim ſenſum diſertis verbis patres repudiant) ſed quod ſit inviſibiliter præſens, ex ſigno enim inviſibilitas, nequaquam vero abſentia corporis inferri poteſt, definiente Auguſtino libr. II. de doctr. chriſt. c. 1. *ſignum eſt res praeter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud in cogitationem ex ſe venire faciens*; ſufficit igitur ad ſignandi rationem, ut res ſignata externis ſenſibus non ſit obvia, ſi vel maxime præſens adſit. Columba erat ſignum Spiritus ſancti deſcendentis, columna nubis & ignis erat ſignum & ſymbolum Dei gratioſe præſentis, nec tamen vel a columba Spiritus ſanctus, vel a columna nubis & ignis Deus aberat. Vide tract. de ſacram. §. 9. 5.) Diſtinguendum eſſe inter *ſignum* nude *σημαντικὸν* & *μεταδοτικὸν* ſive *προσφερόμενον*. Quando patres ſymbola externa panem & vinum in ſacra cœna vocant ſigna corporis & ſanguinis Chriſti, non intelligunt ſigna tantum *σημαντικὰ*, ſed *μεταδοτικὰ ἢ προσφερόμενα*. De ſententiis patrum judicandum eſt ex verbis inſtitutionis dominicæ, illi enim nequa-

(*) Joh. Appelius contra Mentzerum pag. 69. & 87. *Efficiens non ingreditur eſſentiam ſui effecti. Chriſtus eſt efficiens ſacrae cœnae. Ergo non ingreditur eſſentiam cœnae.* Reſp. 1.) Chriſtus eſt efficiens & materia ſacrificii Patri cœleſti oblati. Eph. V. 2. Hebr. VII. 27. IX. 12. V. 5. Auguſtinus de fide ad Petr. Diacon. c. 2. tom. III. p. 288. *Unus Chriſtus ſacerdos, per quem ſumus reconciliati: ſacrificium, quo reconciliati: templum, in quo reconciliati: Deus, cui reconciliati.* 2.) In baptiſmo Spiritus ſanctus eſt cauſa efficiens, Luc. II. 2. & materia ſive eſſentialis pars. Matth. XXVIII. 19. GERHARDUS.

(**) Principem inter eos locum occupat EDMUNDUS ALBERTINUS. qui *libros tres de euchariſtiae, ſive cœnae dominicae ſacramento*, Daventriæ ann. *MDCLIV.* fol. edidit, in quibus, inter alia, teſtimonia doctorum chriſtianorum de hoc argumento enarrat, qui ſex prioribus ſeculis poſt natum ſervatorem floruerunt.

quam ſuam interpretationem opponere voluerunt, ſed ex illa eandem hauſerunt. 6) Quando integra ſacramenta vocant *ſigna*, itidem nequaquam hoc volunt, quaſi gratiam Dei tantum ſignificent, ſed non una offerant & exhibeant; verum intelligunt ſigna exhibentia, obſignantia & confirmantia. Relationes, quarum relata ſe habent ut ſignum & ſignatum, ſunt duplices: quædam tantum ſunt *ſignificativae* & σημαντικαὶ; quædam ſimul μεταδοτικαὶ & *exhibitivae*. Sacramenta pertinent ad poſterioris generis relationes, quia gratiam Dei offerunt, oblatam credentibus conferunt, collatam augent, & auctam ſigilli inſtar obſignant & confirmant.

Neophotinianorum ſententia.

§. CXVIII. Neophotiniani verbis diſertis abſque ulla tergiverſatione ἀπιστίαν corporis & ſanguinis Chriſti profitentur (*). Duobus vero potiſſimum utuntur argumentis. I.) *Scriptura cibum illum proprie nominat panem, corpus autem & ſanguinem non niſi figurate.* Reſp. hypotheſis eſt falſa, quod ſcilicet verba ſacramenti dominici per figuram confictæ *metonymiae* ſic ſint pervertenda, ut nihil niſi nudus panis & nudum vinum in ſacra cœna relinquatur. Invertimus igitur argumentum, Chriſtus, qui eſt veritas, cibum illum, qui in ſacra cœna nobis manducandus datur, vocat ſuum corpus; potum illum, qui in ſacra cœna nobis bibendus datur, vocat ſuum ſanguinem. Ergo non nudus panis & nudum vinum nobis exhibentur. Item, Paulus cibum euchariſticum vocat panem, Chriſtus adpellat ſuum corpus. Ergo utrumque ſimul exhibetur in ſacra cœna, videlicet panis & corpus Chriſti, vel quod idem eſt, mediante pane Chriſti corpus; unde Irenæus libr. IV. cap. 34. *euchariſtiam duabus rebus conſtare dicit, terrena ſcilicet & cœleſti.* Chriſtiana ſimplicitas in verbis Chriſti & Pauli ſine tropo acceptis adquieſcit: Calviniani & Photiniani corpus & ſanguinem Chriſti ex cœna tollunt, ideo verbis Chriſti *metonymiam* adfingunt; Pontificii ſubſtantiam externorum ſymbolorum ex ea tollunt, ideo verbis Pauli figuram tribuunt, ut paulo poſt videbimus. Utraque ſententia non ex ſcripturis hauritur, ſed in eas infertur. II.) *Viſus & guſtus non ſentiunt & percipiunt carnem & ſanguinem Chriſti.* Reſp. argumentum hoc coincidit cum ratiocinatione Calvinianorum, §. CXV. expoſita, ut ex eo etiam harmoniam utrorumque colligas. Catechiſmus Racovienſis major pag. 220. & 221. contra præſentiam corporis in cœna itidem repetit Calvinianorum argumenta: 1.) *quia corpus Chriſti eſt in cælo. Ergo non eſt in cœna præſens.* 2.) *Repugnat qualitatibus corporis Chriſti, quod ſit præſens ſimul in pluribus locis.* Sed de his judicium fieri poteſt ex iis, quæ antea ſunt diſputata.

§ CXIX.

(*) Quin & eo nomine in nos invehuntur. Smalcius contra D. Frantz. p. 332, 333. *ſententiam noſtram de vera, reali & ſubſtantiali corporis Chriſti in cœna præſentiam* vocat *blaſphemam & idololatricam.* Socinus in libro, quod evang. ſe Photin. conjung. debeant cap. 4. pag. 50. *Qui vel cum ipſo pane & vino, vel alia quacunque ratione, dum panis ille & vinum ſumitur, Chriſti corpus & ſanguinem ſumi credunt, ſic paulatim eo tendunt, ut idolum quoddam ex cœna Domini faciant, & panem illum vinumque adorent.* Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglec. quem refutationem diſſolutionis nodi ſui Gordii vocat p. 51. *Aſſerere, Chriſtum eſſe in cœna præſentem, eſt rem adverſa fronte cum univerſa Chriſti religione pugnantem & horrendæ idololatriæ cauſam in Chriſti religionem introducere.* Pag. 46. *Chriſtum in cœna apoſtolis dediſſe corpus ſuum ad manducandum & ſanguinem ad bibendum, ingens error eſt. Aſſidebat enim ipſe Dominus in corpore ſuo menſæ, cum panem comederent & vinum biberent apoſtoli.* Piſcecius in reſp. ad II. rat. Camp. p. 23. *Conſtabit Chriſtus duobus corporibus, altero incommunicabili, altero quod nobiſcum communicari poteſt.* Pag. 25. *Mortale corpus, quod traditum eſt in mortem, capi oportet a mortalibus, quippe cœleſte nec frangi, nec edi, nec tradi poteſt. At Chriſtus eſſentiam habet corporis cœleſtis, quod immortale: hoc vero a nobis per corporis organum capi non poteſt.* Pag. 27. *Si ipſum Chriſtum Filium Dei viventis in ſua perſona ſub elementis hujus mundi contineri, corporaliter nobiſcum uniri, ſeu ſubſtantiæ noſtræ reipſa permiſceri, ipſum inquam præſentem in panis materia ineſſe intelligendum eſſet, non corpus, ſed ipſum Chriſtum de pane enunciari legeres. Abſoluta ratio*

CAPUT XII.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE.

Transsubstantiatio pontificia impugnatur.

§. CXIX. Porro quamvis veram, realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacra cœna firmiter credamus, nequaquam tamen docemus aut dicimus, substantiam panis & vini deperdi, ac in substantiam corporis & sanguinis Christi transire. Neque enim *sacramentalis* illa corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia substantiam externorum symbolorum panis & vini tollit, sed fit mystica & sacramentalis unio panis & corporis, vini & sanguinis Christi; ideoque improbamus sententiam erroneam Pontificiorum, qua docent, ante consecrationem adesse quidem panem & vinum, sed per consecrationem panis & vini substantiam deperdi, ac in substantiam corporis & sanguinis Christi mutari; hanc mutationem sive conversionem vocant *transsubstantiationem* (*), & statuunt, post factam consecrationem, non amplius adesse *substantiam* panis & vini, sed nuda tantummodo eorum *accidentia*, cum substantia panis mutata sit in corpus, substantia autem vini in sanguinem Christi. Contra illum errorem hisce pugnamus argumentis.

1) Nec secundum verba, nec secundum rem in scripturis habetur.

§. CXX. 1.) Quodcunque dogma nec secundum verba nec secundum rem in scriptura habetur, illud pro articulo fidei acceptari nequit. *Majoris* veritas nititur hypothesi illa verissima & certissima de scripturæ perfectione, cujus confirmatio suum alibi habet locum. *Minoris* veritas patebit ex discussione eorum, quæ pro confirmanda transsubstantiatione ab adversariis ex scriptura adducuntur. Negari certe nulla specie potest, ipsum nomen *transsubstantiationis* esse novum, barbarum & peregrinum, usurpatum primo in concilio Lateranensi anno 1215. (**)

Exceptiones Bellarmini.

Bellarminus excipit lib. III. de Eucharist. c. 23. 1.) *Stultum esse, cum de re constet, litigare de nomine, de re autem ita constare, ut non possit magis, cum patres dixerint, panem substantialiter converti in corpus Christi manentibus tantum panis accidentibus.* Resp. de sententia patrum dicetur postea, nos hoc loco de scripturæ sententia potissimum soliciti sumus, & ex ea transsubstantiationem demonstrari jure æquissimo postulamus. 2.) *Licuisse concilio Nicaeno in ipso symbolo ponere nomen ὁμοούσιος, & concilio Ephesino nomen Θεοτόκος, majori igitur ratione licuisse concilio Lateranensi, nomen* transsubstantiationis *ponere, cum plures episcopi & patres fuerint in concilio Lateranensi, quam vel in Nicaeno vel Ephesino, cumque ante concilium Lateranense exstiterint innumerabilia veterum de transsubstantiatione testimonia & multa nomina eidem aequivalentia, quae sunt conversio, transmutatio, transelementatio.* Resp. est ratio longe dispar inter vocabula ὁμοούσιος, Θεοτόκος &c. & inter vocem *transsubstantiationis*. Res prioribus

tio præsentiæ Christi non potest a parte considerari, præsertim ubi archetypa dicuntur de antitypis. GERHARDUS.

(*) Barbarum hocce vocabulum primus usurpavit STEPHANUS, ecclesiæ Æduensis, sive Augustodunensis in Gallia antistes, anno *MCXIII.* creatus, in tractatu *de sacramento altaris, & iis, quæ ad illud, variosque ecclesiæ ministros pertinent.* Prima eius editio ann. *MDXVII.* prodiit. Exstat quoque *tom. VI. biblioth. magnæ patrum* ubi *f. m. 382.* oratur, *ut cibus hominum fiat cibus angelorum: scilicet, ut oblatio panis & vini* TRANSSUBSTANTIETUR *in corpus & sanguinem Jesu Christi.* Conferenda, quæ EDMUNDUS ALBERTINUS in erudito opere *de sacra eucharistia libr. III. f. 969.* de hocce nomine adnotavit.

(**) Vocabulum *transsubstantiationis* iam seculo XII. adeoque ante concilium Lateranense seculo demum XIII. celebratum, usurpatum fuisse, ex iis, quæ in præcedenti nota diximus, patet.

ribus vocabulis significatæ exstant in scriptura, ideoque sunt in classe eorum, quæ, juxta Nazianzeni divisionem, *etiamsi non dicantur, tamen sunt in scripturis.* Transsubstantiatio autem est in eorum classe, quæ in scripturis nec sunt, nec dicuntur. Revocamus ergo Bellarmino in memoriam, quæ recte scripsit lib. II. de concil. auctor. c. 12. *Cum Nicaenum concilium definivit, Christum esse ὁμοούσιον Patri, deduxit conclusionem ex scripturis;* quodque lib. II. de Christo c. 1. probat, *nomen ὁμοούσιος non fuisse primo inventum in concilio Nicaeno,* ac jubemus, ut idem de transsubstantiatione probet, hoc est, rem ex scripturis deducat, & nomen ipsum ante concilium Lateranense in ecclesia usurpatum fuisse doceat. De nominibus *conversionis & mutationis* dicetur suo loco, & ex ipsis patribus ostendetur, non *essentialem* vel *substantialem*, sed *sacramentalem* tantum externorum symbolorum mutationem ipsos intellexisse. *Transelementationem* Bellarminus h. l. sic exponit, quod significet *mutationem totius rei, usque ad prima elementa, id est, usque ad materiam primam, quae ab Aristotele elementum vocatur*, qua ratione transelementatio a transsubstantiatione distinguetur, quia in *transelementatione* manet materia, sed in *transsubstantiatione* nuda tantummodo accidentia, & sic ex nomine transelementationis parum subsidii accedit voci *transsubstantiationis;* veram vocabuli *transelementationis* significationem postea exponemus. Cæterum, quod ad numerum episcoporum & patrum in concilio Lateranensi attinet, opponimus Bellarmino hanc regulam, quod decretorum a conciliis editorum veritas non sit æstimanda ex numero episcoporum vel patrum, sed ex conformitate cum scriptura. Hunc canonem suo loco confirmatum dant nostrates, præsertim Gesnerus in libr. de concil. Hac vice repetimus dictum Hieronymi cap. I. Gal. *Spiritus sancti doctrina est, quae canonicis literis est prodita, contra quam, si quid statuant concilia, nefas duco.* Augustinus passim urget discrimen inter canonicam scripturarum auctoritatem & ecclesiasticorum scriptorum judicium, epist. XIX. ad Hieron. epist. CXI. libr. II. contra Cresc. 212. *Pulcra ergo fuit forma veterum conciliorum, in quorum medio,* ut habet Cusanus libr. II. de concord. cathol. c. 6. *ponebantur sacra evangelia, & secundum testimonia scripturarum decrevit olim synodus.* Johann. Dalburgius *quatuor judices minime suspectos cuivis concilio praeficiendos esse dicebat, biblia scilicet Hebraea, Graeca, Latina & Germanica*, in paral. Ursperg. Porro si ad qualitates episcoporum in Ephesino & Nicæno conciliis congregatorum respicere velimus, eosdemque conferre cum illis, qui in Lateranensi concilio congregati fuerunt, immane, quantum adparebit discrimen? Negari certe nulla veritatis specie potest, ecclesiæ illarum tum temporis longe deteriorem & corruptiorem fuisse, quam primis illis primitivæ ecclesiæ temporibus, qua de re Bernhardi, Platinæ, Urspergensis, Aventini & aliorum querelæ satis superque testantur. In eodem concilio can. XIII. contra novos religiosorum ordines tale decretum habetur: *Ne nimia religiosorum diversitas gravem in ecclesia Dei offensionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de caetero novam religionem inveniat, sed quicunque voluerit religionis domum fundare de novo, regulam & institutionem accipiat de religionibus adprobatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere praesumat, nec unus Abbas pluribus monasteriis praesidere.* Quod si decretum hoc Bellarminus adprobare velit, fateatur, novum Jesuitarum ordinem fuisse prius damnatum, quam natum, cui tamen ipse dedit nomen. Auctor hujus concilii fuit Innocentius III. qui libros decretalium in scholis doceri & in judiciis exerceri mandavit. c. venerabilem d. elect. v. electi potest, quam vero multi & graves sint illorum errores, adparet ex vulgato proverbio, quod recitat Duarenus in præfat. libr. de sacris eccles. minist. *Actum fuisse de salute ecclesiae, cum decretis accederent alae*, id est, decretales. Idem Innocent. c. solitæ. extr. de majorit. & obed. hanc valde magistralem scripturæ expositionem proponit: *Deus fecit duo luminaria magna in firmamento caeli, id est, duas in ecclesia instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas & regalis potestas: sed quanta est inter solem, & lunam,*

lunam, tanta inter pontifices & reges est differentia. Ex quo uno intelligi potest, quantum tribuendum sit illi Innocentio, a quo concilii Lateranensis auctoritas in solidum dependet. 3.) *Si mutatio solius formae recte dicitur* μεταμόρφωσις, *transformatio & mutatio externa, figurae transfiguratio, mutationem substantiae etiam recte dici posse transsubstantiationem.* Resp. transfigurationem dicimus, quia legimus Matth. XVII. 2. transsubstantiationem non dicimus, quia non legimus.

§. CXXI. Sed enim non tam de *nomine*, quam de *dogmate* transsubstantiationis quæstio est. Si novum illud dogma ex scripturis demonstrari posset, ipsum nomen non repudiaremus. Jam vero transsubstantiatio destituitur certis, manifestis & firmis scripturæ testimoniis. Bellarminus 1.) excipit, *falsissimum esse illud axioma, quod nihil pro articulo fidei ecclesiae proponendum sit, quod non possit ex scriptura probari, cum ex nulla scriptura, sed ex sola traditione probari possit, quod libri evangelistarum & epistolae Pauli sint scripturae divinae, remoto autem ab articulis fidei, quod libri illi sint scripturae divinae, simul concident omnes alii articuli, qui ex scripturis illis probantur. Axioma igitur illud universam fidem destituit.* Hoc Bellarmini pronunciatum verbis magis atrocibus & impiis repetit Pistorius in hodeg. cap. II. p. 15. 16. *Opinio eorum, qui nihil credere volunt, nisi quod in verbo Dei exstat, abducit paulatim ad abnegationem totius scripturae sacrae, & efficit Turcicos & Epicureos.* Resp. argumentum Bellarmini exposuimus in tract. de scriptura sacra §. 27. & seqq. hac vice tria urgemus contra Bellarminum, *primo* quod sibi ipsi contradicat, siquidem libr. I. de verbo Dei cap. 2. contra Suencfeldium disputans sic scribit: *Sacris scripturis, quae propheticis & apostolicis literis continentur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illis fidem habendam neget. Notissimas esse, testis est orbis christianus & consensio omnium gentium. Certissimas esse, testis est veritas vaticiniorum, testis est incredibilis & plane divina conspiratio ac concordia tot virorum, qui diversis locis, temporibus, linguis, occasionibus, sacra volumina conscripserunt, testis est Deus ipse, qui aliquando caelesti animadversione scripturam hanc suam ab humana profanatione defendit, testis est ipsa scriptura, cujus si verae fuerunt praedictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum praesentium testimonia? postremo testis est infinitus prope numerus divinorum miraculorum, quae omnibus seculis facta sunt, ad ea dogmata comprobanda, quae in his literis continentur.* Haec Bellarminus rectissime, licet insufficienter, de certitudine & auctoritate scripturarum divinarum disputat, quae certe non ex sola traditione, sed ex internis ipsius scripturae χειτηρίοις sunt petita. *Secundo* quod circularem argumentationem cogantur admittere, qui ex sola traditione, quae scripturae sint divinae, cognosci posse, adserant. Quære enim a pontificio, quare credat has epistolas Pauli esse scripturas divinas? respondebit, a Bellarmino hoc loco edoctus, ex sola traditione. Quære vicissim, quare credat traditioni? respondebit, quia est ecclesiae traditio. Quære ulterius, quare credat ecclesiae? adferet tibi dicta Matth. XVIII. *Dic ecclesiae.* Joh. XVI. *Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem.* En circularem probationem! *Denique* quod hac ratione totum fidei suae fundamentum in scrinio papalis pectoris constituant. *Omnes alii articuli* (juxta Bellarmini adsertionem hoc loco) *nituntur hoc fundamento, quod hi libri prophetarum & apostolorum sint scripturae divinae: id vero ex sola traditione,* (intellige ecclesiae) *& ex nulla scriptura probari potest.* Ex quo theoremate libr. II. de sacramentis cap. 25. deducit alterum, *omnium dogmatum firmitatem pendere ab auctoritate praesentis ecclesiae.* Si quæras, quid per ecclesiam intelligat, respondet libr. III. de verbo Dei cap. 3. intelligi *pontificem cum concilio.* Cum vero concilia non semper haberi possint, ac decreta conciliorum & papæ quandoque sint contraria, ideo libr. IV. de Rom. pontif. cap. 2. concludit, *ipsam infallibilitatem* (judiciorum ecclesiasticorum) *non esse in coetu consiliariorum, vel consilio episcoporum, sed in solo pontifice;* quin & ulterius eo in loco progreditur:

Omnes catholici (inquit) *in eo conveniunt, pontificem solum vel cum suo particulari concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum.* (mirus sermo, pontificem, etiamsi errare possit, obedienter esse audiendum) 2.) Adcusat Chemnitium, *quod mala fide ex Andradio, Scoto & Cameracensi* (Petro de Alliaco) *probare voluerit, ipsos pontificios agnoscere, quod transsubstantiatio destituatur scripturae fundamentis.* Resp. inferius ipsa horum scriptorum verba referemus, quorum claritas clausos Bellarmini oculos sic perstrinxit, ut hoc loco scriberet: *Scotus dicit, non exstare ullum locum scripturae tam expressum, ut sine ecclesiae declaratione cogat transsubstantiationem admittere, atque id non est omnino improbabile. Nam etiamsi scriptura, quam pro transsubstantiatione adduximus, videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum, tamen an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi & acutissimi, qualis inprimis Scotus fuit, contrarium sentiant.* Et paulo post: *Dogma transsubstantiationis ad fidem catholicam pertinet, quia colligitur ex scriptura divina secundum explicationem communem patrum & juxta declarationem ecclesiae in conciliis generalibus.* (Lateranensi & Tridentino.) Atqui sententiæ patrum & decreta conciliorum non sunt norma interpretationis scripturæ, sed scriptura, quia perfecta & perspicua est ex se ipsa, & per se ipsam est interpretanda, ut in tract. de interp. script. §. 83. & seqq. docuimus. Concilia & patres non inferunt lucem in scripturam, sed doctrinæ lucem hauriunt ex scriptura, ideoque de patrum scriptis & conciliorum decretis ex ipsa scriptura judicandum. Scriptura igitur est norma patrum & conciliorum, non contra. Addit Bellarminus, *unum esse in Scoto, quod minime sit probandum, quod scilicet dogma transsubstantiationis non fuerit dogma fidei ante concilium Lateranense, id enim ille dixit,* (ait Bellarminus) *quia non legerat concilium Romanum sub Gregorio VII. neque consensum illum patrum, quem nos supra adduximus.* Scilicet homo doctissimus & acutissimus non noverat illum consensum patrum, quem Bellarminus longe doctior & acutior demum in lucem protulit. Videbimus suo loco, quid præstiterit.

2.) *Transsubstantiatio pugnat cum scriptura.*

§. CXXII. II.) Quodcunque dogma pugnat cum scriptura, pro articulo fidei acceptari non debet. Dogma transsubstantiationis pugnat cum scriptura, quia evangelistæ & Paulus expresse nominant panem non solum in actione cœnæ, sed etiam post consecrationem sive benedictionem, nemo vero ex illis vocat nudam speciem, sive nuda accidentia panis. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 23. *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, benedixit, fregit ac dedit discipulis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat* v. 27. *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* v. 28. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Bellarminus excipit, vehementer obesse nostræ sententiæ, quod pronomen *hoc* demonstrat panem. *Valde miror* (inquit) *Lutheri, Chemnitii & aliorum imprudentiam, qui tantopere urgent, panem demonstrari pronomine illo* hoc, *quanto enim fortius id probant, tanto se ipsos fortius ligant & impediunt. Nam si Dominus ait: Hic panis est corpus meum; necessario sequitur, ut aut falsa sit Domini sententia, si nimirum proprie panis materialis dicatur esse corpus Domini, quod aperte implicat contradictionem: aut panis sit corpus non proprie, sed figurate, quod volunt Calviniste: aut denique panis non manens panis, sed benedictione mutatus sit in corpus Domini, quae est sententia ecclesiae.* Resp. pronomen *hoc* denotat quidem panem, sed non solum, verum totum complexum, ut ostendimus superius §. 83. & postmodum plenius demonstrabimus. Christus non dicit: panis

nis est corpus meum, sed: *accipite, comedite, hoc est corpus meum;* interim non improbamus hanc propositionem: panis est corpus Domini, si accedat legitima expositio ex ipsis institutionis verbis deducta. Panis *sacramentaliter* est corpus Domini, id est, manducato pane in sacra cœna manducatur etiam corpus Domini, propter unionem sacramentalem, quæ soli Deo cognita & pie a nobis credenda, nequaquam vero curiose investiganda est. Atque hæc est vera & orthodoxa illius propositionis explicatio, neutra vero illarum, quas Bellarminus adducit. Quando ergo nobis opponitur, quod panis dicatur corpus Christi vel *proprie*, vel *figurate*, respondemus, dari tertium, videlicet *mystice*, *sacramentaliter* & *inusitate*. Monendum tamen, quod vox *figurata* sit ambigua, aliquando enim accipitur stricte pro *tropica*, aliquando vero latius pro *inusitata*, quæ non congruit ad regulas proprie prædicationis, quæque declaratione ex verbis Domini indiget. Et hoc sensu figurata dicitur hæc propositio: panis est corpus Domini; in protoc. colloq. Maulbrun. anno 1564. instit. pag. 160. Sed propter insidias Calvinianorum præstat vocare inusitatam, sacramentalem & mysticam prædicationem, cujus sensus is est, quod inter panem eucharisticum & corpus Domini sit unio sacramentalis. Confirmat hanc nostram sententiam apostolus, quando 1 Cor. X. 16. scribit: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, nimirum in ipsa illius benedicti panis distributione & manducatione, sic enim Christus in verbis institutionis: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Ex quo loco apostolico evidenter refellitur expositio Bellarmini, qui seq. §. sic infert: *Falsum est, panem esse corpus Domini, nisi addas aut subintelligas mutatum.* Resp. imo vero apostolus panem vocat communicationem corporis Christi, at num aqua mutata potest dici communicatio vini? Quare cum apostolus posito *subjecti* loco pane non dicat ἁπλῶς & simpliciter, illum esse corpus Domini, sed mutet *praedicatum*, & dicat panem esse κοινωνίαν corporis Domini, manifeste inde colligitur, in propositione Christi per pronomen *hoc*, non denotari tantummodo panem.

§. CXXIII. Quod attinet *alteram* argumenti partem de adpellatione panis post consecrationem, ad eam regerit Bellarminus, *apud Paulum panem vocari post consecrationem, non spectrum, nec accidentia sine subjecto, sed verum cibum supersubstantialem, qui panis dicitur, vel quia ex pane factus est, vel quia figuram panis externam retinet, vel quia habet effectus & proprietates panis, vel quia more hebraico omnis cibus dicitur panis, siquidem manna vocatur panis in scriptura frequentissime.* Resp. 1.) In articulis fidei non est discedendum a litera, nisi fidei analogia nos cogat, & scriptura ipsa figuram monstret & explicet, alias nulla remanebit doctrinæ christianæ certitudo, ut ostendimus in tract. de interpr. script. §. 148. & seqq. Jam vero nulla necessitate cogimur a literali sensu verborum apostolicorum hoc loco recedere, nec usquam apostolus indicat, figurate panem dici. 2.) Bellarminus libr. III. de verbo Dei cap. 3. recte disputat, *ex solo sensu literali duci firma & apodictica argumenta*; adferat igitur evidentem scripturæ textum, in quo figura illa explicetur. 3.) Idem Bellarminus contra Calvinianos, qui corpus per figuram corporis exponunt, libr. I. de euchar. c. 10. disputans, recte sic scribit: *Scriptura, cum accipit improprie corpus Christi, id est, pro ecclesia, continuo id ipsum explicat. At hoc loco nullus evangelista neque Paulus explicuit corpus accipi improprie, relinquitur igitur, ut* (quod) *proprie accipi debeat.* Idem urgemus contra Bellarminum. Nullus evangelista, nec Paulus exposuit panem accipi *improprie* & *metaphorice*, relinquitur igitur, quod *proprie* accipi debeat. Si in Calvinianis Bellarminus hoc improbat & merito quidem, quod a proprietate verborum in parte materiali *cælesti* discedunt, nec sibi indulgere hoc debet, ut ab eadem verborum proprietate in parte materiali *terrena* discedat. Sicut Calviniani destituuntur expresso textu & efficaci argumento, quo probent, per corpus figuram corporis intelligendam: ita quoque Bellarminus destituitur expresso textu & efficaci argumento, quo probet, per panem figuram externam panis

Exceptiones Bellarmini de adpellatione panis.

intelligendam esse. 4.) Chemnitius hoc urget, esse valde absurdum in scripturis ita ludere, ut in eodem capite panis modo proprie, modo tropice accipiatur. Cum ergo 1 Cor. XI. 23. nomen *panis* omnium consensu proprie accipiatur pro pane triticeo, quando Paulus dicit: *Accepit panem, & gratias agens &c.* oportet etiam paulo infra proprie accipere, quando idem ait: *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Bellarminus regerit, *non esse ita absurdum, in eodem capite varie accipere aliquam vocem, quando analogia aliqua & similitudo inter eas res invenitur. Nam* Exod. VII. *virga Aaronis vocatur virga, antequam verteretur in colubrum, & rursum in eodem capitulo vocatur virga, cum esset coluber.* Resp. probanda prius erat transsubstantiatio expressis scripturæ dictis, sicut Exod. VII. expresse dicitur virga in colubrum versa, est ergo magna dissimilitudo in exemplis. Regerit Bellarminus, *apostolum satis declarasse variam panis significationem ex mutatione facta in pane. Nam ante consecrationem absolute nominavit panem, dicens: accepit panem; post consecrationem autem semper addidit pronomen, quo judicaretur sermonem esse de pane consecrato & mutato: ait enim: quotiescunque manducabitis panem hunc, id est, panem sic benedictum & consecratum, & proinde mutatum in aliam substantiam. Adde, quod de pane non mutato falsum esset, quod Paulus dicit: qui manducat indigne, judicium sibi manducat, & reus erit corporis & non dijudicans corpus Domini.* Resp. de pane consecrato Paulum loqui concedimus, de pane *essentialiter* in corpus Christi mutato ipsum loqui non concedimus: ἀπαιδεύτως hæc duo confundit Bellarminus, quæ tamen sunt distincta. Particulæ illæ δεικτικαὶ respiciunt superiora, & ostendunt apostolo sermonem esse de illo pane, de quo dixerat, quod sit communicatio corporis Christi, non autem, quod sit mutatus in substantiam corporis Christi. Omnia illa, quæ Bellarminus adducit, probant contra Calvinianos, non solum panem in cœna manducari, nequaquam vero probant, panem transsubstantiatum manducari, datur enim tertium, videlicet panem, cui sacramentaliter unitum est Christi corpus, manducari, vel quod idem est, mediante pane manducari Christi corpus. 5.) Arbitratur autem Bellarminus, se reperisse non quod pueri in faba, dum contra Chemnitium hoc urget, *quod Paulus in eodem capite decimo nomen panis proprie & metaphorice accipiat* v. 16. *Unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* Resp. secundum pontificios vocabulum *panis* utrobique improprie & tropice accipitur. Ergo non possunt hanc ἔνστασιν salvis suis hypothesibus nobis opponere. Quod autem nos *panis* vocem in priore saltem illius versiculi membro tropice accipiamus, eo nos ducit ipse textus, *omnes unus panis sumus*, utique non naturalis, sed metaphorice, quia *unum corpus* mysticum sumus. Probent pontificii, eadem necessitatis lege nos cogi, ut in membro posteriori (*nam omnes de uno pane participamus*) etiam tropice vocabulum *panis* accipiamus. Probent etiam, significationem tropicam *panis* in membro posteriori uspiam in scripturis expositam esse, sicut in membro priore immediate additur declaratio: *unus panis, unum corpus sumus.* Quin potius apostolus perspicue indicat, *panis* adpellationem etiam post consecrationem esse proprie accipiendam. Cum enim dixisset v. 23. *Christum accepisse panem & gratias egisse &c.* v. 27. infert: *Itaque quisquis ederit panem indigne* &c. particula ὥστε indicat connexionem. Aut ergo vocabulum *panis* utrobique accipitur proprie, aut nulla erit sermonis apostolici connexio.

§. CXXIV. Quod attinet rationes a Bellarmino adductas, propter quas panis post essentialem sui mutationem pristinam adpellationem retineat, de illis in genere dicimus. 1.) quod extra & præter scripturam adferantur, ideoque conscientia christiani in illis adquiescere non possit. Et quam titubanti pede ipsimet pontificii hic incedant, patet ex ipso Bellarmino, qui lib. I. de euch. c. ult. sic scribit: *Respondent nonnulli, eucharistiam vocari panem per tropum, quia fit ex pane, sive quia ante fuit panis, & adferunt multa exempla scripturae, ut quod Genes. III. Eva dicatur os Adami, Exod. VII. virgae conversae in dracones adhuc vocentur virgae, quod Matth.*

Matth. XI. dicantur cæci videre, claudi ambulare, quod Matth. XXI. dicantur publicani & scortatores præcedere phariſæos in regnum cælorum. Sed hæc ſolutio non videtur ſolidiſſima. *Poſſent enim adverſarii dicere, non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, unde facta eſt, ubique ita accipienda eſſe vocabula.* Secundo *igitur dici poteſt, ſcripturam vocare ordinarie res, ut adparent exterius, ſic enim ſerpentem æneum vocat ſerpentem.* Tertio *dici poteſt, & meo judicio optime, vocari panem phraſi hebraica, quia nomine panis intelligitur generatim omnis cibus: & denique* quarto *vocari panem, quia non ſolum eſt cibus, ſed eſt cibus ſolidus, præcipuus, ſubſtantialis, qualis eſt panis triticeus inter cibos corporales.* Hactenus Bellarminus neſciens, ubi certo pedem figat. Lanfrancus diſputans, quare poſt conſecrationem adpelletur panis, adfert uſitata illa vel *quia ex pane conficitur & accidentia panis retinet:* vel *quia animam ſatiat &c.* Agnoſcens autem, illa infirma & incerta eſſe, addit, *vel alio aliquo modo, qui a doctoribus comprehendi poteſt, a nobis non poteſt.* At longe aliud eſt, (uti ſupra ex Luthero monuimus) ſcripturam eo modo intelligi poſſe, quam eo modo intelligi debere, poſterius quietam reddere poteſt conſcientiam, non autem prius. Et repetenda hoc loco ſunt argumenta noſtra, quæ pro adferendo τῷ ῥητῷ in verbis cœnæ adduximus, ea enim probant, non tropice ac figurate, ſed proprie cibum euchariſticum dici panem. 2.) Quod ſint non ſolum diverſæ, ſed etiam contrariæ atque ita comparatæ, ut veræ ſimul eſſe non poſſint. Si enim panis vocatur tropice, ergo non propter vim nutritivam. Si vocatur panis, quia eſt ex pane factus, & quia olim fuit panis, ergo non propter accidentia in præſenti.

Vocatur panis

§. CXXV. Vidimus rationes illas conjunctas, breviter percurramus ſingulas, quantum omnino roboris obtineant. *Prima* ratio erat, *vocari panem poſt conſecrationem, quia eſt ex pane factus.* Atqui Bellarminus ipſe libr. I. de euchar.

1.) Quia eſt ex pane factus.

c. 14. hanc rationem fatetur *non eſſe ſolidiſſimam*; addimus nos, eſſe nullam propter exemplorum diſparitatem: in illis enim exemplis, quæ adducuntur, non remanent externa accidentia, quæ tamen in pane euchariſtico remanere contendunt. Quidquid transſubſtantiatur, amittit figuram veterem. Sic uxor Lothi converſa in ſtatuam ſalis, amiſſa priore corporis forma accepit aliam; Gen. XIX. 26. baculus Moſis in ſerpentem mutatus amiſit formam priorem; Exod. IV. 3. aqua in nuptiis Cananæis mutata in vinum amiſit priſtinum ſaporem, odorem, colorem. Joh. II. 9. Jam vero panis & vinum in ſacra cœna non amittunt priſtinum odorem, ſaporem, colorem, quod ſenſus & oculi renunciant. Ergo non eſt facta eorum transſubſtantiatio. Præterea ſemper in his exemplis committitur petitio principii, probanda enim prius externorum elementorum μετασίωσις, ſicut Exod. VII. 10. virga expreſſe dicitur in colubrum verſa; Matth. XI. 5. cœci & claudi ſanari; denique ſerpens adpellatur virga ſecundum Auguſtinum q. 21, in Exod. *quia mox in priſtinam virgam erat rediturus.* At Pontificii transſubſtantiatum panem negant redire in ſubſtantiam panis.

2.) Quia figuram panis retinet.

Secunda ratio erat, *vocari panem, quia externam figuram panis retinet.* Reſp. hæc ratio itidem procedit ex particulari. Ergo ſecundum ipſius Bellarmini confeſſionem *non eſt ſolidiſſima.* Præterea ſerpens æneus, Num. XXI. 9. & picti ac ſculpti leones in templo Salomonis 1 Reg. X. 20. *æquivoce* tantum vocantur ſerpens & leones, num idem de pane euchariſtico adfirmabunt? Si ſpecies illa panis externa vera eſt, veram etiam denotabit ſubſtantiam, quia figura præſupponit ſubſtantiam, nec eſt ſine ſubſtantia vel ſubjecto. Adde, quod apud Moſen expreſſe additur, non verum ac naturalem, ſed æneum ſerpentem fuiſſe erectum, ac conſtat ex textu, in templo Salomonis non veros & vivos, ſed pictos tantum ac ſculptos leones fuiſſe, ſed apud Paulum nuſpiam hoc occurrit, quod propter externam tantum figuram panis adpelletur. Quin imo revocamus Bellarmino in memoriam, quæ ſcribit libr. III. de euchar. c. 5. §. ad hæc: ubi contra quorun-

dam Scholasticorum sententiam disputans ac statuens, *quod Christus totus cum magnitudine & omnibus accidentibus in eucharistia existat*, sic scribit: *Certe substantia sine quantitate & complexione quadam accidentium caro dici non potest.* Eodem modo & nos dicimus; nuda accidentia sine substantia non posse dici panem. *Tertia* ratio erat, vocari panem, *quia habet effectus & proprietates panis*, qui vero sunt illi effectus? libr. III. de euchar. c. 23. dicit Bellarminus, *divino miraculo fieri, ut accidentia panis nutriant, ita tamen, ut in magna copia sumantur.* Digni sane erant illi homines, ut per mensem mero odore panis ac vini satis copiose adpositi nutrirentur, ut figmentorum suorum fidem nobis facerent. Donatus Marcellus ab Horstio medico insigni, amico nostro singulari, non ita pridem in lucem editus in hist. medic. mirab. libr. IV. cap. 12. inter exempla miraculosæ inediæ ex Johanne Alexandrino refert, Democritum Abderitanum mellis, vel ut alii volunt, panis calentis odore quatriduo vitam sustentasse, sed recte ibidem addit, odores in exhalatione quadam materiali fundatos esse, & hanc nutritionem per odorem ultra dies tres vel quatuor non posse protrahi, ideo quod Oribasius p. affect. comm. 12. scribit, philosophum quendam ad mellis odorem per quadraginta dies vixisse, in eo agnoscendum esse sphalma typographicum, quo loco quatuor adpositi sint quadraginta. Manardus etiam libr. XVIII. epist. 6. arguit eos, qui putant odorem pro sola qualitate sumtum per speciem, quam vocant *intentionalem*, nulli substantiæ innixam ad cerebrum accedere, cum juxta Aristotelem odor sit *fumida quaedam evaporatio*, & juxta Galenum, *effluxus quidam corporum.* Sed cum ex hypothesi pontificiorum panis eucharisticus corpoream substantiam amiserit omnem, ideo odor ejus, ne quidem ad momentum nutrire poterit. Et tamen Aimonius monachus libr. V. de gestis Franc. c. 29. de Ludovico pio refert, quod *per quadraginta dies sola eucharistia vixitarit.* Aristoteles libr. I. de gener. & corrupt. text. 41. de discrimine nutritionis & accretionis differens dicit, *quod res augescant alimento, quatenus quantum est, seu prout secum novam adfert quantitatem, nutriantur vero eodem, quatenus caro est, seu prout in rei viventis substantiam converti potest, eique uniri.* Conimbricenses libr. I. de gen. & corrupt. cap. 5. q. 11. art. 2. testantur, *omnes theologos ac philosophos communi sensu docere, quod alimentum in rei nutritae substantiam vere convertatur;* jam vero accidentia non possunt mutari in substantiam, quomodo ergo poterunt nutrire? Si dicas, *divino miraculo illud fieri posse*, respondemus, Deum sine omni cibo miraculose corpus conservare posse, sed quid hoc ad sententiam pontificiorum facit? Si ad miraculum confugiunt, cur addunt, *requiri, ut in magna copia accidentia sumantur*, ergone Deus per accidentia in parva copia adsumta divino miraculo non potest nutrire? Addit etiam Bellarminus, *proprietates panis in illis accidentibus manere*, sic ergo accidentia illa erunt gravia vel levia. Nos figmentis illis hoc opponimus: si panis per consecrationem amitteret suam substantiam, amitteret etiam suas proprietates & effectus, siquidem illæ fundantur in substantia panis, hi ex natura panis oriuntur. Denique *quarta* ratio erat, *vocari panem, quia more hebraico omnis cibus dicitur panis.* Resp. apostolus notanter addit panem *hunc*, respicit ergo ad illum ipsum panem, de quo dixerat, quod Christus illum acceperit, fregerit, atque ad manducandum distribuerit, igitur generalis illa significatio hic non habet locum. Demonstrandum est, apostolum propter hanc causam cibum eucharisticum vocare panem, alias principium petitur & figmenta humana loco verbi divini obtruduntur.

3) *Quia habet effectus & proprietates panis.*

4) *Quia more hebraico omnis cibus dicitur panis.*

§. CXXVI. Ad confirmationem hujus secundi argumenti pertinet illud, quod Paulus panem eucharisticum vocet *communicationem corporis Christi* 1 Cor. X. 16. unde sic colligimus: Nihil proprie dici potest communicatio sui ipsius. Si ergo panis proprie est κοινωνία corporis

Ex loco Paulino 1 Cor. X. 16. contra transsubstantiationem concluditur.

poris Christi, non erit transsubstantiatus in corpus Christi, nisi forte quis dicere velit, κοινωνίαν notare transsubstantiationem. Quando in complexu seu integro quodam duæ res sunt, quarum quælibet suum nomen ac definitionem retinet, tunc non est facta unius in alteram transsubstantiatio, sed utriusque unio. Sic in persona Christi sunt duæ naturæ, quarum quælibet retinet suum nomen ac definitionem. Ergo una natura non est conversa in alteram, sed facta est utriusque unio. In homine sunt duæ partes, quarum quælibet retinet suum nomen & definitionem. Ergo anima non convertitur in corpus, sed fit utriusque unio. Jam vero in sacra cœna sunt duæ res, quarum quælibet suum nomen, definitionem & naturam retinet, ut ex verbis Christi & Pauli constat. Ergo non fit transsubstantiatio vel essentialis conversio, sed unio quædam. Ubi locum habet rei unius in alteram conversio, ibi altera non potest dici alterius κοινωνία. Sic aqua in nuptiis Cananæis in vinum conversa non potest dici κοινωνία vini, sed dicitur aqua vinum facta; quando autem duæ res distinctæ modo quodam uniuntur, & simul exhibentur, tunc unum recte dicitur communicatio alterius. Sic flatus Christi corporeus recte dici potest communicatio Spiritus sancti, quia in & cum illo flatu corporeo datus fuit apostolis Spiritus sanctus. Joh. XX. 22 (*). Concludimus igitur, panis eucharisticus dicitur communicatio corporis Christi. Ergo non est *essentialiter* mutatus in corpus Christi. Relatio versatur ad minimum inter duo. Jam vero κοινωνία est relatio: ergo ut panis vere & proprie dicatur κοινωνία corporis Christi, oportet esse a corpore Christi distinctum quid. Quemadmodum limitatio est relatio inter duo distincta, videlicet *limitans* & *limitatum*: ita communicatio est relatio inter duo distincta, videlicet inter panem communicantem, & corpus Christi communicatum. Panis & corpus Christi sunt unum sacramentale propter unionem; interim tamen, quia panis essentialiter non mutatur in corpus Christi, nec corpus Christi in panem, sed manent distinctæ naturæ, inde panis dicitur communicatio corporis Christi, non autem mutatus in corpus Christi, vel *essentialiter* ipsum corpus Christi. Breviter: apostolus loquitur de tali pane, qui frangitur, quod solis accidentibus non convenit; illum panem vocat κοινωνίαν corporis, non essentialiter ipsum corpus: præmittit, calicem esse κοινωνίαν sanguinis, ubi per calicem verum, non transsubstantiatum calicem intelligit. Ergo & per panem non transsubstantiati panis accidentia, sed verum panem intelligit.

§. CXXVII. Atque hæc sunt duo principalia argumenta, quibus figmentum transsubstantiationis oppugnamus, addemus alia minus principalia. Arg. III. Quodcunque dogma pugnat cum analogia fidei, id pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transsubstantiationis pugnat cum analogia fidei. Ergo pro articulo fidei acceptari nequit. *Minorem* confirmamus: 1.) Omne sacramentum constat verbo & elemento externo. Sola accidentia non veniunt nomine *elementi*. Ergo cœna Domini ex hypothesi pontificiorum carebit externo elemento. Pertinet huc locus Irenæi libr. III. adv. hæres. c. 34. *Eucharistia constat duabus rebus, terrena & cœlesti.* Excipit Bellarminus, *species sensibiles esse illud externum elementum.* Resp. imo vero externum elementum in sacramentis semper est substantia, ut patet ex inductione. Verbum sacramentale non mutat ipsam externi elementi substantiam, sed ad

3.) Transsubstantiatio pugnat cum analogia fidei.

(*) Quod aliquid esse dicitur per κοινωνίαν, non est id, quod dicitur συνουσίως & *essentialiter*, adeoque non per μετουσίαν, cum κοινωνία & μετουσία sibi mutuo opponantur. In illa enim sunt duo termini actu, alter, cui aliquid communicatur, alter, qui communicatur. In μετουσίᾳ tantum est unus actu terminus, nempe ipsum transmutatum, terminus autem *a quo* non amplius est, sed vel in nihilum redactus, vel in privationem solutus est. In κοινωνίᾳ igitur utrumque est panis & corpus, vinum & sanguis: in μετουσίᾳ vero tantum est corpus & non simul panis, est tantum sanguis & non simul vinum. GERHARDUS.

ad usum sacramentalem evehit, ut patet in aqua baptismi, quæ non mutatur in Spiritum, nec amittit suam substantiam, sed unitur ei Spiritus sancti & sanguinis Christi efficacia. Ergo panis eucharisticus substantiam suam retinet, si vel maxime verbum sacramentale accedat. 2.) Sacramenta instituta sunt ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia. At si panis eucharisticus desinit esse panis, nosque in symbolo externo ludificamur, quomodo fides nostra hoc sacramento confirmabitur? Bellarminus excipit, *ad fidem invisibilium confirmandam satis esse, si externum signum vere percipiatur, etiamsi non sequatur effectus ejus signi, ut est res naturalis.* Resp. non de effectu naturali, sed de substantia signi vel symboli externi jam agimus, si desinit substantia signi, quomodo vere percipietur signum vel symbolum? Quamvis enim signum non ratione substantiæ, sed ratione accidentium, quæ sola sunt signa sensibilia, signet, (quod loco hoc Bellarminus urget) tamen, cum accidentia non sint sine subjecto, ideo etiam non poterunt signare sine subjecto; si accidentia non amplius substratam habent substantiam, quam signant *naturaliter*, quomodo signare poterunt *sacramentaliter*? Ac si vel maxime nuda accidentia signare possint, tamen non sunt verum symbolum sacramentale. 3.) Per transsubstantiationem tollitur analogia sacramentalis inter rem terrenam & cœlestem tum principalis tum minus principalis. *Principalis* analogia est, quod panis eucharisticus sit organum & medium idoneum ad distributionem corporis, vel ut apostolus loquitur, κοινωνία corporis Christi: quodque vinum benedictum sit organum, ac medium idoneum ad distributionem sanguinis, vel ut apostolus loquitur, κοινωνία sanguinis Christi. *Minus principales* analogiæ consistunt in facultate nutriendi naturali, quam habent panis & vinum, ac in fructu cœnæ, qui est nutritio spiritualis ad vitam æternam. Item, sicut panis est substantia e multis granis collecta, vinum est substantia ex multis uvis expressa: ita unum corpus efficiuntur, qui de uno pane participant. At hæ analogiæ omnes tolluntur per transsubstantiationem. Etenim si panis est essentialiter ipsum corpus Christi, proprie loquendo, non erit medium, per quod distribuitur corpus Christi. Ac proprietates illæ non possunt tribui nudis accidentibus panis & vini. Bellarminus ad analogiam principalem nihil respondet, ad minus principales hoc regerit, *non requiri, ut panis vere nutriat & ex multis granis constet, sed satis esse, si naturaliter repræsentet rem, quæ vere nutrit, repræsentationem autem & significationem illam fieri per accidentia.* Declarationis causa adfert duo exempla: *Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ ob analogiam inter columbam & Spiritum sanctum, & tamen non opus fuit, ut illa columba esset vera columba, quoad substantiam; sed satis fuit, ut speciem exteriorem columbæ haberet. Et serpens æneus Christum repræsentavit ob analogiam inter Christum & serpentem, & tamen non fuit ille verus serpens quoad substantiam.* Resp. si panis vere est signum & symbolum sacramentale, oportet ut accidentia illa externa substantiam habeant substratam, cum enim accidentia non sint sine substantia, utique nec signare poterunt sine substantia. De columba, in qua descendit Spiritus sanctus, disputatur, an fuerit vera columba, an vero tantum species seu simulacrum columbæ? Tertullianus libr. de carne Christi cap. 3. statuit, *tam vere fuisse columbam, quam vere fuerit Spiritus.* Augustinus, vel quicunque alius auctor libelli de agone Christi, cap. 22. scribit: *Spiritum non fallaciter adparuisse oculis hominum, & spectatoribus imaginario phantasmate illusisse, sed verum fuisse animal de novo sine aliarum columbarum ministerio creatum, quod post officium illud statim esse desierit.* Thomas part. III. q. 39. art. 7. ad 1. *Spiritus dicitur descendisse in specie vel similitudine columbæ, non ad excludendam veritatem columbæ, sed ad ostendendum, quod ipse non adparuit in specie suæ essentiæ.* Alii contra disputant, fuisse tantum similitudinem seu simulacrum columbæ, quia in visionibus usitatæ sunt tales adparitiones, itemque quia additur particula ὡσεὶ & quia Lucas vocat εἶδος. Ita statuunt Chrysostomus homil. XI. in Matth. Augustinus epist. CII. & libr. II. de Trinit. cap. 5. Ambrosius libr. I. de sacram. cap. 5. Sed quidquid sit de illa

illa columba, sufficit, quod species illa columbæ non fuerit sine corpore quodam subjecto, quod agnoscit etiam Barradius tom. II. concord. evang. libr. I. cap. 13. *Crediderim* (inquit) *columbae fuisse effigiem pulcerrimae & candidissimae ex aëre compactam.* Ita quoque serpens æneus Mosaicus licet non fuerit verus ac vivus serpens, tamen effigies illa serpentis non fuit sine corporea quadam substantia, sed pontificii statuunt, speciem panis eucharistici esse sine subjecto. Adde, quod in eucharistia non proponatur aliqua visio vel adparitio, qualis fuit Spiritus sancti in specie columbæ descendentis, neque quædam figura, typus & repræsentatio, qualis fuit serpens æneus, sed sanctissimum sacramentum, ad quod requiritur rei non solum cœlestis, sed & terrenæ veritas, ut unio sacramentalis locum habere possit. Repetimus igitur argumentum Scoti ex Ambrosio: *In sacramento veritatis non debet esse falsum. At si desit substantia panis, erit falsitas in accidentibus. Accidentia enim externa sunt naturalia signa internae substantiae.* Bellarminus regerit c. 24. resp. ad argumentum 5. *fieri supra ordinem naturae, ut sub illis accidentibus desit substantia panis.* Atqui hac ratione petitur principium, & manet absurdum, scilicet supra naturæ ordinem fieri, ut sit aliquid falsum in sacramento veritatis. Neque quidquam momenti habet effugium Bellarmini, *quod etiam sancti viri fallebantur, qui angelos in specie humana sibi adparentes veros homines fuisse putabant;* quia dispar ratio est inter adparitiones & sacramenta, & quia visibiles illas adparitiones ipsa scriptura sic explicat, quod angeli in adsumtis illis formis ab hominibus conspecti sint, ac proinde illas formas non fuisse corpora vere humana; sed de pane eucharistico nuspiam in scriptura adseritur, quod non amplius sit verus panis. Sed ponamus, speciem panis vere significare, si vel maxime non sit verus panis, (ut enim panis eucharistici principale officium non est significare, sed exhibere corpus Christi, ita nec principaliter utimur argumento ab officio significandi deducto) at num poterunt nudæ illæ species nutrire? Bellarminus audacter adserit, addita tamen limitatione, *si in magna copia sumerentur,* qua de re quid statuendum sit, vidimus superius. Scholastici, ut pronunciati hujus absurditatem effugerent, aliter responderunt ad hanc quæstionem. Thomas part. III. q. 77. art. 6. dicit, *species illas nutrire eodem modo, quo ex illis aliquid generatur*, idque conatur explicare art. 5. *Difficile* (inquit) *est adsignare, quomodo ex illis speciebus aliquid generetur. Quidam dixerunt, quod ex aëre circumstante, quidam quod redeat substantia panis & vini.* Utrumque ipse improbat & statuit, *in consecratione dari quantitati, ut sit primum subjectum subsequentium formarum, hoc autem cum sit proprium materiae, ideo ex consequenti dari quantitati omne id, quod ad materiam pertinet.* Gabr. Biel libr. IV. sent. dist. 12. q. 1. art. 3. dub. 3. sic procedit: *Sumtis speciebus & eis alteratis usque ad eam dispositionem, sub qua non maneret substantia panis, si non praecessisset consecratio, & sub qua desineret esse corpus Christi sub speciebus sic alteratis, producitur materia vel panis, quae praefuit, vel alia numero, & illam materiam adglutinatam reliquae carni sumentis incipit informare forma hominis.*

§. CXXVIII. Argument. IV.)

4.) Transsubstantiatio evertit rei naturam, de qua agit.

Quodcunque dogma evertit naturam rei, de qua agit, pro articulo fidei haberi nequit. Dogma transsubstantiationis evertit naturam rei, de qua agit. Ergo. *Adsumtum* probamus: 1.) transsubstantiatio evertit naturam benedictionis divinæ, quia ex partis utriusque consensu sacramentum eucharistiæ conficitur benedictione divina. At illa res conservat. Pontificiis benedictio illa efficit, ut panis intereat & annihiletur. Excipit Bellarminus cap. 24. resp. ad arg. 3. *Nego panem annihilari, adsero autem verissime converti. Nam etiamsi panis nihil sit, tamen id, in quod ipse conversus est, non est nihil.* Et postea: *Admitto panem per consecrationem interire, ut ei succedat corpus Christi, sed aliud est interire & corrumpi, aliud annihilari. Corrumpitur sive interit, quidquid desinit esse: at non annihilatur, nisi quod ita desinit esse, ut nihil ei succedat, ita ut*

ejus desitio terminetur ad nihil. Desumsit hoc ex Scoto, qui in lib. IV. sent. dist. 11. scribit: *Desitio panis secundum se considerata est annihilatio, & tamen ipsa conversio non est annihilatio, quia ejus terminus non est nihil.* Resp. Pontificii non consentiunt in explicando transsubstantiationis modo, ut postea plenius docebimus. *Quidam dicunt*, (ait glossa can. species de consecrat. dist. 2.) *substantiam panis & vini mutari & converti in corpus Christi, alii in nihilum redigi vel in primordialem materiam resolvi.* Eligat Bellarminus quidquid velit, cogetur admittere hoc absurdum, quod benedictio divina in eucharistia res terrenas corrumpat. Argumentamur autem contra Bellarminum hoc loco: materia panis post consecrationem aut manet & est aliquid, aut interit & est nihil. Si manet & est aliquid, jam non est transsubstantiatio, sed tantum transformatio, quia non tota substantia interiit. Si est nihil, ergo fit annihilatio. Neque est, quod proferatur successio corporis Christi, quæro enim, num corpus Christi sit factum ex materia panis? adfirmare videtur Thomas part. III. q. 75. art. 3. ubi dicit, *non posse dari aliquem modum, quo Christus vere incipiat esse in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum, quae conversio tollitur posita vel annihilatione, vel resolutione in praejacentem materiam.* Bellarminus vero lib. III. de euchar. c. 18. illam conversionem dicit non esse *productivam*, sed *adductivam*, & sic negat corpus Christi factum esse ex materia panis. At si corpus Christi non est factum ex pane, non habebit locum transsubstantiatio, omnino enim aliud est successio in locum substantiæ intereuntis, aliud est substantiæ unius conversio in aliam. 2.) Transsubstantiatio evertit naturam *panis & vini* remanentibus tantummodo accidentibus: evertit naturam *accidentium*, quæ ponit sine subjecto, cum tamen *esse in subjecto* ingrediatur definitionem accidentium. Bellarminus regerit, *inhaerentiam in subjecto ad accidentis essentiam non pertinere, cum Basilius homil. VI. hexaëm. doceat, lucem primogeniam tribus diebus absque vehiculo fuisse, cumque Aristoteles lib. III. de anim. text. 9. scribat, quod aliud sit magnitudo, aliud esse magnitudinis.* Resp. quidquid absque subjecto inhærentiæ subsistit, est substantia. At nullum accidens est substantia. Ergo nullum accidens absque subjecto inhærentiæ subsistit. Propositio patet ex immediata illa divisione Architæ in scholis recepta: *Omne ens vel est in subjecto ut accidens, vel non est in subjecto ut substantia.* Aristoteles lib. categor. cap. 1. & 3. explicante Zabarella in tabella super isagoga Porphyrii docet, *proprium esse omnis accidentis esse in subjecto inhaerentiae, sicut substantiae non esse in subjecto inhaerentiae.* Idem asserit, quod *accidentis esse sit inesse*, ut colligitur ex lib. V. metaphys. text. 35. & ex lib. VI. metaph. c. 17. Thomas part. I. q. 28. art. 2. *Accidentis esse est inesse subjecto.* Scaliger exerc. X. *Accidentis esse est inhaerere.* Exerc. CCCXXV. sect. 2. disputat, *accidentia habere suam essentiam conflatam ex potentia & actu*; interim addit, *utrumque habere pro causa efficiente substantiam*, (quod intelligendum de efficiente per emanationem) atque *inhaerentiam esse peculiarem differentiam, qua distat a substantia.* Suarez disput. XIV. sect. 4. *Accidens sua natura ineptum est ad subsistendum, ac proinde indiget aliquo subjecto sustentante.* (*).

Philo-

(*) Biermannus in metaph. inhærentiam esse de essentia accidentis sic probat: 1.) *Substantiæ propria conditio est non esse in alio*; 2.) *per inhærentiam accidens formaliter ens est, cum præsertim accidens ex eo dicatur ens, quod sit entis, id est, subjecti seu substantiæ ens*; 3.) *Si inexistentia accidentis dicatur distincta ab eodem, quæri potest, sit ne inhærentia ista substantia, an accidens? Si accidens, pro natura accidentis labebit aliam inexistentiam. Si se ipso inest, cur non magis de primo verum? Ergo omnino inhærentia nihil aliud, quam ipsa accidentis essentia.* Contra 1.) *Inhærentia designat respectum ad aliud, quia inhærere est alteri inhærere, si hoc dicitur esse de essentia accidentis. Ergo omne accidens relativum.* Resp. alius est respectus *relativus*, alius *absolutus.* Absolutus est, qui dirigitur ad subjectum & dependentis, id est, accidentis ad subjectum. Relativus respectus dirigitur ad terminum oppositum. Nulla enim dependentia, sed

Philosophis calculum suum addit Justinus martyr & philosophus in ἐκθ. πίσ. pag. 303. edit. Commelin. τὸ συμβεβηκὸς ἢ καθ' αὐτὸ πέφυκεν, ἀλλ' ἐν τισι πρὸ ὑποκειμένοις ὑπάρχει. Zabarell. lib. II. de mat. prima cap. 17. *Materia non modo omnis receptivitatis est radix, sed & omnis corporeitatis ratio, quae facit, ut res naturales possint esse corpora.* Unde colligitur: *primo*, quod accidentia non possint esse, nisi adsit subjectum, in quo recepta sustineantur, in se enim nullam habent materiam; *secundo*, quod accidentia non possint constituere substantiam; *tertio*, quod *accidentia non accidenti, sed substantiae accidant*, ut loquitur philosophus lib. IV. metaph. cap. 1. Accidentia ergo illa panis & vini post consecrationem aut constituent substantiam, quod est contra secundum, aut nulli prorsus inhærebunt subjecto, materia panis & vini sublata, quod est contra primum, aut nihil prorsus erunt. Præterea sapor, color & odor ille inesse censendus, aut Christi corpori, in quod panis est conversus, & sic nova erat μεταμόρφωσις recipiente Christi corpore panis accidentia, vel concedendum est inesse ea accidentibus post consecrationem residuis, quod est contra tertium (*). Neque vero judicamus operæ pretium disputare, an miraculo divino inhærentia ab accidentibus separari posset. (Thomas part. III. q. 77. disputat, *fieri non posse, ut miraculose definitio rei ab aliqua re separetur.* Jam vero esse in subjecto ingreditur definitionem accidentium, ergo non poterit ab accidentibus separari.) Probent prius ex divinis scripturis Dei voluntatem, quod scilicet velit accidentia panis & vini conservare absque subjecto, & sublata erit omnis de natura accidentium &

sed oppositio correlatorum. Relatio convertitur ad terminum, non ad subjectum, relatio parit contrarietatem relatorum. Inhærentia autem est respectus subjecti & accidentis dependentiam potius & conjunctionem quam dissidium & sejunctionem arguens. 2.) *Si inhærentia accidenti essentialis, quomodo relatio, & quæ relationem ordine consequuntur, dicuntur accidentia adhærentia.* Resp. a.) Inhærentia tribuitur accidenti *reali*, adhærentia accidenti *intentionali*. Nam adhærentia nihil aliud quam notatio, quam animus noster inter duo instituit, atque ideo adhærentia est adplicatio rei per se existentis ad aliam rem, & si cui reali convenit, substantiæ convenit. b.) Et relationes & reliqua accidentia respectiva vere inhærent. Relatio enim inest suo fundamento, actio realiter inest in patiente, sed res, ad quam fit respectus, illa proprie adhæret. GERHARDUS.

(*) Quo posito tollitur discrimen inter *substantiam* & *accidens*, illud est absurdum & rejiciendum. Sed posito, accidentia per se subsistere sine subjecto, tollitur discrimen inter substantiam & accidens. Ergo. Scaliger lib. IV. de caus. Lat. ling. *Substantia non est confundenda cum accidente.* At substantia in eo differt ab accidente, quod illa per se subsistat, hoc autem propter dependentiam suam, nisi in substantia, consistere non possit. Argumentamur igitur porro: 1.) Quæcunque ad terminos contradicentes possunt redigi, illorum opposita est ratio. Atqui substantia & accidens ad terminos contradicentes possunt redigi. Ergo substantiæ & accidentis est opposita ratio. Ulterius: cujus ratio *formalis* est per se subsistere, illius oppositum hoc habebit formale, ut non per se subsistat. Atqui substantiæ ratio formalis est per se subsistere. Ergo oppositi, quod est accidens, ratio formalis est, non per se subsistere, quod nihil aliud est, quam alicui *subjective* inesse. *Major* est manifesta, ut constat ex inductione aliarum specierum omnium, quæ sibi ἀντιδιηρημένως sunt oppositæ. *Minor* itidem sua luce radiat. 2.) Si ratio accidentium formalis non est inhærere alteri tanquam subjecto, vel propterea hoc statuendum erit, quia quædam esse possunt sine subjecto, vel quia τὸ inesse saltem est proprium πάθος consequens naturam accidentium. At neutrum. Ergo. Ratio *majoris* est manifesta, quia nihil aliud obstare videtur, præsertim cum in confesso, pleraque necessario deposcere subjectum. *Minor* probatur quoad posterius, quia si τὸ *inesse* est proprium accidens ipsorum accidentium, non minus etiam substantiarum proprium accidens erit per se subsistere ex natura oppositionis. Quoad prius: si aliqua possunt esse sine subjecto, quærimus, an illa per se subsistant, an vero non? tertium non datur. Si per se subsistant, erunt substantiæ, quod implicat contradictionem. Sin minus, stat nostra sententia. GERHARDUS.

potentia divina disputatio. Quod ad lucem primogeniam attinet, discrepantes de ea sunt veterum sententiæ. Maxime probabilis est eorum sententia, qui e vocis proprietate, ex opere diei quarti, ex lucis officio & natura cœli lucidi statuunt, lucem illam primogeniam fuisse *corporis lucidi qualitatem, quod corpus procul dubio erat cœlum, jam quidem conditum, sed aquis adhuc immersum, unde etiam lux fuit exilior, utpote nondum ex aquarum nebulis educta, nec in unam cœli partem, quae nunc est sol, collecta, sed per totum hemisphærium cœlestis machinae sparsim diffusa.* Gesnerus in comm. cap. I. Gen. *Quae fit illa lux* (scribit Joh. Ferus pontificius in illum locum) *variae sunt opiniones. Aliqui volunt, lucem hanc fuisse solem licet nondum perfectum, sicut postea quarta die effectus est. Alii volunt, quod lux illa non processerit a corpore aliquo luminoso, sed immediate a Deo creata sit. Sed quid opus subtiliter haec velle indagare, cum nihil certi hinc discere possimus.* 3.) Transubstantiatio evertit naturam corporis & sanguinis Christi. Idem illud corpus in sacra cœna accipimus, quod in mortem pro nobis traditum, eundem illum sanguinem bibimus, qui pro peccatis nostris in ara crucis effusus. Atqui illud corpus est ex Maria virgine adsumtum, non ex materia panis confectum. Filium Dei ex sanctificatis Mariæ visceribus veram humanam naturam adsumsisse, & corporis habitaculum sibi formasse, scriptura adserit; sed corpus & sanguinem Christi ex pane & vino quotidie a sacerdotibus formari, nuspiam tradit. Excipit Bellarminus, *per transsubstantiationem corpus Christi non produci, sed succedere substantiae panis. Nego* (inquit) *Christi corpus vel ipsum Christum Deum & hominem absolute a sacerdotibus fieri. Aliud enim est Christi corpus conficere ex pane, quod faciunt sacerdotes; aliud absolute corpus Christi efficere. Ex pane Christi corpus conficere, non est ipsum producere, sed in ipsum praeexistentem panis substantiam commutare.* Et postea: *Dico, corpus Christi ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne Mariae virginis, & quomodo ex ligno fit sedes, sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est cœlum, ex die fit nox, & etiam ex aqua factum est vinum.* Resp. desinant ergo abuti vocibus, si rem ipsam vocibus denotatam non agnoscunt. Si corpus Christi non fit ex pane, tanquam ex materia, cur ergo dicunt, panem transsubstantiari, & *essentialiter* converti in Christi corpus? Dicant potius, panis substantiam perire & succedere in ejus locum Christi corpus. Nequaquam vero panem transsubstantiari in Christi corpus, aliud enim est, substantiam in locum alterius succedere, aliud ex una substantia in aliam converti. Ergo conversionem *adductivam* statuere est ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ. Si est conversio, non erit successio vel adductio tantum, & si est tantummodo novæ substantiæ successio, non erit conversio. Exempla, quæ Bellarminus adducit, ipsi vel maxime adversantur. Si enim eo modo fit corpus Christi ex pane, sicut ex nihilo factum est cœlum, ex die fit nox, non amplius locum habebit transsubstantiatio. Quis enim unquam dixerit, nihilum transsubstantiatum fuisse in cœlum, diem transsubstantiari in noctem? si vero eo modo ex pane fit corpus Christi, sicut ex aqua factum est vinum, consequens fuerit, corpus Christi ex materia panis fieri; perire etiam una accidentia panis, sicut in vino illo Cananæo non amplius erant aquæ accidentia: ac missifices eadem potestate divina mutare panem in corpus Christi, qua Christus aquam mutavit in vinum, ut haud immerito *creatores sui creatoris*, in stella clericorum dicantur.

§. CXXIX. Arg. V.) Quodcunque dogma laborat perpetuis contradictionibus, non potest haberi pro articulo fidei. Dogma transsubstantiationis laborat perpetuis contradictionibus. Ergo.

§.) Transsubstantiationis dogma laborat perpetuis contradictionibus.

Qui de veritate *minoris* dubitat, adeat librum, cui titulus: *Resolutorium dubiorum circa celebrationem missarum occurrentium per venerabilem Dominum Johannem de Lapide, doctorem theologum Parisiensem, ordinis Carthusiensis, ex sacrorum canonum probatorumque doctorum sententiis diligenter collectum, & impressum Coloniae*

niae in domo Quentelii anno 1404. (*) adeat summam Angelicam tit. *de eucharistia*, adeat Scholasticos in quartum sententiarum commentantes, videat librum Wilhelmi Holderi (**), cui titulus: *Mus exenteratus.* Nos percurremus aliquas solum contradictiones. 1.) Quærunt: *an sit aliqua virtus creata in verbis cœnæ ad transsubstantiationem?* Thomas part. III. q. 78. art. 4. *Statuere, quod nulla virtus creata sit in verbis cœnæ ad transsubstantiationem, repugnat & dictis sanctorum & dignitati sacramentorum. Cum ergo hoc sacramentum sit cæteris dignius, consequens est, quod in verbis formalibus hujus sacramenti sit quædam virtus creata ad conversionem faciendam, instrumentalis tamen*; ibidemque addit, *per hunc modum verba illa convertere panem in Christi corpus, sicut tactus manus Christi sanavit leprosum.* Sed Gabr. Biel lib. IV. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 5. contra disputat: *Sacramenta non efficiunt, quod significant per aliquam virtutem insistentem, sed per virtutem divinam adsistentem, nec verba prolata aliquid efficiunt, nisi quod ad prolationem eorum Deus signo per se instituto adsistens operatur, requiritur autem verborum prolatio ex institutione Christi ut praevia, non ut concomitans.* 2.) Quærunt: *an a Christo expressa & instituta sit certa verborum forma ad transsubstantiationem necessaria?* Durandus lib. IV. rationalis c. 41. num. 15. *Quidam dixerunt, quod Christus post benedictionem & conversionem fregit, nam tunc confecit, cum benedixit, literam hoc ordine construentes, accepit panem, benedixit, subaudiendum est, dicens: hoc est corpus meum, & tunc fregit & dedit & ait: accipite & comedite, & iteravit: hoc est corpus meum. Prius ergo protulit haec verba, ut eis vim conficiendi tribueret: deinde protulit eadem, ut apostolos formam conficiendi doceret. Alii dixerunt, quod etiam Christus prius fregit quam consecravit, nam prius benedixit & postea fregit, & demum protulit verba illa: hoc est corpus meum, & tunc dedit, & secundum hos & sacramentum confecit, & formam instituit post benedictionem, cum dixit: hoc est corpus meum, intelligentes illam benedictionem fuisse vel aliquod*

(*) Prima huius *resolutorii* editio Basileæ *MCCCCXCII.* in 8vo prodiit. Secutæ deinceps sunt complures aliæ huius libri editiones variis locis impressæ, diversisque subinde inscriptionibus insignitæ. Recensuit easdem ROB. GERIUS in *adpend. ad hist. litterar.* GUIL. CAVEI *p. 216.* edit. Lond. recentiss. Quod speciatim ad Colonienſem huius libri editionem, quam supra adlegavit GERHARDUS, attinet, ea ineunte seculo XV. nimirum ann. *MDI.* & *MDVI.* 4to lucem adspexit publicam.

(**) De WILHELMO HOLDERO, ad quem lectores heic remittit GERHARDUS, paucis notamus, eundem fuisse Marpaco-Würtembergicum, primo ecclesiæ Stutgardiensis in nosocomio, deinceps vero cathedralis pastorem, intimulque principis Wurtembergici consiliarium, ac consistorii ecclesiastici adsessorem, denique abbatem Maulbronnensem ac superintendentem generalem. Scripsit, præter alia, tractatum JO. PISTORIO, qui, derelicta religione Lutherana, ad ecclesiam Romanam transiit, eiusdemque causam in peculiari libro, *Wegweiser vor alle verführte Christen*, inscripto, propugnandam suscepit, oppositum ac supra a GERHARDO excitatum, cui index: *mus exenteratus, hoc est, tractatus valde magisterialis de quæstione quadam theologicali & multum subtili, ad Jo. Pistorium, theologum sicut abyssi maris profundum, per fratrem* Wilhelmum de Stutgardia, *ordin. minor.* Tubing. *MDXCIII. 4.* Recusus fuit hicce liber Lipsiæ *MDCLXXVII.* hodieque rarius occurrit. Continet satyram stilo methodoque scholastica conscriptam, in qua disquiritur: *si mus, aut aliud quodcunque brutum, hostiam consecratam corrodat, vel comedat, quæritur: anne corpus Christi corrodat atque comedat, aut quid de corpore Christi fiat?* Qui plura de hocce auctore eiusdemque scriptis aculeatis, non tantum PISTORIO aliisque cœtus Romani defensoribus, sed & Reformatis oppositis, legere voluerit, adeat WITTENIUM, in *diario biographico* ad ann. *MDCIX.* FISCHLINUM in *biograph. theolog. Wirtemberg. part. I. p. 194, 195.* PREGIZERUM in *Suevia & Wirtembergia sacra, p. 402.* PLACCIUM *in theatr. pseudon. p. 576.* TENZELIUM in *den monatlichen Unterredungen 1692. p. 1000. die monatliche Nachrichten 1714. p. 616,* & LILIENTHALIUM in *der theologischen Bibliothec, tom. I. part. VI. p. 677. seq.*

signum, quod super panem expressit: quibus illud videtur obsistere, quod prius fregit quam dixit: hoc est corpus meum, nec est credibile, quod prius dederit, quam consecerit. Sane dici potest, quod Christus virtute divina nobis occulta primo confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicunt. Ipse namque virtute propria benedixit, nos vero ex illa virtute, quam indidit verbis. Scotus lib. IV. repert. dist. 8. q. 2. *Dico, quod ignorantia est licita, ignorare quot verba praecise requirantur ad formam consecrationis sanguinis, quia nec Christus expressit, neque ecclesia. Unde quod dicit unus doctor, quod minister debet necessario scire, quae sit forma praecise, quia oportet eum intendere, consecrare, illud est sophisma & falsum in se.* Et postea: *Graeci non habent hanc formam, & tamen non negamus eos conficere corpus Christi.* Thomas part. III. q. 78. art. 1. *Quidam dixerunt, quod Christus absque omni forma verborum hoc sacramentum perfecit, & postea verba protulit, hoc videntur sonare verba Innocentii III. Quidam dicunt, quod illa benedictio facta fit verbis nobis ignotis; quidam dicunt, quod Christus illa verba bis protulit, primo secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. Quidam dixerunt, quod evangelistae non semper eundem ordinem in recitando servaverint, quo res sunt gestae.* Thomas ipse putat, *quod participium* dicens *importet concomitantiam quandam verborum prolatorum ad ea, quae post dicit, hoc sensu: dum benediceret & frangeret & daret discipulis suis, haec verba dixit:* Hoc est corpus meum. 3.) Quaerunt, *num propositio illa: hoc est corpus meum, proferatur a sacerdote recitative vel significative?* Prius statuit Innocentius, posterius Alensis, Thomas & alii. 4.) Quaerunt, *an illis solum verbis: hoc est enim corpus meum, fiat transsubstantiatio?* Scholastici plerique adfirmant, sed Scotus lib. IV. sent. dist. 8. & summa Angelica de euchar. membr. I. quaest. 24. negant, *quia sacerdos dicendo: hoc est corpus meum, non refert ad corpus Christi, ideo licet non sint alia verba de substantia formae quam praedicta, tamen de necessitate requiritur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus praefata forma solummodo determinetur ad corpus Christi, sicut fit, cum dicitur in canone: fiat corpus dilectissimi Domini nostri Jesu Christi, qui pridie & aliter nihil fieret. Et hoc tene,* (ait summa) *quamvis aliqui teneant contrarium & male.* 5.) Quaerunt: *an sacerdos panem virtute praefatorum verborum transsubstantiet in corpus Christi, si ad veneficia eo uti intendit?* Respondet Angelus in summa: *Licet Thomas in lib. IV. sent. dist. 11. teneat, quod talis conficiat, tamen non cures, sed tene, quod talis non conficiat, quia deficit intentio illius, qui hoc sacramentum instituit, ut tenet Bonaventura & multi alii, quamvis etiam opinio Thomae possit sustineri secundum quod Richardus sustinet, si intelligatur, quod conficiens intendat primo conficere, licet consequenter ad veneficia, sed prima magis vocatur rationalis, & ideo tene eam.* 6.) Quaerunt: *qualis sit conversio, an formalis vel substantialis, vel alterius generis?* Lombardus lib. IV. sent. dist. 11. lit. A. respondet, *definire non sufficio.* Rupertus Tuitiensis lib. II. de div. offic. cap. 2. *panem hypostatice adsumi a Verbo*, quem refutat Algerus lib. I. de sacram. cap. 6. Thomas part. III. q. 75. art. 2. *Quidam posuerunt possibile, quod substantia panis & vini maneant.* Art. 3. *Quidam putantes impossibile, quod substantia panis vel vini in corpus Christi converteretur, posuerunt, quod per confectionem substantia panis & vini vel resolvatur in praejacentem materiam, vel quod annihiletur.* Art. 6. mentionem faciunt quorundam, qui statuerunt, *materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eandem.* Idem repetit glossa in c. Species 33. de consecrat. dist. 2. Durandus lib. IV. sent. dist. 11. q. 3. vult, *formam panis converti, materiam non converti, sed manere ac informari Christi anima. Circa conversionem, quae fit in hoc sacramento,* (dicit summa l. d. quaest. 31.) *firmiter tenendum est, quod substantia panis, secundum totam suam materiam & formam existens, actu transsubstantiatur in totum corpus Christi actu existens, ita quod materia in materiam, & forma*

in

in formam, scilicet corpoream, transsubstantietur, solis accidentibus remanentibus, secundum Bonaventuram, Richardum, Paludanum in lib. IV. sent. dist. 11. *Thomam* part. III. q. 75. *Sed secundum Scotum* in lib. IV. dist. 11. *ibi non est conversio substantiae in substantiam, quantum ad esse substantiale simpliciter, sed quantum ad esse hic, quia corpori Christi non adquiritur simpliciter esse, sed hic esse scilicet sub specie panis, unde adquirit novam praesentiam, non amittendo antiquam: panis vero definit esse ibi, non adquirendo aliquam praesentiam alibi, unde licet illa desitio panis secundum se considerata sit annihilatio, ipsa tamen conversio nullo modo est annihilatio, quia ejus terminus non est nihil, sed nova praesentia corporis Christi sub specie panis.* Bellarminus lib. III. de eucharist. c. 24. vocat *conversionem adductivam.* 7.) Quærunt de accidentibus panis, *ubi fundentur post transsubstantiationem?* Lombardus lib. IV. sent. dist. 12. lit. A. *potius mihi videtur fatendum existere sine subjecto, quam in subjecto.* Innocentius III. lib. IV. de myst. miss. c. 11. *In sacramento corporis accidens non est in substantia, sed substantia consistit sub accidente.* Thomas part. III. q. 77. art. 1. *Quidam dicunt quod accidentia fundentur in aëre;* sed art. 2. statuit, quod *quantitas dimensiva sit subjectum illorum accidentium.* Catechesis Rom. part. II. de sacr. euchar cap. 4. q. 337. sequitur Innocentium & Lombardum, quod *accidentia illa super omnem naturae ordinem ipsa se nulla alia re nixa sustententur, sed* Bellarminus cum non ignoret in Lateranensi synodi sess. III. decretum, scripturam sacram veritati naturæ non repugnare, eo quod verum vero non contradicat, statuit, *quantitatem dimensivam remanentem esse reliquorum accidentium subjectum.* Lib. III. de euchar. c. 19. 8.) Quærunt, *quo tempore fiat transsubstantiatio?* Glossa c. cum omne, de consecrat. dist. 2. lit. M. multas recenset opiniones: *Quidam dicunt, quod non fiat transsubstantiatio, nisi ultima syllaba* um *totius formae prolata. Alii existimant, ut Hugo, quod cum dicitur: hoc est corpus meum, quod transsubstantietur sub illa conditione, scilicet si statim subjungatur: hic est sanguis meus, aliter non. Alii dicunt incertum esse in rerum natura, utrum in continenti sit corpus Christi. Aliis fit transsubstantiatio in ultima litera* m. Vide Bielem lib. IV. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 4. Scotum lib. IV. sent. dist. 13. contr. 1. 9.) Quærunt, *quid fiat de aqua vino adpositа in transsubstantiatione?* Thomas part. III. q. 74. art. 8. ex Innocentio III. refert tres opiniones: *Quidam dicunt, quod aqua per se maneat vino in sanguinem converso. Quidam dicunt, sicut vinum convertitur in sanguinem Christi, ita aquam converti in illam aquam, quae fluxit de latere Christi. Quidam dicunt, quod aqua convertatur in vinum, & vinum in sanguinem Christi.* Durandus lib. IV. ration. c. 42. num. 6. magis sobrie: *Quis haec definire audeat.* Vide superius §. 26. 10.) Quærunt, *quomodo accidentia panis veneno inficiantur?* (siquidem Heinricus VII. imperator eucharistia veneno illita neci datus, teste Platina in vita Clementis V.) *quomodo vini accidentia inebrient?* (Thomas in 1 Cor. XI. *Si quis forte plus aequo vini conscerati hauserit, ipsis accidentibus sustentari potest, ac forte etiam inebriari*) *quomodo vermes nascantur ex speciebus eucharistiae?* Alii vermes istos *ex aëre*, alii *ex substantia panis reversa* nasci dicunt. Durandus in rat. lib. IV. c. 4. Scotus lib. IV. sent. dist. 12. contr. 3. pag. 121. Thomas *ex accidentibus in aëre fundatis* part. III. q. 77. art. 5. Conimbricenses lib. I. phys. top. 9. q. 5. art. 3. §. 3. & lib. I. de gener. & corrupt. cap. 4: quæst. 7. art. 2. §. 6. *in eo eventu receptis primum in quantitate dispositionibus, ad formam vermis ipso generationis momento subjici a Deo materiam, vel denuo creatam, vel aliunde adscitam, vel potius eandem, quae evanuerat, reductam, ex qua simul cum forma vermis componatur.* Bellarminus lib. III. de euchar. cap. 24. resp. ad arg. sextum. *Vel mutatio in pane eucharistiae est sola alteratio, vel est corruptio. Si est sola alteratio, ut calefactio, condensatio, tum non requiritur materia seu substantia, nam accidentia omnia pro subjecto habent quantitatem, quae in sacramento manet: si vero fit corruptio specierum, ut in nutritione humana, combustione &c. tum requiritur quidem materia, sed ea substituitur a Deo in*

in illo ipso instanti, quo desinunt esse aliae species & hoc sine miraculo, quia id rerum ordo exigit. (Atqui illa corruptio, quæ accedit hostiæ in corpus Christi transsubstantiatæ, aut est ab actione contrarii, aut a corruptione subjecti. Sed a neutra. non ab illa, quia corpus Christi non habet contrarium; Durandus lib. IV. sent. dist. 12. q. 2. nec ab hac, quia materiam subjectam non habet, alias non opus foret substitutione. Adhuc ergo quæritur, ubi prima recipiatur corruptionis impressio, ob quam sustinendam alia substituenda sit materia?) 11.) Quærunt, *si mus comedit species panis, quid de corpore Christi fiat?* Innocentius lib. IV. de myst. miss. c. 9. *Fuerunt qui dicerent, quod sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, sic & vera panis substantia. Hi facile solvunt quaestionem illam, qua quaeritur, quid a mure comeditur, cum sacramentum corraditur?* Lombardus lib. IV. sent. dist. 13. lit. A. *Quid sumat mus, vel quid manducet, Deus novit.* Bonaventura lib. IV. sent. dist. 13. q. 1. *Quidam dixerunt, quod mus sumat Christi corpus. Sed quomodocunque haec opinio munietur, nunquam tamen adeo munitur, quin aures piae abhorreant hoc audire, quod in ventre muris, quamdiu species ibi subsistunt, sit corpus Christi.* Contra Alensis part. IV. q. 45. memb. 1. art. 2. *Si canis vel porcus deglutiret hostiam consecratam integram, non video, quare vel quomodo corpus Domini non simul cum specie trajiceretur in ventrem canis vel porci.* Joh. de Burgo de Christ. euch. c. 10. *Mus comedens hostiam, suscipit corpus Christi.* Glossa in c. Qui bene. dist. 2. de consecr. *Non est dicendum, quod mus sumat corpus Domini, statim enim cessavit esse sacramentum, ex quo ab eo tangitur. Si tamen dicatur, quod sumat, non est magnum inconveniens, cum sceleratissimi homines istud sumant.* Thomas part. III. q. 80. art. 3. *in hoc casu substantiam panis reverti* dicit. Bonaventura lib. IV. sent. dist. 13. q. 2. *novam substantiam creari putat.* Summa Angelica de euch. tit. 3. q. 9. *Videtur, quod corpus Christi non transeat in ventrem muris, si illas species comedit, quia Christus non est sub illo sacramento, nisi quatenus est ordinabilis ad usum humanum, scilicet ad manducationem, sed quam cito mus rodit, tam cito inhabilem facit, & sacramentum esse desinit* (*). 12.) Quærunt, *an Christi corpus sub speciebus in stomachum descendat, & vomitu rejiciatur?* Glossa in cap. Tribus, gradibus de consecrat. dist. 2.

(*) Antoninus lib. de defectib. missæ & Ingenuus in lib. IV. sent. q. 6. art. 4. suaserunt, *murem ante omnia esse capiendum, sub hac tamen conditione, si capi possit, & non nimis celeriter elabatur. Quod si vero mus jam captus sit, & quidem probabiliter ille ipse, qui corpus Christi deglutivit, quaesitum est amplius, num corpus dominicum in ventre muris, qui sic in muscipula circumfertur, adorandum sit?* Bonaventura lib. IV. sent. dist. 13. q. 2. Gabr. Biel lect. LXXXIV. *adfirmandum hoc esse* collegerunt, *cum beato Christi corpori suus ubique honor deferendus sit.* Negativam elegerunt Major in lib. IV. sent. dist. 11. q. 3. & alii, *cum ita videatur mus ipse quodammodo coli, qui tamen nocens est, & capitale supplicium meruit.* Ipsam vero muris poenam quod attinet, Antoninus archiepiscopus Florentinus statuit part. III. summ. tit. 13. cap. 6. *murem esse comburendum, cinerenque juxta altare ponendum.* Sed quia hoc periculosum erat & metuendum, ne ipsum corpus dominicum in ventre muris delitescens comburatur, suaserunt Thomas lib. IV. sent. dist. 9. q. 2. Inguen. lib. IV. sent. q. 6. art. 4. Petrus de Palude lib. IV. sent. dist. 9. q. 1. *ut mus mactatus exenteretur & hostia consecrata excindatur, atque fideli post factam convenientem ablutionem manducanda proponatur.* Attamen quia nonnunquam fieri queat, ut hostia in mure non inveniatur amplius, disceptatum porro est, quid in isto casu dicendum sit, ne scandalum praebeatur laicis. Antoninus part. III. tit. 13. cap. 6. arbitratur *forte per secessum emissam, quia tamen piae ab hoc aures abhorreant,* rati sunt alii, ut Gabriel Biel can. missæ lect. LXXXIV. glossa de consecrat. dist. 2. probabilius dici, *quod per sudorem emissa sit hostia, si modo demonstrari queat, quod mures etiam sudent.* Voluerunt tandem alii, *ut mus excommunicetur,* alii ut *projiciatur;* suadent ob similes casus alii, *ut sacerdos, si non abhorreat, ob reverentiam corporis dominici murem totum devoret.* Vide Holderum in mure exenterato p. 87. GERHARDUS.

dist. 2. *Certum est, quod species, quam cito dentibus teruntur, tam cito in cœlum rapitur corpus Christi.* At Gregorius III. hanc glossam corrigit, sic enim ex Thoma part. III. q. 77. art. 4. in editione nova decreti Gregorii habetur: *Manet corpus Christi, quam diu species manent, quae descendunt in stomachum & nutriunt, nec proprie rapitur in cœlum, unde nunquam discedit.* Censura, quæ supervenit, *haec omnia deleri* jubet. Angelus in summa de euchar. membr. 3. q. 5. talem profert distinctionem ex Richardo lib. IV. sent. dist. 9. *Si species sic in ore masticentur, quod per digestionem ibi factam non corrumpatur in eis forma propria, sed descendant in forma propria in stomachum, descendit & corpus Christi in stomachum per descensum speciei, sub qua continetur, & tamdiu ibi manet corpus Christi, quamdiu in eadem specie forma propria specierum salvatur. Si autem species panis tamdiu in ore masticetur, quod per digestionem in ore factam corrumpatur forma propria in eis, & non descendat in stomachum, tunc nec corpus Christi descendit in stomachum, & sic intelligitur illud* de consecrat. dist. 2. cap. Tribus; *cum dicitur, quam cito species dentibus atteritur, tam cito in cœlum rapitur Christi corpus. Adde tamen secundum Bonaventuram, quod cum corpus Christi maneat sub illis speciebus, quamdiu illa species sit habilis ad refectionem humanam, quia ad hoc est statuta & ad hoc ordinatur, & hoc habet, cum est extra stomachum in stomacho, quia ibi reficit, & tamdiu corpus Christi moratur, donec operationis refectio compleatur, ideo si quis evomit illas, evomit corpus Christi, & si species possunt discerni ab aliis, debent sumi cum reverentia & cremari, & cineres juxta altare recondi &c.* Hæc decisio summæ Angelicæ petita videri potest ex concilio Colonienſi celebrato anno 1280. in quo tale statutum editum: *Si communicaturus evomuerit, partes diligenter & caute, quae reperiri poterunt, colligantur, & contritae cum vino ab aliquo fideli sumantur, residuum vero vomitus comburatur, & reponatur in terram juxta altare.* Durandus contra libr. IV. ration. cap. 41. num. 41. *Cum sacramentum tenetur, gustatur & comeditur, Christus corporaliter adest in visu & in sapore, & quamdiu corporalis sensus adficitur, corporalis praesentia non auferetur. Postquam vero in percipiendo sensus deficit corporalis, deinceps non est quaerenda praesentia corporalis, sed spiritualis est retinenda, quia dispensatione completa Christus transit de ore ad cor, melius est enim, ut procedat in mentem, quam descendat in ventrem, cibus est non carnis, sed animae; venit ut comedatur, non consumatur: ut gustetur, non ut incorporetur: ore comeditur, sed stomacho non digeritur; reficit animam, sed non effluit in secessum.* Audacior Cajetanus in opusc. tom. II. tract. 2. cap. 3. *Falsissimum est, corpus Christi corporaliter sumi, quoniam spiritualiter, & non percipiendo, sed credendo theologi docent sumi, in eucharistia.* 13.) Quærunt, *cum sola accidentia post consecrationem superstint, quomodo panis eucharisticus frangatur?* Lombardus libr. IV. sent. dist. 12. lit. B. *Solet quaeri de fractione & partitione, quae ibi videtur, utrum vera sit, & si ibi vera fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat. Cumque ibi non sit alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed e contra cum ipsum corpus incorruptibile sit, in ipso non posse esse videtur. Ideo quibusdam placet, quod ibi non sit fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur, quod ait Ambrosius: nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis. Ad hoc illi dicunt, non fallit nos visus nec fallitur, quod esset, sic crederetur frangi, ut videtur;* & lit. C. *Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est, & non est ibi res, cujus, vel in qua sit illa species: ita est ibi fractio, quae non sit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur, quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi sit fractio, ubi nihil frangitur.* lit. D. *Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & incorruptibile existere.* lit. E. *Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest, fractio illa & partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentaliter fieri, id postea sic declarat, quod in specie visibili fiat.* Hos & similes disputationum labyrinthos inex-

plicabiles ac portenta opinionum transsubstantiatio peperit.

6.) *Transsubstantiationis*

§. CXXX. Arg. VI.) Transsubstantiatio plurima secum trahit absurda tum *theologica*, tum *philosophica* (*), 1.) ponit accidentia sine subjecto. 2.) Accidentibus tribuit proprietates & effectus substantiæ. 3.) Concedit annihilationem. 4.) Quantitatem constituit subjectum accidentium. 5.) Ponit effectum, nutritionem scilicet, sub-

dogma parit multa absurda.

(*) Inter ista absurda, quæ secum vehit monstrosum transsubstantiationis dogma, hoc cumprimis pertinet, quod sensibus omnium hominum repugnat, sensusque facit mendaces. Omnium absurdissimum hoc esse, res ipsa clamat. Solide delirium hocce confutat TERTULLIANUS *cap. XVII. de anima*, ubi contra Academicos ita disputat: *Quid agis, procacissime Academice? Totum vitæ statum everris; omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam execæcas, qui cunctis suis operibus intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces & mendaces dominos præfecerit sensus.* Eo firmius autem est testimonium istud, quod nobis sensus heic perhibent, quod non unus duntaxat, vel alter sensus, sed quatuor, visus, tactus, gustus & olfactus inter se conveniunt, panemque & vinum, etiam post consecrationem, inque ipso usu, adesse, nos condocent. Retinet quippe, post consecrationem, panis, colorem, saporem, figuram, magnitudinem, nec proinde in corpus Christi mutatur. Quod de vino pariter pronunciandum.

Nec excipi potest *1) sensus aliquando falli, ideoque illis fidem habendam haud esse;* licet enim sensus, vel, ut curatius loquamur, iudicium, quod sensationibus superstruitur, subinde erret, ubi ipsum organum vitio aliquo laborat, aut medium non bene est dispositum, aut obiectum remotius est atque obscurius, quam ut clare cognosci queat, aut sensus ipsi inter se pugnant, veluti quum Isaacus ex tactu & odoratu iudicabat, eum, qui benedictionem paternam efflagitabat, esse Esavum, sed aures iudicabant, esse Jacobum; aut, quando signa sunt æquivoca; ita aurichalcum auri, crystalli speciem glacies refert, lignum petrefactum a ligno non distinguit visus; certum tamen est, impossibile esse, sensus falli, si omnes adsint conditiones ad sensationem requisitæ, verb. gr. si organa sensuum sint integra, si obiectum sit proportionatum sensibus, & in recta situm distantia, si & reliqui sensus in subsidium advocentur, atque unanimiter idem testentur omnes, si denique signa, seu accidentia alicuius substantiæ, verb. grat. veri panis, verique vini non sint ambigua, nec æquivoca, sed clara & certa; prout sit in usu sacræ eucharistiæ. Certe heic testimonio sensuum vel ea propter fides habenda, quoniam ii, suppositis omnibus ad agendum requisitis, tanta semper uniformitate testantur, veram panis vinique adesse substantiam, nec eandem in corpus sanguinemque Christi fuisse mutatam. Uberius hoc ostendit, qui argumentum a sensuum testimonio desumtum ex instituto sibi pertractandum sumsit, doctissimus ecclesiæ Reformatæ theologus, JOAN. LA PLACETTE, cuius exstat: *traité de l' authorité des sens contre la transsubstantiation*, editus Amstelod. *MDCC.* 12. Quem quum adgressus esset anonymus quidam ecclesiæ Romanæ addictus in *memoires de Trevoux MDCCI. p. 148. seqq.* ubi exstant *reflexions sur le traité de Monsr.* LA PLACETTE de l' authorité des sens *par un Catholique*, statim respondit PLACETTE in *reponse aux reflexions*, in *suppl. tom. I. p. 9. seqq.* Conf. *die unschuldige Nachrichten MDCCI. p. 99. segg.* Legi quoque heic meretur b. cancell. PFAFFII dissert. *de testimonio sensuum in rebus fidei*, Tubing. *MDCCXLIII.* edita. Et sane, quicunque rem æqua iudicii lance ponderaverit, facile deprehendet, testimonium sensuum, ut in rebus naturalibus, ita & in iis, quæ ad fidem spectant, fide dignissimum esse. Quodsi enim diffidendum est sensibus, maxime in rebus fidei, nec tuto credi possunt miracula, quibus religionis christianæ veritas innititur, siquidem illa sensuum testimonio innituntur. Pone, si sensus fallunt, subruitur ipsa fides, quæ est ex *auditu*, *Rom. X. 17.* adeoque sensibus superstructa; quin vacillat fere omnis cognitio nostra, inque scepticorum castra transeundum nobis est. Rursus, si sensuum testimonium haud valet, erit dubia maximeque incerta ipsa Christi humanitas, dubia & eiusdem mors & resurrectio, contra *1 Cor. XV. 5. seqq.* & adscensus in cœlos, reditusque ad iudicium ultimum, *Matth. XXIV. 30, 33. Act. I. 11.* Denique si sensuum testimonium vacillat, frustra ad id suos discipulos ablegasset ipsemet servator Christus ex mortuis redivivus *Luc. XXIV. 39, 40. Joan XX. 27.* frustra quoque ad id provocassent sanctissimi eiusdem legati, *Joan. I. 4. 46.*

sublata causa; quæ sunt absurda *philosophica*. Posita transsubstantiatione, 1.) non possunt verba institutionis recte & constanter exponi, ut adparebit postea. 2.) Vox *panis* in descri-

4, 46. seqq. 2 Petr. I. 16. seqq. 1 Joann. I. 1, 2, 3. Tacemus huius generis alia, quæ in medium adduxit laud. PFAFFIUS in *differt.* modo *adlegata §. 5. seqq.* qui & *loc. cit.* observat, testimonio sensuum in dubium vocato, deismo frigidam sustundi, ipsaque religionis christianæ fundamenta labefactari.

Nec *II*) firmior est ea nonnullorum exceptio, quando dicunt, *sensus posse quidem iudicare de rebus corporeis ac sensibilibus, neutiquam vero de mysteriis, quæ sint obiectum fidei, rationisque ac sensuum sphæram quam longissime superent.* Licet enim sensus iudicare nequeant de rebus *spiritualibus qua talibus*, siquidem illæ sensibus non subiacent, possunt tamen consuli super rebus *sensibilibus* inque oculos incurrentibus, quæ in mysteriis quibusdam deprehenduntur. Scilicet, ut recte monet TURRETTINUS, theologus quondam Genevensis, duo mysteriorum sunt genera, probe inter se discernenda. Alia enim a rebus corporeis plane sunt abstracta, nec proinde ex testimonio sensuum, sed ex sola verbi divini revelatione diiudicanda. Tale est mysterium sacro sanctæ trinitatis, quod supra sensuum sphæram quam longissime positum est. Alia vero mysteria rebus corporeis atque sensibilibus involuta sunt & connexa, veluti mysteria incarnationis ac resurrectionis, quæ cum rebus spiritualibus adnexas habent res sensibiles; de quarum veritate ac certitudine sensus & ratio testimonium perhibere possunt. Talia mysteria sunt sacramenta. Certe enim de symbolis panis & vini, quæ sunt materia terrestris sacræ cœnæ, atque sub sensus cadunt, eorum iudicium omnino attendendum esse, non est, quod dubitemus. Vid. TURRETTINI, modo nobis laudati, *institutiones theolog. elenchicæ, part. III. loc. XIX. quæst. XXVII. thes. V. p. 548, 549.* Equidem

III) urgere quis posset, *testimonium sensuum non tantum transsubstantiationi pontificiorum, sed & præsentiæ reali, quam nostra statuit ecclesia, penitus adversari.* Quum enim id, quod videmus, quod gustamus, quod tangimus, nonnisi panis sit, quomodo quæso dicere queunt LUTHERI adsectæ, simul cum pane adesse corpus Christi, quod nec videtur, nec gustatur, nec tangitur? Sed *respondemus 1*) sensuum iudicium in rebus duntaxat *sensibilibus*, in oculos incurrentibus valere, quales sunt symbola panis & vini, ut modo observavimus; neutiquam vero in iis, quæ sensibus non subiacent. Jam vero corpus & sanguinem Christi in sacramento eucharistiæ *invisibiliter* & *supernaturaliter* præsentia esse, præeunte scriptura sacra, docent theologi nostri. 2) Distinguimus inter iudicium sensuum *positivum* ac *negativum*. *Illud* valet in rebus sacris, unde veram panis substantiam in eucharistia adesse, ex colore, figura quantitate, gustu aliisque panis accidentibus recte colligimus. Quod vero ad testimonium *negativum* attinet, illud in sacris admitti nequit, nec proinde valet argumentatio: Corpus Christi nec videmus, nec sentimus, ergo in eucharistia præsens haud est. Licet enim ea credi nequeant, quæ sunt *contra* sensus, quod de ratione humana alias recte dicitur; ea tamen, quæ *supra* sensus posita sunt, & aliunde patent, credi possunt ac debent. Addimus *3*) in ipsis rebus naturalibus dari vehicula ac receptacula visibilia rerum, quæ non adparent. Ita corpus hoc, quod gestamus, quod videmus, quod palpamus, receptaculum est animæ, quæ sensibus non subiacet. Ita non tantum angeli, qui sunt invisibiles, sed & ipse Deus, quem nemo mortalium unquam vidit, nec videre potest, in corporibus symbolicis olim adparuere. Ita & in corpore Christi tota habitat divinitatis plenitudo, secundum effatum Paulinum *Coloss. II. 9.* Quin ipsa sacramenta sunt signa visibilia gratiæ invisibilis. Absurdum profecto foret, uno duntaxat adparente, negare alterum. Licet etiam, quod *4*) notamus, ecclesiæ nostræ theologi corpori Christi glorificato visibilitatem ac locabilitatem haud denegent; ipsum tamen actum ad illius essentiam pertinere inficiantur. Legantur, quæ GERHARDUS supra §. CXV. *p. 195.* hanc in rem differuit. Hinc & *5*) quando de omnipræsentia corporis Christi sermo est, sollicite inculcant, Christum, secundum humanam suam naturam omnipræsentem quidem esse, sed non extensive, physice, localiter, sensibiliter ac visibiliter, sed præsentia divina, illocali ac supernaturali, quæ ex idiomatum communicatione resultat. Atque exinde *6*) intelligitur quoque, quemnam modum præsentiæ Christi in sacra cœna statuant theologi nostrates. Scilicet præsentia illa, ex mente nostræ ecclesiæ, non est physica, naturalis, circumscriptiva, definitiva, carnalis & Capernaitica; sed sacramentalis, symbolica & cœlestis, & divina; unde nec mandu-

catio

ptione cœnæ simul *proprie & tropice* intelligenda. 3.) Falsa est collatio antiquitatis inter sacram cœnam & personam Christi. 4.) Concedenda est duplex conversio, aquæ in vinum & vini in sanguinem. 5.) Neganda est veritas externorum elementorum. 6.) Multa indignissima de corpore Christi concedenda. 7.) Sequitur, Christum habere duo corpora, alterum, quod ex Maria virgine adsumsit, alterum, quod ex pane formatur. 8.) Pertinet etiam huc, quod transsubstantiatio peperit errores alios & superstitiones varias, videlicet ἀρτολατρείαν, repositionem hostiæ consecratæ, circumgestationem &c. quorum omnium nullum in sacratissimæ hujus cœnæ institutione adparet vestigium. Exceptionem de conversione *adductiva* considerabimus postea.

§. CXXXI. Ut autem scripturæ fundamentis, ita quoque patrum calculo destituitur transsubstantiatio (*). 1.) Quia patres vocabula *panis* & *vini* in hoc mysterio semper retinent, nuspiam

Dicta patrum transsubstantiationi adversa.

catio corporis Christi naturalis, carnalis & physica, in sacra cœna locum habet, sed sacramentalis, symbolica ac spiritualis, quatenus τὸ *spiritualiter*, non τῷ *corporaliter* (Christus enim in S. C. utique *corporaliter* præsens est, quia corpus ipsius adest) sed τῷ *naturaliter* & *carnaliter* opponitur, atque τῷ *sacramentaliter* ac τῷ *symbolice* prorsus æquipollet. Ablegamus heic lectores nostros ad *formulam concordiæ p. 728, 729, 752. seqq.* & maxime *p. 755, 756. seqq.* edit. Rechenberg. ubi hæc leguntur verba: *Et in ea sententia intelligi volumus vocabulum* (spiritualiter) *cum dicimus, corpus & sanguinem Christi in sacra cœna spiritualiter accipi, edi & bibi. Tametsi enim participatio illa ore* (quod est organum, quo, mediantibus symbolis eucharisticis, corpus ac sanguinem Christi spiritualiter accipimus) *fiat, tamen* MODUS SPIRITUALIS *est.*

Atque hac ipsa ratione diluimus obiectionem, ex testimonio sensuum & *Luc. XXIV. 39.* desumtam, quam contra præsentiam realem ac subst antialem corporis Christi in sacra cœna ursit JO. CALVINUS, in *instit. rel. christianæ, libr. IV. cap. XVII.* §. *29.*

(*) Antiquitatem ecclesiasticam transsubstantiationi pontificiæ adversari, complures viri eruditi luculenter comprobarunt. Ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus id cumprimis fecerunt JO. FORBESIUS, theologus quondam Aberdonensis, in *institutionibus historico-theolog. libr. XI. cap. IX. seqq.* EDMUNDUS ALBERTINUS, Parisiensis verbi divini minister apud Reformatos, qui Carentoni synaxes suas olim habebant, in opere pererudito *de sacramento eucharistiæ, libr. I. cap. XVI. seqq. p. 101. seqq. libr. III. p. 903. seqq.* JO. CLAUDIUS, theologus Gallus ecclesiæque Carentonensis minister, in scriptis, contra opus: *la perpetuité de la foi &c.* editis; MATTHÆUS LARROQUANUS, in *histoire de l' eucharistie*, Amstelod. MDCLXIX. 4. JAC. BASNAGIUS, in *historia ecclesiæ*, duobus voluminibus gallice edita, *libr. XIII. cap. V. f. 800.* & *libr. XIV. cap. IV.* §. *7. p. 829.* & quotquot libro modo adlegato: *perpetuitas fidei ecclesiæ catholicæ*, de quo infra plura dicemus, sese opposuerunt. His ex Anglorum gente iungi merentur JO. COSINUS, in *historia transsubstantiationis papalis*: PETR. ALLIXIUS in præfat. histor. *de dogmate transsubstantiationis*, quam præmisit *determinationi* JO. de Parisiis *de modo existendi corpus Christi in sacramento altaris &c.* Lond. *MDCLXXXVI.* JO. TILLOTSONIUS, præsul Cantuariensis, in sermone ecclesiastico, quem *de transsubstantiatione* Londini *MDCLXXXIV.* recitavit, & qui gallice sæpius, itemque germanice editus est; nec non auctor anonymus in libro: *transsubstantiation no doctrine of the primitive Fathers*, London *MDCLXXXVII.* 4. EX ARMINII adsectis ADRIANUS A CATTENBURGH in *spicilegio theolog. christ.* PHIL. ALIMBORCH, argumentum hocce erudite pertractavit. Ex nostris denique theologis, præter CHEMNITIUM & GERHARDUM nostrum, cumprimis consuli heic merentur b. BUDDEUS, in *institut. theolog. dogmat. libr. V. cap. I.* §. *XXIII. p. 1577. seqq.* b. caneell. PFAFFIUS in variis libris, maxime de *oblatione & consecratione veterum eucharistica*, iremque in *dissertat. anti-Rogeriana* & *anti-Touttæana*, b. DEYLINGIUS, in *observat. miscell. part. I. p. 78, 84, 160, 163.* inprimis *p. 350. seqq.* ven. JO. GEORG. WALCHIUS in *exercitat. de historia transsubstantiationis pontificiæ*, quæ in eiusdem *miscellaneis sacris* exstat, *p. 205. seqq.* atque JO. GEORG. KIESLINGIUS

ſpiam vero nudam ſpeciem vel ſola accidentia panis & vini adpellant. Ignatius epiſt. VI. ad Philadelph. *Una eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, & unus calix, qui pro nobis omnibus diſtributus, unus panis, qui omnibus fractus.* Dionyſius de eccleſ. hierarch. (*). c. 3. p. 136. *Hic panis unus manens ſingulis diſtribuitur.* Juſtinus in apol. II. p. 76. *Non ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus &c.* In dial. cum Tryph. p. 231. *Panem Chriſtus nobis tradidit in commemorationem corporationis ſuae propter credentes in eum, quorum cauſa patibilis eſt factus, facere; & poculum, quod in recordationem ſanguinis ſui tradidit gratias agentibus facere.* Irenæus libr. IV. c. 34. *Qui eſt a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt.* Clemens Alex. libr. II. pædag. c. 2. *Quod autem vinum eſſet, quod benedictum eſt, oſtendit rurſus, dicens diſcipulis: Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero vobiſcum in regno Patris mei.* Cyprianus epiſt. LXXV. *Quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum, quem portabat, indicat adunatum; & quando ſanguinem ſuum vinum adpellat de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in unum coactum gregem, item noſtrum ſignificat commixtione adunatae multitudinis copulatum.* Canon Nicænus: *Iterum etiam hic in divina menſa ne hun iliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum, ſed attollentes mentem fide intelligamus in ſacra illa menſa agnum Dei &c.* Cyrillus Hieroſ. (**) catech. IV. *Ne conſideres tanquam panem nudum & vinum.* Bellarminus regerit libr. II. de euchar. cap. 3. circa finem, *panem vocari euchariſtiam, ſed panem cœleſtem & divinum, non triticeum.* Reſp. ſane in euchariſtia non nudus panis, ſed etiam cibus cœleſtis, videlicet corpus Chriſti nobis exhibetur, interim tamen panis non convertitur *eſſentialiter* in Chriſti corpus, ſed ſacramentalis ſit rei terrenæ & cœleſtis unio. 2) Quia patres duas res, terrenam & cœleſtem, in euchariſtia agnoſcunt. Irenæus libr. IV. cap. 34. *Qui eſt a*

GIUS in doctiſſima *hiſtoria concertationis Græcorum Latinorumque de transſubſtantiatione in ſacræ euchariſtiæ ſacramento*, Lipſ. *MDCCLIV.* 8. Ut alios taceamus. Quum vero in varias partes trahantur veteres cœtus chriſtiani doctores, aliterque loqui videantur, cum ab eccleſiæ Romanæ defenſoribus, aliter, cum a Reformatis, rurſus aliter, cum a noſtratibus in cauſſæ ſuæ ſubſidium advocantur, mirum videri haud debet, fuiſſe noſtra ætate viros graves & doctos, qui exiſtimaverint, fruſtra ad eorum ſuffragia in decidenda hac quæſtione provocari, ſiquidem ipſimet ſubinde inter ſe diſſentiant, nec ſibimet ipſis hac in re conſtent. Et ſane diverſa ſubinde ratione veteres ſuam de hocce argumento ſententiam expoſuiſſe, nemini, qui eorum ſcripta perlegerit, poterit eſſe obſcurum. Cauſſas huius rei expoſuit CHEMNITIUS, eximius eccleſiæ noſtræ theologus, in *fundamentis ſanæ doctrinæ, de vera & ſubſtantiali præſentia corporis & ſanguinis Domini in cœna*, cap. X. p. m. 46. ſeqq. interque alia bene monuit: *Non recte faciunt, qui illis ſcripturæ locis, in quibus dogma de cœna domini fundatum, traditum & reperitum eſt, vel præteritis, vel poſtpoſitis, vel in ſuſpicionem ambiguitatis & obſcuritatis adductis, atque ita in dubio relictis, totam controverſiæ huius diiudicationem ad patres, tanquam ad honorarios arbitros, referunt, quaſi doctrina illa in patrum ſcriptis clarius & certius tradita ſit, quam in illis ſcripturæ locis, in quibus dogma hoc propriam ſuam ſedem habet, & quaſi fides clariorem & firmiorem πληροφοριαν in ſententiis patrum invenire poſſit, quam in ipſa voce filii Dei.*

(*) Librum hunc, qui ſub DIONYSII *Areopagitæ* nomine circumfertur, inter ſcripta ſuppoſita referendum eſſe, & ad ſeculum quartum pertinere, omnes fere eruditi hodie conſentiunt. Adlegatur vero liber iſte heic alibique paſſim a GERHARDO κατ' ἀνδρωπον, quoniam communis olim pontificiorum ſententia erat, ſcriptum hocce a Dionyſio Areopagita profectum eſſe; quam ſententiam recentiori quoque ævo NATALIS ALEXANDER, EMANUEL A SCHELSTRATE, JO. LAURENT. COZZA, aliique cœtus Romani ſcriptores propugnarunt.

(**) CYRILLI *Hieroſolymitani* de hocce argumento ſententiam uberius ediſſeruit b. DERLINGIUS, in *obſervat. miſcellan. part. I. exercit. II. §. XXXI. XXXIV. p. 163. ſeqq.* nec non *p. 358.* Conf. quæ ſupra §. *CIII p. 178.* hanc in rem diximus.

terræ panis, percipiens invocationem Dei, jam non est communis panis, sed eucharistia, duabus rebus constans, terrena & cælesti (*). Eusebius lib. XX. in Levit. cap. VIII. *duas res* in cœna adesse dicit, & corpus manducari cum pane, quo refert typum Lev. VIII. Excipit Bellarminus libr. II. de euchar. c. 6. *per rem terrenam intelligi nuda accidentia, quae sint vera res, & vere terrena res, alioquin sensibus corporalibus adprehendi non possent.* Eodem effugio utitur Gregorius de Valentia (**). *Resp.* Irenæus notanter dicit, *quod panis percipiat invocationem Dei.* Jam vero Dei invocatio non tollit rerum naturam: deinde vocat *rem*, non accidentia rei. Quamvis enim vocabulum *rei* commune sit substantiis & accidentibus, tamen cum *analogice* saltem accidentibus conveniat, ideo rarius de illis usurpatur. Præterea si *res terrena* accipitur tantum de accidentibus, etiam *res cælestis*, quæ est altera pars eucharistiæ, pro accidentibus corporis Christi absentis erit accipienda. Denique addit Irenæus: *sic & corpora nostra percipientia eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* At non sumus incorruptibiles substantiæ vel naturæ immutatione, sed manente eadem substantia incorruptibiles reddimur: ita quoque panis & vinum in sacra cœna mutantur non secundum substantiam, sed tantum sacramentaliter. 3.) Quia materiale panis manere statuunt. Origenes in comm. cap. XV. Matth. circa finem. *Et ille cibus, qui sanctificatur per verbum Dei & obsecrationem, juxta id, quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum emittitur.* Et postea: *Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigni Domino comedenti illum.* Bellarminus libr. II. de euch. c. 8. resp. ad 2. excipit, *materiale ab Origene vocari accidentia visibilia, cum ex principalibus eucharistiae accidentibus sit magnitudo, quae pertineat ad materiam.* At quæ grammatica hanc phrasin, quæ rhetorica hunc tropum, quæ physica hanc confusionem proponit, ut materia pro accidentibus intelligatur? 4.) Quia oculorum & sensuum judicium circa externa symbola non rejiciunt. Augustinus in serm. ad neoph. citante Beda in 1 Cor. X. *Quod vidistis, panis est & calix*

(*) De IRENÆO supra §. *CIII. p. 174.* & *175.* nonnulla observavimus.

(**) Utitur quoque hocce effugio ex recentioribus ecclesiæ Romanæ defensoribus NICOLAUS LE NOURRY, presbyter & monachus Benedictinus e congregatione S. Mauri, in *adparatu ad biblioth. max. patrum.* Verum hæc explicatio a mente IRENÆI eiusdemque philosophandi ratione prorsus aliena est. Is enim disertis verbis negat, accidentia extra substantiam suam subsistere posse. Ita enim philosophatur *libr. II. adversus hæres. cap. XII. §. 2. Neque aqua sine humectatione, neque ignis sine calore, neque lapis sine duritie, (unita enim invicem hæc) & alterum ab altero separari non potest.* Alia ratione ecclesiæ Romanæ cautam tueri adnititur RENATUS MASSUETUS in *notis* ad IRENÆI *libr. IV. cap. XVIII. f. 251.* Contendit nimirum, *rem* illam *terrenam*, ex qua eucharistiam constare dixit IRENÆUS, nihil aliud esse, nisi *corpus & sanguinem domini*, quibus ali carnem nostram, in verbis proxime præcedentibus, pronunciaverit IRENÆUS. Illam vero rem ab ipso adpellari *terrenam*, partim ut hac ratione veteres hæreticos confuter, qui negarunt, Christum quidquam corporis terreni adsumsisse; *partim* vero, ut eo ipso innuat, ex terreno pane ac vino, in corpus sanguinemque Christi vere conversis, fieri verum domini corpus, verumque eiusdem sanguinem. *Rem* vero *cælestem*, ex mente IRENÆI non esse aliam, nisi verbum divinum, filium scilicet patris unigenitum, cuius paullo ante fecerat mentionem, quem creatæ Christi naturæ vere ac substantialiter unitum fuisse, negaverint veteres hæretici. Sed subtilem hanc prorsusque contortam verborum IRENÆI expositionem sub examen vocarunt, eandemque omni prorsus fundamento destitui, luculenter commonstrarunt b. cancellarius PFAFFIUS in *notis ad* IRENÆI *fragmenta anecdota p. 76.* b. DEYLINGIUS in *vindiciis* S. IRENÆI, quæ *observat. miscell. part. I.* exstat, §. *XXXIX. p. 80.* itemque ven. WALCHIUS in *dissert.* supra nobis laudata, *de historia transsubstantiationis pontificiæ* §. *III. p. 207.* Et sane ipsi auctores libri notissimi, qui inscribitur: *la perpetuité de la foi de l' eglise catholique touchant l' eucharistie* agnoverunt, *rem terrenam*, de qua IRENÆUS heic loquitur, *panem* respicere, *rem* autem *cælestem* de *corpore Christi* intelligendam esse.

calix, quod etiam oculi vestri enunciant, quod autem fides vestra instruenda postulat, panis est corpus, calix sanguis Christi. 5.) Quia naturam panis manere adserunt: Ambrosius libr. IV. de sacr. c. 4. *Vides, quam operatorius sit Dei sermo &c. Si ergo tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse, quae non erant, (in creatione) quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, & in aliud commutentur.* Chrysostomus (vel quicunque alius auctor) ad Cæsarium monachum (*) tempore exilii: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia mediante sacerdote liberatus est ab adpellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis adpellatione, etsi natura panis in ipso permansit.* Theodoretus dial. I. p. 339. edit. Colon. Orthodoxus inquit: *In mysteriorum traditione corpus panem adpellavit & sanguinem, id quod in calice infusum & commixtum est.* Respondet Eranistes: *Ita nominavit.* Orthodoxus: *Atqui & quod est secundum naturam corpus, corpus jure vocabitur, & itidem sanguis.* Eranistes: *In confesso est.* Orthodoxus: *Servator quidem certe nostet nomina commutavit, & corpori quidem id, quod erat symboli ac signi, nomen imposuit. Symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se vitem nominasset, sanguinem, id quod erat symbolum, adpellavit.* Eranistes: *Hoc quidem vere dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum.* Orthodoxus: *Manifestum est institutum iis, qui sunt divinis mysteriis initiati. Volebat enim eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quae videntur, sed propter nominum permutationem mutationi, quae fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura corpus est triticeum, & panem adpellavit, & vitem rursus se ipsum nominavit, is symbola & signa, quae vocantur, adpellatione corporis & sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturae gratiam adjiciens,* οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προσεθεικώς. Dial. II. p. 369. Eranista Eutychis partes propugnans: *Sicut symbola Domini corpo. is & sanguinis alia quidem sunt ante invocationem sacerdotis, sed post invocationem mutantur & alia fiunt: ita etiam corpus Domini post adsumtionem mutatur in divinam substantiam.* Ex hypothesi transsubstantiationis argumentum hoc Eutychianum est ἀδιάλυτα, sed videamus, quomodo orthodoxus ad illud respondeat: *Retibus, quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura,* οὐκ οἰκείας ἐξίστανται φύσεως, μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας καὶ τὸ σχῆματος καὶ τὸ εἶδος, *manent enim in priori sua substantia, forma & specie, & videri tangique possunt, sicut & prius: intelliguntur autem ea etiam, quae facta sunt & creduntur & adorantur,* προσκυνεῖται, *ut quae illa sint, quae creduntur. Confer ergo imaginem exemplari, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam & figuram & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam. Immortale autem post resurrectionem factum est & potentius, quam ut ulla in ipsum cadat corruptio & interitus, sessioneque ad dextram dignatum est, & ab omni creatura adoratur, ut quod adpelletur corpus naturae Domini.* Hæc Theodoretus, qui Ephesino & Chalcedonensi conciliis oecumenicis interfuit. Excipit Bellarminus libr. II. de euchar. c. 27. *Theodoretum non loqui de substantia, quae distinguitur contra accidentia, sed de*

(*) De memorabili hac epistola supra in *notis* ad §. *CIII. p. 176.* nonnulla diximus. Scriptoribus ibidem adlegatis addi merentur GUIL. ERNEST. TENZELIUS, in *exercit. select. part. II. p. 348. seqq.* JO. FRANC. BUDDEUS, in *instit. theol. dogmat. libr. V. cap. I. §. 23. p. 1587.* itemque in *isagoge ad theol. universs. libr. II. cap. VII. p. 1057.* & JO. PETR. KOHLIUS, in *introduct. in histor. & rem litterariam Slavorum p. 368. seqq.* Illud quoque paucis adhuc notamus, esse ex ecclesiæ Romanæ sectatoribus viros quosdam eruditos, qui negent, CHRYSOSTOMVM epistolæ huius auctorem esse. Sufficiat ex iis hic nominasse NATALEM ALEXANDRUM, RICH. SIMONIUM, MICH. LE QUIEN ac virum illustrem SCIPIONEM MAFFEIUM.

de essentia & natura accidentium, quae ipse perpetuo nominat symbola. Atqui totus contextus hanc glossam fortissime refellit, conjungit enim Theodoretus φύσιν, οὐσίαν, χῆμα ἢ εἶδος, quae omnia in externis symbolis manere adserit; & qua ratione argumentum Eutychianum everti potuisset, si accidentia tantum panis post consecrationem, sublata substantia, manere concessisset? Bellarminus dicit: *si verum esset, manere in eucharistia panem, orthodoxus debuisset potius ex eucharistia argumentari contra Eutychianum.* Resp. concedimus totum, idque revera fieri, evidenter ostendunt haec verba orthodoxi: *Retibus, quae ipse texuisti, captus es &c.* Bellarminus regerit, *Theodoretum alias secum pugnare, cum concedat aliquam mutationem.* Resp. quam mutationem intelligat, evidentissime explicat, *sacramentalem* scilicet, qua corpus Christi pani eucharistico unitur. Regerit Bellarminus, *Theodoretum se ipsum explicare, ubi enim dixisset, naturam symbolorum manere, probat, quia videmus & tangimus eundem colorem, eandem figuram & formam.* Resp a figura, forma, & colore ad praesentiam substantiae argumentatur, ut contextus evidenter ostendit, nequaquam vero, quod Bellarminus somniat, per figuram, formam & colorem praesentiam substantiae excludit. Haec aperta veritas quosdam ex ipsis adversariis movit, ut Theodoreti testimonium nobis largirentur. Nam in epistola Theodoreto praefixa in editione Romana per Stephanum Nicolinum Sabiensem chalcographum apostolicum anno 1547. scribitur, *Theodoretum in his locis de transsubstantiatione minus commode sentire, excusandum nihilominus, quod de ea ecclesia nondum legem tulisset.* Theodoreto conjungimus Gelasium, quem Bellarminus fatetur ejusdem cum illo aevi & sententiae fuisse. Sic autem scribit Gelasius, episcopus Romanus, libr. adv. Eutychem & Nestorium (*), qui habetur in haeresiolog. edit. Basil. anno 1556. p. 689. *Certa* (lege certe) *sacramenta, quae sumimus, corporis & sanguinis Christi divina res est, propter quod & per eadem divinae efficimur consortes naturae, & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini.* Bellarminus reponit suam cramben, *per substantiam intelligi non internam substantiam panis, sed exteriorem naturam & proprietates.* Atqui contextus evidentissime hoc glossema refellit, conjungit enim Gelasius substantiam & naturam, ac confert unionem sacramentalem corporis & sanguinis Christi cum externis symbolis, cum unione personali divinae & humanae naturae. At quam absurda haec collatio in disputatione contra Eutychen, si statuisset, panem *essentialiter* mutari in corpus Christi manentibus solum externis accidentibus? Quod Gelasius subjicit, *in divinam transeunt, operatione Spiritus sancti, substantiam*, id non de *essentiali & substantiali* panis in corpus Christi mutatione, sed de *sacramentali* accipiendum est, immediate enim addit *permanere in suae proprietate naturae*, idque declarat unione personali duarum naturarum in Christo, in qua nulla fit abolitio, confusio, vel permutatio vel transsubstantiatio. Bellarminus regerit, *non fuisse Romanum pontificem, sed episcopum Caesariensem.* Atqui in haeresiolog. diserte nominatur episcopus Romanus, & argumenta, quibus contrarium probare nititur Bellarminus, sunt perquam levia & infirma. Gregorius de Valentia regerit lib. II. de idol. c. 5. *non exstare hoc testimonium inter libros Gelasii, quos contra Nestorium & Eutychen scripserit.* Postea addit, *non esse Gelasii* (**), *sed cujusdam Gennadii, qui saepe alias erraverit.*

(*) Hicce tractatus, qui inscribitur: *de duabus naturis* contra NESTORIUM & EUTYCHEN, ann. CCCCXC. a GELASIO fuit scriptus, atque *tom. IV. bibliothecae patrum magnae, part. I. f. 422.* insertus legitur. Locum ibidem exstantem, cujus partem duntaxat supra adduxit GERHARDUS, integrum recitavit, eundemque variis observationibus illustravit DEYLINGIUS in *errorum pontificiorum novitate*, quae eiusdem *miscell. sacr. part. I.* inserta est, *observ. VIII. §. X. p. 360. seqq.*

(**) Non tantum GREGORIUS DE VALENTIA, sed & BARONIUS, BELLARMINUS, SUAREZIUS aliique coetus Romani doctores, testimonii hujus validissimi vim sentientes, GELASIO praesuli Romano, opusculum hocce omni studio abjudicare, annisi sunt, his GELA-

rit. Videns autem hæc esse frivola, subjicit, *per essentiam & naturam panis permanentis non ipsam substantiam, sed virtutem & efficaciam panis intelligi.* Sed & hoc ἀσύστατον apertisque Gelasii verbis contrarium esse videns, concludit: *Quod si maxime Gelasius tanquam doctor aliquis, nihil ut pontifex determinans, & unus itemque alter ex patribus hac in re lapsus esset, habemus certo pro veritate transsubstantiationis nubem testium.* Resp. quasi vero liber iste ideo non sit Gelasii, quia Trithemius in suo catalogo eum non recensuit, quia non facit mentionem Hieronymi, Augustini & aliorum patrum &c. per subſtantiam intelligi tantum virtutem & efficaciam, ipsis verbis repugnat, ac frivolum nimis est, distinguere inter Gelasium doctorem & Gelasium pontificem, quis enim nos certos reddet, quando pronuncient episcopi Romani ut doctores, quando ut pontifices? Certe quæ Leo, Innocentius & alii pauci ex pontificibus scripserunt, auctoritatem apud adversarios habent vere papalem. Adde quod Melchior Canus libr. XI. loc. c. 6. *distinctionem istam in jure canonico a Gelasio tanquam pontifice comportatam asserit, & propterea fidem ei nullo modo denegandam.* Sed quidquid sit de Gelasio, sive Romanus, sive Cæsariensis episcopus fuerit, sufficit nobis, quod Bellarminus hoc testimonium admittat, ac Gelasium cum Theodoreto ejusdem ævi fuisse largiatur. (Unde cardinalis Contarenus in colloq. Ratisbon. anno 1541. ad dicti hujus perspicuitatem obmutuit.) 6.) Quia conferunt unionem *sacramentalem* panis & corporis Christi cum unione *personali* duarum naturarum in Christo non propter unionis ταυτότητα in specie, sed propter convenientiam generalem, id est, propter similitudinem duarum rerum præsentium, & propter unum eundemque prædicationis modum. Justinus apol. II. p. 76. ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ θεοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Cyprianus (vel quicunque alius auctor) serm. de cœna p. 450. *Panis iste, quem discipulis Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas adparebat, & latebat divinitas: ita sacro visibili ineffabiliter divina se infudit essentia.* Verba Theodoreti dial. II. p. 369. vidimus superius. Gelasius loco proxime citato: *Satis nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumus, ut scilicet sicut in homine scilicet in divinam transeant sancto Spiritu proficiente substantiam, permanente tamen in suae proprietate naturae, sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam virtutemque veraciter repraesentant, ex quibus constat proprie permanentibus, unum Christum quia integrum verumque permanere demonstrant.* At hæc collatio plane foret Eutychiana, si panis *essentialiter* in corpus Christi mutari statuatur (*). 7.) Quia con-

GELASIO CYZICENO, illis GELASIO CÆSARIENSI, id tribuentibus. Fuerunt tamen alii iique cordatiores in ecclesia Romana viri, qui rationibus minime contemnendis inducti, libellum hunc GELASIO papæ adseruerunt; ex quibus PHIL. LABBEUS, societatis Jesu sacerdos, *tom. I. de script. ecclesiast. p. 342.* & LUD. ELLIES DU PIN, in *nouvelle bibliotheque des autheurs ecclesiast. tom. IV. p. m. 270.* eminent.

(*) Ephræm Antiochenus in libr. contr. Eutych. in biblioth. Photii cod. 229. probaturus, per hypostaticam unionem nullam fieri naturarum confusionem, sed unamquamque servare suam substantiam & suas proprietates, utitur ad id similitudine unionis sacramentalis, negans in sacramentis, mutationem fieri unius substantiæ in aliam. Verba sunt: εἰ γὰρ καὶ ἑνὸς προσώπου καὶ ἑκάτερον, ἀλλ' οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν δύναται νοῦν ἔχων, ὡς ἡ αὐτὴ φύσις ψηλαφητοῦ καὶ ἀψηλαφήτου, οὕτω καὶ τὸ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα χριστοῦ καὶ τῆς ἀϊδιότητος οὐσίας οὐκ ἐξίσταται καὶ

conferunt unionem panis & corporis Christi in cœna, cum virtute Spiritus sancti in aqua baptismatis; 8.) quin & cum dono immortalitatis corporibus nostris olim conferendo, ut postea videbimus. 9.) Quia externa symbola eo modo tractarunt, ut transsubstantiationem a se statui ipso facto negarent. Hesychius libr. II. in Levit. VIII. tradit, *fuisse morem in ecclesia igni tradi, quaecunque remanere contigerat inconsumte.* Evagrius libr. IV. hist. eccl. c. 36. refert, *Constantinopoli fuisse usitatum, pueros ex schola vocare ad comestionem partium residuarum.* Concilium Matiscon. II. can. 6. *Quaecunque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.*

§. CXXXII. Adde, quod tum ante, tum post Lateranense concilium in scholis adversariorum disputatum fuit, panis & vini substantiam post consecrationem manere. Otto Frisingensis anno 1141. credidit & scripsit, *panem & vinum manere in eucharistia.* Hic comites habet Petrum Abælardum, Petrum Cassiodorum & alios, referente Christ. Agricola in antipist. pag. 23. Cap. Panis est in altari; distinct. 2. de consecrat. adlegatur locus Ambrosii: *Si tanta vis in sermone Domini &c.* qui aperte repugnat transsubstantiationi. Cap. Hoc est, quod dicimus; dist. eadem: *Hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus adprobare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiae duobus consici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine &c. sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.* (Christus, ut sit verus Deus, non minus est verus homo, sic externa symbola, ut sint corpus & sanguis Christi, non minus sunt panis & vinum.) Scotus libr. IV. sent. dist. 11. q. 3. lit. B. „ Circa hoc (*quaesitum de conversione in eucharistia*) erant tres opiniones: una, quod „ panis manet, & tamen cum ipso vere est corpus Christi. Alia, quod panis non manet, „ & tamen non convertitur, sed desinit esse „ vel per annihilationem, vel per resolutionem „ in materiam, vel per corruptionem in aliud. „ Tertia, quod panis transsubstantiatur in corpus, „ & vinum in sanguinem Christi. At (*inquit*) „ 1.) veritas eucharistiæ salvari potest sine ista „ transsubstantiatione. 2.) Substantia panis sub „ speciebus magis est nutrimentum, quam accidentia. Ergo magis repræsentat Christi corpus in ratione nutrimenti spiritualis. 3.) Iste „ intellectus, quod non sit ibi substantia panis, „ videtur difficilior ad sustinendum, & ad ipsum „ sequuntur plura inconvenientia, quam ponendo, ibi esse substantiam panis. 4.) Mirum „ videtur, quare in uno articulo, qui non est „ principalis articulus fidei, debeat talis intellectus adseri, propter quem fides pateat contemtui omnium sequentium rationum. *Et postea*: Nihil est tenendum tanquam de substantia fidei, nisi quod potest expresse haberi de „ scriptura, vel expresse declaratum est per ecclesiam, vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in scriptura, vel plane determi-

„ nato

ἢ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάεητος. ἢ τὸ βάπτισμα τὸ πνευματικὸν ὅλον γενόμενον ἢ ἓν ὑπαρχον ἢ τὸ ἴδιον τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, διατώζει ἢ ὅ γέγονεν, οὐκ ἀπώλεσεν. *Si enim & unius personae, & utrumque, (nempe manibus tractabile & intractabile) nemo tamen, qui mentem habeat, poterit dicere, eandem esse naturam tractabilis & intractabilis, sub adspectum cadentis & invisibilis, sic etiam corpus Christi, quod a fidelibus accipitur, & sensibilem essentiam non immutat, & manet inseparatum a gratia intelligibili. Et baptismus spiritualis totum factus & unum quid existens proprium sensibilis essentiae, aquae dico, servat, nec amittit, quod factum est.* Ostendit auctor, eandem esse rationem utriusque sacramenti, eucharistiæ & baptismi, in neutro mutari substantiam elementi, etsi fiat mutatio spiritualis, quemadmodum in hypostatica unione natura humana non mutatur in divinam, sed utraque manet inconfuse. GERHARDUS.

„ nato ab ecclesia &c. Nunc autem non videtur expresse haberi, non esse ibi substantiam panis. Nam Joh. VI. ubi multum probatur veritas eucharistiæ, planum est, ubi Christus dicit: *Ego sum panis vivus*; & 1 Cor. XI. Paulus: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi?* Nec invenitur, ubi ecclesia istam veritatem determinet solenniter, nec etiam qualiter istud possit ab aliquo manifesto credito evidenter inferri„. Durandus libr. IV. sent. dist. 11. q. 1. art. 14. „Satis durum est & derogare videtur immensitati divinæ potentiæ dicere, quod Deus non possit facere, corpus suum esse in sacramento per alium modum, quam per conversionem substantiæ panis in ipsum, maxime cum ponendo conversionem fieri difficillimum est videre, qualiter ipsa faciat aliquid ad hoc, quod corpus Christi sit in sacramento„. Occamus in centiloq. theol. conc. libr. IV. q. 6„. Substantiam panis manere, hoc dogma est minoribus incommodis obnoxium, & sacris scripturis minus repugnans„. Idem libr. IV. sent. dist. 11. q. 6.„. In potestate Dei est esse substantiam sub specie panis, & non esse. Ejus primus modus potest teneri, quia non repugnat rationi nec auctoritati bibliæ, & est rationabilior & facilior ad tenendum inter omnes modos, quia tamen determinatio ecclesiæ in contrarium existit, communiter tenent doctores, quod ibi non remanet substantia panis„. (De hoc Occamo pronunciat Scaliger exerc. CCCXXIV. quod ejus ingenium ingenia omnia vetera subverterit, nova ad invictas insanias ob incomprehensibiles subtilitates fabricarit, atque conformarit„.) Petrus de Alliaco, cardinalis Cameracensis, in libr. IV. sent. dist. 11. q. 6. art. 1. „Tertia opinio fuit, quod substantia panis remanet &c. quidquid tamen sit de hoc, patet, quod ille modus sit possibilis, nec repugnat rationi, nec auctoritati bibliæ, imo est facilior ad intelligendum, & rationabilior, quam aliquis aliorum, qui ponit, quod substantia panis deserat accidentia, & non substantia corporis Christi. Et sic non ponit accidentia sine subjecto, quod est unum de difficilibus, quæ hic ponuntur„. Gabr. Biel lect. XL. in can. missæ: „Quomodo ibi sit corpus Christi, an per conversionem alicujus in ipsum, an sine conversione incipiat ibi esse corpus Christi cum pane, manentibus substantia & accidentibus panis, non invenitur expressum in canone bibliæ„. In confessione Waldensium, qui jam tum tempore Innocentii III. transsubstantiationis patroni in multis provinciis floruerunt, etiam hoc habetur, *quod panis aut vini natura, aut substantia in sacra cœna minime mutetur, quodque Christi verba nullam conversionem inducant.* In concilio Florentino 1438. cum Græci & Latini de transsubstantiatione convenire non possent, ut in ejus actis continetur, non ideo minus unio inter græcam & latinam ecclesiam subsignata est. Urgente enim pontifice Eugenio IV. ut de divina panis transmutatione, quæ quidem quarta quæstio fuit, in synodo ageretur; Græci dixerunt, *se sine totius ecclesiæ orientalis auctoritate quæstionem aliam tractare non posse.* Tom. III. concil. p. 474. Gersonius canc. Paris. in tract. de comm. sub una specie disputat: *Si laicis sub utraque specie cœna detur, periculum esse, ne accescat vinum.* (Atqui si ibi tantum Christi sanguis & mera vini accidentia, nullum erit acoris periculum.) Anno 1320. Johannes Parisiensis, doctor theologus, professione Dominicanus, publice disputavit, *panem per consecrationem non transsubstantiari*, de quo & libro conscripsit Guidoni de Perpiniano carmelitæ inscriptum. Anno 1370. Joh. Wiclefus in academia Oxoniensi theologiæ professor floruit, is apud Guilielm. Widefordum, qui contra eum scripsit, sic loquitur: *Manet panis & vini substantia post ejus consecrationem. Sacramentum altaris est naturaliter panis & vinum, sacramentaliter corpus Christi, quanquam aliqui fingunt ipsum esse accidens sine substantia adjecta. Fructus istius dementiae est blasphemare in Deum, scandalizare sanctos per mendacium accidentis.* Joh. Picus, comes Mirandulanus, in conclusionibus secundum Scotum Romæ superiori seculo publice disputatis concl. II. *Sine conversione panis in corpus Christi, vel panitatis annihilatione corpus Christi manducatur, quatenus nempe*

quamcunque creaturam Deus suppositare potest, quo posito & panis remaneat, & corpus sit cum pane. Langus scriptor pontificius & imperatoris Maximiliani II. consistorialis fuit, de eo sic legitur in indice expurgat. Belgico. p. 36. & in ind. expurg. Hisp. f. 140. *Quaecunque Langus prolixe satis de eucharistiae sacramento recenset a pagina centesima septuagesima nona, usque ad rescriptum Hadriani imperatoris p. centesima nonagesima nona, judicamus delenda, nam multa continent parum religioni catholicae consona; inter ea autem illud est praecipuum, quod transsubstantiationem non agnoscit, sed aperte contendit cum corpore & sanguine Christi remanere veram panis & vini substantiam.* Cassander in consult. ad Maximilianum II. de transsubstantiatione p. 66. *Transsubstantiationem & nomine & re novam esse: tutius esse patrum & verbis & sententiis stare, eo denique ventum, ut ad idololatriam proxime accedatur*, inde ipse quoque in spongiam incumbit, sic enim de eo index expurg. Belg. p. 36. *Quae habet de sacramento corporis & sanguinis Christi, pertinent ad ecclesiae fugillationem, deleantur.* Joh. Fischerus, alias Roffensis, libr. contra capt. Babyl. Lutheri, *fatetur, ex scriptura non posse probari transsubstantiationem.* Erasmus in adnotat. 1 Cor. VII. p. 327. *In synaxi transsubstantiationem sero definivit ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quotcunque modo adesse verum Christi corpus.* Bened. Arias Montanus in Luc. XXII. 19. *Hoc est corpus meum, id est, verum corpus meum in hoc sacramento panis continetur sacramentaliter.* Et subdit: *Cujus arcanam & mysteriis refertissimam rationem ut explicatiorem habeant christiani, dabit aliquando Deus.* Usitata ergo de transsubstantiatione doctrina ipsius conscientiae non satisfecit. Tannerus in compend. relatione colloq. Ratisb. part. II. c. 6. p. 37. transsubstantiationem refert inter ea, *quae in scriptura sola non continentur, nec ex ea sola evidenter deducuntur.*

§. CXXXIII. Hactenus nostram confirmavimus sententiam, videamus jam transsubstantiationis *originem, explicationem & fundamenta.* Cum in scriptoribus vetustioribus vox *mutationis* ac μετουσίας, praesertim vero μεταποίησις apud Damascenum lib. IV. orth. fid. c. 14. *transelementatio* apud Theophylactum in cap. XIV. Marci occurreret, Lombardus, Gratiani frater, in opere sententiarum circa annum Christi 1170. (*) edito, libr. IV. dist. 10. lit. D. adserere coepit, „ substantiam „ panis in corpus, vinique substantiam in san„ guinem converti (**). *Dist. 11. lit. A.* „ *quaerit*, qualis sit illa conversio, an formalis, „ an

Origo transsubstantiationis.

(*) PETR. LOMBARDUS, theologiae systematicae & scholasticae praecipuus in occidente auctor, *sententiarum libros IV.* circa annum *MCLXII.* conscripsit. Conf. LINDENBROGII *scriptor. septentrion. p. 250.* TRIBBECHOVIUM *de doctoribus scholast.* passim, & HEUMANNUM in praefat. ad novam libri huius Tribbechoviani editionem Jenensem, quae ann. *MDCCXIX.* 8. prodiit. Prodierunt hi libri cum prolegomenis & commentariis LAMB. DANAEI Genevae *MDLXXX.* ut alias complures editiones a CAVEO in *hist. litt. scriptor. ecclesiast. tom. II. p. 221.* edit. Lond. commemoratas taceamus.

(**) Jam seculo nono, adeoque dudum ante LOMBARDUM, qui demum seculo XII. floruit, PASCHASIUS RADBERTUS, primum monachus, postea abbas Corbeiensis in Gallia, librum scripsit *de sacramento corporis & sanguinis Christi*, in quo adseruit, post consecrationem *substantiam panis & vini mutari in veram carnem Christi & verum sanguinem*; nec in carne aliam, *quam quae nata sit de Maria, & passa in cruce & resurrexit de sepulcro:* item, ex substantia panis & vini carnem & sanguinem Christi, corpus idem, quod ex virgine, *consecratione Spiritus S. potentialiter creari, effici, vere, in veritate, quamvis figura esse videatur, in specie visibili, in eo, quod frangitur, videtur, sentitur.* Ita haud obscure monstrosum transsubstantiationis dogma docuit, idque primus fecit. Fatetur id ipsum cardinalis BELLARMINUS *de scriptorib. ecclesiast.* ad ann. *DCCCL.* Suffragatur eidem JAC. SIRMONDUS, Jesuita Gallus isque doctissimus, in vita PASCHASII, *operibus* eius Parisiis *MDCXVIII.* iunctim in fol. editis, praefixa. Idem fecit JO. MABILLO-

„ an ſubſtantialis, vel alterius generis? *reſpon-*
„ *dit* autem, definire non ſufficio. Formalem

LONIUS, aitque, hunc auctorem viam cæteris aperuiſſe, *qui de hoc argumento deinceps ſcripſerint, tom. II. annal. Benedict. ad ann. DCCCXXXI. num. LVIII. fol. 539.* Nec ab hac ſententia alienus eſt recentiſſimus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor, FR. IGNATIUS HYACINTHUS AMAT DE GRAVESON in *hiſtoria eccleſiaſt. variis colloquiis digeſta, tom. III. p. 434.* Exſtiterunt vero iſta iam ætate, qui PASCHASIO ſe opponerent, quamvis, ut accidere ſolet, in alterum ſubinde prolaberentur extremum, veramque ac realem corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna præſentiam negarent, vel ſaltim negare viderentur. Huc ſpectant celebres ſeculi IX. ſcriptores, RABANUS MAURUS, ex Fuldenſi monacho & abbate archiepiſcopus Moguntinus, de cuius ſententia vid. PFAFFIUM in *inſtitut. hiſtor. eccleſiaſt. p. 386.* edit. ſecundæ, *not.* (2.), itemque AMALARIUS, de quo ALBERTINUS *libr. III. de euchariſt. p. 925.* legi meretur, nec non RATRAMNUS, ſeu, ut alii eundem vocant, BERTRAMUS, ex Corbeienſi in Gallia monacho, ſingulari Caroli Calvi favore, Orbacenſis, in diœceſi Sueſſionenſi, cœnobii præpoſitus, cuius diverſiſſima apud pontificios fata in *actis erudit. Lipſ.* ann. *MDCLXXXVII. p. 43. ſeqq.* ediſſeruntur. Exſtat eiusdem libellus *de corpore & ſanguine Chriſti*, in quo transſubſtantiationis commentum funditus evertitur. Vid. de eo DEYLINGII *obſervat. miſcell. part. I. p. 373. ſeqq.* qui & *p. 375.* recte obſervat, nugas eos egiſſe, qui probare in ſe ſuſceperint, RATRAMNUM in hocce opuſculo ſententiæ eccleſiæ Romanæ de ſacra euchariſtia & ſymbolorum converſione favere, ſaltim non repugnare. Nec prætermittendus heic eſt JO. SCOTUS ERIGENA, eodem ſeculo clarus, qui inter alia, librum *de corpore & ſanguine Jeſu Chriſti* ſcripſit, inque eo transſubſtantiationis dogma ita reiecit, ut ſimul præſentiam realem corporis ſanguinisque Chriſti negaret. Damnatus is eſt in ſynodo Vercellenſi anno *ML.* vel *MLII.* Vid. BERENGARII *epiſtol. ad Richardum*, apud LUC. DACHERIVM in *ſpicilegio, tom. III. p. 400.* Ad ipſum vero eius librum quod attinet, is temporis iniuria periit. Prætermittimus alios ſeculi IX. ſcriptores, qui, licet dogma PASCHASII de ſacra cœna directe haud oppugnaverint, doctrinam tamen eidem e diametro oppoſitam in ſcriptis ſuis propugnarunt. Copioſe de iis differuit IAC. BASNAGIVS in *hiſt. de l'*

„ tamen non eſſe cognoſco, quia ſpecies rerum,
„ quæ ante fuerant, remanent, & ſapor, &

„ pon-

égliſe, tom. II. libr. XVI. cap. VIII. p. 987. ſeqq.

Licet vero, prout ex dictis patet, doctrinæ de mutatione ſubſtantiali in ſacra cœna, a PASCHASIO adoptatæ, complures huius ævi ſcriptores contradixerint, eandem tamen ſeculo X. denuo inculcavit, fraudibusque ac confictis miraculis ſtabilire aliisque perſuadere annixus eſt ODO, archiepiſcopus Cantuarienſis. Ex eius-dem enim vita, a perantiquo auctore compoſita, refert JO. MABILLONIVS in *veterib. analect. p. 495. ſeqq.* fuiſſe eo tempore clericos quosdam, qui adfirmarent, ſymbola euchariſtica poſt conſecrationem in priori ſubſtantia permanere, & figuram duntaxat eſſe corporis ac ſanguinis Chriſti, & mox ſubiungit, *Odonem, ut enormem eorum perfidiam deſtrueret, dum die quadam, in conſpectu totius populi, miſſarum ſolemnia devotus intenderet*, expreſſis lacrumis Deum invocaſſe, *ut ſubſtantivam divinorum myſteriorum declararet proprietatem; quumque ad confractionem vivifici panis ventum fuiſſet, confeſtim inter manus pontificis, fragmenta corporis Chriſti tenentis, ſanguinem guttatim defluere cœpiſſe.* Nec his abſimilia ſunt, quæ de DUNSTANO, ſucceſſore Odonis, aliisque narrantur. Scilicet & hi veritatem transſubſtantiationis non tam argumentis, quam potius confictis miraculis adſtruere adniſi ſunt, contradicentibus tamen aliis, prout uberius oſtendit FRID. SPANHEMIUS, in *hiſt. eccleſiaſt. nov. teſt. ſeculo X. oper. tom. I. p. 1474. ſeqq.*

Seculo XI. cauſſa Berengariana magnum in eccleſia chriſtiana ſtrepitum dedit. Cum enim BERENGARIUS, archidiaconus Andegavenſis, qui hoc ſeculo floruit, ad exemplum Bertrami, Scoti alierumque, transſubſtantiationis figmentum denuo impugnaret, ſententiamque de figura euchariſtica graviter defenderet, atque plurimos hinc inde inveniret adſeclas, mox acriter contra eum inſurrexerunt LANFRANCVS, Cantuarienſis archiepiſcopus, GVITMVNDVS, ex monacho poſtea cardinalis, aliique plures, plerique inſerti *bibliothecæ magnæ patrum.* Proſcripta quoque fuit atque damnata doctrina Berengariana in variis ſynodis, ipſeque BERENGARIVS compulſus, ut ſententiam ſuam revocaret. Exſtant hodienum variæ doctrinæ formulæ Berengario olim obtruſæ, quibus iurato ſubſcripſit. Nec tamen

ſerio

„ pondus. Quibusdam esse videtur substantia-
„ lis, dicentibus sic substantiam converti in sub-
„ stantiam, ut hæc essentialiter fiat illa. *Lit. C.*
„ Nec tamen concedunt quidam, quod substan-
„ tia

serio id fecit, sed ad pristinam mentem mox rediit, licet incertum sit, cuinam sententiæ ad vitæ usque finem fuerit addictus. Plura de Berengario legi possunt in EDMUNDI ALBERTINI *de sacramento eucharistiæ libr. III. p. 947. seqq.* aliisque scriptoribus, tum antiquioribus, tum recentioribus. Præcipuos ex iis diligenter recensuit JO. ALB. FABRICIVS in *bibliotheca latina mediæ & infimæ latinitatis, libr. II. p. 570. seqq.*

Seculo XII. illa doctrinæ forma, quæ in seculis immediate præcedentibus non tantum efformari, sed & ecclesiæ obtrudi cœpit, *transsubstantiationis* nomine fuit insignita. Primus, qui vocabulo hocce novo ac barbaro usus est, fuit STEPHANUS, Augustodunensis, sive Æduensis episcopus, prout supra in *notis ad §. CXIX. p. 199.* iam observavimus. Occurrit id quoque apud PETRUM Blæsensem, qui post medium seculi duodecimi floruit.

Tandem seculo XIII. dogma de transsubstantiatione inter articulos fidei fuit receptum, publicamque obtinuit auctoritatem. Factum id est in synodo Lateranensi anno MCCXV. celebrata. In hac enim inter alios hic quoque canon sancitus fuit: *Christi corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur*, TRANSSUBSTANTIATIS *pane in corpus, & vino in sanguinem Christi potestate divina*; apud HARDUINUM *tom. VII. concilior. p. 17.* Observat tamen MATTHÆUS Parisiensis in *historia* sua ad *ann. MCCXV.* canonem hunc, perinde ac alios multos, licet sub concilii Lateranensis nomine hodie exstent, nihilo tamen minus non tam ipsius concilii, quam INNOCENTII tantum, qui eo tempore ecclesiæ Romanæ præfuit, decreta esse, ab ipso primum condita, ac postea in concilio publice recitata. Vid. EDMUNDUM ALBERTINUM *de eucharistia libr. III. p. 972.* MATTH. LARROQUIUM in *hist. de l'eucharistie, part. II. p. 736.* adde ex nostris GEORG. CALIXTVM, qui peculiarem *de transsubstantiatione* edidit *exercitationem*. Atque ab hoc inprimis tempore plerique ecclesiæ latinæ doctores in adstruendo atque expoliendo novo hoc dogmate omnem navarunt operam. Nec mirum hoc cuiquam videbitur, qui consideraverit, doctrinam istam demonstrandæ atque amplificandæ dignitati atque auctoritati ordinis sacerdotalis haud parum inservire. Quis enim sacerdoti denegaverit cultum ac reverentiam, qui ipsum creatorem pro lubitu quotidie creare potest? Cumprimis doctores scholastici, qui hac ætate floruerunt, in stabiliendo ac propagando transsubstantiationis commento toti fuerunt. Principem inter eos locum tenet PETRVS LOMBARDVS, de quo supra *p. 228. seqq.* copiose differit GERHARDUS noster. Hunc alii tanquam ducem gregis magno agmine deinceps sunt secuti, licet in eo inter se haud conveniant, quid in transsubstantiatione fiat de substantia panis? Nonnulli enim contendunt, substantiam panis redigi in nihilum, alii vero, quibus & LOMBARDVS suffragatur, statuunt conversionem panis. Diversas horum hominum sententias adcurate edifferit atque diiudicat ven. WALCHIVS in *historia transsubstantiationis pontificiæ §. XI - XV.*

Ad secula subsequentia XIV. & XV. ubi iam progredimur, paucis notamus, transsubstantiationem complures quidem isto ævo habuisse defensores, nec tamen defuisse alios, qui eandem repudiarent, veritatisque, quam cognitam habebant, ederent testimonia. Viam illis præiverunt *Waldenses*, a PETRO WALDO nomen sortiti, quos seculo XIV. secuti sunt *Wiclefitæ*, a JO. WICLEFO, gente Anglo, qui EDVARDI III. temporibus floruit, ita dicti, quorum de sacra cœna sententiam supra exhibet GERHARDUS *p. 227.* itemque in *confess. cathol. p. 1141.* Verum patres concilii Constantiensis, post initium seculi XV. celebrati, articulos quadraginta quinque ex Wiclefi scriptis excerptos, atque in his eos quoque, qui transsubstantiationi repugnabant, *sess. VIII.* die IV. Maii MCCCCXV. habita damnarunt. Vid JAC. L'ENFANT in *histoire du concile de Constance, tom. I. p. 208. 221.*

Tandem cum seculo XVI. emendatio sacrorum a b. LVTHERO fuisset susceptа, inter alios ecclesiæ Romanæ errores commentum quoque transsubstantiationis ab ipso fuit repudiatum, prout omnibus constat. Ast concilium Tridentinum, eodem adhuc seculo celebratum, monstrosum istum errorem *sess. XIII. can. 2. & 3.* denuo confirmavit. Verba decreti, quod huc spectat, *p. 231, 232.* supra recitavit GERHARDUS. Atque hæc de origine ac fatis dogmatis de transsubstantiatione, pro instituti nostri ratione sufficiant.

„ tia panis aliquando fit caro Christi, etsi fiat
„ caro Christi, sicut farina facta est panis, &
„ aqua facta est vinum, nec tamen dicitur: fa-
„ rina est panis, & aqua est vinum. Alii vero
„ concedunt, illud, quod erat panis vel vinum,
„ post consecrationem esse corpus & sanguinem,
„ non tamen sequitur: panis est caro Christi,
„ vel vinum est sanguis, quia substantia panis
„ vel vini, postquam facta est caro Christi vel
„ sanguis, non est substantia panis vel vini, sed
„ caro & sanguis. *Lit. D.* Quidam vero sic
„ dicunt, conversionem illam esse intelligendam,
„ ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius
„ substantia panis & vini, post consecrationem
„ sit substantia corporis & sanguinis, sic tamen,
„ ut non eis adficiatur, & sic adserunt, dictum
„ panem transire in corpus Christi, quia ubi
„ erat panis, nunc est corpus Christi. Quod
„ si est, quid ergo fit de substantia panis & vini?
„ Illi dicunt, vel in præjacentem materiam resol-
„ vi, vel in nihilum redigi. Alii vero putave-
„ runt, ibi substantiam panis & vini remanere,
„ & ibidem corpus Christi esse & sanguinem,
„ & hac ratione dici, illam substantiam fieri
„ istam, quia ubi est hæc, & est illa, quod mi-
„ rum est, & ipsam substantiam panis vel vini
„ dicunt esse sacramentum. Sed quod non sit
„ ibi substantia, nisi corpus & sanguis Christi
„ ex prædictis & subditis aperte ostenditur. *Dist.*
„ 12. *lit. A.* Si autem quæritur de accidentibus,
„ quæ remanent, id est, de speciebus & sapore
„ & pondere, in quo subjecto fundetur, potius
„ mihi videtur fatendum, existere sine subjecto,
„ quam esse in subjecto, quia ibi non est sub-
„ stantia, nisi corporis & sanguinis dominici,
„ quæ illis accidentibus non adficitur. *Lit. E.*
„ Quidam adserunt, accidentia fundari in aëre.

Atque hic est ille Lombardus, de quo Aventinus verissime conqueritur, quod sacrosanctæ philosophiæ veritatem fontemque purissimum cœno quæstionum, *rivulisque opinionum conturbaverit*, quod a Jacobo Fabro Stapulensi & Jacobo Clitovæo præceptoribus suis plus millies se audivisse adserit. Hic est ille Lombardus, de quo Erasmus in adnot. super 1. Matth. p. 6. scribit: *Utinam illius labor tam feliciter cessisset orbi christiano, quam ab illo susceptus est pro studio, siquidem adparet illum hoc egisse, ut semel collectis, quae ad rem pertinebant, quaestiones omnes excluderet, sed ea res in diversum exiit. Videmus enim, ex eo opere nunquam finiendarum quaestionum non examina sed maria prorupisse.* Hic est ille Lombardus, cujus plus quam XXVI. errores adnotarunt Parisienses, quibus adscriptum: *Hic magister non tenetur;* inter quos etiam ille est, *quod Jesus Christus secundum humanam naturam non aliquid sit*, unde Alexander III. ad Guilielmum Archiepiscopum Senonensem epist. scripsit, *qua jubet suffraganeos convocare, ut perversam illam Lombardi doctrinam abroget.* Vignerus hist. eccl. p. 389. Post Lombardum hæc de transsubstantiatione disputatio Scholasticis fuit pomum eridos, & altercationum campus, donec tandem in concilio Lateran. sub Innocentio III. anno 1215. decerneretur cap. Firmiter credimus, in decretalibus Gregorii libr. I. tit. 1. de summa Trinit. & fide cathol. *Idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus, cujus corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate divina.* Inde Jacob. de Vitriaco circa illud tempus scripsit: *Per rationem transsubstantiationis creaturam pistoris in Deum creatorem transmutari & adorari pro Deo;* referente Nicol. Vignero hist. eccl. sub anno 1215. Gabr. Biel lect. IV. in can. missæ utitur hac impudenti collatione: *Virgo Maria etsi in gratiae plenitudine creaturas supergrediatur universas, hierarchis tamen cedit ecclesiae in commissi mysterii exsecutione. Illa nempe prolatis octo verbulis:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, *semel concepit Dei Filium & mundi redemtorem. Isti a Domino consecrati quinque verbis contextam consecrationis formam cum debita intentione proferentes eundem Dei virginisque Filium invocant quotidie corporaliter in sacrificium & criminum purgationem.* Superiori seculo concilium Trid. addito anathemate Lateranense decretum repetiit sess. XIII. can. 2. *Si quis dixerit in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis & vini*

una

una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae panis in corpus & totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem adpellat, anathema sit (*). Joh. Scotus hæret. pravit inquis. libr. adv. hæret. edit. Colon. anno 1558. f. 185. *Mirum valde* (inquit) *adversarios hanc mutationem vel conversionem, quam ecclesia catholica transsubstantiationem adpellat, nolle credere, cum diabolus eorum pater eam possibilem credidit, quando dixit ad Christum:* Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. *Si enim non credidisset, id posse fieri, nimirum ut substantia lapidis mutaretur in substantiam panis, & hoc a Filio Dei, frustra illi hoc proposuisset.* Egregia vero probatio petita ex adsertione ejus, quem Christus etiam vera dicentem audiri noluit. Nos transsubstantiationem non negamus ex hoc fundamento, quod Deo sit impossibilis, sed quod nullum in verbo Dei habeat fundamentum. Bellarminus libr. III. de euch. c. 18. adserit: *Theologos convenire quidem in eo, quod causa praesentiae corporis in cœna sit totalis conversio substantiae panis & vini in corpus & sanguinem Domini, interim tamen modo explicandi eos nonnihil discrepare.* Ipse post expositas veræ conversionis conditiones statuit, *conversionem panis in Christi corpus non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam, per quam fiat, ut corpus Christi praeexistens ante conversionem, quod antea solum erat in cælo, jam etiam sit sub speciebus panis.* (Gabr. Biel libr. IV. sent. dist. 10. q. 11. art. 2. concl. 8. vocat *adquisitivam conversionem.*) Sed enim cum notum esset Bellarmino, quod Scotus (quem *acutissimum & doctissimum* adpellat c. 23. §. Non dissimili) sententiæ illi, quæ statuit panem in eucharistia manere, & cum ipso vere esse corpus Christi, non unam, sed duas alias opponat, videlicet primo, *quod alii dicunt, panem non manere, & tamen non converti, sed desinere esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud:* secundo, *quod alii statuunt, panem transsubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem;* sent. libr. IV. dist. 11. q. 3. lit. B. Hoc, inquam, cum Bellarmino esset notum, ideo ex definitione substantiæ panis & successione corporis Christi non debuisset inferre transsubstantiationem, siquidem, auctore Scoto, aliud est substantiam transire in substantiam, aliud vero substantiam substantiæ succedere, quæ tamen Bellarminus confundit, sed Angelus in summa hæc adcurate distinguit, ut vidimus superius §. 229. q. 6. Adde, quod nec sibi constet Bellarminus. In hoc enim cap. 18. §. ex quo: statuit, *in hac conversione ne quidem materiam primam panis manere;* sed in cap. seq. 23. §. secundo: ex voce *transelementationis* colligit transsubstantiationem; necesse igitur est, ut pro ἰσοδυναμοῦσι has voces accipiat, describit autem transelementationem hoc modo, quod significet *mutationem totius rei usque ad prima elementa, id est, usque ad ipsam materiam, quae ab Aristotele elementum vocatur.* Ergo ut in transelementatione manet materia, ita quoque in transsubstantiatione manebit. Cap. 24. §. ad tertiam, disputat, *corpus Christi ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne sanctae virginis, sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est cœlum, ex die fit nox, & etiam ex aqua factum est vinum.* At quis unquam dixit, nihilum transsubstantiatum esse in cœlum, diem transsubstantiari in noctem, ut etiam superius admonuimus. Si vero eo modo panis transsubstantiatur in Christi corpus, sicut aqua in vinum est conversa, necesse est, ut maneat panis materia, sicut aquæ materia in vino Cananæo mansit. Libr. I. de euch. c. 10. operose disputat, δεικτικὸν *hoc* non posse referri ad panem; sed tota structura disputationis pro transsubstantiatione libr. III. de euch. cap. 19. nititur hoc fundam. *quod disparatum de dispa-*

(*) Hocce concilii Tridentini decretum confirmavit PIVS IV. ecclesiæ Romanæ antistes, ac severe mandavit, ut omnes ecclesiæ Rom. sacris addicti, vel iis initiandi, huncce symboli Romani articulum profiterentur, idque iure iurando confirmarent.

separato, corpus Christi de pane, sine essentiali mutatione non possit praedicari.

An in verbis Christi: hoc est corpus meum, transubstantiatio fundetur?

§. CXXXIV. Sed altercentur illi de modo transubstantiationis, quamdiu libuerit, videamus, quibus fulcris eam sustentent. Robur praecipuum petunt ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum*, ex quibus ita ratiocinatur Bellarminus libr. III. de euch. c. 19. „ Verba „ illa: *hoc est corpus meum*, necessario infe- „ runt aut veram mutationem panis, ut volunt „ catholici, aut mutationem metaphoricam, ut „ volunt Calvinistæ, nullo autem modo senten- „ tiam Lutheranorum admittunt, nam Domi- „ nus accepit in manibus panem, eumque be- „ nedixit, & dedit discipulis, & de eo ait: „ *Hoc est corpus meum.* Itaque panem acce- „ pit, panem benedixit, panem dedit, & de „ pane dixit: *hoc est corpus meum.* Vel igitur „ benedicendo mutavit in corpus re ipsa, vere „ & proprie, vel mutavit improprie & figura- „ tive addendo significationem, quam non ha- „ bebat, vel nullo modo mutavit. Si mutavit „ re ipsa vere & proprie. Ergo panem muta- „ tum dedit, & de pane mutato verissime dixit: „ *hoc est corpus meum*, id est, quod sub specie „ panis continetur, non est amplius panis, sed „ corpus, & hoc est, quod volunt catholici. Si „ vero quis dicat, panem mutatum esse figurate, „ tum datus erit apostolis panis, qui figurate „ erit corpus Domini, & illa verba: *hoc est cor- „ pus meum*, hunc sensum habebunt: hic pa- „ nis est figura corporis mei. Hæc autem est „ sententia sacramentariorum, quam & nos & „ Lutherani communi consensu rejicimus. Si „ quis denique dicat, nullam fieri mutationem, „ is cogetur dicere, panem non mutatum datum „ esse apostolis, & de illo esse dictum: *hoc est „ corpus meum*, id est, hic panis verus ac tri- „ticeus vere & proprie est corpus meum. At- „ qui hoc nullo modo admitti potest, sive aga- „ mus de re ipsa, sive de propositione, nec „ enim ullo modo fieri potest, ut una res non „ mutetur, & tamen fiat alia, esset enim ipsa, „ & non esset ipsa. In propositione autem ad- „ firmativa necesse est, ut pro eodem suppo- „ nant subjectum & prædicatum, alioquin est „ falsa prædicatio. Non igitur potest fieri, „ ut vera sit propositio, in qua subjectum „ supponit pro pane, prædicatum autem au- „ tem pro corpore Domini, panis enim & „ corpus Domini res diversissimæ sunt. „ Hæc est structura argumenti Bellarmini, quod urget etiam Gregorius de Valentia tom. IV. disput. 1. q. 2. punct. 3. §. 5. *Resp.* vero in genere: 1.) Quidam ex Scholasticis & recentioribus scriptoribus pontificiis fatentur, transubstantiationem ex verbis testamenti dominici probari non posse. 2.) Id quod late explicat Gabr. Biel libr. IV. sent. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1. „ Omnes propositiones affirma- „ tivæ, (*inquit*) in quibus termini significan- „ tes panem & corpus Christi ponuntur in ca- „ su nominativo, falsæ sunt, ideo de rigore „ verborum falsæ sunt. Panis est corpus „ Christi: quod est panis, est, fuit, erit, „ seu potest esse corpus Christi. Veræ autem „ propositiones sunt, in quibus terminus a „ quo, id est, panis & vinum exprimuntur „ per ablativum, cum præpositione ex vel de, „ aut terminus ad quem, id est, corpus vel san- „ guis Christi per adcusativum cum præpositio- „ ne. Veræ ergo sunt: Ex pane fit corpus „ Christi. De vino fit sanguis Christi. „ Con- tra Thomas part. III. q. 75. art. 8. „ Non pot- „ est proprie dici de pane, quod fiat corpus „ Christi. Veræ & hæ: panis transit, con- „ vertitur aut transubstantiatur in Christi cor- „ pus. „ Hæc Gabr. Biel. Quærimus autem, ubi Christus his propositionibus usus sit? 3.) Bellarminus fusam pertractationem hujus argumenti sic concludit: *Licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas vel ambiguitas, eam tamen sublatam esse per multa concilia & patrum consensum*, quæ est tacita confessio, non posse dogma transubstantiationis ex verbis Christi probari, id quod expressius fatetur cap. 23. seq. *Non est improbabile, non exstare locum in scriptura tam expressum, ut sine ecclesiæ declaratione evidenter cogat transubstantiationem admittere.* Duplici autem

autem nomine Bellarminus in divinas tabulas injurius est, *tum* quod in summis fidei articulis obscuritatem & ambiguitatem aliquam illis tribuit, *tum* quod ex conciliis & patribus scripturæ interpretationem in fidei articulis petendam & judicandam censet, cum contra ex scriptura de ecclesia, de ecclesiæ decretis, & hominum ecclesiasticorum scriptis sit judicandum. Repetimus dictum apostolicum: 2 Petr. I. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucernae lucenti in loco caliginoso.* Primum concilium, quod pro transsubstantiatione Bellarminus adducit, est Romanum celebratum anno 1060. Atqui si per decreta conciliorum sublata demum ambiguitas & obscuritas verborum cœnæ, quid fiet de illis hominibus, qui a tempore primitivæ ecclesiæ usque ad illud concilium vixerunt? Patrum consensus qualis sit, paulo post videbimus. Certe ipse Bellarminus fateri cogitur, *Scotum, hominem acutissimum & doctissimum, non novisse illum consensum.* 4.) Tota structura argumenti Bellarmini nititur hoc fundamento, quod Christus de pane dixerit: *hoc est corpus meum*, id quod præsupponat transsubstantiationem. Sed conveniant prius Romanenses, quid per δεικτικὸν τοῦτο proprie sit intelligendum. Thomas part. III. q. 78. art. 5. aliquot opiniones enumerat: *Quidam dixerunt, quod importet demonstrationem ut conceptam, non ut exercitam, quia ista locutio sumitur materialiter, cum recitative proferatur. Alii dixerunt, quod facit demonstrationem non ad sensum, sed ad intellectum, ut sit sensus:* hoc est corpus meum, *id est, significatum per hoc, est corpus meum. Alii dixerunt, quod dictio haec facit demonstrationem ad sensum, sed intelligitur haec demonstratio non pro instanti locutionis, sicut cum aliquis dicit: nunc taceo, adverbium* nunc *facit demonstrationem pro instanti immediate sequenti.* Thomæ sententia est, *quod significet contentum in generali sub istis speciebus, sive substantiam in communi sine qualitate, id est, forma determinata.* Innocentius III. libr. IV. de myst. missæ c. 3. *particulam hanc nihil demonstrare, neque quidquam ad consecrationem facere existimat, cum his verbis sacerdos non utatur demonstrative, sed recitative, quemadmodum Christus ait: Ego sum vitis vera* Scotus libr. IV. sent. dist. 8. q. 2. vocat *individuum vagum, de quo Christus pronunciavit:* hoc est corpus meum, *jam consecratum, jam conjectum per benedictionem, quae praecessit.* Idem fere statuit Durandus libr. IV. rationalis c. 41. n. 44. *Super hoc dicunt quidam, quod per* hoc *pronomen nihil demonstratur, sed illud materialiter ponitur.* Item *Dominus utebatur illa voce significative, nos materialiter.* Bonaventura libr. IV. sent. dist. 8. q. 1. lit. G. *Hoc, id est, panis, panis substantia,* sed contra Guitmundum libr. II. contra Berengarium, *blasphemum esse* dicit, *quod pronomen* hoc *ad panem referatur;* ac Renatus in panoplia super hæc verba: *Petra erat Christus: Catholica ecclesia nunquam dixit, panem esse corpus Christi, alioquin falsa est propositio, videlicet identica, ideo sic resolvit: dicunt, quod demonstrat hoc, quod est commune utrique termino interminate.* Quia vero ex ipsorum hypothesibus corpus Domini non potest adesse, quin omnia verba sint prolata, ideo Johannes de Burgo de form. verb. requis. c. 4. sic resolvit: *Hoc sub hac specie praesens vel de propinquo futurum est corpus meum.* Angelus de Clavisio in summa tit. euchar. membr. 1. q. 13. *Mihi placet opinio Richardi de S. Victore libr. de Trinit. quod ibi sit demonstratio mixta, scilicet partim ad sensum, partim ad intellectum sub hoc sensu: illud, in quod hoc transsubstantiabitur, est corpus meum, quod sicut ista propositio esset vera & magis propria, si demonstrando diceret: hoc est corpus meum, scilicet illud, in quod cibus iste est transmutandus, est corpus meum, quando virtute ejus in prolationis termino ille cibus fieret corpus meum. Sic in proposito, quia ibi virtute verborum in complemento & termino ipsius orationis panis fit verum corpus Christi. Alii tamen aliter dicunt.* Nec minus variant recentiores. Bellarminus libr. I. de euch. c. 11. §. nota secundo, fatetur, *Pontificios non convenire in explicatione, quid demonstret pronomen* hoc, *ac duas esse celebriores sententias.* (nota, ergo sunt plures sententiæ, licet minus celebres) *Una, quod pronomen*

hoc

hoc *demonstret corpus: altera, quod pronomen* hoc *non demonstret praecise panem, non corpus, sed in communi substantiam, quae est sub illis speciebus, sic tamen, ut demonstratio proprie ad species pertineat, non quidem ut sit sensus: hoc, id est, hae species sunt corpus meum; sed in obliquo hoc modo:* hoc est corpus meum, *id est, sub his speciebus est corpus meum.* Et postea: *Illud* hoc *non demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub his speciebus.* Hanc posteriorem sententiam amplectitur Bellarminus, ideo in cap. præced. 10. §. Porro: demonstrare conatur contra Calvinum, *non posse fieri, ut illud* hoc *demonstret panem tanquam subjectum propositionis, cum ponatur in genere neutro.* Sed in hoc cap. 19 libr. III. de euch. fortiter sibi contradicit scribens: *De pane dixit Christus: Hoc est corpus meum.* Et postea: *Non potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro pane, praedicatum autem pro corpore Christi,* (scilicet nisi intercedat essentialis mutatio) *panis enim & corpus Domini res diversissimae sunt.* Socinus libr. IV. sent. dist. 9. conclus. 4. per *hoc* dicit *demonstrari aliquid commune utrique, continens utrumque in potentia & confuse.* Gregorius de Valent. contra Heerbrandum sic resolvit: *Hoc (substantiam, inquit, totam, quam manibus tenebat demonstrando) est corpus meum.* Costerus in enchir. p. 350. sic resolvit: *Hoc ipsum, quod vobis trado manducandum, est corpus meum.* Pistorius in hodeg. p. 388. *Hoc, id est, hic transsubstantiatus panis, vel hic panis tanquam cibus, vel hoc, quod est sub istis speciebus.* Quare cum tot non solum diversas, sed etiam adversas opiniones de particula δεικτικῇ foveant, non potuerunt ex verbis Christi transsubstantiationem suam infallibiliter demonstrare. 5.) Est quidem communior sententia pontificiorum, propositionem Christi sic resolvendam esse: *Hoc est corpus meum, id est, quod sub specie panis continetur, est corpus meum.* Sed ἀνάλυσις illa manifeste petit principium, de eo enim quæritur, an sub speciebus tantum panis corpus Christi contineatur, abolita panis substantia. Quin imo eodem jure & citra ullam absurditatem sic resolvi potest: *Hoc est corpus meum,* id est, id, quod sub panis substantia continetur, est corpus meum. Nimirum probanda prius erat substantiæ panis abolitio, antequam sic resolverent: *Quod sub nuda panis specie continetur, est corpus meum.* Merito igitur Lutherus contra adversarios urget hoc argumentum: *Si volunt particulam* hoc *notare contentum sub specie panis, ut nequaquam sit sensus, cum hoc aut sub hoc est corpus meum, non poterunt dicere: sub his speciebus panis est corpus. Si vero propositio illa potest ferre illorum interpretationem: sub speciebus panis est corpus meum, poterit etiam ferre nostram ἀνάλυσιν, sicque nihil concludit argumentum ex verbis institutionis petitum.* 6.) Christus non utitur hac propositione: panis est corpus meum; sed illa: *Hoc est corpus meum.* Quamvis vero priorem non improbemus, cum & vetères & recentiores ecclesiæ doctores in sano sensu ea utantur, tamen distinguenda est a posteriori, qua ipse Christus est usus, in qua pronomen *hoc* denotat quidem panem, sed non solum, verum totum συμπεπλεγμένον sive complexum, ut superius §. 83. aliquot argumentis confirmavimus. Si denotaretur solus panis, quænam foret constructio grammatica ἄρτος τοῦτο? si denotaretur solum corpus, propositio foret identica. Est igitur propositio *demonstrativa & exhibitiva*, in qua *subjectum* totum notat complexum, *praedicatum* exprimit dignius & sensui minus obvium; harum propositionum fundamentum est rerum duarum unio, conjunctio & simultanea exhibitio, sicut in communi sermone monstrato dolio dicimus: hoc est vinum; & exhibitis loculis, hoc est pecunia tibi debita, ubi nulla est transsubstantiatio dolii in vinum, vel loculi in pecuniam, sed utriusque conjunctio & conjuncta exhibitio. Lutherus tom. III. Jen. p. 487. b. Quo pertinet, quod quidam ex Scholasticis recte disputant, in propositione Christi: *Hoc est corpus meum*, dari duplicem demonstrationem, quæ in illis exemplis, ubi duæ res modo quodam unitæ vel ostenduntur, vel exhibentur, usitatissima est. Unam ad sensum, alteram ad intellectum; in illa res externa sensibus obvia & per se nota non nominatur; in hac vero res intellecta ut minus nota

& præstantissima in prædicato evolvitur. Vide plura de hac propos. superius §. 81. membr. 2. §. 93. per tot.

Num in eucharistia sola accidentia panis locum habeant rei continentis?

§. CXXXV. Contra hanc ἀνάλυσιν, quæ ex verbis Christi simpliciter & proprie sine ullo tropo rhetorico acceptis immediate profluit, nihil solidi adfert Bellarminus. Concedit, quod *in propositionibus synecdochicis de re continente & contenta pronomen* hoc *possit demonstrare alterutrum*, (utrumque dicere debuit, ut subsequens explicatio ostendit) *id est, tam rem continentem, quam rem contentam.* Addit vero, *in eucharistia non substantiam panis, sed sola accidentia locum habere rei continentis.* Unde vero hoc probat? 1.) *Si adesset adhuc substantia panis, esset simul cum corpore Christi res contenta, & proinde falsa esset propositio Christi:* Hoc est corpus meum, *si ibi essent duae substantiae.* Id in præcedentibus sic declarat: *Cum demonstratur res contenta, demonstratur una res tantum, & excluduntur omnes aliae, quae ibi contineri possent, & proinde ex modo communi loquendi falsa est demonstratio, si plura contineantur. Verbi gratia si quis de dolio, ubi sit vinum & oleum, dicat; hoc est vinum, fraudator censetur: illud enim (hoc est vinum) ex modo communi loquendi significat, in hoc dolio nihil est nisi vinum. Pari ratione, si quis de marsupio pleno partim auro, partim argento dicat: hoc est aurum: vel de sacco pleno partim tritico, partim auro, dicet: accipe & utere, hoc enim est triticum, deceptor jure haberetur. Eodem igitur modo illa verba:* Hoc est corpus meum, *ex modo communi loquendi, quidquid sit de metaphysicis subtilitatibus, significant sub illis speciebus non fuisse aliud, quam corpus Domini: si enim fuisset etiam panis, debuisset Dominus dicere:* hic, *id est, in hoc pane est corpus meum, aut certe:* hoc *non tantum est panis, sed etiam corpus meum.* Resp. nugæ hæ sunt gerris siculis inaniores. Panis substantia erat externis sensibus obvia, (mediate scilicet per accidentia) non igitur opus erat, ut in prædicato exprimeretur & intellectui notificaretur, sed principale & sensibus minus obvium, quod pani erat sacramentaliter unitum, erat exprimendum & intellectui notificandum. Quemadmodum vere secundum usitatum loquendi modum ostenso & exhibito dolio, quod vinum continet, dico: hoc est vinum; ostenso & exhibito marsupio, hoc est pecunia &c. ita ut in prædicato exprimatur pars dignior & principalior, altera sensus judicio relicta: ita Christus ostenso & exhibito pane benedicto recte dixit: *Hoc est corpus meum*, ita ut in prædicato & nominata & expressa fuerit pars dignior, principalior & sensui minus obvia, prætermissa parte externa visibili, ac minus principali. Invertimus igitur adpellationem Bellarminianam. Qui exhibet dolium, vino plenum, recte dicit: hoc est vinum, nec opus est, ut addat, hoc est dolium & vinum; qui exhibet marsupium auro plenum, recte dicit: hoc est aurum, nec opus est, ut addat, hoc est marsupium & aurum: qui exhibet saccum tritico plenum, recte dicit: hoc est triticum, nec opus est, ut addat, hoc est saccus & triticum, nimirum quia externum continens est sensibus obvium, ideoque ut in prædicato intellectui notificetur, nulla cogit necessitas: ita quoque Christus exhibito pane, in quo & cum quo exhibeat suum corpus, recte dicit: *Hoc est corpus meum.* Panis substantia non ad rem contentam, sed ad rem continentem pertinet, quia non nuda accidentia, sed substantia panis accidentibus vestita est organum, ὄχημα ac medium, per quod, cum quo & in quo distribuitur corpus Christi, id quod ex illis ipsis exemplis, quæ Bellarminus urget, evinci potest. Si enim substantia panis pertineret ad res contentas, tunc substantia dolii, marsupii & sacci itidem ad res contentas pertineret, sicque non recte diceret, qui dolium & vinum porrigit: Accipe, hoc est vinum, sed dicendum ei foret: accipe, hoc est dolium & vinum; qui porrigeret in dolio vinum & oleum, non recte diceret: accipe, hoc est vinum & oleum, sed dicendum ei foret: accipe, hoc est dolium & oleum & vinum, ut omnes res contentas exprimeret. Jam vero concedit Bellarminus, & concedere etiam cogitur, eum, qui in dolio vinum exhi-

hibet, recte dicere: accipe, hoc est vinum; atque eum, qui in dolio vinum & oleum exhibet, recte dicere: accipe, hoc est oleum & vinum, si vel maxime non faciat expressam dolii mentionem; concedat ergo etiam, Christum recte dixisse, exhibito in pane eucharistico suo corpore: *Accipite, edite, hoc est corpus meum*, si vel maxime in *praedicato* non faciat expressam panis mentionem. Et quemadmodum is, qui accepto dolio vini pleno audiens: accipe, hoc est vinum, non somniat dolii in vinum transsubstantiationem, vel substantiæ dolii desitionem: ita quoque audientes in sacra cœna: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum*, non somniemus panis in corpus Christi transsubstantiationem, vel substantiæ panis desitionem. Si *dicas*, unde certi simus de hac ἀναλύσει, cum pontificii æque fortiter pro sua transsubstantiatione pugnent, resp. panis substantiam non desiisse, vel in corpus Christi transmutatam esse, docent verba evangelistarum & Pauli proprie & sine ullo tropo accepta, quæ panis mentionem faciunt; nobis ergo sufficit hoc loco ostendere, quod verba Christi non inferant necessario aliquam panis substantiationem, sed sacramentalem tantum panis & corporis Christi unionem, cum & *panis* & *corporis* voces absque ullo tropo in hujus dominici testamenti verbis accipiendæ sint. Monemus autem denuo, quod & superius admonitum fuit, exemplis illis nos uti non propter identitatem specificam unionis, (quia corpus Christi nequaquam est in pane tanquam in vase localiter inclusum) sed propter generalem unionis naturam & modum prædicandi ac loquendi ex ea resultantem; veritas ergo & conformitas prædicationis quærenda est, non in identitate specifica, sed generica. Frustra igitur Bellarminus 2.) hoc regerit, *corpus Christi non esse in pane, ut in vase aut in loco, sed ut substantia sub accidentibus, ideoque sola accidentia esse rem continentem, ad quorum motum movetur, & ad eorum elevationem elevatur, at post corruptionem eorum desinit ibi esse corpus Christi.* Resp. hæc manifeste petunt principium. Quamvis enim corpus Christi non sit in pane, ut in vase aut in loco; ex eo tamen nondum sequitur, quod sit sub nudis accidentibus panis, datur enim tertium, quod scilicet pani sacramentaliter sit unitum, per quam unionem nec panis nec corporis substantiæ quidquam decedit; continens igitur corporis (generali modo loquendi) non sunt nuda accidentia, sed substantia panis suis accidentibus vestita, ut testantur evangelistæ & Paulus, expresse nominantes panem. Nec ullam video absurditatem vel necessitatem, propter quam negandum sit, panis substantiam esse rem continentem, id est, organum & medium, per quod Christi corpus communicatur. Quod enim toties Bellarminus urget, *verba Christi: Accipite, edite, hoc est corpus meum, aut veram* (essentialem) *mutationem panis, aut metaphoricam tantum inferre*, in eo τὸ ἐλλειπὲς committit, datur enim tertium, quod videlicet panis mutatus fuerit sacramentaliter. Becanus in disputat. de tripl. cœna exclamat, *hac adsertione nos imprudenter in castra Calvinianorum transire, qui itidem statuant, panem tantummodo sacramentaliter, hoc est, significative & figurative esse corpus Christi.* Atqui novit Becanus vel certe noviſſe debet, vocem *sacramentaliter* diverso sensu a nobis usurpari, quam a Calvinianis. Nos quando panem *sacramentaliter* esse Christi corpus adserimus, hoc volumus, quod in hoc sanctissimo sacramento panis sit externum symbolum, per quod & cum quo corpus Christi vere præsens distribuatur, exhibeatur & manducetur, juxta adsertionem Christi: *Edite, hoc est corpus meum;* & Pauli: *Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi.* Sed Calviniani panem *sacramentaliter* esse corpus Christi adserentes, hoc sibi volunt, quod panis sit signum & figura corporis Christi absentis: hæc duo longissime invicem distare, Becanus ipse novit, unde non de duplici, sed triplici cœna, Lutherana scilicet, Pontificia & Calviniana distincte tractandum esse censuit.

§. CXXXVI Hanc sacramentalem panis mutationem, vel potius unionem corporis Christi cum pane, (quia mutatio illa sacra- *Declaratio propositionum sacramenta-*

lium per exempla.

cramentalis in eo unice consistit, quod panis eucharisticus per benedictionem a communi usu sequestratur, ut sit ὄχημα, ὄργανον ac medium, per quod, cum quo & in quo corpus Christi distribuatur, exhibeatur, manducetur) hanc inquam sacramentalem panis & corporis Christi unionem & ex hac resultantem prædicationem declaravimus superius §. 93. ex Chemnitio aliquot exemplis tum ex scripturis, tum ex quotidiana loquendi consuetudine petitis. *Primum* de-

1.) Propositionum personalium.

sumtum fuit ex articulo de persona Christi, quam collationem duarum rerum in eucharistia sacramentaliter unitarum cum duabus naturis in Christo personaliter unitis non Chemnitius primus excogitavit, sed ex Justino, Cypriano, Gelasio & Theodoreto hausit, ut ostendimus superius §. 231. membro 6. Quamvis namque unio panis cum corpore Christi non sit personalis, illud tamen cum unione personali duarum naturarum in Christo commune habet, quod propter unionem sacramentalem monstrato & exhibito pane recte dicitur: *Hoc est corpus Christi*, sicut propter unionem personalem Petrus recte dicebat Matth. XVI. 16. *Tu es Christus Filius Dei viventis.* Quid ad hoc Bellarminus? 1.) Eruditam Chemnitii dissertationem sophistarum more ridet, eamque *telae aranearum* confert, quæ levi flatu dissipari queat. Sed videbimus:

Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu:

& quomodo instar grandis fuci hanc telam perrumpere tentet. 2.) Quod Chemnitius scripserat, *propositiones personales non congruere ad regulas Aristotelicas*, id confidenter pronunciat *esse falsum, posita* (inquit) *adsumtione humanae naturae ad personam verbi, illa propositio verissima est secundum omnes regulas philosophiae, cum pro eodem supponat, tam hic homo, quam hic Deus, nisi forte Chemnitius non agnoscat in Christo veram & hypostaticam unionem duarum naturarum, quod sane insinuat, cum ait, ejusmodi propositiones tantum significare unionem & praesentiam unius rei cum altera.* Resp. Chemnitius in peculiari libro de unione hypostatica duarum naturarum in Christo tam nervose & luculenter de hoc articulo scripsit, ut merito ab hac calumnia Bellarminus abstinere debuisset. De analysi propositionum personalium Scholasticis & Jesuitis usitata alius alibi dicendi erit locus, remittimus interim lectorem ad Meisnerum part. II. sobr. philos. sect. 2. c. 2. q. 7. & 8. ubi in hisce propositionibus personalibus & inusitatis disparatum de disparato prædicari evidenter demonstrat. Nos hoc loco a Bellarmino jure æquissimo postulamus, cum ad regulas logicas Aristotelis eas congruere statuat, ut sedem earum in prædicabilibus nobis ostendat: vel enim erunt *essentiales*, vel *accidentales*, neutrum vero salva hujus mysterii integritate adseri potest, ideo dicuntur inusitatæ & personales, unde recte scribit Bonaventura: „ Non potest „ hæc prædicatio reduci ad alios modos prædi„ candi consuetos & usitatos, non enim est „ prædicatio per essentiam, nec per causam, „ nec per inhærentiam, nec per se, nec per ac„ cidens, sed est modus prædicandi singularis. „ Breviter, ut res se habet in esse, ita etiam in prædicari, at personalis illa unio est ἐξαίρετος καὶ μονότροπος. Ergo etiam tales prædicationes sunt inusitatæ, ut in scholis vocari solent. 3.) Contendit Bellarminus, *non recte huc adferri unionem personalem, quae in cœna non habeat locum. Chemnitius dicit*, (verba sunt Bellarmini) „ inter panem & corpus Domini non „ esse personalem unionem, & tamen contendit, „ ita esse veram istam: Hic panis est corpus „ Christi, ut est illa: Hic homo est Deus. Nam „ aut vult non esse etiam personalem unionem „ inter Deum & hominem in Christo, quod est „ Nestorianum, aut certe nescit, quid loqua„ tur, cum similitudinem ponat, & interim „ tollat fundamentum similitudinis. Tota enim „ ratio, cur illa sit vera: Hic homo est Deus, „ est unio personalis. Cum igitur hæc unitas „ ponatur in Christo, & non ponatur in sacra„ mento eucharistiæ, nullo modo fieri potest, „ ut sint æque veræ; illa: hic homo est Deus, „ & illa: hic panis est corpus Christi. „ *Resp.*

præ-

præstigiatorem Bellarminus agit, non disputatorem. Repugnat enim non solum veteribus, qui collatione unionis sacramentalis inter panem & Christi corpus, cum unione personali inter duas naturas in Christo usi sunt; sed etiam sibi ipsi, siquidem lib. I. de euchar. c. 4 §. At non: cap. 9. §. Quarto ex illa: c. 27. §. Hoc igitur: concedit, eucharistiam cum unione personali duarum naturarum in Christo conferri posse. Instituitur autem illa collatio respectu unionis, & quæ ex ea nascitur, prædicationis in genere, neutiquam vero respectu unionis in specie, quod etiam superius monuimus, sed propter cavillationes adversariorum denuo repetendum. Quemadmodum enim propter unionem personalem duarum naturarum in Christo recte dicitur monstrato Christo: *Hic est Filius Dei; Tu es Filius Dei &c.* Matth. III. 17. XVI. 16. ubi δεικτικαὶ particulæ totam personam demonstrant, prædicatum autem exprimit divinam naturam invisibilem: sic monstrato & exhibito pane eucharistico Christus recte dicit: *Hoc corpus meum*, ubi δεικτικὸν itidem totum complexum notat, prædicatum vero exprimit corpus Christi invisibile sacramentaliter pani unitum. Has igitur propositiones conferre invicem Bellarminus debuisset, si quid solidi contra nostram collationem adferre voluisset; de altera propositione: panis est corpus Christi, dicetur postea. Acceptamus interim hoc loco, quod Bellarminus ultro nobis largitur, prædicationes illas personales: *Homo est Deus, & Deus est homo*, sine transsubstantiatione veras esse ob unionem personalem. Subsumimus autem, de sacramentalibus prædicationibus idem esse judicium, quod scilicet veræ sint sine transsubstantiatione ob unionem sacramentalem: siquidem ad prædicationum veritatem & conformitatem non requiritur specifica, sed saltem generica quædam identitas, ut constat. *Alterum* exemplum petitum fuit ex Joh. XX. 22. ubi Christus sufflans in discipulos dicit: *Accipite Spiritum sanctum;* ita quoque mediante pane eucharistico velut symbolo externo corpus suum illis distribuens recte dicit: *Accipite, hoc est corpus meum.* Quemadmodum ibi nemo cogitat transsubstantiationem flatus in Spiritum sanctum; ita nemo hoc loco cogitet transsubstantiationem panis in Christi corpus. Bellarminus regerit: „ exemplum hoc non esse ad rem, cum Dominus non dixerit: hæc insufflatio est Spiritus „ sanctus, sed insufflando dixerit: accipite Spiritum sanctum, ubi non solum ostendit se „ signo exteriori repræsentare id, quod interna & invisibili operatione faciebat, unde verba illa: accipite Spiritum sanctum; non faciant hunc sensum: accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus sanctus, sed hunc: accipite in hac insufflatione, seu per insufflationem, ut per signum & causam instrumentalem, donum Spiritus sancti. „ *Resp.* an verba Christi non ferant hanc propositionem: flatus Christi est Spiritus sanctus, dicetur postea, hac vice acceptamus ἀνάλυσιν Bellarminianam: *Accipite in hac insufflatione, seu per hanc insufflationem, ut per signum & causam instrumentalem, donum Spiritus sancti;* & subjungimus, verba Christi in cœnæ institutione itidem hunc habere sensum: accipite in hoc pane seu per hunc panem, ut per signum & causam instrumentalem, corpus meum. Usum enim illarum particularum *in, cum, sub,* in doctrina cœnæ occurrere, testatur ipse Cassander. Ut ergo flatus ille fuit & mansit halitus, etiamsi esset medium κοινωνίας Spiritus sancti; ita panis natura & substantia non tollitur, sed est medium κοινωνίας corporis Christi. *Tertium* exemplum petitum est ex adparitione Spiritus sancti in specie columbæ in baptismo Christi, Matth. III. 16. Luc. III. 22. Joh. I. 32. cui Bellarminus hoc opponit, *nuspiam legi hanc propositionem, columba est Spiritus sanctus, sed illud solum legi, quod viderit Johannes Spiritum sanctum, descendentem sicut columbam.* Resp. an descriptio evangelistarum ferat hanc propositionem: columba est Spiritus sanctus, dicemus postea, hac vice acceptamus, quod Bellarminus denuo nobis largitur, Spiritum sanctum in columba ut in signo visum, unde sic inferimus: Quemadmodum Johannes visa co-

2.) *Propositionis Joh. XX. 22. Accipite Spiritum sanctum.*

3.) *Propositionis Joh. I. 32. Vidi Spiritum S. descendentem.*

columba, in qua descendebat Spiritus sanctus, vere potuit dicere, se vidisse Spiritum sanctum propter peculiarem illam revelationem Spiritus sancti in specie columbæ sine ulla tamen transsubstantiatione: ita exhibito & manducato benedicto pane recte dicitur exhiberi & manducari corpus Christi propter peculiarem unionem corporis Christi cum symbolo illo ac signo panis sine ulla tamen transsubstantiatione. *Vidi Spiritum sanctum*, inquit baptista Joh. I. 32. *descendentem quasi columbam de cælo.* At Spiritus sanctus sua natura invisibilis, vidit ergo eum in forma columbæ, cui peculiariter unitus erat. Vere igitur & sine ullo tropo vel transsubstantiatione ad spectatores dicere potuisset: Videte, hoc est Spiritus sanctus. *Quartum* exemplum petitum fuit ab adsumtis formis angelorum & Dei, cui Bellarminus hoc opponit, *nusquam inveniri hanc propositionem: corpus ab angelo sumtum est ipse angelus.* Resp. de eo postea videbimus, hac vice nobis sufficit, quod qui videt adsumtas illas formas angelorum, recte dicit, se ipsum Dei angelum vidisse propter peculiarem illam præsentiam angeli ad adsumtum corpus. Quemadmodum unio ad hoc sufficit, ut Jacobus patriarcha, videns externas formas exercitus, in quibus angeli ipsi occurrebant, Gen. XXXII. 2. vere dicere poterat: כַּחֲנֵה אֱלֹהִים זֶה *castra Dei haec*, nec tamen adsumtæ illæ formæ essentialiter erant ipsi angeli: ita quoque Christus in symbolo panis exhibens discipulis suum corpus vere dicere poterat: *hoc est corpus meum*, nec tamen panis essentialiter erat ipsum corpus. *Quintum* exemplum petitum fuit ab arca Domini, qua elevata ac progrediente dicebant Moses ac David: *Exsurge Jehovah;* Num. X. 35. Psalm. LXVIII. 2. Bellarminus regerit: *Mosen, elevata arca, dixisse: exsurge Domine! non quod arcam vocaret Dominum, sed quia simul cum arca Dominus procedebat cum filiis Israel, & viam demonstrabat. Resp.* bene est, si peculiaris illa præsentia Jehovæ apud arcam sufficiens causa fuit, ut elevata & progrediente arca dici potuerit: *Exsurge Domine*, utique etiam peculiaris illa præsentia & unio corporis Christi cum pane sufficiens causa est, ut exhibito & manducato pane, vere dici possit exhiberi & manducari corpus Christi sine ulla vel *metaphorica* significatione, vel *essentiali* transmutatione. *Sextum* exemplum petit Chemnitius ab usitatis in lingua vulgari prædicationibus. Quemadmodum recte dico, ostenso & exhibito dolio, quod vinum continet, accipe, hoc est vinum: ostenso & exhibito marsupio, quod aurum continet: accipe, hoc est, aurum: monstratis cunis, in quibus infans quiescit: hoc est infans, ut scilicet in prædicato saltem exprimatur pars dignior & principalior videlicet contentum, parte altera, videlicet re continente, sensuum judicio relicta; ita Christus ostenso & exhibito pane eucharistico recte dixit: hoc est corpus meum, neque ulla inde sequitur transsubstantiatio, sed requiritur saltem sacramentalis corporis Christi cum pane unio. Bellarminus dicit, hoc exemplum indicare sapientiam Chemnitii. *Nam antea* (inquit) *dixerat cum Luthero, ejusmodi propositiones non convenire cum regulis philosophiae, & esse scripturarum proprias, & oportere intellectum captivare, si eae credendae sint; nunc autem vult adeo esse vulgares, tritas & faciles, ut in communi sermone quotidie usurpentur. Istud nimirum est sapere.* Resp. 1.) Distinguendum inter has propositiones: *Panis est corpus Christi*; &: *Hoc est corpus meum.* Quando Chemnitius prædicationes sacramentales vocat inusitatas, loquitur potissimum de illa propositione: panis est corpus Christi, posteriorem vero confert cum usitatis in vita communi loquendi formulis. 2.) Deinde inusitatæ prædicationes duplici respectu ita vocantur, *vel* quia non congruunt ad regulas logicas, *vel* quia non habent similes in communi & usitata loquendi ratione. Prior propositio: panis est corpus Christi, utroque respectu inusitata vocatur: quia nec ad regulas logicas congruit, nec habet similes in communi sermone. Posterior autem propositio: *hoc est corpus meum*, inusitata dicitur eo solum

4.) Propositionum de angelis in adsumta forma corporea adparentibus.

5.) Propositionum de arca Domini.

6.) Propositionum in vulgari loquendi consuetudine.

solum respectu, quia non congruit ad logicas regulas, licet in communi & usitata loquendi ratione similes obtineat formulas, qua de re sic scribit Meisnerus part. I. sobr. philos. sect. 1. c. 5. q. 3. „ Omnis enunciatio vera vel propria est, vel figurata, vel inusitata. Ast „ enunciatio Christi: hoc est corpus meum, „ ad nullam speciem commode videtur referri „ posse. Propria enim non est, quia nec synonymica vel essentialis, nec paronymica vel „ accidentalis. Non figurata, cum pro ῥητῷ „ & proprietate verborum contra tropistas ab „ orthodoxis mascule pugnetur. Non inusitata, „ quia demonstrativum non denotat nudum panem, ideoque disparatum de disparato non „ prædicatur, quod tamen ipsum in omnibus „ inusitatis prædicationibus necessarium. Sciendum igitur, quod prædicationes aliæ sint u„ niversales, quæ in arte logica potissimum „ spectantur, & in proprias, tropicas & inusitatas dispescuntur: aliæ singulares, vel de „ re plane singulari formatæ, de quibus certa in „ logicis præcepta non præscribuntur: harum „ peculiaris quædam species est, qua duabus re„ bus copulatis in subjecto ponitur demonstra„ tivum utramque rem connexam denotans, & „ in prædicato exprimitur unitum principale, „ minusque sensui obvium, quæ propterea no„ minari solent demonstrativæ, vel exhibitivæ, „ ab aliis synecdochicæ. „ Hæc ille rectissime. 3.) Denique distinguendum inter modum *specificae unionis*, & inter modum *praedicationis* ex generali unione resultantem. Quando Chemnitius propositiones sacramentales inusitatas vocat, & captivandum esse dicit intellectum, ut credantur, tunc respicit modum specificæ unionis, qua talis quædam unio sacramentalis, qualis est inter panem & corpus Christi, nusquam alibi occurrit, interim modus prædicationis ex generali unione resultans similia exempla obtinet. Vid. orth. conf. refut. c. 7. p. 353. Hasce distinctiones si Bellarminus observasset, tam temere, & irrisorie Chemnitium non insultasset. Addit vero, *nec in illis exemplis aliquid simile nostrae propositioni inveniri. Nam etsi dolium vino plenum, & marsupium plenum pecuniis, & infantem fasciis circumligatum, simpliciter vinum, pecunias, & infantem nominamus, tamen nemo diceret, dolium est vinum, marsupium est pecunia, fascia est infantulus, ut ipsi vere dici volunt: panis est corpus Christi.* Resp. quando Lutherus & Chemnitius propositionem sacramentalem cum vulgaribus illis exemplis conferunt, non loquuntur de illa ecclesiastica: panis est corpus Christi; sed de altera ἐγγράφῳ, qua ipse Christus usus est: *hoc est corpus meum*, eam vocant *demonstrativam*, *exhibitivam* & *syncdochicam*, quia δεικτικὸν subjecti loco positum notat utrumque complexum, prædicatum autem exprimit dignius & sensui minus obvium, id quod exemplis illis e communi loquendi forma petitis declarant.

Quid statuendum de propositione: Panis est corpus Christi.

§. CXXXVII. Atque hæc dicta sunt de propositione ipsius Christi: *Hoc est corpus meum*, quod nulla transsubstantiatio ex ea inferri vel elici possit. Quia vero scriptores ecclesiastici, tam veteres, quam recentiores frequenter uruntur illa altera: *Panis est corpus Christi*, ideo demonstrandum, neque ex hac inferri posse transsubstantiationem. Superius §. 94. monuimus, panem esse ac dici corpus Christi *sacramentaliter*, hoc sensu, quod panis sit ὄργανον μεταδοτικὸν, symbolum exhibitivum & ὄχημα, quo corpus Christi communicantibus distribuitur, & manducandum exhibetur, sed id latius declarandum propter adversarios. Bellarminus hoc loco satis confidenter scribit: *Si licet disparatum de disparato adfirmare, licebit eodem jure adfirmare de nihilo aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de tenebris lucem, de Christo Belial, de Belial Christum.* Sed novisse debebat, nos non simpliciter & absolute adferre, quod disparatum de disparato adfirmate prædicetur vel prædicari possit, sed de illis solum disparatis hoc adferimus, inter quæ unio quædam intercedit: quatenus disparata extra unionem in sua natura considerantur, eatenus adfirmate de se invicem nequaquam

prædicantur: sed quatenus in unione invicem copulantur, & unum quoddam constituunt, eatenus vere de se invicem prædicari possunt; dicendum igitur, quod prædicationum adfirmativarum fundamentum sit vel unitas *essentiae*, quæ locum habet in prædicationibus logicis; vel unitas *existentiae*, id est, unitas quædam vel unio extremorum. Disparata non possunt de se invicem prædicari adfirmate respectu priore, quia per essentiam sunt disparata; bene autem possunt de se invicem adfirmate prædicari respectu posteriore, quia per arctissimam unionem & ex ea ortam præsentiam invicem copulantur, & ratione illius unionis sive unitatis de se invicem prædicari possunt, quod extra unionem nunquam fieret. Ex quo etiam intelligitur, exempla, quæ Bellarminus adfert, ut probet, disparata de se invicem adfirmate non posse prædicari, esse aliena a regula; aliquid & nihil, lux & tenebræ, Christus & Belial non sunt simpliciter disparata, sed contraria, quæque in æternum non uniuntur, ut adfirmate de se invicem prædicari possint; alia vero ratio est panis & corporis Christi, quæ divina virtute unum sacramentale constituunt, ideoque propter illam unionem sine ulla transsubstantiatione, ac sine ullo tropo, de se invicem prædicantur. Declaramus hoc iisdem exemplis, quibus paulo ante usi sumus. I.) In prædicationibus personalibus duæ naturæ disparatæ, divina ac humana, vere & realiter adfirmando de se invicem prædicantur propter unionem hypostaticam, ut verissime dicam: Deus est homo; & homo est Deus, ubi nec divinitas *essentialiter* mutatur in humanitatem, nec humanitas in divinitatem. Ideoque non notatur *essentialis* extremorum unitas, sed *personalis* eorundem unio. Idem judicium esto de propositionibus sacramentalibus, in quibus itidem disparatæ de se invicem adfirmate prædicantur ob unionem sacramentalem, sine ulla essentiali extremorum mutatione. Bellarminus regerit, *ex eo consequi, vel quod non sit duarum naturarum unio personalis, sed nuda tantum παράσασις, vel quod etiam in sacramento eucharistiae sit personalis unio panis & corporis.* Sed nescit, quid loquatur. Collatio similitudinem requirit, non omnimodam identitatem: modus prædicandi oritur ex identitate *generica*, nequaquam vero *specifica* identitatem postulat. Tam vere de corpore prædicatur, quod sit animatum, quam quod sit quantum; interim tamen alio modo unita sunt corpus & anima, quam corpus & quantitas. Posset autem subtilius contra hanc collationem aliquis insurgere hoc modo: In prædicationibus personalibus non potest dici in *abstracto*: divinitas est humanitas. Ergo nec in prædicationibus sacramentalibus dici potest: panis est corpus Christi. Si esset tantum unio quædam inter panem & corpus, non posset dici: panis est corpus Christi; ratio, quia propter unionem in articulo de persona Christi non potest dici: humanitas est divinitas. Ergo propositio illa: panis est corpus Christi, aliquid plus denotat, quam unionem, videlicet essentialem mutationem panis in corpus Christi. Hoc argumentum Bellarminus quidem præterit, sed quia ab adversario aliquo nobis objici posset, ideo hoc loco explicandum est. Respondemus igitur, de pane non simpliciter & absolute, sed in usu sacramentali prædicari, quod sit corpus Christi, unde subjecto solet addi panis eucharisticus, panis benedictus, panis, quem frangimus &c. quam postremam limitationem apostolus usurpat 1 Cor. X. 16. Quemadmodum igitur in *abstracto* divina natura non prædicatur de humana & contra, sed tantum in *concreto*, quod evidens argumentum est, unionem personalem esse causam, fundamentum ac fontem illarum prædicationum: ita quoque de pane eucharistico non simpliciter & absolute extra unionem & usum sacramentalem prædicatur, quod sit corpus Christi, sed in unione & usu sacramentali, quod est evidens argumentum, unionem sacramentalem esse causam, fundamentum ac fontem illarum prædicationum: Si dicas, & veteres & recentiores absolute quandoque pronunciare, quod panis sit corpus Christi; respondemus, explicationem necessario addendam vel subintelligendam ex verbis institutionis & pronunciato apostolico 1 Cor. X. 16. quod scilicet panis nec σω-

σιωδῶς, nec σημαντικῶς tantum, sed μυστικῶς in usu sacramentali sit corpus Christi, hoc est, uti Paulus notanter & perspicue loquitur, quod panis, quem frangimus, sit κοινωνία corporis Christi. II.) Quia Christus mediante flatu dedit apostolis Spiritum sanctum, ideo recte dicitur: Flatus Christi est Spiritus sanctus. Bellarminus hoc præfracte negat, sed proponimus ei consideranda duo argumenta. *Prius* hoc esto: Quod apostolos tetigit, est Spiritus sanctus; flatus Christi tetigit apostolos, ergo flatus Christi est Spiritus sanctus, non quidem essentialiter, sed propter unionem. *Posterius* tale est: Si panis ideo vere dicitur a scriptoribus ecclesiasticis corpus Christi, quia est κοινωνία corporis Christi, sequitur, etiam flatum Christi vere dici posse Spiritum sanctum, quia est κοινωνία Spiritus sancti. Sed illud. Ergo & hoc. *Collationis* ratio manifesta est, quia ut flatus Christi fuit non solum externum signum, sed etiam symbolum & ὄχημα, per quod datus fuit discipulis Spiritus sanctus; ita quoque panis est non solum externum signum, sed etiam symbolum & ὄχημα, per quod datur corpus Christi. Nec negari potest, panem ideo dici corpus Christi, quia est κοινωνία corporis Christi, nisi quis velit diserta verba apostoli rejicere. 1 Cor. X. 16. III.) Quia Spiritus sanctus in baptismo Christi in corporali & visibili specie se manifestavit, ac super Christum descendit, ideo recte dicitur: columba est Spiritus sanctus, non essentialiter, sed propter peculiarem præsentiam & unionem. Negant Bellarminus & Pistorius, hanc propositionem in scripturis inveniri, sed opponimus eis hæc duo argumenta. Quod super Christum descendit, est Spiritus sanctus; columba super Christum descendit, ergo columba est Spiritus sanctus. Quod Johannes baptista vidit, est Spiritus sanctus; columbam Johannes baptista vidit. Ergo columba est Spiritus sanctus. Utriusque argumenti præmissæ disertis verbis exstant, apud evangelistas, Matth. III. 16. Marc. I. 10. Luc. III. 22. Joh. I. 32. IV.) Quia angeli in adsumtis formis corporeis hominibus sæpius adparuerunt, ideo de illis recte dicitur, adsumtas illas formas fuisse Dei angelos. Bellarminus denuo negat, in bibliis hanc propositionem inveniri, sed facili negotio ex illis deduci potest. Id quod viderunt sancti Dei homines, fuerunt angeli. Atqui sancti Dei homines viderunt adsumtas formas externas. Ergo adsumtæ illæ externæ formæ fuerunt angeli Dei. Idem judicium de visionibus divinis. *Vidi Deum a facie ad faciem*, dicit Jacobus patriarcha Gen. XXXII. 2. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, dicit Esaias c. VI. 1. At nihil aliud viderunt, quam formas externas ad tempus adsumtas. Ergo formæ illæ externæ dicuntur Deus non propter essentialem mutationem, sed propter peculiarem præsentiam & unionem. Sic apostoli dicuntur *verbum vitæ contrectasse & vidisse*. Joh. XX. 28. 1 Joh. I. 1. Atqui verbum vitæ ὁ λόγος in se ac per se invisibilis, videtur igitur & contrectatur in humana natura, quam personaliter sibi univit. V.) Quia Deus in vet. test. peculiari modo præsentiæ habitabat super arcam propitiatorii in medio cherubim, ideo arca elevata recte dicitur Dominus exsurgere propter peculiarem Dei ad arcam præsentia. Monemus autem denuo collatione illorum exemplorum nosmet uti, non quasi per omnia idem modus præsentiæ & unionis sit in cœna, qualis præsentia & unio rerum invisibilium cum externis visibilibus symbolis est in adlatis exemplis. Sed ut probemus, disparata de se invicem propter unionem adfirmate prædicari, si vel maxime unum non mutetur essentialiter in alterum (*).

(*) Gregorius de Valent. tom. IV. disp. 6. q. 3. punct. 2. § 4. Claud. Sanctes de euchar. repet. VII. cap. 3. Thom. Bozius lib. XII. de not. eccles. cap. ult. Nicol. Villagagnonus libr. III. contra Calv. cap. 52. statuunt, *manna non saporem tantum, sed etiam substantiam ad votum comedentium mutasse, adeo ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum &c. manna mox verteretur vel in ovum, vel in gallinam, vel in saccharum, idque putant significari illis verbis* Sap.

Testimonia patrum pro stabilienda transsubstantiatione excutiuntur.

§. CXXXVIII. *Alteram* classem argumentorum pro transsubstantiatione petiit Bellarminus ex testimoniis patrum, quæ inde usque a tempore apostolorum deducere conatur (*), lib. III. de euch.

Sap. XVI. 20. *ad quod quisque volebat, convertebatur,* μετεκρινετο, *id est, transtemperabatur, ut manna in eo fuerit typus transsubstantiationis panis in corpus Christi in eucharistia.* Sed ab illis discedit Cornelius a Lapide comm. in cap. XVI. Exod. *Sententia hæc,* inquit, *nova est & caret solido fundamento. Verba enim scripturæ non loquuntur de substantiali, sed de accidentali saporis conversione, alioquin non murmurassent Israëlitæ ob manna.* Num. XI. Idem tamen subjicit, *manna fuisse typum eucharistiæ non quoad transsubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim & efficaciam, ostendit enim sapor mannæ, quo pacto possint accidentia panis & vini remanere & nutrire sine illorum substantia. Itaque implicite & consequenter sapor alius atque alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis, Sapor enim alius aliam substantiam comitari & indicare solet.* Sed nec hæc Cornelii sententia probari potest. 1.) Miraculum illud, quod manna unicuivis omnem saporem pro lubitu ipsius exhibuerit, a Mose non adnotatur. 2.) Ex libro Sapientiæ id probari nequit. 3.) Moses certum saporis genus, videlicet ut similæ cum melle, tribuit mannæ. 4.) Si manna exhibuit omnem saporem, cur Israëlitæ desiderarunt cucumeres, pepones, allia, pisces, carnes? &c. 5.) Per coctionem & præparationem varios adquisivit sapores, ut exponitur Num. XI. 8. 6.) Si vel maxime de manna ista omnia concederentur, tamen transsubstantiatio panis in eucharistia nondum etiam probata. GERHARDUS.

(*) Exstiterunt quoque post BELLARMINUM complures alii scriptores Romanenses, qui doctrinam ecclesiæ suæ de sacra eucharistia ex testimoniis patrum comprobare adnisi sunt: Eminent ex istis JAC. DAVID. DE PERRON, pater purpuratus, itemque PETRUS NICOLIUS, portus regii theologus, JAC. NOVETUS, Ignatiani ordinis sodalis, ANTONIUS ARNALDUS, theologus Sorbonicus, atque EUSEBIUS RENAUDOTIUS, auctores *perpetuitatis fidei*, de quibus sigillatim heic agemus.

A cardinale PERRONIO ut dicendi faciamus initium, is varia in lucem publicam edidit scripta, PHILIPPO MORNÆO, Plessiaci dominо, qui libres IV. *de eucharistia* posteri ari tradidit, præcipue opposita. Huc spectat eiusdem *traité du saint sacrement de l' eucharistie*, tribus constans libris, qui Parisiis *MDCXXII.* in lucem prodiit. Restiterunt tamen ei, ex Reformatorum ordine, LE FAUCHEUR, in *traité de la cêne du Seigneur*, MESTREZAT *de la communion de Jesus Christ au sacrement de l' eucharistie*, & vel maxime EDMUNDUS ALBERTINUS in tribus libris *de eucharistiæ sacramento*, Daventriæ *MDCLIV.* editis. Qui plura de Perronio eiusque controversiis nosse voluerit, adeat DU PINIUM in *bibliotheque des auteurs ecclesiast. tom. XVII.* in titulo *le cardinal du Perron p. 27. seqq.* edit. Amstel. itemque CRUSIUM in *singularibus Plessiacis p. 116. seqq.*

Jam, quod ad auctores *perpetuitatis fidei* attinet, paucis notamus, primum inter eos locum occupasse PETRUM NICOLIUM, Jansenistarum, ut in Gallia vocantur, partibus addictum. Is enim scripto gallico: *l' office du saint sacrement*, in usum monialium portus regii composito ac Parisiis *MDCLIX.* edito, libellum præfationis loco adiecit, in quo demonstrare conatus est, eandem semper ecclesiæ de sacris epulis fuisse sententiam, nihilque heic unquam innovatum fuisse, vel innovari potuisse. Cum vero JO. CLAUDIUS, theologus Reformatus gallus, qui Parisiis tum temporis versabatur, responsionem illi opponeret, quæ, licet manu tantum scripta, per aliquod tempus in aliorum manibus versaretur, omnium tamen celebraretur laudibus, noluit tacere NICOLIUS, sed libellum modo memoratum Parisiis *MDCLXIV.* denuo imprimendum curavit, hoc titulo insignitum: *la perpetuité de la foy de l' église catholique touchant l' eucharistie*, eidemque *refutationem responsionis* Claudianæ, tribus constantem partibus, adiecit. Ex altera vero parte CLAUDIUS, qui facile perspicielat, hanc pugnam non esse privatam, sed ad omnem Reformatorum cœtum spectare, rursus sese opposuit adversario suo, ediditque an. *MDCLXVI.* librum, hac inscriptione insignitum: *réponse aux deux traités intitulés:* la perpetuité de la foy de l' eglise catholique touchant l' eucharistie; cui libro priorem *responsionem*, quæ prelum hactenus experta haud erat, adiunxit. Magnam hoc scriptum auctori

suo

euch. c. 20. *Resp.* in genere: 1.) ex sola scriptura sacra firma & immota argumenta in articulis fidei peti possunt, *exstructi enim sumus super fundamentum prophetarum, & apostolorum.* Eph. II. 20. Thomas part. I. q. 1. art. 8. *Sacra doctrina auctoritate scripturae canonicae utitur proprie ex necessitate argumentandi, auctoritatibus autem aliorum doctorum ecclesiae, non quasi arguendo ex propriis, sed e probabilibus, innititur enim fides nostra revelationi prophetis & apostolis factae, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi illi, si quae fuerat aliis doctoribus facta.* 2.) Patrum igitur vocem audimus, si consentiat cum voce cœlestis Patris in scriptura sonantis, ipsimet namque hanc sibi statuerunt legem, ut ostendimus in tract. de interpretatione scripturae §. 91. Magnum illis honorem, uti par est, deferimus, non tamen in thronum Dei collocamus. 3.) Superius ex ipsis patribus nostram luculenter confirmavimus sententiam. 4.) Discernendi sunt patres orthodoxi in ecclesia primitiva apostolicæ vicina, a scriptoribus pontificiis posteriorum seculorum. 5.) Valde igitur audax est Bellarmini pronunciatum, quod patres a tempore apostolorum usque ad Lateranense concilium transsubstantiationem agnoverint, cum Lombardus lib. IV. sent. dist. 11. lit. A. ostendat, ne suo quidem tempore definitum exstitisse, *qualis sit illa mutatio seu conversio*, de qua loquuntur veteres, *an formalis, an substantialis, an alterius generis? Definire*, ait, *non sufficio.* Vixit autem Lombardus circa annum Christi 1170. 6.) Thomas part. III. q. 75. art. 2.

suo nominis famam peperit, nec quidquam ad illud regessit NICOLIUS, *perpetuitatis* auctor, sed, ob rationes nobis prorsus incognitas, arcana hac tum temporis discessit.

In eius tamen locum mox successerunt duo alii Goliathi, qui contra CLAUDIUM in scenam prodierunt, veritatem atque antiquitatem dogmatis de *transsubstantiatione* vindicaturi. Alter erat JAC. NOVETUS, e societate Jesu, alter vero ANT. ARNALDUS, theologus Sorbonicus, Jansenistarum, quos vocant, partibus addictus, atque eapropter e Sorbona ejectus. Et NOVETUS quidem Claudio opposuit librum, sub titulo: *la presence de Jesus Christ dans le sacrement*, Parisis *MDCLXVII.* editum, cui mox CLAUDIUS respondit in *traité de l'eucharistie contre le P. Noüet*, Amstel. *MDCLXVIII.* & Genev. *MDCLXIX.* eo quidem cum successu, ut NOVETUS ad silentium redactus, nihil eidem posset opponere, nisi epistolam gallicam cal. Octobr. *MDCLXVIII.* ad Claudium exaratam, uti observat BÆLIUS in *dict. hist. & crit. tom. II. p. m. 190. not. (b).* ANTONIUS vero ARNALDUS an. *MDCLXIX.* edidit opus XI. libris constans, cui titulum fecit: *la perpetuité de la foy de l'eglise catholique touchant l'eucharistie defendue contre le livre du sieur Claude*; cui ANSELMI DE PARIS *dissertationes de Jo. Scoto & Bertramo*, sub finem sunt adiectæ. Præcipuam tamen huius libri partem, qui communiter ARNALDO adscribitur, NICOLIO, cuius supra fecimus mentionem, potius tribuendam esse, DU PINIUS observavit. Vid. eius *bibl. des auth. eccles. tom. XVIII. p. 118.* Hac occasione CLAUDIUS, sæpius iam nobis laudatus, causam suam denuo propugnandam suscepit, ediditque ann. *MDCLXX.* librum præstantissimum, quem inscripsit: *réponse au livre de Monsr. Arnaud intitulé*: la perpetuité de la foy de l'eglise catholique &c. in quo quidem libro Græcorum circa transsubstantiationis doctrinam opiniones uberius exposuit. Socium certaminis huius litterarii se eidem præbuit PETRUS ALLIXIUS, tum temporis pastor Carentonienſis, postea ecclesiæ Anglicanæ presbyter & thesaurarius Salisburienſis, qui ANSELMI DE PARIS dissertationes modo memoratas examini subiecit in *reponse aux dissertations, qui sont a la fin du livre de Monsr. Arnaud.* Neque tamen sic tacuerunt duumviri isti supra commemorati, ARNALDUS nimirum atque PARISIUS, sed CLAUDIO atque ALLIXIO alia pro tuendis ecclesiæ Romanæ placitis oppositurunt scripta, quibus se adiunxit NICOLIUS, qui recuperatis viribus contra CLAUDIUM denuo decertavit. Omnia ista scripta, quæ heic enarrare nolumus, in *quatuor* tomos fuerunt digesta atque Parisiis ann. *MDCCIV.* iunctim edita, sub titulo: *la perpetuité de la foy de l'église catholique.* Novum deinceps tomum Parisiis *MDCCXI.* typis exscriptum operi huic famoso adiecit EUSEBIUS RENAUDOTIUS, de cuius scriptis infra ad finem §. CXL. in peculiari nota plura dicemus.

mentionem facit quorundam, qui posuerint, *quod substantia panis & vini maneat.* Innocentius libr. IV. de myst. cap. 9. *Fuerunt, qui docerent, quod, sicut post consecrationem vera panis remanent accidentia, & sic etiam vera panis maneat substantia, quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, sic accidentia non possunt existere sine subjecto.* 7.) De Scoto homine acutissimo & doctissimo fatetur Bellarminus lib. III. de euch. c. 23. §. unum tamen, *quod non noverit consensum illum patrum,* nimirum, quia talis non erat. 8.) Cassander in consult. pag. 66. transsubstantiationem *& nomine & re novam* esse fatetur. Erasmus in adnot. 1 Cor. VII. p. 327. *In synaxi transsubstantiationem sero definivit ecclesia, diu satis erat credere, sive sub pane consecrato, sive quocunque modo adesse Christi corpus.* Quomodo igitur transsubstantiationis dogma de catholico patrum consensu gloriari potest? Gregorius de Valent. lib. I. de præsent. Christi in euchar. c. 10. p. 381. §. denique agnoscit, *patres obscurius de transsubstantiatione locutos esse atque simplicius, quia putabant se non nisi catholice a catholicis posse intelligi, & ne mysterium irridendum infidelibus exponerent, si in sermonibus popularibus sententiam suam explicassent.* At si obscurius de hac quæstione locuti sunt patres, quomodo ad ipsorum consensum provocari poterit? 9.) Mutatio symbolorum sacramentalium, cujus patres mentionem faciunt, eamque vocant μετάληψιν, μεταβολὴν, μεταποίησιν, μετουσίαν, &c. nequaquam significat nudam saltem nominum permutationem, otiosam relationem, significativam corporis & sanguinis Christi absentis repræsentationem, ad quam accedat virtus spiritualis in illis, qui fide sacramentum accipiunt, ut volunt Calviniani, nec significat essentialem conversionem elementorum in corpus & sanguinem Christi, qualis fuit aquæ Cananææ in vinum mutatio, ut volunt pontificii; sed βελτίωσιν translationem elementorum in alium ac nobiliorem statum, ita ut panis sit ac maneat ratione substantiæ, quod ante consecrationem fuit, sed juxta institutionem & promissionem Christi virtute ejusdem fiat quiddam amplius, quod antea non erat, videlicet symbolum sacramentale, per quod distribuatur corpus Christi omnibus sacramento utentibus, vel ut Paulus loquitur, κοινωνία corporis Christi. Hunc esse genuinum sensum veterum, patet ex eo, quia unionem sacramentalem panis & corporis conferunt cum unione personali duarum naturarum, cum tamen una natura non sit mutata vel conversa in alteram, ut vidimus superius, & quia in aqua baptismi talem murationem fieri statuunt, quæ tamen non est essentialis, sed sacramentalis, ut paulo post videbimus. 10.) Id ipsum comprobat genuina explicatio vocum, quibus in hoc mysterio utuntur. Μεταποιήσεως vocabulum a Damasceno libr. IV. orth. fid. cap. 14. usurpatum idem sic declarat, quod panis & vinum παραλαμβάνεται *adsumuntur, novit enim Deus* (inquit) *humanam infirmitatem, quod complura usu non trita adversatur molestie ferens, adsueto igitur condescensu usus per consueta naturae ea facit, quae sunt super naturam.* Μετουσία in hoc mysterio significat μετοχὴν participationem a verbo μετεῖναι participare. Justinus apolog. I. pro christ. pag. 39. *Vereamini ea, quae vobis & vestris diis insunt, ea illis tribuere, ὧν οὐδὲν οὐδ' ἐπὶ πόσον μετουσία ἐστὶ, qui ne tantillum quidem de illis sceleribus participant.* Eusebius lib. VIII. demonst. evang. pag. 241. edit. græcæ: *Iis, qui ex hominibus profecti sunt, & ad eum virtutis gradum pervenerunt, quem natura mortalis contingere non potest, satis superque fuerit, si quando εἰς μετοχὴν ἢ μετουσίαν in partem & communicationem quandam* (ita transtulit Donatus Veronensis edit. lat. p. 398.) *adsumti ejus, qui dixit: Sancti eritis, quoniam ego sanctus Dominus.* In liturgia Jacobi circa finem: *Largitus es nobis Domine Deus sanctificationem ἐν τῇ μετουσίᾳ in perceptione* (ita vertit interpres) *sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis unigeniti filii tui.* Pachymeres in cap. V. Dionys. de eccles. hierarch. *post baptismum ἐν μετουσίᾳ τῆς θείας εὐχαριστίας γινόμενοι*, sic vertit, *divinae eucharistiae participes facti.* In sacris literis vox hæc nusquam occurrit. Xenophon libr. VIII. παιδ. itidem ut tur pro participatione,

ne, communicatione, πεποίηκε Πέρσαις καὶ πεδίον εἶναι μετουσίαν. Grammaticis nomina μετουσιαστικὰ vocantur, quæ participationis significationem inclusam habent, a nonnullis materialia dicta, ut λίθινος, ξύλινος, σάρκινος &c. II.) Vox *speciei*, qua itidem veteres in hoc mysterio utuntur, nequaquam transsubstantiationem infert, quia τὴν φύσιν & τὸ εἶδος conjungunt, ut ex Theodoreto dial. II. superius ostendimus. Luc. III. 22. *Spiritus sanctus descendebat εἴδει σωματικῷ corporali specie sicut columba.* Philip. II. 6. & 7. Christus dicitur ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ex quo nemo colligat, nudam tantum speciem humanæ naturæ sine veritate substantiæ in Christo fuisse. Augustana confessio ejusdemque apologia itidem sano & orthodoxo sensu voce speciei utuntur. Lutherus in cap. VI. Esa. *Species Domini & Dominus recte pro eodem accipiuntur: sic corpus Domini & panis Domini pro uno accipiuntur, ut qui panem illum ederit, corpus Christi edisse dicatur, sicut Esaias se Dominum vidisse dicit, cum speciem Domini viderit.* Neve quis obvertat, ex timiditate propter adversarios pontificios eandem usurpatam; notandum est, ejusdem usum apud Zwinglium in subscript. colloq. Marpurg. Oecolampadium in Joh. pag. 85. Bullingerum in cap. VI. Esaiæ atque alios occurrere.

Species.

Patrum testimonia in specie considerantur, utpote 1.) *Justini.*

§. CXXXIX. Atque hæc in genere de patrum testimoniis dicta sint, percurramus potiora, quæ Bellarminus urget in specie. I.) Justinus in apol. II. dicit, *panem prece verbi Dei sanctificatum esse carnem Domini.* Resp. ecquis nostrum hoc negat? Pag. 76. vocat ἄρτον εὐχαριστηθέντα, *panem, in quo gratiae actae sunt* (vertit interpres) panem *benedictum* & *sanctificatum*, non autem *transsubstantiatum*, ibidem post sanctificationem non negat adesse panem, sed negat esse communem panem. Adhibet etiam similitudinem, quæ transsubstantiationi fortissime adversatur. *Quemadmodum per verbum Dei caro factus σαρκοποιηθεὶς servator noster Jesus Christus, & carnem & sanguinem salutis nostrae causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, unde sanguis & caro nostra per transmutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.* Finge cum Bellarmino, panis substantiam in corpus Christi converti, & hæc collatio bipatentes fores Marcionitis & Eutychianis aperiet. Langus, scriptor pontificius, in hunc Justini locum commentatus, nullam transsubstantiationem in eo invenire potuit, unde indices expurgatorii Belgicus p. 76. & Hispanicus fol. 140. eradi ea jubent. II.) Irenæus libr. IV. cap. 34. *Quomodo constabit eis eum panem, in quo gratiae actae sunt, esse corpus Domini sui?* Bellarminus subjungit, *panem consecratum non posse esse corpus Domini sine mutatione essentiali panis in corpus.* Resp. panem consecratum esse corpus Domini, Irenæus adserit, & nos cum ipso, sed panem essentialiter in corpus Domini mutari, Irenæo in mentem non venit. Vocat *panem, in quo gratiae actae*, hoc est, ut Bellarminus libr. II. de euchar. cap. 6. circa finem recte explicat, *panem sanctificatum, & factam eucharistiam*, ut Justinus loquebatur, ἄρτον εὐχαριστηθέντα, τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν, credibile enim est, Irenæum eadem græca voce usum, quam interpres non potuit reddere una voce, sed per circumlocutionem expressit: panem illum vocat corpus Domini, hoc est, secundum explicationem Paulinam, κοινωνίαν corporis Domini. Ibidem: *Panis percipiens invocationem Dei* (non transsubstantiatus) *jam non communis panis est*, (est & manet panis, sed non solus sive communis) *sed eucharistia duabus rebus* (non uno Christi corpore) *constans, re terrena & caelesti.* III.) Tertullianus libr. IV. adv. Marc. *Acceptum panem corpus suum facit dicendo: hoc est corpus meum.* At *quomodo* (inquit Bellarminus) *potuit panis fieri corpus sine sui mutatione?* Resp. fecit panem suum corpus

2.) *Irenæi.*

3.) *Tertulliani.*

pus, non transsubstantiando, sed benedictione divina sacramentaliter corpus suum eidem uniendo. Argumentum Bellarmini ex hoc loco est a non distributo ad distributum, sive a genere ad speciem adfirmate, *facere panem corpus* Tertulliano non significat simpliciter & absolute *transsubstantiare*, sed facere, ut panis sit corporis sacramentum, sic enim immediate subjungit, *hoc est corpus meum dicendo, hoc est, figura corporis mei;* & libr. I. adv. Marcion. c. 14. p. 350. edit. Commel. *Nec panem reprobavit, quo ipsum suum corpus repraesentat.* Libr. III. adv. Marcion. c. 19. p. 396. *Venite, mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus, sic enim Deus in evangelio quoque vestro* (hoc est, Lucae, quod recipiebant Marcionitae) *revelavit, panem corpus suum adpellans, ut & hinc jam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus retro corpus in panem prophetis figuravit, ipso Domino hoc sacramentum poştea interpretaturo.* IV.) Cyprianus serm. de coena Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro.* Resp. non satis constat, an Cyprianus illius sermonis sit auctor, quod non solum Pammelius & Sixtus Senensis lib. IV. biblioth. sed & Bellarminus ipse aperte negat libr. II. de euchar. c. 9. §. Extat. Videamus tamen, quid in illo sermone subsidii inveniant transsubstantiatores. Praecedit in verbis hujus sermonis: *Ante verba cibus ille communis* (panis) *tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitae corporalis subsidium ministrabat, sed ex quo a Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum*, ubi observa panem benedici, consecrari, non transsubstantiari, item substantiam symbolorum externorum non mutari, manere cuique suam corporis nutriendi virtutem, alendae animae gratiam ex verbo supervenire. Vox ergo *naturae* non debet sumi pro substantia, sed pro usu & virtute. Sic in baptismo natura nostra mutatur, neque enim amplius φύσει sumus filii irae, sed reddimur Dei filii ex Deo geniti, & tamen eadem manet substantia (*). Paulo post sequitur: *Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita sacramento visibili* (quod necessario de externis symbolis pane & vino intelligitur) *ineffabiliter se divina infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta devotio.* At num humana natura conversa in deitatem? num praesentia divinitatis humanitatem in Christo absumsit? Explicamus ergo dictum Cypriani ex Ambrosio libr. de iis, qui initiantur myst. cap. 9. *Non agnosco usum naturae, sed excellentiam gratiae* (**); & ex Beda in Epiphan. in hom. hyem. *Panis & vini natura in sacramentum corporis & sanguinis Christi ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur*, ut sit sensus, *panis natura mutatus*, id est, ultra naturam & naturales proprietates evectus, ut sit κοινωνία corporis Christi. Concludit Cyprianus illum sermonem: *Haec quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum quod divinum & humanum est distinguimus & separamus, itemque simul separata jungentes unum Deum & hominem confitemur.* Non est ergo, quod adversarii vim faciant in vocabulo *naturae*. Conimbricenses libr. II phys. Arist. c. 1. q. 1. notant, *vocabulum naturae non solum essentiam, sed & naturales rei proprietates notare, & quando*

4.) Cypriani.

(*) Vox *naturae* accipitur pro rei proprietate. Natura panis est nutrire, quia hic est usus ejus ordinarius. Panis ergo mutatur natura, cum non amplius destinatur in usum mensae communis, ob quem factus ac praeparatus fuit, sed potenti dominicae institutionis verbo ad eam dignitatem elevatur, ut sit medium, per quod Christi corpus nobis manducandum datur. GERHARDUS.

(**) Ubi loquitur de baptismo, in quo nullam fieri aquae substantialem mutationem, adversarii concedunt. GERHARDUS.

quando pro rei quidditate, seu essentia ponitur, tunc nihilominus tale discrimen inter essentiam, quidditatem, & naturam intercedere, quod essentia importet ordinem ad esse rei, cujus est, quidditas ad definitionem, qua, quid res sit, explicatur, natura ad operationem. Quando igitur auctor illius sermonis dicit, *panem natura mutatum*, id ex antecedentibus & consequentibus sic explicandum, quod ultra naturales proprietates evectus, sit corporis Christi symbolum; per panis naturam non ipsam panis substantiam, sed novam ac singularem ejusdem proprietatem, qualitatem ac conditionem, seu statum & usum supernaturalem intellexit, quo modo vocabulum *naturae* in sacris & profanis scriptoribus sæpe pro qualitatibus & accidentibus usurpatur, sicut natura humana per peccatum dicitur esse corrupta, & 2 Petr. I. 4. *divinae naturae consortes facti* dicimur, cum antea essemus *natura filii irae*, Eph. II. 3. ut panem non effigie, sed natura mutari nihil aliud sit, quam panem in priori quidem essentia & forma externa manere, (quod Irenæus, Theodoretus, Gelasius & alii ex veteribus manifeste adserunt) naturam tamen priorem, qua ad alendum tantummodo corpus fuit destinatum, non amplius manere, cum usum longe alium, videlicet sacramentalem, habeat. Si Bellarmino hæc responsio nostra non satisfacit, opponimus ei, quod ipsemet libr. II. de euchar. cap. 27. disputat, *per naturam panis non intelligendam esse internam panis substantiam, sed exteriorem naturam et proprietates accidentium.* V.) Cyrillus Hierosol. catech. IV. mystag. *Aquam mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit? En realem mutationem*, inquit Bellarminus (*). Et paulo infra: *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis. En accidentia panis, quae remanent*, inquit Bellarminus. Et infra: *Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui vocatur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat. En* (inquit Bellarminus) *absentiam substantiae panis, manente colore & sapore, & proinde integram trans-*

5.) *Cyrillo Hierosolymitani.*

(*) Non tantum cardinalis BELLARMINUS, contra quem heic disputat GERHARDUS, sed & *perpetuitatis* auctores, singulatim ANSELMUS de PARIS *tom. IV. p. 19.* itemque FRANCISCUS BLANCHINIUS in *notis ad* ANASTASIUM, cuius splendidam editionem Romæ edidit, *tom. II. f. 179.* & cumprimis ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTEE, monachus in Gallia Benedictinus e congregatione S. Mauri, qui novam Cyrillianorum operum editionem, pereruditis notis & dissertationibus instructam, Parisiis *MDCCXX.* in fol. evulgavit, in argumento de sacra cœna ad CYRILLUM Hierosolymitanum provocarunt, atque ex eodem sententiam ecclesiæ Romanæ comprobare sunt adnisi. Scripserat olim CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS, cancellarius Tubingensis, in *dissertat. de oblatione veterum eucharistica, sententiam* CYRILLI *placitis ecclesiæ Romanæ proximam esse.* Displicuit hoc eruditissimo TOUTTAEO, qui in *dissertatione III. Cyrilliana, cap. XII. fol CCXXXIV.* comprobare conatus est, sententiam CYRILLI doctrinæ, quam cœtus Romani doctores tuentur, non proximam tantum, sed *geminam a simillimam* esse. Hinc occasio nata laudatiss. PFAFFIO, conscribendi *dissertationem apologeticam de sententia Cyrilli Hierosolymitani in articulo de sacra cœna*, quæ Tubingæ *MDCCXXI.* prodiit, prorsusque egregia est. Vindicavit in ea CYRILLI sententiam de sacra cœna, ostenditque, eandem placitis Romanensium duntaxat quoad *verba*, neutiquam vero quoad *sensum* proximam esse, ac revera a doctrina ecclesiæ Romanæ penitus differre. Præeuntes heic sibi habuit PFAFFIUS theologos reformatos eosque doctissimos, DANIEL CHAMIERUM, JO. CLAUDIUM, EDMUND. ALBERTINUM, MATTH. LARROQUANUM, JAC. BASNAGIUM, aliosque, quos supra iam commemoravimus. Cumprimis vero laudari heic meretur SALOMON DEYLINGIUS, qui in *observat. miscell. exerc. II. §. XXXII. p. 164. seqq.* brevem atque adcuratam instituit inquisitionem: *an* CYRILLUS *pontificiorum erroribus circa sacram eucharistiam faveat nec ne?* Jungi tamen eidem merentur JO. RUDOLPH. KIESLINGIUS in *historia concertationis Græcorum Latinorumque de transsubstantiatione in sacræ eucharistiæ sacramento, cap. III. §. IX. p. 72. seqq.* ubi CYRILLI *Hierosol. vindicatur sententia.*

transsubstantiationem. Resp. mutatio illa panis in Christi corpus (*) est *sacramentalis*, non *essentialis*, teste Gelasio & Theodoreto. Nec Cyrillus dicit, nudam speciem adesse, quod volunt pontificii. Si licet ex vocabulo *speciei* colligere substantiæ deperditionem, eodem modo ex vocabulo *speciei* licebit colligere aliorum accidentium amissionem, cum tamen Innocentius III. libr. IV. de myst. missæ cap. 9. non solum accidentales, verum etiam naturales proprietates remanere pronunciat, videlicet *paneitatem, quae saturando famem expellit, & vinitatem, quae satiando sitim exstinguit.* Quod autem *speciei* vox non excludat substantiam panis, præter ea, quæ superius adduximus, manifeste probat locus Ambrosii libr. de iis, qui initiantur myst. cap. 9. *Ipse clamat Dominus Jesus: hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur;* ubi species omnino includit substantiam, cum ante consecrationem panis & vini substantiam adesse, ipsimet pontificii adserant. Porro quod Cyrillus adserit, panem post consecrationem non esse panem, id ex Justino & Irenæo explicandum, quod non amplius sit communis, nudus ac solus panis, ita enim subjungit Cyrillus: *Ne confideres tanquam panem nudum & nudum vinum, corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba.* Iisdem verbis catech. III. de aqua baptismali utitur: *Non tanquam aquae simplici studeas huic lavacro, sed ut spirituali gratiae, quae cum aqua datur.* De chrism. ibidem: *Quemadmodum panis eucharistiae post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum neque commune, postquam jam consecratum est.* Collige: ut aquæ, ut unguenti substantia non tollitur per consecrationem, ita nec panis eucharistici. Idem catech. V. myst. *Panis iste sanctus super substantialis dicitur, eo quod substantiam animae confirmet.* VI.) Ambro- 6.) *Ambrosii.* sius libr. de iis, qui initiantur myst. c. 9. *Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur?* Resp. natura panis benedictione mutatur, non ut substantia ejus intereat, sed ut in sacramentum corporis Christi transeat; sic enim explicat se ipsum Ambrosius libr. IV. de sacramentis c. 4. *Vides, quam operatorius sit Christi sermo. Si ergo tanta vis est in sermone Christi, ut inciperent esse, quae non erant* (in creatione), *quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, & in aliud commutentur.* Nota, *ut sint, quae erant*, scilicet ratione substantiæ, *& in aliud commutentur*, scilicet ratione usus sacramentalis. Lanfrancus hoc

(*) Tota disputatio redit ad sensum vocis μεταβολὴς & μεταβάλλειν, ex qua cœtus Romani doctores *mutationem* symbolorum eucharisticorum *substantialem* comprobare adnituntur. Cyrillus enim *loco* supra *excitato* mutationem symbolorum in consecratione eucharistiæ factam, adpellat μεταβολὴν. Verum probe notandum, perperam supponi a dissentientibus, ac si vox μεταβολὴ Græcis nihil aliud significet, *nisi substantiae unius in alteram conversionem.* Tam amplus enim est vocis hujus significatus, ut quamvis nonnunquam *substantialem* mutationem denotet, sæpius tamen, immo plerumque nonnisi accidentalem, nimirum qualitatum, conditionis, aut status mutationem indicet. Exempla ex patribus dederunt Suicerus, in *thesauro ecclesiast. tom. II. f. 347. 348.* & Deylingius *loc. cit. p. 167, 168.* Atque hæc est, quam Cyrillus aliique patres intellexerunt, mutatio *accidentalis*, quæ in sacra cœna duplici fit ratione: primum per *separationem*, quatenus panis & vinum, cum hactenus vulgaris & communis usus fuerint, ab huiusmodi usu separantur, atque ad usum sacrum destinantur; deinde per ipsam *unionem.* Quando enim panis cum corpore, vinum cum sanguine Christi unitur, fit quoque mutatio quædam, non quidem *substantialis*, sed *accidentalis*, siquidem panis post consecrationem non amplius est merus panis, sed panis cum corpore Christi unitus. Hinc Ant. Aug. Touttæus, supra nobis laudatus, argumenti huius infirmitate deprehensa, ingenue fassus est, *se in nudo & solo transmutationis vel μεταβολὴς vocabulo praejudicium non ponere.* Vid. ejusdem *dissertat. III. Cyrill. fol. 220.*

hoc testimonium non potuit aliter eludere, quam ut diceret, *verba illa non reperiri in Ambrosio*, sed quia hoc non constitit, cum etiam in jure canonico adlegentur cap. panis est in altari. dist. 2. de consecrat. ideo Petrus a Soto dicit, quod maneant, scilicet *in aliud mutata*, sed Ambrosius expresse dicit, *ut sint, quae erant, & in aliud mutentur.* Bellarminus libr. II. de euchar. cap. 14. sic conatur elabi, *ut sint extrinsecus, quae erant, non autem intrinsecus*, id vero exemplo, quod Ambrosius ibidem subjungit, manifeste repugnat. *Tu ipse eras, sed eras vetus creatura. Posteaquam consecratus es*, (per baptismum) *nova creatura esse coepisti. Vis scire, quam nova creatura?* Omnis, *inquit apostolus*, in Christo nova creatura est. *Accipe ergo, quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, & mutat, quando vult, instituta naturae*; ex quo colligitur, panem & vinum in sacra cœna mutari non substantia, sed qualitate & usu: quemadmodum & nos in baptismo mutamur non substantia, sed qualitate; proinde quod Ambrosius dicit, *naturam mutari per benedictionem*, per id exponendum est, quod hoc loco dicit, *sermonem Christi mutare instituta naturae.* Panis per naturam ad vitam corporis alendam institutus est, sed sermo Christi mutat hoc institutum, ut panem eucharisticum non satietatis, sed significationis causa sumamus, sicut loquitur canon Nicænus. VII.) Gregorius Nyssenus orat. magna catech. c. 37. *Recte Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari.* Et postea: *Haec autem tribuit virtute benedictionis in illud* (corpus Domini) *rerum, quae videntur* (panis & vini) *naturam mutans.* Resp. eodem modo intelligenda sunt verba Gregorii Nysseni, quo Ambrosii verba exposuimus. In orat. de sancto baptism. pag. 257. edit. Basil. se ipsum diserte explicat: „ Ne contemnas divi-
„ num lavacrum, neque id tanquam commune
„ propter usum aquae parvi facias, & levi mo-
„ mento ducas. Nam id, quod operatur, ma-
„ gnum est, & ab illo mirabilis existit effe-
„ ctus. Nam & altare hoc sanctum, cui adsi-
„ stimus, lapis est natura communis, nihil dif-
„ ferens ab aliis crustis lapideis, ex quibus pa-
„ rietes nostri exstruuntur, & pavimenta exor-
„ nantur: sed quoniam Dei cultui consecratum
„ ac dedicatum est, ac benedictionem accepit,
„ mensa sancta, altare immaculatum est, quod
„ non amplius ab omnibus, sed a solis sacer-
„ dotibus, iisque venerantibus contrectatur.
„ Panis item panis est initio communis, sed ubi
„ eum mysterium sacrificaverit, corpus Christi
„ & dicitur & est, eodem modo vinum, cum
„ sit res exigui pretii ante benedictionem, post
„ sanctificationem, quae a Spiritu procedit, u-
„ trumque eorum excellenter operatur. Eadem
„ item verbi vis etiam sacerdotem augustum &
„ venerandum facit, novitate benedictionis a
„ communitate vulgi segregatum &c. „ Collige: ut benedictio & vis verbi non abolet substantiam aquae, altaris aut sacerdotis: ita nec panis & vini in eucharistia. VIII.) Gaudentius tract. II. de Exod. 8.) *Gaudentii. Ipse naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest & promisit, efficit proprium corpus, & quia de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.* Resp. cur ergo Thomas hanc thesin reprobat, de pane fit corpus Christi, part. III. q. 75. art. 8. *Non potest proprie dici*, (ait) *quod de non ente fiat ens, vel quod de pane fiat corpus Christi.* Gaudentius fuit Ambrosii, Cyrilli, & Nysseni coætaneus, ejus ergo dictum ex illis auctoribus explicamus: imo ipse Gaudentius sui ipsius interpres optimus, sic enim ibidem: *In hac veritate, qua scimus, unus pro omnibus mortuus, & idem per singulas ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus.* Item: *Recte vini specie sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in evangelio dicit:* Ego sum vitis vera, *satis declarat, sanguinem suum esse omne vinum, quod in figura passionis ejus offertur.* IX.) Chrysostomus hom. 9.) *Chrysostomi.* LXXXIII. in Matth. *panem immutari*; hom. de euch. in encœn. *mysteria consumi corporis substantia* adserit. Resp. Bel-

7.) *Gregorii Nysseni.*

larminus alibi sæpe contendit, auctorem illius operis in Matthæum non esse Chrysostomum. Sixtus Senensis libr. VI. biblioth. adnot. 152. monet, *non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt, cum multa per hyperbolen enuncient & inculcent, vel occasione locorum, personarum, temporum adducti, vel adfectionum impetu, vel orationis cursu abrepti, idque Chrysostomo interdum contingere concludit.* Idem Chrysostomus hom. LXXXIII. in Matth. comparat panem eucharistiæ *cum aqua baptismatis.* At in baptismatis aqua nulla fit transsubstantiatio. Verba, quæ Bellarminus urget, hæc sunt: *Non sunt humanae virtutis haec opera, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat, & transmutat,* (in Græco est μεταρκευάζων *præparat, transinstrumentat* proprie, id est, spiritualium rerum organa facit) *ipse est.* Idem homil. LXI. ad pop. Antioch. *carne dentes infigi* adserit, *linguam ejus sanguini rubefcere,* qua *hyperbole* veritatem præsentiæ, nequaquam vero transsubstantiationem adstruit.

10.) *Augustini.* X.) Augustinus citante Beda 1 Cor. X. *Panis accipiens benedictionem fit corpus Christi.* Serm. XXVIII. de verb. Dom. *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, ubi Christi verba depromta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus adpellatur.* Resp. Panis fit corpus Christi scilicet sacramentaliter, ita ut accepto & manducato pane manducetur Christi corpus. Quod si hæc propositio: panis fit corpus Christi, necessario importat transsubstantiationem, cur ergo Rhenanus Benedict. in panoplia super verba: *petra erat Christus,* scribit: *catholica ecclesia nunquam dixit, panem esse corpus Christi;* cur Thomas scribit part. III. q. 75. art. 8. *Non conceditur, quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi.* Posterius dictum Augustini si absolute accipias, diserte repugnat apostolo, qui post consecrationem vocat panem, imo ipsi Bellarmino, qui patres concilii Nicæni II. arguit, quod panem & vinum ante consecrationem tantum ἀντίτυπα adpellari dicant, & ex Basilio, Nazianzeno, Macario & Theodoreto evincit, etiam post consecrationem ita vocari. *Limitate* ergo accipiendum Augustini dictum: *non amplius dicitur panis,* id est, nudus & communis panis: sic enim se ipsum exponit libr. III. contra Maximin. cap. 22. *Haec sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia.* Si symbola sacramentalia perpetuo sunt, id quod erant, licet aliud significent, utique eorum substantia non evanescit. Ivo Carnutensis in epist. ad Heinericum citat ex Augustini serm. ad neoph. *Accipite in pane, quod pependit in cruce: accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* Serm. ad infantes ad altare, citante Beda 1 Cor. X. *Quod vidistis, panis est & calix, quod etiam oculi vestri renunciant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.*

11.) *Cyrilli Alexandrini.* XI.) Cyrillus Alexandrinus (*) in epist. ad Cælosyr. *Ne horreremus carnem & sanguinem adposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitae, convertens ea in veritatem propriae carnis, ut corpus vitae, quasi quoddam semen inveniatur in nobis.* Resp. conversio illa fit non mutatione *substantiae,* sed *usus,* ut jam non dicamus, epistolam illam in operibus Cyrilli

(*) CYRILLI Alexandrini de sacra cœna sententia a PHIL. MELANCHTONE in *apologia August. confess. art. III. de sacramentis p. 157. seqq.* edit. Rechenberg. edifferitur, atque ad doctrinam transsubstantiationis, cuius ecclesia Græca vulgo arguitur, confirmandam adducitur. Exstant verba CYRILLI, quæ *loc. cit.* recitantur in eiusdem *oper.* iunctim editis, *tom. IV. fol. 62.* edit. Parisiens. quæ ann. *MDCXXXVIII.* lucem adspexit publicam. Verum in loco isto nec volam, nec vestigium de transsubstantiatione, in sacra eucharistia obvia, conspici, nec MELANCHTONEM verba CYRILLI satis expendisse, ipsa huius testimonii inspectio edocere potest quemliber. Legenda, quæ laudatissimus KIESLINGIUS *loc. cit. cap. VII. §. XII. & XIII. p. 278. seqq.* hanc in rem adnotavit.

Cyrilli non inveniri. Thomas in catena dictum citat. In eadem epistola dicitur: *Decebat Christum quodammodo corporibus nostris uniri per sacram ejus carnem & pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictione vivificativa in pane & vino.* In Joh. libr. IV. cap. 14. *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit dicens: Accipite & manducate, hoc est corpus meum;* in quo cap. 14. ut & seqq. 15, 16, 17. ex professo de coena disputans nullam transsubstantiationis mentionem facit. XII.) Eusebius Emissenus serm. de corp. Dom. *Quando benedicendae verbis cœlestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi corpus & sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea, quae verbo creare potuit, possit creata convertere?* Resp. agnoscimus & nos quandam panis conversionem: num vero a genere ad speciem recte procedituri? Est in coena panis conversio, ergo substantialis? Ibidem symbola sacramentalia *benedici verbis cœlestibus, & invocatione summi Numinis consecrari* dicuntur, non autem transsubstantiari. Adde, quod Bellarminus fateatur, incertum esse, an Eusebius illius sermonis auctor; alii Fausto Rhegiensi, alii Cæsario eum tribuunt, quorum uterque ducentis annis posterior. Hom. V. de pasch. sic loquitur Emissenus: *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit;* sed statim se ipsum explicat, qualem conversionem intelligat: *Ut tibi novum & impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, te ipsum, qui jam in Christo regeneratus es, interroga, dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via, intrinsecus mortuus exsulabas, subito initiatus Christi legibus & salutaribus mysteriis* (baptismi) *innovatus in corpus ecclesiae non vivendo, sed credendo transisti &c.* Ergo elementa in eucharistia commutantur, sicut nos in baptismo: non substantia, sed qualitate. Ibidem: *Sicut ergo sine corporali sensu praeterita vilitate depositа subito novam indutus es dignitatem, & sicut hoc, quod in te Deus laesa curavit, infecta diluit, maculata deterst, non oculis sed sensibus tuis credis; ita & tu, cum ad reverendum altare salutari cibo potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maxime haustu interiore adsume.* XIII.) Remigius in 1 Cor. X. *Caro, quam verbum Dei Patris adsumsit in utero virginali in unitate suae personae, & panis, qui consecratur in altari, unum corpus Christi sunt: sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus.* Resp. addimus explicationem Gelasii & Theodoreti: panis transit in divinam substantiam, permanet tamen in suae proprietate naturae. XIV.) Gregorius, teste Paulo diacono in ejus vita, dixit: *Praescius conditor nostrae infirmitatis ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, panem & vinum aqua mistum manente propria specie in carnem & sanguinem suum Spiritus sui sanctificatione convertit.* Resp. in operibus Gregorii hoc non invenitur. Bellarminus repetit suam crambem; conversio est, ergo transsubstantiatio. Non ita Lombardus, qui conversionem agnoscebat, sed qualis sit, definire non audebat. Idem Gregorius libr. IV. dial. c. 58. *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summa imis sociari, terrenis cœlestia jungi &c.* Audis sociationem & conjunctionem rei cœlestis ac terrenae, non autem transsubstantiationem. Idem in regestro: *Tam azymum quam fermentatum dum sumimus, unum corpus Domini nostri servatoris efficimur &c.* at panis azymus & nuda accidentia panis non sunt ἰσοδυναμοῦντα. XV.) Beda in serm. de Epiphan. *Panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis ejus infallibili Spiritus sanctificatione transfertur.* Resp. hoc magis pro nostra sententia facit, & suppeditat explicationem, aliis etiam patrum dictis

12.) *Eusebii Emiseni.*

13.) *Remigii.*

14.) *Gregorii.*

ctis addendam, scilicet quando dicunt, panem converti in corpus Christi, id sic intelligendum esse, quod convertatur in sacramentum corporis Christi, hoc est, quod sacramentalis & mystica conversio hic sit intelligenda. Idem libr. VI. in Luc. XXII. *Pro carne ac sanguine agni sui corporis sanguinisque sacramentum substituit.* XVI.) Damascenus libr. IV. orth. fid. cap. 14. *Panis, vinum & aqua per invocationem & adventum Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi.* Resp. Damasceni ætate magna doctrinæ inclinatio facta. Idem tamen retinet comparationem eucharistiæ cum baptismo. *Quia duplices* (inquit) *sumus & compositi, par etiam fuit, nativitatem duplicem fore, identidem & cibum compositum. Nativitas igitur per aquam & Spiritum nobis donata est, per sanctum dico baptisma: cibus vero ipse panis vitae Dominus noster Jesus Christus, qui de cœlo descendit.* (Quemadmodum præsentia Spiritus in baptismo aquam non tollit, sic panis substantiam in eucharistia præsentia corporis non evacuat) *Interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? respondeo tibi & ego:* (quod scilicet angelus olim virgini respondit) *Spiritus sanctus ἐπιφοιτᾷ, obumbrat, & haec operatur super sermonem & intelligentiam, panis autem & vinum παραλαμβάνεται, adsumuntur &c. Quemadmodum in baptismate, quia consuetudo est hominibus aqua lavari & oleo ungi, conjunxit oleo & aquae gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lavacrum regenerationis: hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, conjunxit his ipsis suam divinitatem, & fecit hoc corpus suum & sanguinem suum, ut per adsueta, & quae sunt secundum naturam, in iis, quae sunt supra naturam, collocemur.* Ibidem: *Carbonem vidit Esaias, carbo autem simplex non est, sed unitus igni; sic panis communionis non simplex est, sed unitus divinitati.* (At carbonis substantia manet, ergo & panis. si procedit comparatio.) Damascenus eo in loco negat, panem & vinum post consecrationem vocari *ἀντίτυπα* corporis & sanguinis Domini, sed hoc ipse Bellarminus improbat libr. II. de euch. c. 15. §. altera solutio; ubi ex liturgia Basilii, Theodoreto dial. I. Macario homil. XXVII. Dionysio cap. 3. hierarch. eccl. & Nazianzeno orat. in Gorgoniam contrarium ostendit: cur igitur Damasceni auctoritate nos premit, quem in hoc ipso articulo repudiat? XVII.) Theophylactus in cap. VI. Joh. *transformatur panis in carnem Domini.* Resp. ipse Lombardus inter conversionem *formalem* & *substantialem* distinguit libr. IV. sent. distinct. 11. lit. A. ergo nec hic ad gustum pontificiorum Theophylactus loquitur. In cap. XIV. Marci utitur verbo *transelementationis*, quod ex vulgato illo Augustini explicamus: *Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ergo illa transelementatio nihil aliud est, quam elementorum ad sacramentalem usum destinatio. In cap. VI. Joh. vocis asperitatem per particulam *ὥσπερ* emollit. Idem Theophylactus negat, panem esse corporis *ἀντίτυπον*, quod ne ipsi quidem Bellarmino probatur. In Marc. XIV. *Panis sanctificatus non tantum figura carnis Domini, sed & caro ipsa.* De reliquorum sententiis, qui post illam ætatem scripserunt, non sumus magnopere soliciti.

16.) Damasceni.

17.) Theophylacti.

§. CXL *Tertiam* argumentorum classem petit Bellarminus cap. 21. ex definitione & consensu ecclesiæ ab annis quingentis, ubi hoc modo procedit: *In sex conciliis ante hoc nostrum seculum definita fuit transsubstantiationis veritas sub anathemate, at fieri nequit, ut ecclesia universa tot seculis in gravissimo errore fuerit. Deinde hoc ipso tempore floruerunt sanctissimi viri, vitae innocentia, miraculis, & aliis divinis donis clarissimi, quos nulla admittit ratio, ut Deo fuerint amicissimi, & in fide erraverint.* Resp. 1.) Quid illis etiam seculis de transsubstantiatione multi senserint, patere potest ex superioribus. 2.) Atque utinam hic unus esset inveteratus Romanæ ecclesiæ error! 3.) Quod & quatenus ecclesia errare possit, alibi explicatur. 4.) Nulla

Quæ ex conciliis pro transsubstantiatione producuntur, examinantur.

4.) Nulla conciliorum decreta, nulla miracula, nulla pontificum edicta verbo Dei præjudicare possunt. 5.) Etiam sancti viri super fundamentum ædificant quandoque fœnum & stipulas, ideo in nullius hominis, etiam sanctissimi, auctoritate fides adquiescere debet. Gal. I. 8. Producit deinde Bellarminus sex illa concilia, ex quibus fulcrum transsubstantiationi petit.

1.) *Concilium Romanum anno 1059.*

Primum est concilium Romanum sub Nicolao II. anno 1059. quod Berengarium coëgit abjurare suam hæresin. cap. *Ego Berengarius;* dist. 2. de consecr. *Resp.* glossa huic capitulo adscripsit, *nisi sane intelligas verba Berengarii, in majorem incides haeresin, quam ipse foverit.* Verba hujus palinodiæ ab Humberto quodam Germano sunt descripta, homine inerudito, & insulso. Dicitur in illo capitulo, *ipsum verum corpus Christi tractari & frangi manibus sacerdotum, & fidelium dentibus atteri,* quod Bellarminus interpretatur *non nudum signum, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus ibi praesens exiens frangi & teri, non tamen in se, sed in signo.* At verba concilii plus videntur dicere, ideo Rossensis libr. II. contra Oecolamp. dicit, *quia Berengarius in alteram latus nimis exorbitasset, ideo concilium plus aequo in alterum nunc trahi.* Quidam verba capituli sic explicant, quod conferantur τὸ *sensualiter*, & τὸ *in veritate:* τὸ *sensualiter* referri ad sacramentale symbolum panem, τὸ *in veritate* pertinere ad Christi corpus; dici autem in veritate corpus Christi tractari, frangi, teri, non κατ' αὐτὸ ἡ κυρίως, sed ἐτομένως ἢ μυστικῶς, prout unitum est benedicto pani, sicut in veritate descendit Spiritus sanctus, quatenus columbæ descendenti peculiariter fuit unitus. Hanc explicationem an verba decreti ferant, in medio relinquimus, illud solum monentes, quod Bellarminus ex ipsis concilii verbis non possit transsubstantiationem probare, ideo confugit ad scripta eorum, qui tum temporis floruerunt, Lanfranci, Guitmundi & Anshelmi; at si vel maxime illi docerent transsubstantiationem, nihil tamen aliud, quam suam proponerent sententiam. Bellarmino autem propositum erat, ostendere, quod sub fulmine anathematis in conciliis definita sit transsubstantiatio.

2.) *Concilium Romanum anno 1079.*

Alterum concilium, quod Bellarminus profert, est itidem Romanum sub Gregorio VII. anno 1079. Sed concilium illud non est magni nominis, nec in eo sub anathemate stabilita transsubstantiatio. Gregorius ille concilii præses fuit necromanticus, qui cœlibatum sacerdotum præcipiendo multis flagitiis fenestram aperuit, Romanum imperium seditionibus & bellis civilibus implevit, ac tandem a synodo Brixiana sede pontificia est dejectus.

3.) *Concilium Lateranense anno 1215.*

Tertium concilium est Lateranense sub Innocentio III. anno 1215, de quo quid statuendum sit, diximus superius §. 120. Idem Innocentius introduxit confessionem auricularem, eucharistiæ in ciborio custodiendæ legem & multos alios abusus, idem decretales ecclesiæ intulit.

4.) *Concilium Romanum anno 1413.*

Quartum concilium est Romanum generale anno 1413. cujus decretum ex Cochlæo recitat Bellarminus, sed Cochlæi fides merito apud nos dubia est.

5.) *Concilium Constantiense anno 1414.*

Quintum est concilium Constantiense anno 1414. sed idem concilium prohibet populum sub utraque specie communicare contra Christi institutionem & primitivæ ecclesiæ praxin, præcipit etiam, fidem hæreticis non esse servandam, quod juri naturali repugnat. Si enim fidem dare fas fuit; utique etiam fidem datam servari oportet. In eodem concilio definitum, quod concilium sit supra papam, id vero non est ad palatum Bellarmini.

6.) *Concilium Florentinum anno 1439.*

Sextum est concilium Florentinum anno 1439. ubi Bellarminus acriter invehitur in Martyrem (*) & Chemnitium

(*) Petrus Martyr, vir Italus, sed postea in Angliam profugus, de concilio Florentino scribit, in *eodem ecclesiam Graecam Latinae esse coniunctam & consensisse in dissidio de Spiritu S.* atque mox subiungit: *in gestis illius concilii invenire licet, possequam inter orientales & Latinos*

tium (*) atque adserit, nunquam fuisse inter Græcos & Latinos de transsubstantiatione disceptatum(**). Sed repugnat ipsis concilii actis: sic enim Eugenius IV. pontifex Romanus sess. ult. Græcos adfatur, ut habetur tom. III. conc. p. 474. edit. Colon. *In praecipua quaestione, de qua vehementer ambigebamus,* (de processione Spiritus sancti) *ita convenimus, ut nihil amplius de ea dicere debeamus. Porro autem operae pretium est, ut de purgatorio igne & de summi pontificis principatu, & de azymo & fermentato pane, de divina denique panis transsubstantiatione eganus, ut omni ex parte conjunctio nostra sit absoluta, ita ut nulla inter nos controversia in posterum relinquatur.* Ibidem: *Urgente pontifice ut de divina panis transmutatione, quae quidem quarta quaestio fuit, in synodo ageretur, Graeci dixerunt, se sine totius orientalis ecclesiae auctoritate quaestionem aliam tractare non posse.* Pag. 475. *Haec Graeci, nolentes tamen consentiente imperatore, ut de alia quaestione praeter illam de Spiritus sancti processione in unionis literis ulla mentio fieret, contendente summo pontifice, ut etiam de reliquis ageretur, excepta illa de panis transmutatione, ut perfectissima fieret unio.* Provocat Bellarminus ad instructionem Armenorum, in qua disertis verbis ponitur transsubstantiatio. Sed in eadem instructione pag. 506. dicitur, *ipsorum verborum salvatoris virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur.* At Græci, tunc non secus ac hodie, solis illis verbis consecrationem non adscribebant, sed putabant necessario adjungendum: *Et fac panem hunc honorabile corpus Christi tui, quod autem in calice isto est, fac honorabilem sanguinem Christi tui, ea sancto Spiritu tuo transmutante.* Quomodo ergo Græci in hanc formulam consentire potuerunt? Ipsum decretum nomine Eugenii IV. inscribitur: *Eugenius, episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam &c.* adde, decretum Armenis datum esse anno 1439. decimo Calend. Decembr. absentibus jam graecis patribus, qui eodem anno pridie Non. Julii subsignata unione illico discesserant, quod frustra negat Bellarminus. Quis sit status hodiernae ecclesiae orientalis, peti potest ex scripto Chytraei hac de re edito (***).

§. CXLI.

tinos convenisset de quibusdam articulis, voluisse papam ulterius progredi & illos adigere ad transsubstantiationem tractandam, & recipiendam, ut Latini sentiebant. Ibi Graeci reluctari sunt, & de ea re agere noluerunt, neque perpelli ullis argumentis potuerunt, ut consensus de ea re iniretur. Vid. eiusdem *tract. de eucharistia p. 201.* Tiguri *MDLVIII.*

(*) Vid. CHEMNITII *examen concilii Tridentini, part. II. loc. IV. §. XXVI. p. 383.* ubi multis docet verbis, Græcos in concilio Florentino, *cum conficiendae essent litterae unionis, articulum de divina transmutatione panis in eucharistia, quam Latini tunc docebant*, ex unionis capitibus, etiam concedente Romano pontifice, expunxisse. Concinit RUDOLPH. HOSPINIANUS in *histor. sacramentar. libr. IV. cap. XIII. p. 438.* Recte observat ven. KIESLINGIUS, *loco excitato p. 167.* „ nos maximum in his testimoniis habere veritatis argumentum, partim ad demonstrandam Graecorum, in doctrina transsubstantiationis, innocentiam, partim ad confirmandam nostram sententiam, hanc opinionem in concilio *Florentino* quam maxime esse propositam, sed a Graecis reiectam „.

(**) BELLARMINUS heic secutus est turpissimum religionis Graecae corruptorem ac mercenarium ecclesiae Romanae militem, PETR. ARCUDIUM, qui *libr. III. de sacramento eucharistiae, cap. II. p. 130.* aliis persuadere voluit, nullam de transsubstantiatione Graecos inter & Latinos in concilio *Florentino* agitatam esse controversiam. Eandem tibiam inflant etiam LUDOVICUS MAIMBURGIUS, Jesuita Gallus, & quod oppido miramur, JO. MABILLONIUS, monachus Benedictinus e congregatione S. Mauri, vir alias acutus veritatisque ac modestiae studiosus; *ille* quidem in *histoire du schisme des Grecs, tom. I. p. 465. seqq. hic* vero *tom. I. mus. Italici, part. II. p. 246.* Ast solide confutavit ARCUDIUM laudatiss. KIESLINGIUS *loc. cit. §. XVII. & XX. p. 170. seqq.* ubi & ostendit, thrasonem illum ecclesiae Graeco-Latinae turpiter esse mentitum, atque acta concilii *Florentini* subdole corrupisse.

(***) DAVID CHYTRAEUS, theologus incomparabilis, *orationem de statu ecclesiarum hoc tempore*

Rationes pro transsubstantiatione examinantur.

§. CXLI. *Quartam* argumentorum classem petit Bellarminus cap. 22. ex convenientia rationis, atqui non ex judicio rationis, sed ex scripturæ norma de articulis fidei disputandum. Videamus tamen

pore in Græcia, Asia, Boëmia &c. Rostoch. *MDLXIX.* 8. edidit, ad quam lectores suos heic remittit GERHARDUS noster. Complures huius orationis prodierunt editiones, ex quibus illa reliquis præferenda est, quæ Francofurti *MDLXXXIII.* 8. prodiit. Adiectæ eidem sunt epistolæ, ex urbe Constantinopoli ad Chytræum, Crusium aliosque transmissæ, itemque GENNADII *Confessio fidei*, nec non epistola Constantinopolitanæ ecclesiæ ad Boëmos. Exstat quoque germanica huius libelli interpretatio, quæ inscribitur: *vom Zustand der Kirchen in Griechenland.* Insurrexit quidem contra eundem ANTON. POSSEVINVS, societatis Jesu sacerdos, edita *refectione impostturarum cuiusdam Davidis Chytræi, quas in oratione quadam inseruit, quam de statu ecclesiarum &c. edidit, & per Sueciam & Daniam adversus orthodoxam fidem disseminari curavit*, Ingolstad. *MDLXXXIII.* 8. Ast confutavit eundem CHYTRÆVS in *responsione ad Antonii Possevini & Mylonji cuiusdam criminationes*, Vitemberg. *MDLXXXIV.* 4. Controversiæ huius historiam uberius exposuit SCHÜZIUS in *vita Chytræi libr. III. p. 101.* Allatravit quoque eundem LEO ALLATIUS, ex Græca ecclesia transgressus in Latinam, *libr. III. de eccles. occident. & oriental. perpetua consensione, cap. XV. p. 1182. seqq.*

Post CHYTRÆVM complures alii viri eruditi statum præsentem ecclesiæ ac religionis Græcæ uberius exposuerunt, quos, more suo, diligenter recensuit JO. GE. WALCHIUS, in *biblioth. theolog. select. tom. II. cap. V. p. 560. seqq.* Jungi tamen iisdem meretur reverendiss. cancellarius JEREM. FRID. REVSSIUS, in *dissertat. historico-theolog. de ecclesia Ruthenica*, quæ Tubing. ann. *MDCCLXII.* lucem primum vidit, postea vero accessionibus quibusdam adaucta eiusdem *opusculis varii generis theolog. p. 261.* fuit inserta, lectuque dignissima est.

Nos ea duntaxat, quæ de fide Græcorum circa *transsubstantiationis* argumentum recentiori maxime ævo inter viros eruditos sunt disputata, breviter heic indicabimus.

Constat, ecclesiæ Romanæ doctores inde a longo tempore omnem movere lapidem, ut Græcos pariter, ac omnes, quos oriens habuit, aut adhuc habet, christianos in suis militare castris ostendant, eosdemque dogmatis transsubstantiationis reos reddant. Fecerunt id PETRUS NICOLIUS atque ARNALDUS, præcipui olim Jansenistarum in Gallia propugnatores, qui in libro notissimo: *perpetuitas fidei &c.* cum JO. CLAUDIO, theologo reformato Gallo, contentionis ferram hac de re reciprocarunt, prout supra iam observavimus. Eorum partes postea in se defendendas suscepit ANSELMUS PARISIUS, canonicus regularis S. Genovefæ in Gallia, qui *tomum IV. perpetuitatis fidei* edidit, quo continetur *la créance de l'eglise Grecque touchant la transsubstantiation* &c. CLAUDIO non tantum, sed & PETRO ALLIXIO opposita. Hunc insecutus est EUSEBIUS RENAUDOTIUS, qui defensorem *perpetuitatis* fidei se præbuit, variaque scripta iuris publici fecit, eo cumprimis consilio, ut evinceret, Græcos de eucharistia, speciatim de transsubstantiatione, eandem cum ecclesia Romana sententiam tenere. Huc spectant sequentia eiusdem scripta: 1) *defence de la perpetuité de la foy*, Paris. *MDCCIX.* 8. qui liber JO. AYMONIO, cuius *monumenta authentica religionis Græcorum*, gallico sermone exarata, Hagæ Com. *MDCCVIII.* prodierant, oppositus est. 2) GENNADII, *patriarchæ Constantinopolitani, homiliæ de sacramento eucharistiæ: Meletii Alexandrini, Nectarii Hierosolymitani, Meletii Syrigi & aliorum de eodem argumento opuscula græce & latine; seu adpendix ad acta, quæ circa Græcorum de transsubstantiatione fidem relata sunt in opere* de perpetuitate fidei. Parisiis *MDCCIX.* 4. Singula hæc monimenta a modernis Græculis exarata, non solum ex codicibus manuscriptis recensuit & latine reddidit; sed etiam dissertationibus atque observationibus adauxit RENAUDOTIUS. Notandum tamen, esse viros doctos, qui gravibus inducti rationibus iudicaverint, homiliam istam, quæ GENNADII nomen præfert, vel totam esse suppositiam, vel saltim passim castigatam interpolatamque. Vid. celeb. KIESLINGIVM *loc. cit. cap. X. §. VII - X. p. 369. seqq. 3) la perpetuité de la foi de l'église catholique touchant l'eucharistie, tome IV.* Parisiis *MDCCXI.* 4. in quo libro id cumprimis comprobandum sibi sumsit, Græcos, omnesque, qui in oriente degunt,

tamen illas congruentias. Primo *convenientius fuit*, (ait Bellarminus) *ut solum Christi corpus ad accidentia panis ordinem haberet, & illa soli Christi corpori deservirent.* Resp. fundamentum hujus

degunt, christianos in doctrina de sacra eucharistia cum ecclesia Latina consentire. Denique 4) huc quoque quodammodo referri potest alius eiusdem liber, hac inscriptione insignitus: *la perpetuité de la foi de l' eglise catholique sur les sacremens & sur tous les autres points de religion & de discipline, que les prémiers Reformateurs ont pris pour pretexte de leur schisme prouvée par le consentement des eglises orientales*, Parisiis *MDCCXIII.* 4. Nec prætermittendus heic est RICHARDVS SIMONIVS, qui pariter contra CLAUDIUM calamum strinxit, causamque doctorum Parisiensium in se defendendam suscepit. Fecit id in *notis uberioribus in apologiam* GABR. SEVERI *Philadelph. in corollar. p. 119. seqq.* Spectat huc quoque alius eiusdem libellus, qui inscribitur: *la creance de l' eglise orientale sur la transsubstantiation*, Paris. *MDCLXXXVII.* contra THOM. SMITHUM, de qua controversia vid. ven. WALCHIUM in *biblioth. theolog. selecta, tom. II. p. 230, 231.* nec non scriptum SIMONII, quod titulum fert: *histoire critique des dogmes & des controverses des chretiens orientaux*, Trevolt. *MDCCXI.* 8.

Ast perperam de consensu isto ecclesiæ Græcæ in doctrina de sacra cœna gloriantur Romanenses. Quod enim ad recentiorum Græcorum, quibus Galli contra protestantes usi sunt, suffragia attinet, ea magni momenti haud sunt, cum dubia sint maximeque incerta, per legatos Galliarum regis ecclesiæque Romanæ missionarios emendicata, quin & subinde pretio, quo omnia a Græculis impetrari possunt, aut fraude minisque extorta; prout dudum observarunt FRID. SPANHEMIUS *tom. II. oper. fol. 538, 541,* & *545.* itemque *tom. III. f. 1045.* JO. CLERICUS in *bibliotheque universelle, tom. XI. p. 445.* PETR. BAELIUS *tom. I. dict. hist. & crit.* voce *Arnauld, p. 343. not.* (o) & *p. 345. not.* (ſ) & vel maxime JO. AYMONIUS, qui in libro Hagæ com. ann. *MDCCVIII.* evulgato, sub titulo: *monumens authentiques de la religion des Grecs*, passim in malam Græcorum fidem invehitur. Tacemus, esse viros doctos, qui contendant, Græculos modernos eandem de sacra eucharistia tovere sententiam, quam ii amplectuntur, qui *unionem* rei terrenæ cum cœlesti, panis cum corpore Christi statuunt, quæ mens est Augustanæ confessionis sociis. Legantur, quæ hanc in rem scripserunt laudatiss. SPANHEMIVS *tom. II. oper. f. 544.* atque ex nostris JO. MICH. HEINECCIUS, theologus quondam Halensis, in *der Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche part. II. cap. VI. §. 53. p. 278.* Quidquid vero sit, largiamur lubentes, Græcos hodiernos veram quandam ac substantialem symbolorum eucharisticorum immutationem ac *μετασίωσιν*, quam vocem Græci a Latinis didicerunt, statuere, idemque circa hanc quæstionem cum ecclesia Romana sentire, quem ad modum ex verbis *confessionis orthodoxæ* luculenter comprobarunt JO. RVD. KIESLINGIVS, in eruditiss. *historia concertationis Græcorum & Latinorum de transsubstantiatione p. 406. seqq.* atque illustris cancell. REVSS in *dissertat. hist. theolog. de ecclesia Ruthenica*, quæ in *opusculis eius theologicis* fuit recusa, *p. 340. seqq.* quid tum proficient acerrimi transsubstantiationis in ecclesia Romana defensores? nihil profecto, quod operæ pretium sit. Neque enim consensus Græcorum modernorum, qui parum eruditi Latinisque sunt obnoxii, nec tantum in hoc argumento, sed & in aliis doctrinæ sanctioris capitibus hallucinantur, parere potest errantibus patrocinium. Recte omnino PROSPER MARCHAND in præfatione lectu dignissima, quam libro: *recueil de divers traités touchant l' eucharistie*, præmisit, *p. 12. seqq.* hanc in rem scripsit: *Ces Messieurs qui nous remettent si souvent devant les yeux la creance des Grecs, & qui nous pressent avec tant d' importunité de croire la transsubstantiation, parceque les Grecs, à ce qu' ils pretendent, la croyent, ne pensent pas assez ce qu' ils nous demandent. Ne voient ils pas, que par la même raison ils nous mettent en droit d' exiger d' eux, qu' ils renoncent à leur dogme de la primauté du pape, à leur pratique du pain non levé, &, en un mot, à tout ce, qui les tient separés d' avec les Grecs?* & quæ sequuntur.

Quemadmodum vero consensus Græculorum modernorum Romanenses in propugnando transsubstantiationis dogmate parum iuvat; ita & consensus vetustissimorum ecclesiæ Græcæ doctorum perperam ab iis in causse suæ præsidium vulgo adduci solet. Etenim ecclesiam Græcam, eamque veterem, a transsubstantiationis commento longe abfuisse, præter GERHARDUM nostrum, luculenter comprobarunt complures theologi protestantes. Eminent e Reformatis JO. COSINUS, EDMUNDUS, AL-

hujus speculationis consistit in illis disputationibus scholasticorum, quod corpus Domini manet sub accidentibus panis ad eum modum, quo substantia panis maneat sub accidentibus suis, excepta informatione, & quod ex natura rei moveatur ad motum accidentium, & desinat esse sacramentaliter ad illorum accidentium desitionem &c. Sed hæc sunt somnia otiosorum hominum. Panis eucharistiæ ad corpus Christi, docente apostolo, hæc est analogia, quod sit κοινωνία corporis Christi, 1 Cor. X. 16. quod ejus munus & officium sacramentale sit, ut mediante eo distribuatur & manducetur Christi corpus; ad hoc officium & munus sacramentale requiritur, ut accidentia habeant ordinem ad corpus Christi primario, non autem ad panem. Bellarmino absurdum videtur, si duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, sed an non

magis

Albertinus, Jo. Claudius, Petr. Molinæus, Matth. Larroquanus, atque Jo. Dallæus; quibus ex nostris Christoph. Matth. Pfaffius, Jo. Georg. Walchius, Salom. Deylingius, atque Jo. Rudolph. Kieslingius ad latus poni merentur. Accedit, quod ipsi *perpetuitatis fidei* auctores, qui transsubstantiationis doctrinam tanto conatu defendendam susceperunt, sponte confiteri non dubitaverint, universalem & communem veteris ecclesiæ consensum pro pontificiorum sententia demonstrari nequaquam posse. Provocamus ad *tomum I.* hujus *perpetuitatis, libr. VIII. cap. IV. p. 549.* ubi deprehendimus, patres in doctrina de sacra eucharistia subinde a se ipsis dissentire, & subobscure aliquando ac varie locutos esse, mox *figuram*, mox *impanationem*, mox *transsubstantiationem* statuentes. Quod si ita est, quid quæso ex traditione patribusque aliud confici potest, quam hoc, scriptores ecclesiasticos, eosque antiquissimos, heic plurimum inter se dissensisse, nullamque in hoc argumento traditionem uniformem dari. Egregie Jo. Tillotsonius, archiepiscopus quondam Cantuariensis, in sermone sacro, quem de *transsubstantiatione* Londini ann. *MDCLXXXIV.* recitavit, & quem gallice nec non germanice editum habemus, pronunciavit: *si les philosophes payens étoient juges de nos controverses, ils prononceroient, que les témoins, dont nous nous servons les uns contre les autres, ne s'entendoient pas eux-mêmes, & qu'ainsi ils faut les renvoier tous sans les ouir.* Addimus denique & hoc, theologos protestantes, ubi de sententia patrum ac veteris ecclesiæ Græcæ cum Romanensibus disputant, id ex mera συγκαταβάσει atque indulgentia facere, ad nullum alias Græcorum vel patrum consensum, qualis nec heic, nec alibi datur, sed ad solam scripturam sacram, unicam illam atque infallibilem fidei regulam, provocaturi.

Instant tamen *perpetuitatis* auctores, urgentque porro: „ eapropter tamen a protestantibus admittendam esse transsubstantiationis „ doctrinam, quoniam fides de ea in ecclesia „ fuerit perpetua; idque exinde satis patescere, „ quoniam nullum temporis punctum indicari „ queat, quo in dogmate de eucharistia aliquid immutatum, errorque, deserta veritate, ab ecclesia adoptatus fuerit „. Ast paucis respondemus, opus haud esse, ut certum aliquod temporis momentum adsignetur, quo in hoc doctrinæ capite facta fuerit innovatio, cum sensim sensimque labes ista cœtum christianorum invaserit. Rem simili quodam illustrabimus. Ponamus hominem, qui sanitate pristina sensim sensimque amissa in gravissimum incidit morbum. Nonne ludibrium omnibus debebit, qui credere nolit, eum graviter ægrotare, quoniam præcisum aliquod tempus, quo is e statu sanitatis in statum morbi fuerit translatus, adsignari nequeat? Ita etiam heic sese res habet, ubi de erroribus ecclesiæ Romanæ in articulo de sacra cœna sermo est. Nam, ut prima morborum initia tam præcise & exacte describi nequeunt, ita nec errorum primordia, siquidem ii sensim sensimque in ecclesiam irrepserunt. Addimus & hoc, adsignari posse certum aliquod tempus, quo monstrosum transsubstantiationis dogma in ecclesiam fuit invectum. Factum nimirum id est seculo post Christum natum nono, quo Paschasius Radbertus monstrosum huncce errorem primus docuit, prout supra in *nota ad §. 133. p. 228. seqq.* observavimus; licet alii ad seculum demum decimum tertium errorem huncce referant. Cæterum sufficere posse arbitramur, ostendisse, morbos, errores aliaque mala vere nunc in ecclesia Romana adesse, si vel maxime diem & consulem, hoc est, tempus & testes, quo suam ceperunt originem, indicare haud valeamus; siquidem, ut modo diximus, sensim ac nemine animadvertente, oriuntur atque invalescunt. Plura hanc in rem legi possunt in b. cancell. Pfaffii *assertat. anti-Rogerianæ p. 10. seqq.*

magis absurdum, accidentia panis consistere intereunte subjecto, accidentia nutrire, corrumpi &c. Prius facilius concedet ratio, quam posterius. Secundo *periculum esset, ne simpliciores adorarent panem.* Resp. num vero nullum est periculum, ne adorent accidentia? Bellarminus disputat, statuendam esse transsubstantiationem, ne simpliciores adorent panem: eodem jure inferri posset, statuendam esse transaccidentationem, ne adorent accidentia. Atqui nec substantiam, nec accidentia panis, sed Christum adorare debemus, qui est cœlestis hujus convivii hospes, atque ipse sanctum suum corpus ac pretiosum suum sanguinem nobis distribuit. Transsubstantiationem ex adoratione panis probare est litem lite, & quæstionem quæstione solvere. Gabr. Biel lect. XLIX. in can. *Quia non potest esse evidens certitudo neque celebranti neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impedientem, & contingere potentem, ut quod forte celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire, se fore baptizatum aut legitime ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitae intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia, & multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt sub hostia fore Christum, ideo adoratio fieri debet sub conditione habituali tacita vel actuali expressa, tali scilicet si servata sint omnia ad consecrationem necessaria.* Hæc pericula prius avertat Bellarminus, antequam solicitus sit, ne simpliciores adorent panis substantiam. Tertio *non videtur rationi consentaneum, ut maneat simul cibus mentis & ventris.* Resp. imo vero analogia sacramentalis hac ratione melius constat. Quamvis enim primarium panis eucharistici officium sit, esse organum & ὄχημα corporis Christi; nihil tamen impedit, quo minus cum Cypriano, Augustino & aliis dicamus, panem eucharisticum secundario hanc habere analogiam ad Christi corpus, ut sicut panis nutrit corpus, ita corpus Christi novum hominem. Interim tamen, quia hoc non est primarium panis sacramentalis officium, sed quale cunque adjunctum, ideo juxta canonem Nicænum *non multum, sed parum sumimus, siquidem non satietatis sed sanctificationis causa panem illum sumimus.* Contradicit autem Bellarminus sibi ipsi, hoc enim loco negat *manere cibum ventris*, sed capite 23. disputat, *accidentia panis nutrire, scilicet si in magna copia sumantur.* At num potest aliquid nutrire, quod non sit cibus? Quarto *sequeretur, non posse corpus Domini accipi, quin solveretur jejunium.* Resp. quæ vero fuerit absurditas? Si non potest corpus Domini rite sumi, nisi a jejunis: ergo Christus post esum agni paschalis non rite instituit eucharistiam, ergo peccarunt apostoli, qui, postquam cœnassent, corpus Domini sumserunt. Vid. Augustinum epist. CXVIII. ad Januar. c. 6, & 7. ubi inter cætera scribit, *nonnullos probabilem quandam rationem delectasse, ut uno certo die per annum, quo ipsam cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguinem Domini* (*).

CAPUT.

(*) Quidam ex pontificiis, Augustanam confessionem adferere transsubstantiationem, probare conantur ex voce *speciei* art. X. ab eadem usurpata. *Resp.* figmentum transsubstantiationis jam pridem ex evangelicarum ecclesiarum finibus erat profligatum. Anno 1520. Lutherus in libr. de capt. Babyl. scribit: *Ecclesia ultra mille ducentos annos recte credidit, nec usquam nec unquam de ista transsubstantiatione, portentoso scilicet vocabulo & somnio, meminerunt sancti patres.* Ibidem refert transsubstantiationem inter nugas metaphysicas sententiariorum. Anno 1522. tom. II. Jen. germ. in libr. de abusib. missæ annihilationem panis refert inter inanes papismi stupas & stipulas. Eodem anno in libr. cont. regem Angliæ dicit, *merissimum esse impiorum & cæcorum Thomistarum figmentum, quidquid haberent de transsubstantiatione.* Et rursum: *Decerno impium esse & blasphemum, si quis dicat panem transsubstantiari.* Anno 1524. contra cœlestes prophetas agens expresse illam panis annihilationem rejicit, & distinctionem substantiarum panis & corporis Christi similitudine ferri & ignis, item Deitatis & humanitatis in Christo luculenter illustrat. Anno 1528. in confessione majore:

CAPUT XIII.

DE CONSECRATIONE EUCHARISTICA.

Forma sacræ cœnæ.

§. CXLII. Egimus hactenus de *materia* hujus sacramenti, quæ est tum *terrena*, panis scilicet & vinum: tum *cœlestis*, corpus scilicet & sanguis Christi; restat, ut de *forma* ejusdem pari perspicuitate disseramus (*). *Forma* igitur hujus sacramenti consistit in actione & quidem ea, quam Christus & apostoli in administratione ejus observarunt, suoque non solum exemplo, sed etiam mandato observandam præceperunt. Colliguntur autem ex descriptione evangelistarum tres actus sacramentales ad formam & integritatem hujus sacramenti pertinentes, siquidem 1.) Christus accepit panem, & benedixit; 2.) panem fractum discipulis dedit ac distribuit, dicens: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur;* 3.) Discipuli panem benedictum acceperunt & manducarunt. Similiter in parte altera 1) Christus calicem, in quo erat genimen vitis, accepit & gratias egit; 2.) eundem discipulis dedit, dicens: *Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur;* 3.) apostoli calicem benedictum acceperunt, & omnes ex eo biberunt. *Tres* igitur sunt actus sacramentales, 1.) εὐλογία sive panis & calicis benedictio; 2.) benedicti panis & calicis distributio; 3.) distributi panis ac calicis sacramentalis manducatio ac bibitio. Fractionem quod attinet, eam non esse peculiarem quendam actum sacramentalem, ad cœnæ formam & integritatem *essentialiter* pertinentem, sed tantum *ministerialem* & præparativum distributioni inservientem, suo loco evidenter comprobabimus.

Consecratio eucharistiæ in quo consistat?

§. CXLIII. *Primum* actum sacramentalem duobus vocabulis describunt evangelistæ & Paulus. Vocant enim: 1.) εὐλογίαν, Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. 1 Cor. X. 16. 2.) εὐχαριστίαν. Matth. XXVI. 27. Marc. XIV. 23. Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. Εὐλογία ex vi nominis est *benedictio*, ab εὖ & λέγειν. Duplex autem benedictio in sacris literis describitur, divina & humana. *Divina* benedictio cum verbis semper conjunctam habet rem ipsam & efficaciam, quia enim Deus est purissimus & potentissimus actus, ideo ipsius benedicere est benefacere. *Humana* benedictio vel dirigitur ad *Deum*, vel ad *homines*. Quando homines *Deo* benedicunt, nequaquam illi perfectionem aliquam tribuunt, sed majestatem & perfectionem divinam agnoscunt, laudant ac prædicant. Quando homines *sibi invicem*

jore: *Nos corpus Christi non conficimus ex pane, ut nobis adfingit spiritus*, (sacramentarius) *imo neque dicimus, corpus ipsius ex pane fieri, sed dicimus, corpus ejus, quod dudum factum est, adesse, quando dicimus: Hoc est corpus meum.* Anno 1525. in syngrammate suevico ecclesiæ superioris Germaniæ transsubstantiationem rejecerunt. *Nos* (inquiunt) *panem ipsum, qua panis est, tractare, frangere, edere, dentibus atterere.* Brentius in egregio comment. cap. VI. Joh. anno 1527. *Non quærimus, an panis substantia mutetur in corporis substantiam, ut præter accidentia, quæ sic vocant, nihil remaneat in pane. De his nugis disputent vani papistæ, qui ex quovis quidvis fingunt.* Ergo protestantes *speciei* voce designant visibilia & in externum oculorum sensum incurrentia symbola, & sic speciem non substantia vacuam, sed solidam & cum speciei veritate conjunctam. Pontificii ipsi in sua confutatione nostros hortati sunt, ut transsubstantiationem crederent, quod superfluum fuisset, si in illis verbis eam contineri judicassent. Apologia dicit: *Corpus & sanguinem Christi exhiberi cum his rebus, quæ videntur.* GERHARDUS.

(*) Ruhelius, Gustroviensis concionator, per insignem absurditatem ad causam formalem eucharistiæ refert etiam *præparationem communicantium.* At forma licet prioritate naturæ formato prior sit, temporis tamen ordine cum formato simul est. Præparatio ergo ad cœnam cum tempore prior sit, qui eam informabit? GERHARDUS.

vicem benedicunt, felicia quæque a Deo sibi invicem precantur, quæ benedictio itidem divina gratia efficax est, si ab homine pio proficiscatur, vel Dei nomine, jussu & mandato peragatur. Exempla divinæ εὐλογίας in scripturis passim occurrunt, quæ cum εὐλογία in sacræ cœnæ institutione & administratione usurpata pulcerrime conferri possunt. Gen. I. 22. & 28. commemoratur, quod Deus in prima creatione animalibus & hominibus a se conditis benedixerit his verbis: *Crescite & multiplicamini*, ubi in hebræo est בָּרַךְ in græco εὐλογεῖν. Quemadmodum igitur prima illa benedictio, qua Deus animalium & humano generi benedixit, ut crescerent & multiplicarentur, adhuc hodie efficax est, natura ad generationem operante: sic benedictio Christi in sacræ cœnæ institutione semel prolata adhuc hodie efficax est & operatur, ut mediante pane eucharistico corpus & mediante vino eucharistico sanguis Christi distribuatur. Ambrosius libr. IV. de sacramentis, cap. 4. tom. IV. p. 439. *Sermo Christi hoc sacramentum conficit. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est cœlum. Jussit Dominus, & facta est terra. Jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quae non erant; quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, & in aliud commutentur.* Chrysostomus hom. XXX. de prodit. Judæ tom. V. p. 85. *Non homo est, qui proposita de consecratione mensae Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia.* Hoc est, *ait*, corpus meum, *hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quae dicit:* Crescite & multiplicamini, & replete terram, *semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque ad hodiernam diem & usque ad ejus adventum, praestat sacrificio firmitatem.* Græca sic habent: Καθάπερ ἡ φωνὴ ἐκείνη, ἡ λέγουσα αὐξάνεσθαι καὶ πληθύνεσθαι τὴν γῆν, ἐρρέθη μὲν ἅπαξ, γίνεται δὲ ἔργον κατὰ χρόνον δυναμώσαν τὴν φύσιν ἡμετέραν πρὸς παιδοποίαν: οὕτω καὶ ἡ φωνὴ αὐτὴ ἅπαξ λεχθεῖσα καθεκάστην τραπέζῃ ταῖς ἐκκλησίαις ἐξ ἐκείνου μέχρι σήμερον καὶ μέχρι τῆς αὐτοῦ παρουσίας τὴν θυσίαν ἀπαρτισμὸν ἐργάζεται, Gen. II: 3. commemoratur, *quod benedixerit Deus diei septimo*, εὐλόγησε τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην. Quemadmodum Deus hoc modo diei septimæ benedixit, ut præ reliquis divino cultui consecraretur ac deputaretur, qua ratione benedictio illa fuit sanctificatio & consecratio, sicut Moses immediate subjungit, *Deus benedixit diei septimo & sanctificavit eum:* sic per εὐλογίαν sacramentalem externa symbola panis & vini ab usu vulgari separantur, sanctificantur & consecrantur, ut fiant organa rerum cœlestium. Matth. XIV. 19. Marc. VI. 41. Luc. IX. 16. de Christo refertur, quod cibaturus quinque panibus quinque hominum millia, *respiciens in cœlum benedixerit*, nimirum quia cœlesti & divina virtute pauculos panes multiplicabat, ut satiandis aliquot hominum millibus sufficerent: ita quoque εὐλογία sacramentalis argumento est, Christum divina & cœlesti sua virtute panem & vinum organa corporis & sanguinis sui distribuendi fecisse: & naturæ & rationi humanæ repugnat tam pauxillis panibus tot millia saturari: pari ratione & naturæ corporis & rationis nostræ captui repugnat, corpus & sanguinem Christi mediantibus externis symbolis in sacra cœna distribui, sed eadem Christi εὐλογία, quæ potuit prius efficere, potest etiam posterius præstare. Eph. III. 20. Phil. III. 21.

§. CXLIV. Potest divina εὐλογία sic dispesci, quod sit vel *generalis* actio creaturas conservans, specierum propagationem efficiens ac bonis corporalibus tum creaturas omnes, tum præcipue genus humanum replens, quo pertinent omnia scripturæ dicta, quæ de benedictione Dei inanimatas creaturas respiciente ac de bonis corporalibus homini per benedictionem divinam collatis loquuntur: vel *specialis*

Duplex Dei benedictio.

lis actio ecclesiam respiciens, ejusdem conservationem ac propagationem efficiens, & bonis spiritualibus pios in ea replens. Sic quando patriarchis Deus benedixisse dicitur, intelliguntur non solum corporalia, sed cumprimis spiritualia bona, quibus illos beavit. Gen. IX. 1. XII. 2. XIV. 19. &c. Sic quando *benedicti* dicimur *in Christo*, Eph. I. 3. id ibidem de ἐυλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις exponitur. Huc etiam pertinet illa solennis & sacerdotalis benedictio, in ecclesia Israëlitica jussu & mandato Dei usurpata, quæ describitur Num. VI. 23. ea enim cum Dei auctoritate & nomine in conventibus ecclesiasticis fuerit pronunciata, ideo non humana sed divina benedictio fuit censenda, quæ in piis suum perpetuo obtinuit effectum, ideo v. 27. subjungitur: *Ego Dominus benedicam eis.* Ad hanc posteriorem classem pertinet etiam sacramentalis illa ἐυλογία, qua Christus in institutione & administratione sacræ cœnæ est usus, cum sacramentum hoc a Christo institutum sit bonum ecclesiæ proprium, cumque non terrena, sed cœlestia & spiritualia dona in eo nobis distribuantur.

Quatuor vicibus Christus benedixit.

§. CXLV. In pandectis evangelicis quatuor vicibus ἐυλογία Christus legitur usus. 1.) In miraculis. Matth. XIV. 19. Marc. VI. 41. Luc. IX. 16. cum quinque panibus quinque hominum millia satiare vellet; Marc. VIII 7. cum septem panibus quatuor millia saturaturus esset. 2.) In collatione & elargitione bonorum spiritualium & cœlestium. Marc. X. 16. *Imponens manus super infantes* ἐυλογεῖ *benedixit illis.* Luc. XXIV. 50. Adscensurus in cœlum *eduxit discipulos suos in Bethaniam & sublatis manibus prius benedicit eis* ἐυλόγησεν αὐτούς. Act. III. 26. *Deus misit Jesum* ἐυλογοῦντα ἡμᾶς, in quo benedictionis spiritualis, cœlestis & æternæ participes fieri poterstis, ut ex promissionibus Gen. XII. 3. XVIII. 18. XXII 18. XXVI. 4. intelligi potest. 3.) In vulgaribus epulis. Luc. XXIV. 30. *Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit*, ut suo exemplo doceret, a precibus inchoandam cibi sumtionem & cum gratiarum actione finiendam. 1 Cor. X. 31. 1 Tim. IV. 4. & 5. 4.) In institutione & administratione sacræ cœnæ, quæ non est terrenum aut vulgare, sed cœleste convivium, ad quod cum precibus & gratiarum actione reverenter accedendum, quo respectu convenientiam aliquam habet cum membro tertio: in qua divina & cœlesti virtute Christus suo corpore & sanguine miraculose nos pascit, quo respectu convenientiam habet cum membro primo: per quam denique vere pii cœlestis ac spiritualis benedictionis vera fide hunc salutarem cibum ac potum sumentes participes redduntur, quo respectu convenientiam habet cum membro secundo.

Ευχαριστία Christi.

§. CXLVI. Εὐχαριστία ex vi nominis est *gratiarum actio*, qua in evangelicis historiis Christus itidem quatuor vicibus usus legitur. 1.) In miraculosa cibatione. Matth. XV. 36. Marc. VIII. 6. Joh. VI. 11. & 23. 2.) In Lazari resuscitatione. Joh. XI. 41. *Jesus levatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Hæc gratiarum actio in miraculis a Christo adhibita ostendit, Christum divina virtute, quam secundum deitatem cum Patre & Spiritu communem & secundum humanitatem *personaliter* sibi communicatam habet, miracula fecisse. 3.) In poculi post esum agni paschalis distributione. Luc. XXII. 17. *Et accepto calice gratias egit & dixit:* εὐχαριστήσας εἶπε· *accipite & dividite inter vos.* Augustinus hoc intelligit de calice sacro, quo sanguinis sui participationem Dominus tradidit, ut per præoccupationem illa Lucas narraverit; sed commodius intelligitur de alio calice, quam de quo post consecrationem panis Lucas demum scribit; solent enim Judæi maxime in majoribus solennitatibus hoc observare, ut in symbolum concordiæ paterfamilias aut alius dignior, qui mensæ adsidet, reliquis poculum præbibat ac distribuat, quam explicationem sequitur Hieronymus in cap. XXVI. Matth.

Matth. Christus igitur, ex veteri ritu Judæorum (*), post esum agni paschalis poculum discipulis exhibens gratias egit, id est, commonefecit eos de liberatione ex Ægypto, cujus memoriale erat agni paschalis sacramentum, ac de aliis beneficiis huic populo largissime exhibitis, pro quibus cœlesti Patri gratias egit, & suo exemplo gratias illi agendas esse admonuit. 4) In sacræ cœnæ institutione & administratione: ubi notandum, quod εὐλογίας & εὐχαριστίας vocabula ab evangelistis invicem permutentur (**). Matthæus & Marcus in prima cœnæ parte tribuunt Christo εὐλογίαν, Lucas & Paulus εὐχαριστίαν. In secunda parte cœnæ Matthæus & Marcus εὐχαριστίαν Christo tribuunt, Paulus calicem vocat ποτήριον εὐλογίας 1 Cor. X. 16.

§. CXLVII. Ex quibus omnibus præsertim ex circumstantiis textus intelligitur, εὐλογίαν & εὐχαριστίαν, qua Christus in sacræ cœnæ institutione & administratione usus est, hoc complecti: 1.) Quod Christus pro salutari opere redemtionis, cujus memoriale in hoc sacramento instituturus erat, Patri cœlesti gratias egerit, nosque suo exemplo docuerit, in usu hujus sacramenti pari ratione pro isthoc summo beneficio

Quid complectatur Christi εὐλογία & εὐχαριστία.

(*) Ritus eucharisticos a servatore adhibitos cum ritibus cæteris ecclesiæ iudaicæ in multis convenire, atque ex iis explicari posse, observarunt viri eruditi. Ipsa εὐλογία aut εὐχαριστία, quam olim in institutione sacræ cœnæ adhibuit servator, *Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19.* Judæis quoque fuit in usu. Dicitur enim in tr. *berach. f. 35. 1.* אסור לאדם שיהנה מן העולם הזה בלא ברכה: *Prohibitum est homini, ulla re frui in hoc mundo sine benedictione*; & *col. 2. l. c.* כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאילו גזל להקבה: *Quicunque fruitur re aliqua ex hoc mundo sine benedictione, perinde est ac si spoliaret Deum.* Non poterat autem apud Judæos benedictio pronunciari, nisi adprehenso prius pane benedicendo. Unde λαβὼν ante vocem εὐχαριστήσας vel εὐλογήσας in verbis institutionis ponitur. Exstat hanc in rem locus in *lesusch hatzechelet num. 167. §. 3.* Idem ex *orach chajim* copiosius edisserit Jo. Buxtorffius in *synagog. iudaicæ cap. XII. XVIII.* Ipsa autem εὐλογία aut εὐχαριστία secundum Judæos hisce verbis absolvitur: ברוך אתה יהוה אלהינו מלך העולם המוציא לחם מן הארץ *benedictus sis, domine, Deus noster, rex mundi, qui producis panem e terra.* Vid. *mischnam* cod. *berachot cap. VI. §. 1.* Quæ verba dum recitat pater familias, ambas suas manus pani impositas habet. Nec ulli dubitamus, servatorem hacce formula sæpius usum esse, cum pani benediceret, licet haud credibile sit, totam Christi εὐλογίαν in sola illa Judæorum benedictione constitisse, prout in *historia* nostra *ecclesiast.* germanico sermone edita *p. 234.* observavimus. Atque hinc procul dubio factum est, ut coena dominica a veteribus *eucharistia* subinde fuerit adpellata.

Quemadmodum vero pani fuit benedictum a Judæis, ita & vino, secundum vulgatum canonem: צריך לברך על כל כוס וכוס *benedicendum est super quolibet poculo.* Scilicet pater familias, poculum vino repletum consecraturus, ambabus manibus suis illud adprehendit, eiusdemque consecrationem auspicaturus, tollit illud dextra manu, aitque ברוך יהוה אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן: *benedictus sis, domine Deus noster, rex mundi, creans fructum vitis.* Hinc poculum sacramentale a gentium apostolo vocatur τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, כוס של ברכה, vel, prout secundum dialectum talmudicam exprimitur אכסא דברכתא 1 Cor. X. 16. Plura hanc in rem non addimus, sed lectores nostros remittimus ad Jo. Buxtorffii *dissertat. de cœnæ dominicæ primæ ritibus & forma*, quæ exstat inter eius *dissertationes philologico-theologicas*; itemque b. cancell. Pfaffii *dissertat. de oblatione veterum eucharistica*, quæ eius *syntagmati dissert. theolog.* inserta est, §. *IV. p. 229. seqq.*

(**) Atque ex hac ipsa vocum permutatione facile iudicari potest, quid pronunciandum sit de quæstione, quam nonnulli moverunt: num εὐχαριστήσας & εὐλογήσας unum idemque significent? Scilicet significatus *generalis* utique idem est, prout recte observarunt doctores scholastici, sed significatus *specialis* est diversus. Nam εὐχαριστία est *gratiarum actio* pro donis acceptis; εὐλογία autem est *benedictio*, qua ad certum ac determinatum usum dona ista sanctificantur. Vid. laud. Pfaffium in dissert. de *consecratione veterum eucharist.* quæ in *syntagm. dissert.* exstat, §. *I. p. 404.*

cio gratias Deo agendas esse. 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque ex hoc pane manducaveritis, & ex hoc calice biberitis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* 2.) Quod cum Patre & Spiritu sancto de institutione hujus sacramenti consulraverit, quemadmodum in creatione hominis Pater cum Filio & Spiritu sancto consultasse legitur Gen. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* 3.) Quod pro conservatione ecclesiæ & in ea hujus sanctissimi mysterii seriis precibus oraverit, quemadmodum ante electionem apostolorum tam serio & instanter orat, ut in illa oratione totam noctem transigat, Luc. VI. 12. quibus precibus cœlestem benedictionem & salutarem ministerii cursum apostolis impetravit. 4.) Quod hac εὐλογία externa symbola panis & vini ab usu vulgari separaverit, consecraverit & sanctificaverit, ut mediantibus illis corpus & sanguinem suum discipulis suis distribueret, quemadmodum εὐλογία diei septimæ Gen. II. 3. ejusdem sanctificationem & ad cultum divinum destinationem complectitur. 5.) Quod virtute divina sacramentalem corporis & sanguinis sui mediante pane & vino benedicto distributionem perfecerit, cum naturæ corporis & captui rationis fortissime repugnare videatur, pluribus in locis in cibum ac potum cœlestem hæc distribui, quemadmodum in miraculosa cibatione & Lazari resuscitatione hoc fine εὐχαριστία & εὐλογία utitur, ut virtutem illam, qua hæc miracula operatus est, cœlestem ac divinam esse agnosceremus. 6.) Quod hac εὐλογία & εὐχαριστία a Patre cœlesti impetraverit, ideoque ordinarit & instituerit, ut, quoties juxta hanc institutionis normam sacra cœna in ecclesia celebratur, verum ipsius corpus & verus ipsius sanguis mediantibus externis symbolis distribuantur & accipiantur, quemadmodum benedictio Dei in prima creatione semel prolata in hodiernum usque diem efficax est. Gen. I. 22. & 28. Si absque hac εὐλογία Christi foret, nec in prima cœna, nec in nostra corpus & sanguis ipsius distribueretur.

Quibus verbis Christus consecraverit.

§. CXLVIII. Quibus verbis Christus consecraverit, operose quærunt Scholastici, quorum opiniones varias ac diversas enumeravimus superius §. 129. q. 2.(*) *Quidam* statuunt, nobis plane ignotum esse, qui-

(*) Conferri quoque heic meretur GERHARDI nostri *confess. cathol. libr. II. part. 2. art. XIV. cap. II.* ubi pariter historiam diversarum hac de re opinionum contexuit. Idem egerunt EDMUNDUS ALBERTINUS *de eucharistiæ sacramento libr. I. cap. IV. p. 7.* RICH. SIMONIUS in *not. uberiorib. ad apolog. Gabr. Severi,* RUDOLPHUS HOSPINIANUS, in *histor. sacrament. part. I. libr. IV. cap. IX. §. 3. seqq. & cap. X. §. 5.* HONORATUS TOURNELY, theologus Parisiensis, in *prælect. theolog. tom. III. quæst. IV. art. VIII. p. 386.* itemque ex nostris C. M. PFAFFIUS in diss. modo excitata *de consecr. veter. eucharist. §. I. p. 401. seqq.* inprimis vero §. XIX. p. 525. *seqq.* ubi ex CHRISTOPHORI DE CAPITE FONTIUM, episcopi Cæsarienſis, *epistola ad Sixtum V.* sex recenset opiniones diversas. Sunt nimirum I) nonnulli, qui statuunt, Christum nullis omnino verbis consecrasse. Hanc sententiam CHRISTOPHORUS tribuit INNOCENTIO III. & IV. GABRIELI BIELIO, GODOFREDO *Fictavienſi*, GUIL. DURANDO, CATHARINO aliisque. Discedunt ab his II) qui fatentur quidem, Christum, cum benedixit, consecrasse, verbisque aliquibus ad hoc usum fuisse, sed nobis incognitis. Alii vero III) contendunt, Christum verbis istis: *hoc est corpus meum*, benedixisse, sed bis prolatis, semel cum benedixit, deinde cum distribuit. Atque hæc est sententia STEPHANI ÆDUENSIS in libro *de sacram. altar. cap. IV.* Sunt vero IV) alii, qui dicunt, Christum, dum benedixit, verba ista protulisse, & per ea consecrasse. Et, quando iis opponuntur scriptores sacri, dicentes, Christum dando talia verba protulisse, respondent, evangelistas in describenda Christi cœna ordinem haud servasse. Sequitur V) sententia THOMÆ, cui cum religioni esset dicere, non eundem fuisse ordinem evangelicæ narrationis, qui fuit rerum gestarum, ait, horum verborum prolationem durasse, dum Christus benediceret, frangeret & daret, & sic salvari posse, quod per illa benedixerit. Ast hanc opinionem absurdam existimantes SOTUS, CAIETANUS, CATHARINUS, licet

quibus verbis Christus consecraverit. *Quidam* putant, Christum formasse signum crucis super panem, atque hoc modo absque omni verborum forma consecrasse. *Quidam* statuunt, quod Chri-

eius alioqui essent sectatores, eam deserendam existimarunt. Quare VI) SOTUS & CAIETANUS statuunt, eundem fuisse ordinem rerum & narrationis evangelicæ, & Christum, non dum benedixit, sed dum dedit, consecrasse, dum, post verba, *accipite & manducate*, dixit: *hoc est corpus meum*. Nostro hocce ævo PROSPER cardinalis LAMBERTINUS, po ea BENEDICTUS *XIV*. ecclesiæ Romanæ præsul, isque doctissimus, in *commentario de Missæ sacrificio, sect. I. §. CCLV. p. 97.* recensitis aliorum sententiis, eam amplexus est, quam supra *num. IV.* edisseruimus. Ita enim *loc. cit.* mentem suam effert: „Si quis nostram roget „sententiam, dicimus, apertum simplicem„que nobis illum videri ordinem, quem de„monstrat SYLVIUS *3. par. quæst. 78. quæ„sit. 2.* Itaque scribit, Christum Jesum acce„pisse panem, gratias Deo patri suo egisse, „benedixisse, deinde consecrasse, ac dixisse: „*accipite, & manducate; hoc est corpus meum;* „ac demum fregisse, & discipulis dispertiisse. „Etsi enim, ita pergit, non exploratum, pa„nisne consecratus antea fuerit, deinde fra„ctus; verisimilius tamen esse, Christum pa„nem prius consecrasse, ac postea fregisse, „tum quod apostolus scripserit 1 ad Corinth. „cap. X. *panis, quem frangimus, nonne parti„cipatio corporis domini est?* ex quo illud col„ligitur, sub specie panis, qui frangebatur, „fuisse corpus Christi, antequam frangeretur; „tum etiam, quia in Missa prius panem conse„cramus, quam frangimus, quod quidem in„dicium facit, in hunc modum rem a Christo „gestam esse. Quod vero ad evangelistarum „narrationem pertinet, ait SYLVIUS, eos „res a Christo gestas narrasse, non vero earum „seriem & ordinem; quod confirmat ex Marc. „cap. XIV. ubi ait evangelista: *& biberunt „ex illo omnes;* cum tamen nondum narrasset, „Christum dixisse: *hic est sanguis meus;* Chri„stum vero vinum consecrasse, antequam ex „eo biberent apostoli, exploratissimum est„. Hactenus PROSPER LAMBERTINUS, pater purpuratus.

Notandum tamen porro, eos, qui consecrationem in verbis: *hoc est corpus meum*, sitam esse arbitrantur, rursus in diversas partes abire. Nonnulli enim statuunt, sola illa servatoris verba, quæ modo recitavimus, ad consecrationem sufficere; atque hæc plerorumque scholasticorum est sententia. Alii vero contendunt, consecrationem non tantum in verbis Christi, sed etiam in precibus ab ecclesia institutis, quin toto canone Missæ consistere. Ita quidem existimavit SCOTUS in *IV. dist. qu. 2.* quem alii heic secuti sunt, cumprimis doctores Colonienses in *antididagmate*, excitati a PFAFFIO in *dissert.* supra adlegata *de consecr. vet. euch.* §. XX. Recentiori ævo hancce sententiam denuo propugnandam susceperunt ANTON. AUGUSTINUS TOUTTÆUS *dissert. III.* inter eas, quas cum CYRILLI *operibus* edidit, & LE BRUN, doctissimus oratorii Parisiensis presbyter, in opere gallico Parisiis *MDCCXXVI.* in 8. edito, cui titulus: *explication litterale historique & dogmatique des priéres & des ceremonies de la Messe, tom. III p. 212. seqq.* Ibi enim multis, tum ex liturgiis orientalibus, tum ex scriptis patrum congestis testimoniis comprobare conatus est, formam eucharistiæ non tantum verbis Christi perfici, sed etiam precibus, quæ præcedunt apud Latinos & sequuntur apud Græcos solemnia ista optimi servatoris verba: *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, ita, ut ex duplici illa forma partiali atque inadæquata, verbis scilicet & precibus moraliter coniunctis, coalescat forma totalis atque essentialis eucharistiæ. Vide de hocce libro, magno eruditionis adparatu conscripto, *le journal des savans tom. LXXXI. p. 198. seqq. p. 406. seqq.* & *p. 494. seqq.* itemque *vol. LXXXII. p. 246, 403.* & *481. seqq.* Verum adversus TOUTTÆUM mox insurrexit JOSEPH. AUGUSTINUS ORSI, ordinis prædicatorum, sanctæ indicis congregationis secretarius, in *dissertat. de invocatione Spiritus S.* in *liturgiis Græcor. & orientalium p. 168.* Quod vero ad LE BRUNIUM attinet, contra eundem in aciem processit eruditus societatis Jesu presbyter, isque Gallus, qui Parisiis *MDCCXXVII.* libellum in 12. edidit, sub titulo: *refutation de la dissertation du* R. P. LE BRUN *sur la forme de la consecration de l' eucharistie &c.* quem tamen laudatiss. LE BRUN in *défence de l' ancien sentiment sur la forme de la consecration de l' eucharistie &c.* a Paris *MDCCXXVII. 8.* depexum dedit; cumque & PETRUS FRANCISC. COURAYERIUS se ei opponeret in *relation historique & apolog. tom. II. p. 229. seqq.* eidem pariter respondit LE BRUN, atque huic controversiæ tandem immortuus est anno *MDCCXXVIII.* Qui plura de eadem nosse voluerit, adeat

Christus illa verba: *Hoc est corpus meum*, bis protulerit, primo secrete ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum. *Quidam* dicunt, Christum his ipsis verbis aperte prolatis

Ll 2 con-

eat *le journal des savans tom. LXXXVII. p. 696. seqq.* ubi & vita viri doctissimi edisseritur. Add. *die unschuldige Nachrichten* ad ann. *MDCCXXXIV. p. 642. seqq.* Legenda etiam, quæ hanc in rem scripserunt HONOR. TOURNELY in *prælect. theolog. tom. III. p. 386.* edit. Colon. & cardinalis LAMBERTINUS, supra iam nobis laudatus, *loc. cit.* §. *CCLXV. p. 100. seqq.* qui in communi ac recepta ecclesiæ Romanæ sententia adquiescunt, aliisque persuadere conantur, „ constantem esse utriusque ecclesiæ occidentalis & orientalis consensum, ut „ nuda & præcisa forma consecrationis consistat in Christi verbis, *hoc est corpus meum*, „ *hic est calix sanguinis mei*, omnibus ab ea „ precibus exclusis, tum quæ præcedunt, tum „ quæ sequuntur„ quæ verba sunt laudatissimi patris purpurati.

Instituti nostri ratio iam haud patitur, ut longam de hocce argumento cum dissentientibus controversiam nectamus. Quapropter paucis duntaxat ea, quæ dici hanc in rem merentur, heic delibabimus. Notamus itaque I) ipsa verba, queis Christus in consecratione eucharistiæ usus est, in sanctioribus litteris, elata haud exstare. Solas quippe voces εὐλογήσας *Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22.* & εὐχαριστήσας *Luc. XXII. 19.* quibus *consecratio* innuitur, in institutione sacræ cœnæ adnotatas deprehendimus, licet, quibus in verbis εὐλογία & εὐχαριστία consistiterit, haud exprimatur. Quæ enim mox subsequuntur: *dedit discipulis, dixitque: accipite ac comedite: hoc est corpus meum*, cum in distributione demum fuerint prolata, consecrationem antea iam factam præsupponunt. Nec tamen, quod II) notamus, improbabile videtur, Christum eadem εὐλογίαν, quam, ut supra §. *146. p. 264.* adnotavimus, Judæi olim adhibere solebant, usum esse. Quum vero III) verba illa Judæis usitata ad sacramentum eucharistiæ instituendum haud sufficiant, in eorum vel tandem descendimus sententiam, qui aiunt, alia quædam addidisse optimum servatorem, instituto huic inservientia; prout non sine ratione conficit ipse GERHARDUS, cuius hanc in rem cogitata infra §. *147.* exhibentur. Scilicet post εὐχαριστίαν seu gratiarum actionem, qua Christus Deum patrem, ob ingentia beneficia in hominum genus collata, & quod panem etiam ac vinum in usum hominum creasset, laudabat, eundem quoque invocavit, (quod vox εὐλογίας innuit) ut virtute sua infinita, per Spiritum sanctum, elementa, panis & vini cum corpore & sanguine suo unita, sacramentum novi fœderis fierent, quo passionis mortisque suæ memoria inter mortales conservaretur. Hanc circiter fuisse summam precum, quas Christus in institutione sacræ cœnæ ad patrem suum fudit, longe probabilissimum nobis videtur. Licet autem IV) nonnulli optaverint, ut ipsa consecrationis formula, qua servator usus est, ad præscindendas lites in ecclesia orituras a scriptoribus sacris litteris fuisset tradita, valde tamen multumque dubitamus, an etiam hac ratione ingentes illæ ac diuturnæ lites, quæ circa hocce sacramentum inter christianos successu temporis exortæ sunt, evitari potuissent. *Quod si* tamen V) *Christus voluisset illa ipsa verba, quibus ille benedixit panem & vinum, ecclesiæ tradere, certe evangelistæ ea expressissent; saltim Paulus, cui seorsim a Christo revelata fuit tota ipsius actio in eucharistiæ prima institutione, ea non omisisset; sed cum & evangelistæ & Paulus ea sub vocabulo generali benedictionis & gratiarum actionis exposuerint, manifestum est, Christum formam particularem illius benedictionis libertati ecclesiæ reliquisse*, uti scribit MARCUS ANTONIUS DE DOMINIS, archiepiscopus olim Spalatensis, *libr. V. de republ. ecclesiast. cap. VI.* Adiungimus vero VI) cautelam, quam verbis hisce iure meritoque adiunxit b. cancell. PFAFFIUS in diss. supra adlegata *de consecrat. veter. eucharist. §. I. p. 403.* ita nimirum explicandam esse hancce libertatem, „ ut „ ad sola verba, queis preces consecratoriæ „ constant, restringatur, cum ad consecrationis „ essentiam pertineat tum recitatio verborum „ institutionis, tum *ut faciamus ea, quæ Christus fecit*, iuxta CYPRIANUM *epist. LXIII.* „ Hinc merito CHEMNITIUS: *quando institutio recitatur, & non facimus, quod Christus in cœna fecit & faciendum iussit, tunc non est consecratio, sed tantum historica recitatio. Quando vero verba recitamus, & facimus, quod iussit, tunc verbis illis benedicimus pani & poculo*„ quem CHEMNITII locum GERHARDUS quoque infra adlegat §. *155.* Jam vero, ubi a Christo ad eiusdem apostolos nos convertimus, VII) notamus, ex eorum scriptis haud liquere, quanam consecrandi formula

consecrasse: *Hoc est corpus meum.* Evangelistas vero non tenere hunc ordinem in recitando, quo res sunt gestæ, idque inde esse, quod benedictio prolationi verborum illorum præmittatur.

la ii usi fuerint, licet nonnulli eandem, quam Christus usurpavit, εὐλογίαν eosdem adhibuisse, ex *1 Cor. X. 16.* colligant. Sunt quoque nonnulli, qui apostolos oratione dominica olim consecrasse arbitrantur, secuti hac in re GREGORIUM cognomine *magnum*, ecclesiæ Romanæ præsulem, seculo sexto clarum. Is enim *epistol. libr. VII. epist. LXIII. ad Joannem, episcopum Syracusanum*, aut, secundum recentiorem dispositionem, *libr. IX. epist. XII. tom. II. oper. p. m. 940.* sequentem in modum scribit: *orationem dominicam idcirco mox post precem* (i. e. canonem) *dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent.* Sed nullo certo eum niti fundamento, viri docti observarunt. Vid. quæ ad hunc GREGORII locum adnotavit PFAFFIUS *loco excitato §. II. p. 408. seqq.* Ab apostolis ad viros apostolicos cæterosque cœtus christiani doctores, eosque antiquiores progressuri, VIII) paucis notamus, hanc communem ecclesiæ veteris, tam Græcæ quam Latinæ, fuisse sententiam, non tantum verbis institutionis, sed precibus inprimis veram fieri sacræ eucharistiæ consecrationem. Invocare enim solebat sacerdos Spiritum S. ut de cœlo descendens symbola eucharistica sanctificare, & panem corpus, vinum vero sanguinem Christi efficere velit. Græci hanc precandi formulam ἐπίκλησιν vocant, eandemque in hunc usque diem usurpant. Nec sane recens hoc Græcorum inventum est, prout cardinalis BONA aliique ecclesiæ Romanæ sectatores contendunt, sed ex antiquissimo Græcæ Latinæque ecclesiæ usu repeti debet, prout infra ad §. 152. uberius ostendemus. Fatetur quoque hoc ipsum EUSEBIUS RENAUDOTIUS *tom. I. collect. liturgiarum orient. p. 246.* Nec tamen IX) prætermittendum heic est, *orationem* quoque *dominicam* antiquissimis iam temporibus tanquam ordinariam ac constantem partem celebrationis sacræ cœnæ adhibitam, ac communiter precibus consecrationis adiunctam fuisse. Certe AUGUSTINUS, celeberrimus ille Hipponensium præsul, plus simplici vice expressis verbis scribit: *post sanctificationem sacrificii dicimus orationem dominicam.* Vid. eiusdem *homil. LXXXIII. de verbis p. 556.* & rursus *epist. LIX. ad Paulin. quæst. V.* ita infit: *precationes facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in dominii mensa, incipiat benedici: orationes, quum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum commi-*

nuitur, quam totam petitionem fere omnis ecclesia DOMINICA ORATIONE *concludit.* Tacemus alia loca in CYRILLI Hierosolymitani, HIERONYMI, CHRYSOSTOMI aliorumque patrum scriptis passim obvia, atque collecta in JOSEPHI BINGHAMI *originib. seu antiquitat. ecclesiast. vol. V. libr. XIII. cap. VII. §. 3. p. 238. seqq.* Addimus X) & hoc, usu receptum fuisse in antiquiori ecclesia christiana, ut precibus consecratoriis *verba institutionis* sacræ cœnæ adderentur, atque hinc factum esse, ut nonnunquam precibus, nonnunquam vero verbis institutionis consecrationem adscripserint prisci cœtus christiani doctores, licet cum verbis istis institutionis preces consecratorias semper combinaverint, symbolaque eucharistica virtute Spiritus S. sanctificaverint. Atque hunc ipsum per invocationem Spiritus S. consecrandi morem, quod XI) notamus, ecclesia Græca in hunc usque diem servavit, nec antiquas suas liturgias mutavit; cum contra ecclesia Romana perantiquum illum ritum, in ecclesia etiam occidentali olim receptum & diu usitatum, processu temporis prorsus abrogaverit. Habemus itaque heic luculentum variationis circa ipsam sacræ eucharistiæ essentiam in ecclesia Romana factæ, exemplum; hæc quippe hodie docet, non precibus, sed solis servatoris verbis H. E. C. M. a sacerdote, Romano ritu inaugurato, prolatis, corpus Christi confici, idque fieri in missa. Subiungimus tandem XII) nostræ ecclesiæ sententiam, quæ hunc redit: preces cum verbis institutionis esse coniungendas, ita quidem, ut ad exemplum veteris ecclesiæ per preces, sive orationem dominicam (quoniam de formula precationis Christi atque apostolorum non constat) symbola ad sacrum usum destinentur, per verba institutionis vero, accedente usu, corpus & sanguis Christi cum pane & vino uniantur. Unde distinguere solent theologi nostri inter consecrationem *totalem* & *partialem*, *destinativam* & *unitivam*. *Partialis* & *destinativa* consecratio fit per preces & verba institutionis, quæ non sine precibus internis sunt recitanda. *Totalis* autem atque *unitiva* repetitis verbis institutionis, & accedente ipsa actione *dandi* & *recipiendi*, seu, ut supra diximus, *accedente usu*, præstat coniunctionem rei cœlestis cum terrena. Conferenda, quæ in libris ecclesiæ nostræ symbolicis hanc in rem leguntur, speciatim in *catechismo maiori* b. LUTHERI *p. 553.* & *554.* itemque

tur. Hæc omnia breviter complectitur Gabr. Biel, sic scribens lect. XXXVI. in can. miss. *Circa haec verba* (inquit) *benedixit, fregit, deditque &c. dubium est, quem ordinem Christus observavit, & quibus verbis consecravit, & sunt diversae opiniones doctorum. Nam potuit Christus tanquam Deus consecrare, & panem in corpus suum convertere ac vinum in sanguinem propria virtute divina sine prolatione verborum quorumcunque, sicut sola voluntate cœlum & terram a principio creavit. Potuit etiam proferre verba quaedam secreta, & sic benedicendo consecrare. Potuit & his verbis:* Hoc est corpus meum, *quibus nos consecramus, & ipse conficere. Potuit denique prius conficere, & postea dividere, ac dicere:* Accipite, *aut prius dividere, & post tradendo & dicendo:* Hoc est corpus meum, *consecrare. Quod horum autem fecerit, non est certum ex scriptura.* In recentioribus pontificiis scriptoribus itidem talia opinionum divortia occurrunt. Ambrosius Catharinus archiepiscopus Compsanus integro libro Romæ impresso, ut & Cajetanus, statuunt, *Christum aliis verbis consecrasse panem, quam ipsi in suis missis factitent*, idque probare conantur ex Innocentio III. Romano pontifice. Verba Catharini refert Flacius in apol. confess. Antverp. cap. XV. de missa. p. 188. & in libr. de diss. pontif. pag. 151. *Aufert* (inquit) *praedicta opinio multas & veras difficultates, ob quas ridentibus haereticis ita laborant nostri, sit fas vera loqui, ut vix unus cum altero conveniat, quod ex parte jam indicavimus: Haec ut vere dixit Innocentius, solvit laqueum, a quo sese illi expedire non valent.* Bellarminus lib. IV. de sacram. euchar. cap. 13. §. Ex eodem: *Benedictio aut illis verbis facta est:* Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, *ut catechismus Romanus & theologi communiter docent: aut certe in evangelio non habemus, quibus verbis Dominus benedixerit.* Ibidem §. Quod attinet: *Sententia communis non solum theologorum recentiorum, sed etiam veterum patrum est, Christum consecrasse illis verbis:* Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus. *Ita enim docent Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus & alii. Praeterea sunt urgentissimae rationes. Nam si Dominus alio modo consecrasset, alio nos consecrare vellet, non dixisset:* Hoc facite. *Deinde sacerdos in persona Christi consecrat, & ideo non dicit:* Hoc est corpus Christi; *sed* hoc est corpus meum, *& nihil est aliud nostra consecratio quam repetitio illius primae, quae a Christo facta est. At quomodo in persona Christi id facimus, & quomodo ista est illius primae repetitio, si Christus sola voluntate, nos verbis consecramus? Denique conveniunt omnes, Dominum instituisse sacramentum eucharistiae, cum ipse primus eucharistiam consecravit, ergo oportuit eum non solum consecrare, sed etiam consecrare ritu sacramentali, & illo ipso ritu, quo deinceps uti debeamus. At consecrare sola voluntate, non est consecrare ritu sacramentali, sed est miraculo quodam extraordinario effectum producere sacramentalis consecrationis sine sacramentali consecratione.* Hæc Bellarminus, quæ nobis non improbantur, sed ab omnibus pontificiis haudquaquam probantur, unde ipse Bellarminus in eodem cap. §. *Tertia ratio*, sic scribit: *Cabassilas in explicatione liturgiae cap. 30. & Latini fere omnes fatentur, Christum consecrasse eucharistiam verbis illis:* Hoc est corpus meum, *sine aliis precibus. Tametsi enim Innocentius III. lib. IV. de mysteriis missae cap. 6. opinatus sit, Christum nullis verbis consecrasse, id tamen communiter refelli solet,* (atqui sententia Romani

que in *form. concord. p. 599. 747.* & *759.* ubi Jo. Chrysostomi verba in medium adducuntur, ecclesiæque Romanæ sententia proscribitur, quæ recitationi verborum H. E. C. M. tanquam operi sacerdotis magico vim consecrationis adscribit. Dependet quippe consecratio eucharistiæ ὁλικῶς accepta non a nuda pronunciatione verborum institutionis, sed *a Christi promissione* & toto huius sacramenti actu, qui a precibus, sive orationis dominicæ recitatione incipit, &, dum omnes communicaverint, perdurat. Qui plura de hocce argumento legere voluerit, adeat B. Pfaffium in differt. sæpius iam excitata *de consecr. veter. eucharist.*

pontificis non ita communiter refelli solet) & *ipse idem Innocentius in epistolis decretalibus* cap. cum Marthæ, *de celebratione missarum admittit, Dominum consecrasse illis verbis, quae in evangelio habentur.* (Imo vero ad traditionem ibidem recurrit, & ex illa sciri adserit, quibus verbis Christus in consecratione fuerit usus. *Sane multa*, inquit, *tam de verbis, quam de factis dominicis invenimus ab evangelistis omissa, quae apostoli vel suppleviſſe verbo, vel facto expressisse leguntur*, ubi obiter notandum, Bellarminum, uti etiam Azorium libr. II. instit. moral. cap. 9. mendacii arguere Costerum, qui part. III. apolog. cap. 6. disputat, Innocentium III. pontificem nusquam hoc adserere, quod Christus aliis verbis consecraverit quam his: *hoc est corpus meum.*

Consecratio, qua ministri ecclesiæ utuntur.

§. CXLIX. Cæterum cum Christus in institutione sacræ cœnæ expresse jubeat, in ejusdem administratione nos hoc facere, quod ipse fecit, ex eo sequitur, quod ministri ecclesiæ, sacram cœnam celebraturi, verba institutionis repetere, panem & vinum hoc modo consecrare & communicantibus distribuere debeant. Quando igitur minister verba institutionis dominicæ repetit, iisdemque panem & vinum consecrat, ac communicantibus distribuit, tunc hæc pronunciatio non est historica solum repetitio illius, quod Christus fecit, quo modo in concionibus ad populum habendis isthæc verba repeti solent, sed minister ecclesiæ hac solenni repetitione institutionis 1.) publice profitetur, quod sanctissimum Christi testamentum juxta ipsius institutionem, ordinationem ac mandatum celebrare velit, ac proinde quod nolit privato arbitrio, sed ut *œconomus mysteriorum Dei* agere. 2.) Hac ipsa actione separat externa panis & vini symbola a communi & vulgari usu, ut non amplius sint nudus panis ac nudum vinum, sed organa ὀχήματα ac media, per quæ distribuatur caro & sanguis Christi. 3.) Serio precatur, ut Christus, vi promissionis suæ in hac sacramentali actione præsens, ipsemet mediantibus hisce externis symbolis corpus & sanguinem suum communicantibus distribuat. 4.) Testatur, quod vi ordinationis ac institutionis Christi veracis ac omnipotentis, panis benedictus sit communicatio corporis, & vinum benedictum sit communicatio sanguinis ipsius. 5.) Graviter proinde monet omnes ad eucharistiæ sacramentum accessuros, ut fidem habeant verbis Christi contra omnes obstreperæ rationis contradictiones, utque in vera pœnitentia, sincero Dei timore, debita reverentia & serio vitam emendandi proposito accedant, perinde ut de verbis baptismi diximus tractat. proxime præced. §. 79.

§. CL. Apostolus 1 Cor. X. 16. poculum eucharisticum notanter vocat τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, *calicem benedictionis, cui benedicimus*; bina εὐλογίας repetitione & Christi & nostram benedictionem complexus. Quemadmodum Christus baptismi institutione & susceptione in proprio suo corpore sanctificavit aquas, ut in usu sacramentali sint efficax organum ac medium regenerationis ac renovationis: ita quoque εὐλογία sacramentalis in institutione sacræ cœnæ semel prolata non in prima tantum cœna, sed etiam in nostra adhuc hodie efficax est, ut externa panis & vini symbola sint corporis & sanguinis sui distribuendi & accipiendi media. Hanc εὐλογίαν Christi nostra εὐλογίᾳ repetimus, quando τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, poculum illud, cui Christus jam ante in primæ cœnæ administratione benedixit, & ex qua benedictione in nostrum etiam poculum eucharisticum benedictio descendit, quando (inquam) poculum illud εὐλογοῦμεν, hoc est, εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν, ut Oecumenius explicat, ἁγιάζομεν καὶ καθιερῶμεν, proinde recitatio verborum cœnæ requisita mandato Christi: *Hoc facite*, non eo solum spectat, ut auditorum fides de substantia & fructu hujus sacramenti per verba testamenti Christi excitetur, confirmetur & obsignetur, sed etiam ut externa symbola panis & vini ab usu vulgari separata ad usum sacramentalem ac sacrum destinentur, sanctificentur ac consecrentur, ut cum his corpus & sanguis Domini distribuantur, exhibeantur & sumantur.

Explicatio loci apostolici: Poculum benedictionis, cui benedicimus, &c.

§. CLI.

Quæ & qualis sit ministrorum consecratio.

§. CLI. Hæc eucharistiæ confecratio 1.) non est magica quædam incantatio vi verborum certorum essentialiter transmutans panem in corpus & vinum in sanguinem Christi, sicut sacrificuli pontificii fingunt, quod propter rasuram & unctionem vi canonis & intentionis in fide ecclesiæ ex opere operato conficiant sacramentum, & externa symbola in corpus & sanguinem Christi essentialiter convertant (*). 2.) Nec est historica tantum institutionis repetitio, sicut Calviniani recitationem verborum institutionis parvi faciunt, (Bucerus in cap. XXVI. Matth.) eandemque ad populum saltem dirigendam, nequaquam vero ad externorum symbolorum sanctificationem spectare asserunt, (Calvinus lib. IV. instit. cap. 17. §. 39. 3.) Sed est efficax ἁγιασμὸς, quo juxta mandatum, ordinationem & institutionem Christi ex prima cœna sanctificatio in nostram cœnam quasi derivatur, & externa elementa ad usum hunc sacrum destinantur, ut cum his corpus & sanguis Christi distribuantur. Non quidem tribuimus recitationi verborum institutionis hanc vim, ut corpus & sanguinem Christi occulta aliqua virtute verbis inhærente præsentia faciat, (sicut magi sua carmina de Jove Elicio, aut de luna cœlo deducenda certis verbis recitant:) multo minus, ut externa elementa essentialiter transmutet; sed sincere eredimus ac profitemur, quod præsentia corporis & sanguinis Christi a sola voluntate & promissione Christi & a perpetuo durante primæ institutionis efficacia in solidum dependeat; interim tamen addimus, primævæ illius institutionis repetitionem, a ministro ecclesiæ in celebratione eucharistiæ factam, non solum historicam ac doctrinalem, sed etiam consecratoriam esse, qua juxta ordinationem Christi externa symbola vere & efficaciter ad usum sacrum destinantur, ut in ipsa distributione sint corporis & sanguinis Christi κοινωνία, sicut apostolus diserte loquitur, 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi: poculum benedictionis, cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi.* Ipse Dei Filius verba institutionis semel prolata per os ministri repetit, & per ea panem & vinum sanctificat, consecrat & benedicit, ut sint corporis & sanguinis distribuendi media.

Quomodo pii veteres de consecratione loquantur.

§. CLII. Inde pii veteres de consecratione eo modo loquuntur, ut & historicam tantummodo repetitionem & pontificiam transsubstantiationem excludant. Justi-

(*) Hinc magiæ pontificios Lutherani adcusant, non quidem quod aliquo modo verba institutionis a sacerdote recitata causam adferant præsentiæ sacramentalis, sed quod ex illorum sententia sacerdos vi & potestate spirituali per sacramentum ordinis animæ ipsius data & per characterem indelebilem signata, intendens necessario in specie eucharistiam conficere, verbis consecratoriis, quæ per modum causæ instrumentalis creata quadam virtute consecrationem efficiant, panem in corpus Christi transmutet & convertat, ita ut consecrationis virtus partim sit in sacerdote, partim in verbis consecrationis prolatis. GERHARDUS.

Pontificios statuere, solis Christi verbis: HOC EST CORPUS MEUM, symbola eucharistica consecrari ac mutari, in præcedenti nota iam observavimus. Hinc, secundum missale Romanum, sacerdos post recitationem horum verborum continuo panem, tanquam in corpus Christi mutatum, cultu λατρευτὸν adorare solet. Non possumus, quin huic adscribamus ea, quæ CORNELIUS A LAPIDE ad *Esaj. cap. VII. fol. 119.* commentatus est. Ita vero ille: *per verba consecrationis uti vere & realiter transsubstantiatur panis, ita producitur, & quasi generatur Christus in altari adeo potenter & efficaciter, ut, si Christus necdum esset incarnatus, per hæc verba H. E. C. M. incarnaretur, corpusque humanum adsumeret, uti graves theologi docent. Sacerdos est ergo quasi virgo deipara; parvus Emmanuel, quem parit, est Christus, sub parva hostia productus.* Hanc opinionem ecclesiæque Romanæ praxin BENEDICTUM XIII. P. R. in concilio Lateranensi, anno *MDCCXXVII.* habito, confirmasse, ex actis huius concilii Romæ editis, eorumque adpendice *p. 252.* observat b. DEYLINGIUS in *observat. miscell. part. I. p. 341.*

Justinus apol. II. pro christ. p. 76. *Diaconi distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sint, panem, μεταλαβεῖν ἀπὸ τῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτυ.* Pag. 77. *Eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam, τὴν δι' εὐχῆς λόγυ τῦ παρ' αὐτῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus* (*); quae vero sint illae preces, ibidem docet, immediate verba institutionis subjungens. Irenaeus lib. I. cap. 9. p. 44. vocat *λόγον ἐπικλήσεως, sermonem invocationis.* Lib. IV. cap. 34. p. 263. *Quomodo constabit eis, panem, in quo gratiae sint actae, corpus esse Domini?* Lib. V. c. 4. p. 318. *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit eucharistia corporis & sanguinis Christi.* Cyprianus lib. I. epist. ult. circa med. *Eucharistia in altari sanctificatur.* Idem (vel quicunque alius auctor) serm. de coena non longe a princ. *Immortalitatis alimonia datur a communibus cibis differens, corporalis substantiae retinens speciem, sed virtutis divinae invisibili efficientia probans adesse praesentiam. Significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filiis Abrahae facientibus opera ejus summus sacerdos panem profert & vinum:* Hoc est, *inquit*, corpus meum. *Manducaverant & biberant de eodem pane secundum formam visibilem, sed ante verba illa cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitae corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo a Domino dictum est:* Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea, *&* hic est sanguis meus, *quotiescunque his verbis & hac fide actum est, panis iste substantialis & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit &c.* Ambrosius de iis, qui initiantur myster. cap. 9. tom. IV. p. 427. *Si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur? nam sacramentum illud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Ibidem: *Non hoc est, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.* Libr. IV. de sacram. c. 4. tom. IV. p. 439. *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam per reliqua omnia, quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus, pro caeteris, ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Chrysostomus serm. de proditione Judae tom. V. p. 85. *Et nunc ille praesto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensae Domini corpus Christi facit & sanguinem, sed ille, qui crucifixus pro nobis est, sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia.* Hoc est, *ait*, corpus meum, *hoc verbo proposita consecrantur. Et*

(*) Integrum JUSTINI *martyris* locum, ex quo nonnulla duntaxat verba heic decerpsit GERHARDUS, recitavit b. cancell. PFAFFIUS in *dissert.* saepius iam a nobis adlegata, *de consecrat. eucharist. §. III. p. 412. seqq.* Memorabilis certe est iste locus, siquidem tota eucharistiam celebrandi ratio, quae JUSTINI tempore obtinuit, ex eo cognosci potest. Speciatim id quoque exinde patet, JUSTINUM consecrationem in gratiarum actione & precibus posuisse. Eandem fuisse reliquorum quoque patrum non tantum ecclesiae Graecae, sed & Latinae antiquioris sententiam, adductis eorum testimoniis luculenter comprobavit PFAFFIUS *loc. cit.* qui & in *nota* ad *§. VII. p. 430. seqq.* complures alios auctores heic consulendos adlegavit. Iis tamen, qui ibidem nominantur, addi merentur b. DEYLINGIUS, saepius iam a nobis laudatus, *observat. miscell. part. I. p. 343. seqq.* atque JOSEPH. BINGHAMUS in *origin. sive antiquit. ecclesiast. vol. VI. l. br. XV. cap. III. §. XII. p. 319 seqq.* Illud quoque paucis heic notamus, perantiquum illum per preces, Spiritusque sancti invocationem, consecrandi ritum ex antiquioribus etiam liturgiis Graecis & orientalibus demonstrari posse. Graeci invocationem istam *ἐπίκλησιν* vocarunt, eandemque hodienum usurpant. Conferenda, quae hanc in rem supra in *nota* ad *§. 148. p. 268.* diximus.

Et sicut illa vox, quae dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram, *semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae, usque ad hodiernam diem & usque ad ejus adventum, praestat sacrificio firmitatem.* Idem hom. LI. in Matth. tom. I. pag. 234. *Nonne Christum per Evangelistam loquentem audis? Credite igitur omnes, quia & nunc illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter hanc & illam. Non enim haec ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur sacerdotem corpus tibi praebere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi, arbitrari.* Idem hom. LXXXIII. in Matth. tom. I. p. 359. *Non sunt haec humanae virtutis opera, quae tunc in illa cœna perfecit. Ipse nunc quoque operatur, ministrorum nos ordinem tenemus, qui vero haec sanctificat & transmutat, ipse est Christus.* Homil. XXIV. 1 Cor. X. fol. 523. ποτήριον εὐλογίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ αὐτὸ μετὰ χεῖρας ἔχοντες οὕτως αὐτὸν ἀνυμνοῦμεν θαυμάζοντες ἐκπλητόμεινοι τῆς ἀφάτου δωρεᾶς, εὐλογοῦντες ὅτι αὐτὸ ἐξέχεεν, ἵνα μὴ μείνωμεν ἐν τῇ πλάνῃ, καὶ οὐ μόνον ἐξέχεεν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἡμῖν αὐτοῦ μετέδωκεν. *Apostolus hunc calicem benedictionis vocavit, quod eum habentes in manibus sic eum hymnis & laudibus prosequimur admirantes ineffabile donum, stupentes, benedicentes, bonisque verbis prosequentes, quod eum ipsum effudit, ne maneremus in errore, nec solum effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertit.* Augustinus lib. III. de Trinit. c. 4. circa finem: *Illud corpus Christi & sanguinem dicimus, quod ex fructibus terrae acceptum & prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis dominicae passionis. Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei &c.* (ubi Franciscus Maronius in margine notavit: *Excluditur illa virtus, quam aliqui in verbis sacramentalibus ponunt.*) Idem lib. XX. contra Faust. cap. 13. *Panis enim & calix certa consecratione mysticus fit, nobis non nascitur, & quod non ita fit, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis.* cap. *Utrum in figura* dist. 2. de consecrat. *Reliqua omnia, quae sacerdos dicit aut clerus chori canit, nihil aliud sunt, quam laudes aut gratiarum actiones, aut certe obsecrationes & fidelium petitiones: sacerdos vero consecraturus adsumit verba evangelistarum.* Eusebius Emissenus serm. V. de pasch. (*) & citatur cap. *Quia corpus* dist. 2. de consecr. *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens:* Accipite & edite, hoc est corpus meum: *& sanctificatione repetita:* Accipite & bibite, hic est sanguis meus. Damascenus lib. IV. cap. 14. *Dixit Dominus, hoc est corpus meum, & hoc facite in meam commemorationem, & omnipotenti eius praecepto efficitur, donec veniat.*

§. CLIII. Hæc cum ita sint, facile adparet, quid statuendum sit de eo, quod Bellarminus lib. IV. de euchar. c. 12. Chemnitio tribuit, quod verbis quidem a Calvino in hac quæstione dissentiat, re ipsa autem proxime accedat, id quod §. ult. sic exponit: *Chemnitium verbis quidem admittere verba Domini esse consecratoria, re ipsa autem non agnoscere ullam veram consecrationem, sed solam instructionem fidei.* Atqui diserte statuit Chemnitius & nos cum eo, verba sacræ cœnæ non solum ad fidei instructionem, sed etiam ad externorum symbolorum consecrationem adhiberi. Quomodo igitur probat Bellarminus adcusationem Chemnitio & nobis intenta-

(*) Qui sub EUSEBII EMISSENI nomine exstant sermones supposititios esse, nemo eruditorum hodie dubitat. Varias variorum de iis sententias exhibet EDMUND. ALBERTINUS *de sacramento eucharist. libr. II. p. 877. seqq.* Stili diversitas, quæ in sermonibus istis deprehenditur, evidenter indicat, eosdem non ab uno, sed a pluribus profectos esse auctoribus.

tentatam? 1.) *Quia ipsi non credunt* (inquit) *mutari panem in corpus Christi, ergo non tribuunt verbis efficaciam veram mutandi panem in corpus Domini.* Resp. ostendimus superius, inter mutationem *essentialem* & adumbrationem *significativam* dari tertium, videlicet mutationem *sacramentalem*, proinde quando inter duo opposita datur tertium, a remotione unius non licet progredi ad positionem alterius, sicut Bellarminus hoc loco procedit, ex eo, quod non tribuamus verbis sacramentalibus vim convertendi panem in corpus Christi, ἀπαιδεύτως colligens, nos statuere, quod verba cœnæ ad significandam tantum præsentiam corporis Christi cum pane adhibeantur. 2.) *Sentiunt, corpus Christi esse ubique, ergo verba non faciunt, ut corpus Christi incipiat esse praesens.* Resp. distinguenda est omnipræsentia *personalis* a præsentia *sacramentali*, ut alibi latius exponitur. 3.) *Brentius docet, ideo statui ubiquitatem, quia alioquin non potest probari praesentia corporis Domini, nisi per efficaciam consecrationis papisticae.* Resp. ostendimus superius, unicum præsentiæ sacramentalis fundamentum nos statuere in verbis cœnæ proprie & κατὰ ῥητὸν acceptis, quando autem adversarii Christum suo corpore hoc præstare posse negant, opponimus ipsis articulum unionis hypostaticæ & exaltationis ad dextram Dei, non ut distinctos præsentiæ gradus confundamus, sed ut Christo hoc non solum possibile, sed etiam facilimum esse ostendamus. 4.) *Si Chemnitius veram efficaciam mutandi substantiam panis tribueret verbis sacramentalibus, sine dubio non objiceret pontificiis magicam incantationem.* Resp. efficaciam mutandi substantiam panis, nec Chemnitius, nec quisquam nostrum verbis sacramentalibus tribuit, ex eo vero nondum sequitur, quod nudam tantummodo significationem illis tribuamus, datur enim tertium; videlicet efficax consecratio & ad usum sacramentalem destinatio. 5.) *Chemnitius cum explicat, quomodo per verba illa panis fiat corpus Christi, nihil aliud dicit, nisi nos certos reddi per ea verba, distribui in cœna Domini verum corpus & verum sanguinem Christi.* Resp. imo vero plus dicit, ut ex integro contextu & ex iis, quæ hac de re superius dicta sunt, manifestum, sic enim ibidem scribit Chemnitius part. II. exam. cap. de sacram. euchar. p. 119. „ Certum est, sacramentum non esse sine verbo, nullo igitur modo „ eucharistia potest esse sine adhibitione verbi &c. Quod si jam quæritur, quodnam sit „ illud verbum benedictionis, quo accedente „ ad panem & vinum fiat sacramentum corporis & sanguinis Domini, certe hoc extra controversiam est, sicut unumquodque sacramentum habet certum aliquod verbum Dei „ sibi proprium & peculiare, ita etiam eucharistiam habere certum proprium & peculiare „ verbum, ipsam scilicet institutionem divinam &c. *Pag. 121.* Vera igitur consecratio „ seu benedictio eucharistiæ consistit in verbis „ institutionis Filii Dei, per quam ipse nobis „ hodie & usque ad finem seculi consecrat & „ sanctificat panem & vinum, ut illam nominationem, quam natura non habent, ex gratia & virtute divina percipiant, ut sint ipsius „ corpus & sanguis. *Pag. 122.* Nulla creatura, sed solus Filius Dei virtute & omnipotentia sua efficere potest, ut panis sit ipsius „ corpus & vinum ipsius sanguis: illud autem „ in prima cœna effecit per verbum, dicens: „ *Hoc est corpus meum.* Recitantur igitur in „ nostra dominica cœna verba institutionis non „ tantum historice, sed ut ecclesiæ ostendatur, „ Christum ipsum per verbum juxta suum mandatum & promissionem in actione cœnæ adesse & potentia illius verbi exhibere vescentibus suum corpus & sanguinem. Ipse enim „ est, qui distribuit, licet per ministrum: ipse „ est, qui dicit: *Hoc est corpus meum:* ipse „ est, qui per hoc suum verbum efficax est, „ ut panis sit corpus & vinum sanguis ipsius „. *Haec Chemnitius.*

§. CLIV. Ut autem Bellarminus intelligat esse medium ac tertium quoddam inter nudam *significationem* præsentiæ corporis & inter *essentialem* mutationem externorum symbolorum in corpus & sanguinem Christi, proferimus collationis ergo hæc exempla. 1.) In prædicatione evan-

evangelii minister *legatione fungitur loco Christi*, 2 Cor. V. 20. *& homines salvat*, 1 Tim IV. 16. nimirum quia evangelium, quod prædicat, *est potentia Dei ad salutem*. Rom. I. 16. Sic in celebratione eucharistiæ minister loco Christi legatione fungitur, qui ipse ibi adest & per ministrum hæc verba sonat: *hoc est corpus meum, hoc facite*, & per illud verbum suum efficax est. Quemadmodum autem conversio & salus hominum non tribuitur personæ ministri, nec externo prædicationis sono, sed quatenus verbum prædicat, per quod Spiritus sanctus efficaciter operatur: ita quoque non minister homo sua consecratione & benedictione panem & vinum facit corpus & sanguinem Christi, sed ipse Christus verbo suo in hac actione adest, & institutionis suæ verbo, quod per os ministri pronunciatur, efficit, ut panis sit ipsius corpus & poculum ipsius sanguis, quæ sunt verba Chemnitii l. d. 2) In absolutione minister non solum declarat & significat, quid fiat, sed absolutio est efficax medium, per quod Christus confert veræ pœnitentibus, quod promisit: nec potestas clavium in nuda significatione consistit, sed adnunciatio illa remissionis peccatorum virtute Spiritus sancti efficax est, qui illam offert, applicat & obsignat vere pœnitentibus & credentibus; interim manet immotum discrimen inter remissionem Dei & sacerdotis, solus Deus remittit peccata principaliter & *αυτεξουσιως*, utens sacerdote tanquam ministro & præcone remissionem hominibus adnunciante, ut ostendimus tract. de pœnitentia §. 112. Sic minister in celebratione eucharistiæ non tantum significat Christum suo corpore præsentem adesse, sed Christus per os ministri verbum institutionis repetit, per quod externa symbola corporis & sanguinis sui distribuendi organa facit, ac per manum ministri panem eucharisticum, qui est *κοινωνια* corporis, & vinum eucharisticum, quod est *κοινωνια* sanguinis, distribuit: interim tamen solus Christus divina sua virtute & omnipotentia corporis & sanguinis sui in cœna nos participes facit. 3.) In baptismo minister non solum significat & declarat, quid fiat, sed per adspersionem aquæ verbo Dei sanctificatæ factam in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, baptizatus vere & efficaciter regeneratur, renovatur, Spiritu sancto donatur &c. interim tamen nec aqua in virtutem Spiritus transmutatur, nec regeneratio viribus hominis efficitur, sed Deo per ministrum operanti in solidum relinquitur: sic in celebratione eucharistiæ minister non tantum significat corporis & sanguinis Christi præsentiam, sed per verbum institutionis ore ministri prolatum & per distributionem externorum symbolorum, manu ministri factam, Christus vere efficax est, & corpus ac sanguinem suum communicantibus distribuit, interim tamen nec externa symbola in corpus & sanguinem Christi transmutantur, nec Christo suus honor & virtus divina, qua sola corpus & sanguinem suum præsentia facit, adimitur. Neque potest Bellarminus hanc collationem eucharistiæ cum baptismo improbare, cum ipse eadem utatur, libr. IV. de eucharist. cap. 13. §. *atque haec quidem*: sic scribens: *Eadem est ratio baptismi & eucharistiae, ut Chrysostomus docet hom. II. in 2. ad Tim. Et Augustinus c. Utrum. dist. 2. de consecrat. At in baptismo id quod sacramentum facit, non sunt humanae preces, quae praecedunt vel sequuntur infusionem aquae, sed illa verba Domini:* Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, *quae dicuntur, cum infunditur aqua &c. Ergo in eucharistia id quod sacramentum facit, non sunt preces humanae, sed verbum Domini:* hoc est corpus meum, hic est sanguis *&c.* Possent denique benedictiones variarum creaturarum olei, salis, aquæ &c. in papatu usitatæ loco instantiæ Bellarmino opponi, quæ ex ipsius hypothesi nec sunt nudæ significationes nec essentiales creaturarum mutationes, sed contenti erimus exemplis ab ipso Spiritu sancto monstratis & analogice huc adcommodatis.

§. CLV. Ergo nihil habet Bellarminus, quod in nostra de consecratione doctrina jure desiderare possit, nos autem in consecratione pontificia multa desideramus. Utpote 1.) quod statuant, *per sacramentum ordinis in animæ sacerdotis*

Quid in consecratione pontificia desideremus.

dotis causari novam quandam spiritualem potestatem, per quam sacerdos fiat habilis ad conficiendam eucharistiam, ita quidem ut sine illa nullo modo confici possit. Bellarminus libr. IV. de euchar. cap. 16. §. secundum principium: *In cujus potestatis perpetuae signum imprimatur character quidam indelebilis.* Idem libr. de sacram. ordinis c. 10. §. Jam vero; de qua spirituali potestate sacramenta conferendi recte scribit libr. I. de grat. & libr. arbitrio cap. 14. §. sed faciles: *quod sit occulta, & potius egeat fide, ut credatur inesse, quam ut ipsa fidem aliis rebus faciat.* 2.) Quod *intentionem ministri non solum in genere faciendi, quod facit ecclesia, sed etiam in specie conficiendi, eucharistiam requiri ad consecrationem*, docent, Bellarminus libr. I. de sacram. cap. 27. atque hanc intentionem constituunt causam sacramenti. 3.) Quod *verbis consecratoriis tribuant virtutem quandam creatam, quae fit consecrationis effectiva per modum causae instrumentalis.* Thomas part. III. q. 78. art. 4. Unde statuunt, *virtutem consecrationis esse partim in sacerdote, partim in ipsis verbis.* Socinus libr. IV. sent. dist. 8. & 9. 4.) Quod *nondum certi sunt de verbis formalibus consecrationis.* Bellarminus libr. IV. de euchar. cap. 15. vocat hoc *crassissimum mendacium, cum in omnibus missalibus literis magnis & saepe rubeis adscribantur verba consecrationis, ut nemo illa ignorare possit.* Atqui summa Angelica in verb. eucharist. membro 1. quaest. 24. ex Scoto disputat, *licet alia verba non sint de substantia formae quam illa:* Hoc est corpus meum, *tamen presbyterum dicentem solummodo praefata verba super panem non consecrare, cum de necessitate requiratur, ut exprimantur aliqua verba, ex quibus praefata verba solummodo determinentur ad corpus Christi, sicut fit cum dicitur, fiat dilectissimi &c. aliter nihil fieret, & hoc tene,* (inquit) *quamvis aliqui teneant contrarium & male.* Quomodo hoc convenit cum eo, quod Bellarminus h. l. scribit: *Catholici fatentur veram esse consecrationem, quae solis verbis institutionis fieret?* Et cap. 14 praeced. *Verba, quae simpliciter necessaria sunt ad consecrationem, sunt illa tantum:* Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, *reliqua omnia etsi dici debeant juxta canonem ab ecclesia institutum, & sine peccato omitti non possint, tamen non sunt ita necessaria, ut sine illis consecratio non fieret.* Innocentius III. quaestus, cum evangelistae non testentur, *Christum hoc dixisse, quod in canone missae habetur, quomodo aliquis adseverare tentaverit, eum plus dixisse, quam aliquis evangelistarum adseveret.* c. cum Marthae. extra de celebr. missarum, ad traditionem confugit. Statuit igitur, Christum iisdem verbis usum, quibus in canone missae hodie sacerdos utitur, licet evangelistae hoc non exprimant. Quomodo igitur illa tantummodo verba erunt de substantia formae, quae ab evangelistis sunt descripta? Cumque de forma consecrationis, qua Christus usus est, andabatarum more invicem pugnent, ut vidimus superius §. 129. & 148. quomodo de forma consecrationis a sacerdote usurpata certi esse poterunt? 5.) Quod *solis illis quinque verbis: Hoc est enim corpus meum, consecrationem tribuunt*, cum tamen Paulus traditurus Corinthiis, quomodo possent dominicam coenam celebrare, totam & integram institutionem recitet ac describat. Justinus etiam atque alii veteres, facientes mentionem verbi a Christo traditi, quo eucharistia consecretur, referunt se ad descriptionem institutionis, quae apud evangelistas exstet, unde ipse Bellarminus fateri cogitur lib. IV. de eucharist. c. 14. respons. ad 5. argum. *Patres per consecrationem interdum accipere totam liturgiam.* Vera igitur eucharistiae consecratio consistit non tantum in quinque illorum verborum prolatione, sed in eo, ut faciamus, quod Christus fecit, hoc est, ut panem accipiamus, benedicamus, distribuamus ac manducemus juxta Christi institutionem, ordinationem ac mandatum. *Quando institutio recitatur,* (inquit Chemnitius) *& non facimus, quod Christus in coena fecit, & faciendum jussit, tunc non est consecratio, sed tantum historica recitatio. Quando vero verba recitamus & facimus, quod jussit, tunc verbis illis benedicimus pani & poculo.* 6.) Quod *magicam quandam vim verbis consecrationis tribuunt.* Bellarminus libr. IV. de

de euchar. c. 12. §. Cum igitur: *impium & blasphemum* hoc vocat, sed audiat Bielem, qui lect. IV. in can. missæ adserit, *confectionem corporis in sacramento fieri aliqua occulta virtute non insistente ei, a quo fit, sed adsistente: secundum quem modum malefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur & extrahere lac vaccinum de sedibus vel manubriis securium, quod non fit naturali virtute maleficarum, neque ex earum merito, sed virtute occulta sive bona sive mala adsistente.* Hugo de S. Victore libr. de sacramentis, Innocentius libr. III. de myst. altaris c. 1. Honorius in gemma animæ lib. I. c. 103. & Jo. Belethus in ration. de div. offic. c. 44 referunt, *cum publice olim recitaretur canon, & ab omnibus per usum sciretur, pastores eum in agro super panem & vinum dixisse, ac tunc repente carnem & sanguinem ante se invenisse, atque inde divinitus percussos interiisse, unde usus vocis submissae in canone ortus sit.* 7.) Quod *ex traditione consecrationem constare adserunt.* Johannes, episcopus Roffensis, in defens. regiæ adsertionis cont. libr. Lutheri de capt. Babyl. sic scribit: *Sed prius illud adgrediamur & doceamus, quod citra patrum interpretationem & usum ab eisdem nobis traditum nemo probabit, ex ipsis nudis verbis evangelii sacerdotem quempiam his temporibus veram Christi carnem & sanguinem consecrare.* Ibidem: *Nam etsi Christus ex pane carnem suam & ex vino sanguinem effecerit, non ob id consequitur, virtute alicujus verbi hic positi, quoties id negotii tentaverimus, id ipsum effecturos &c. Non potest igitur per ullam scripturam probari, quod aut laicus, aut sacerdos, quoties id negotii tentaverit, pari modo conficiat ex pane & vino Christi corpus & sanguinem, atque Christus ipse confecit, cum nec istud in scripturis contineatur.* (Hæc si de pontificia consecratione Roffensis intelligit, verissima sunt, si vero in universum negat, ex scripturis consecrationem probari posse, opponimus ei mandatum Christi: *Hoc facite.*) Bellarminus libr. IV. de euch. c. 14. respons. argum. 6 hemn. quod ex consecratione panis detracta sint illa verba, *quod pro vobis frangitur vel traditur*, eo confugit, ut dicat *non posse Romanam missam, in qua haec verba omittuntur, reprehendi, cum liturgia illa sit antiquior, si a sancto Petro prodiit, ut docet Thomas* part. III. q. 38. art. 2. ad 4. *& ante eum Leo IX. epist. ad Michaelem c. 5. quam evangelium Lucae & epistolae Pauli, qui addiderunt illa verba: quod pro vobis frangitur.* Nimirum hoc est traditiones scripturæ non solum conferre, sed etiam præferre. 8.) Quod *verba institutionis mutilant & aliena eis admiscent.* Mutilant, quia omittunt verba Christi, *quod pro vobis traditur vel frangitur.* Aliena eis miscent, nimirum *in sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens:* Item: *ex hoc omnes* (manducate) Item: *& hunc praeclarum calicem:* Item: *novi & aeterni testamenti mysterium fidei.* Bellarminus l. d. confugit ad traditionem, *quod haec habeantur in liturgia Iacobi & Clementis, quod a sancto Petro ex traditione habeantur;* sed quid de iis veterum liturgiis statuendum sit, suo loco dicetur. Ipse Bellarminus in principio hujus capitis responsurus argumento Græcorum ex liturgia Jacobi & Clementis petito, dicit, *fortasse mutatum esse ordinem liturgiarum.* Ac de Petri liturgia dubitanter pronunciat, *si est a sancto Petro.* Concedit etiam *omnes veterum liturgias variare, nec ullam esse, quae habeat omnia illa verba, quae in Romana liturgia inveniuntur.* Quod Bellarminus addit, *particulas illas non pugnare cum scripturis*, id libenter concedimus, ideoque earum usum in liturgia non simpliciter improbamus, sed quod ipsis verbis institutionis inserta sint, hoc improbandum esse dicimus.

§. CLVI. Quæritur de consecratione: I.) *An commonefactiones, preces, gratiarum actiones, praesertim vero orationem dominicam verbis institutionis ac celebrationi eucharistiae addi improbandum sit?* Resp. minime vero, cum & Christus gratias egerit in prima ejusdem administratione, cum Paulus *mortem Domini adnunciare eos jubeat*, qui ex hoc pane manducant & bibunt.

Quæritur 1.) An consecrationi addenda sit oratio dominica?

bibunt. 1 Cor. XI. 26. Cum Christus non instituerit ceremoniam; cum apostoli in celebratione eucharistiæ usi fuerint oratione dominica teste Gregorio libr. VII. epist. 63.(*), Walafrido de rebus eccles. c. 22. Durando libr. VI. ration. cap. 77.(**), aliisve compluribus; cum omnes veterum liturgiæ exhortationum & precum mentionem faciant; cum baptismi administrationi commonefactiones, preces & gratiarum actiones conjungantur; denique cum ad ædificationem communicantium, videlicet ad salutarem præparationem & sumtionem istæc faciant. Quibus autem verbis illæ commonefactiones, preces & gratiarum actiones concipiendæ sint, non est a Christo vel apostolis diserte expressum, ac proinde in ecclesiæ libertate relictum. II.) *Anformatio figurae crucis super panem & calicem improbanda sit?* Resp. est hæc ceremonia adiaphora, si ut signum benedictionis & consecrationis usurpetur, nequaquam vero vis aliqua spiritualis ei tribuatur. Durandus lib. IV. ration div. offic. c. 41. num. 14. *sacerdotem* dicit *exemplo Christi panem & calicem per se crucis signaculo benedicere, quae duae cruces innuant tempus coenae & tempus gratiae, in quo duo parietes in lapide angulari conjunguntur, vel quod gigas geminae substantiae crucifigitur.* Sed usus signi crucis a Christo adhibiti est incertus, & hæ significationes sunt alienæ. Rectius statuitur, formationem crucis esse externum signum benedictionis & consecrationis, memoriam renovans crucis Christi, hoc est, passionis Christi in cruce, quæ est fons omnis benedictionis, sicut impositio manuum in absolutione & ordinatione ecclesiastica externi cujusdam signi loco usurpatur. Patriarcha Jacobus benedicens filiis Josephi Ephraim & Manasse manus decussatim in modum crucis eis imponit. Gen. XLVIII. 14. LXX. reddiderunt ἐναλλάξας τὰς χεῖρας. Justinus quæst. CXVIII. *Dextra potius quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus.* (Quamvis eruditi judicent, has quæstiones non esse Justini) Chrysostomus in 1 Tim. IV. super verba: *Omnis creatura Dei bona*, docet, *signum crucis ad gratiarum actiones & benedictionem adhiberi posse.* Idem homil. LV. in Matth. & Augustinus tract. CXVIII. in Johan. mentionem faciunt signi crucis in celebratione eucharistiæ olim usitati(***).

Quæritur. 2.) An formatio figuræ crucis super panem & calicem improbanda sit?

CAPUT.

(*) Hoc GREGORII testimonium non omni exceptione maius esse, supra in *nota* ad §. 148. p. 268. iam monuimus. Conf. PFAFFIUM *loc. cit.* §. III. p. 406. *seqq.* qui tamen p. 408. GREGORIVM excusare adnititur, observatque, eum non solum esse, qui scribat, apostolos oratione dominica in consecratione usum esse, in eandem enim sententiam descendere & alios scriptores, speciatim AMALARIVM *de offic. ecclesiast. libr. IV. cap. XXVI.* & BERNONEM, abbatem Augiensem, *cap. I. de officio missae.* Licet vero, quod paucis adiungimus, indubitatis veterum testimoniis probari nequeat, ipsos apostolos orationem dominicam in administratione sacræ coenæ adhibuisse, inque antiquissima, quam constitutiones apostolica exhibent, liturgia hæc oratio haud extet, minime tamen dubitamus, quin usus huius formulæ sit antiquissimus. Neque enim GREGORIUS persuadere sibi potuisset, eundem ab ipsis apostolis huxisse, nisi iam pridem in ecclesia fuisset receptus, prout recte monet h. BVDDEVS in *institut. theol. dogmat. p. 1491.* Certum quoque est, ineunte seculo quarto nullam fuisse ecclesiam, quæ in publica eucharistiæ administratione orationem dominicam prætermiserit. Hocce enim tempore vixit CYRILLVS *Hierosolymitanus*, qui luculentum huius rei nobis suppeditat testimonium. Vid. BINGHAMVM in *antiquitat. ecclesiast. vol. V. p. 238. seqq.*

(**) Bina hæc testimonia, WALAFRIDI & DVRANDI, ad quæ heic provocat GERHARDUS, in rebus ad ævum apostolicum spectantibus parum probare, vel exinde facile intelligitur, quoniam viri isti ab ætate apostolica nimis fuerunt remoti. WALAFRIDVS enim, qui *de divinis officiis* scripsit, seculo post Christum natum nono, GVILIELMVS autem DVRANDVS, cuius extat *rationale divinorum officiorum*, seculo demum decimo tertio floruit.

(*) Constitutiones quoque apostolicæ mentionem faciunt usus signi crucis, antequam sacerdos ad consecrationem eucharistiæ pergeret. Idem fecit CHRYSOSTOMVS *demonstrat. quod Christus sit Deus, cap. IX. tom. V. oper. p. 840.*

CAPUT XIV.

DE FRACTIONE PANIS.

Fractio est actus ministerialis & præparatorius.

§. CLVII. Post benedictionem panis in prima cœnæ parte sequitur *fractio*, quam fuisse actum præparatorium & ministerialem distributioni infervientem, nequaquam vero peculiarem quendam actum sacramentalem essentialem, qualis est benedictio, distributio & manducatio, statuimus hisce nixi fundamentis. I.) Christus usus est fractione panis vel propter *significationem* quandam sacramentalem, puta repræsentationem passionis, vel propter *distributionem*. Prius dici nequit propter causas evidentes, quas paulo post explicabimus. Relinquitur igitur posterius, quod scilicet tantum propter distributionem Christus usus sit fractione. Arctius part. I. problem. 82. p. 998. *Fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi tam in convictu, quam in aliis eleemosynis, ratio videtur esse, quod Hebræi semper sint usi panibus latis & minus crassis, qui commodius frangerentur, quam scinderentur.* Idem testatur Baronius tom. I. annalium, p. 702. 703. *Judæis, qui non ita spissis ut nos, sed latis & minus crassis panibus utebantur, mos fuit sumtionem cibi non a panis scissione, sed fractione inchoare*, scribit Bucanus loco XLVIII. instit. q. 1. Adhibuit ergo Christus fractionem propter distributionem, ac proinde satisfit institutioni Christi, si panis eucharisticus distribuatur, neque quidquam interest, sive fractio illa panis ante administrationem cœnæ, sive in ipsa administratione adhibeatur, cum utroque modo finis ejus, videlicet distributio, obtineri possit. Breviter necessitas fractionis urgetur vel propter *distributionem*, vel propter *repræsentationem*. Posterius dici nequit, uti postea demonstrabitur. Relinquitur ergo prius, qua ratione neglectæ fractionis accusari non possumus, cum placentulæ illæ orbiculares, quibus in administratione cœnæ utimur, nihil aliud sint, quam massa in plures partes fracta ac divisa, ut distributioni sit apta. Temporis circumstantia fractioni nostræ nihil derogat, cum tota cœna alio tempore, quam quo a Christo instituta est, vespertino scilicet, celebretur. Quemadmodum non est necesse, ut in ipsa administratione cœnæ vinum dividatur in certos calices, & effundatur, cum sine tali effusione possit fieri distributio inter communicantes: ita quoque non est necesse, ut in ipsa administratione cœnæ panis frangatur, cum sine tali fractione possit fieri distributio panis eucharistici. II.) In sacramentorum administratione distinguenda est δόσις ἀπὸ λήψις a modo δόσεως ἀπὸ λήψεως. Δόσις semper est necessaria, uti etiam λῆψις, pertinet enim ad formam cujusque sacramenti, sed modus δόσεως ac λήψεως libertati ecclesiæ relictus est. Agnoscit hoc ipse Beza epist. II. ad Th. Tilium. *Ipsa sumtio* (inquit) *non autem modus sumendi præscribitur.* Sic in baptismo ablutio est necessaria, an vero ablutio illa fiat adspersione, sive immersione, ecclesiæ libertati est relictum. Sic manducatio panis benedicti in eucharistia est necessaria, an vero panis benedictus a ministro ecclesiæ ori vel manui communicantium detur, nihil interest, modo fiat manducatio. Olim dabatur eucharistia fidelibus in manus, teste Dionysio Alexandrino apud Eusebium libr. VII. hist. eccles. c. 8. Cypriano serm. I. de lapsis &c. hodie vero ori admovetur. Pari ratione distributio panis benedicti in cœna est necessaria, an vero fractio seu comminutio panis distributionem præcedens, eique serviens fiat in ipsa cœnæ administratione, an vero ante eam, parum omnino refert. III.) Cuicunque ceremoniæ per se liberæ & adiaphoræ adfingitur necessitas sine verbo & finis alienus, illa recipi non debet, quia periclitatur libertas christiana, & introducitur cultus divinus sine certo verbo ac mandato. Fractioni panis, quæ sua natura est ceremonia libera & ἀδιάφορος, adfingitur ab adversariis simplex & absoluta quædam necessitas, eidemque adfingitur finis alienus, videlicet repræsentare passionem Christi: ergo fractio illa panis recipi non debet.

§. CLVIII.

Antithesis Calvinianorum.

§. CLVIII. Nostro hoc seculo Calviniani gravissimas de fractione panis excitarunt controversias; statuunt enim eam simpliciter & absolute esse necessariam, & quidem eo fine, ut repræsentet fractionem corporis Christi in cruce factam, ut notum est ex publicis scriptis (*). Notandum vero, 1.) non esse quæstionem de ἀρτοκλασίᾳ in se ac per se; sed de ἀρτοκλασίᾳ cum opinione necessitatis ac repræsentationis ab adversariis obtrusa. 2.) Per ἀρτοκλασίαν illam, quam adversarii urgent, sacram cœnam transferri in actionem toto genere diversam, quam est a Christo instituta, siquidem ex institutione Christi panis est medium & organum, per quod manducantibus in sacra cœna distribuatur corpus Christi; sed adversarii statuunt, panem esse signum, quod significet ac repræsentet corpus absens, sicut fractio panis significet corporis crucifixionem. Non potuit hoc dissimulare Pareus in libr. germ. de fract. panis edito Ambergæ anno 1598. sic scribens: *Panis fractione idololatricam & falsam opinionem de præsentia corporis Christi in aut sub pane & de orali manducatione omnium potentissime elidi, & ex animis simpliciorum ejici*, ex quo adparet, quod per latus ἀρτοκλασίας, qualis ab adversariis urgetur, petatur jugulum sanæ doctrinæ de cœna. 3.) Adversarios nondum omnes in simplicem & absolutam fractionis, in ipsa cœnæ administratione adhibendæ, necessitatem consentire. Beza epist. II. vol. III. p. 169. *Cœna tamen est, si præcipua & mere substantialia conserventur, etiamsi singulis offulae in os ingerantur, licet fractio omittatur.* In libr. qq. & resp. quæst. CXCIV. *Perinde est, sive unam aliquam massam in multas particulas in ipsa actione frangas, sive panes minutos & rotundos jam ante actione massae distinctos distribuas* (**). Zanchius libr. I. epistolarum fol. 329. *In fractione substantia cultus divini cœnae dominicae non consistit.* Conf. p. 233. & libr. II. p. 1788. Ibidem: *Video quidem, quid fecerit ipse Christus, quid & apostoli, nec ignoro sequenda esse Christi exempla, sed apertum hac de re mandatum non lego, sicut lego porrectum panem esse accipiendum & edendum. Sed fac, & illud de fractione esse praeceptum, quomodo tamen demonstrabis, Christi mandatum esse, ut frangatur panis in mensa coram toto cœtu, non autem satis esse, si fractus & divisus in mensa asseratur.* Fol. 250. *Certe ad hoc, ut distribuatur, perinde est, si vel extra mensam vel in mensa frangatur, quanquam ad repraesentandam Christi passionem non ita se res habeat. Est enim ille prior usus per se necessarius, quia edi non potest a multis panis ille, nisi fractus, alter vero non ita necessarius, ut substantiam cœnae omissus tollat, & ut sine ipso celebrari illa non queat.* Vide ibidem in hanc sententiam plura. In ecclesia Basileensi, quæ Calvinianam de cœna sententiam amplectitur, ritus fractionis nondum viget (***). 4.) Illos, qui fractionis necessitatem propter repræsentationem urgent, ne quidem

(*) Vid. *catech. Palat.* in *expl. quæst.* 77. *p. m.* 249.

(**) Verba Bezæ in part. ult. qq. & resp. quæst. CXCIV. p. 101. sunt: *De fractione vero quid sentis? ejus praetermissionem, quoniam non ad ipsam sacramenti confectionem pertinet, actum ipsum non vitiare, sicut nævus in facie formosa venustatem quidem laedit, sed formam tamen ipsam non abolet.* GERHARDUS.

(***) *In quibusdam Helvetiae locis fractio locum non habet*, uti refert Cudsemius in desperata Calvini causa p. 110. Omittitur fractio in ecclesia Basileensi & Bernensi, referente Hubero *in seiner Antwort auf der fünff Eydgenossischen Theologen Gegenbericht*, p. 139, 163, 164. in Anglia, referente Zanchio libr. I. epist. p. 233. D. Joh. Crocius, *unerachtet er viel von Nothwendigkeit des Brodbrechens disputiret, gestehet, das Abendmal bleibe auch ohne dasselbe ein Abendmal, und seyen die Kirchen, so dieses Ceremonien unterlassen, nicht zu verdammen*, in consid. triad. syllog. Aselmanni cap. VII. p. 140. cap. 8. p. 174. Steinius part. III. *der Brüderschafft* p. 300. *erzehlet unter die Ceremonien umb deren Ungleichheit willen kein Theil das ander zuverdammen habe, die Bilder und Crucifix, den Exorcismum, die Weibertauffe, Beicht und Absolution, Oblaten, unterlassung des Brodbrechens, Altar.* GERHARDUS.

dem omnes inter se convenire. Mentzerus dissensiones illorum hoc ordine enumerat: a.) Quidam statuunt unum panem integrum requiri, qui in tot comminuatur fragmenta, quot sunt communicantes. Alii plures partes admittunt minores, modo ne integri dentur communicantibus, sed in particulas prius dividantur. b.) Quidam volunt panem digitis comminuendum, non cultro scindendum. Anatomia Marp. pag. 90. c.) Alii ante administrationem sacramentalem scindunt cultro in portiones longiusculas, quas postea frangunt & porrigunt comedentibus. d.) Hanc unius panis in plures partes comminutionem alii dicunt esse de ipsa sacræ cœnæ ratione & *essentia*, nempe forma, ut Bucanus, Piscator, Cassellani in antiq. fid. Cattorum p. 108. Beumlerus contra synopsin f. 302. fractionem panis articulo de resurrectione mortuorum & de officio Christi æquiparat. Angelocrator *in Abweisen* lit. B. 4. *Fractio panis est pars essentialis & forma interna cœnæ dominicæ.* Alii negant pertinere ad essentiam, sed vocant partem *integrantem*, ut Pareus, Cassellani in responsione, anatomia Marpurg. & Goclenius (*); & alii quidem dicunt esse partem *principalem* & summe necessariam, ut anatomia p. 9. 11. 28. alii partem *minus principalem*, ut Goclenius. Rursum alii vocant *ritum necessarium*, quos ipsos etiam defendi posse putat Goclenius. Beza eam confert venustati faciei, cui opposuit omissionem fractionis tanquam aliquem nævum in facie, cui subscribit anatomia Marpurg. p. 131. e.) Alii sine hac fractione dicunt cœnam esse non posse, ut Piscator.

(*) Sunt & alii ex theologis Reformatis, qui eandem amplexi sunt sententiam, statuentes, fractionem non ad *essentiam*, sed tantum ad *integritatem* sacræ cœnæ pertinere; veluti HIERONYMUS ZANCHIUS, cuius verba supra recitavit GERHARDUS, itemque theologi Cassellani, nec non JO. FRANC. TURRETTINUS, JO. BRAUNIUS, JO. HENR. HEIDEGGERUS & complures alii.

Ex nostris JOACH. HILDEBRANDUS, theologus quondam Helmstadiensis in *theolog. dogmat. p. 734.* pronunciat, *malle se, ut sub initio reformationis ritus fractionis in ecclesiis nostris retentus fuisset, non sub ratione necessitatis ad confectionem eucharistiæ, sed ideo, quod Christus ipse in institutione eum adhibuerit, inque eadem expressa eius mentio fiat, quodque, si non universa ecclesia, maior tamen eius pars, ab initio usque ad tempora hæc nostra, in celebratione eucharistiæ usurpare.* Similiter CHRISTIANUS DREIERUS, theologus quondam Regiomontanus, in *iudicio super colloq. Cassel.* scribit: *Constat, semper in ecclesia fractionem panis usitatam fuisse & in oriente & in occidente, adeo, ut ipsi pontifices, postquam panes numularios introduxerunt, unam grandiorem hostiam ad frangendum servarent. Id quoque certum est, quod veteres hunc ritum ad memoriam sacrificii pro nobis in cruce oblati plurimum facere putarint, sed quo modo conveniente introduci possit, non adparet. Interim ad concordiam facit, quod Marpurgenses nostras orbiculares hostias verum panem agnoscunt, nec in nostris ecclesiis aliquid essentiæ sacramenti detrahi fatentur, licet, ex mandato Christi, ad* integritatem *sacramenti* fractionem *necessariam patent:* quod nos non putamus, *quia scilicet mandatum Dei substantiam sacramenti respicit, non accidentia. Inter* accidentia *autem refertur* fractio, *quia est modus actionis, non actio.* Cæterum, cum theologorum Marpurgensium mentionem heic faciat DREIERUS, conferenda quoque est *brevis relatio colloquii Cassellani, inter theologos quosdam Marpurgenses & Rintelenses* ann. *MDCLXI.* habiti. Exinde enim paret, utriusque partis theologos, tam Rintelenses, quam Marpurgenses, *fractionem panis usualis utilem & pium esse ritum agnovisse, adeoque in illis ecclesiis, in quibus hactenus non obtinuit, commode introduci posse, si consensus earum impetrari queat - - -* In eo tantum diversum sensisse theologos, *quod* Marpurgenses *ritum fractionis non quidem ad essentiam sacramenti, sed tamen ad integritatem eius, propter Christi exemplum & mandatum necessarium ducerent, quam necessitatem* Rintelenses *theologi non agnoscebant.* Legenda tamen, quæ contra *Rintelenses* monuerunt theologi *Wittebergenses* in *epicrisi de colloquio Cassellano Rintelio-Marpurgensi §. V. p. 42. seqq.* ubi inter alia observarunt, non eadem mente *Lutheranos* ac *Reformatos* docere ac definire posse, *fractionem panis usualis in S. cœna pium aut utilem ritum esse, qui commode in ecclesias introduci possit, in quibus non obtinet.*

scator. Alii esse quidem veram cœnam, sed non integram, verum mutilam, ut Goclenius, anatomi, Cassellani, unde dicunt similem esse cœnam illam homini aure, pede, manu, vel brachio carenti, ut Marpurgenses & Cassellani; alii diminuto thalero, ut pastor Hasungensis; alii literis vel sigillo, in quo sit rimula vel parva fissura. Antiqua fides Cattorum p. 106. (Atqui si ἀρτοκλατία ad formam sacræ cœnæ pertinet, tunc sine fractione cœna non solum erit manca & mutila, sed plane nulla, quia forma nec divisionem, nec intensionem, nec remissionem recipit, cum non sit quanta, sed ἐν ἀτόμῳ consistat. Vide Meisnerum part. II. sobr. philos. sect. 4. c. 3. quæst. 2. & cap. 4. quæst. 2. Hesselbeinius antidot. I.) f.) Hanc fractionem panis quidam negant inservire distributioni inter communicantes; (anatomia Marpurg. vocat fallaciam non causæ ut causæ p. 63.) sed præfigurationi sive adumbrationi fractionis corporis Christi in cruce. Alii vero finem illius fractionis & distributionem & repræsentationem constituunt. g.) Quia vero corpus Christi non est in partes fractum Joh. XIX. 33. ideo in adplicatione analogiæ sacramentalis non consentiunt. Fractionem corporis anatomia intelligit *proprie* p. 165. unde fractionem in Christi corpore factam esse demonstrare cupiunt ex Joh. II. 19. atqui in Græco est λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *solvite templum hoc*, non autem *frangite*. Neque est quod ad germanicam Lutheri versionem provocent, ea enim sequitur idiotismum nostræ linguæ, quæ vix admittit aliam vocalem. Reliqui vero intelligunt *metaphorice*, ut Bucanus loc. XLVIII p. 677. Vorstius part. II. antipist. loc. 5. c. 8. quos ridet anatomia, & *metaphoram* explodit. Quamvis *metaphorice* loquendo corpus Christi fractum sit, tamen cum fractio proprie dicta in Christi corpore locum non habeat, quod agnoscunt Bucanus & Vorstius, ideo non potest habere locum analogia illa *significativa*, qua fractio panis fingitur significare fractionem corporis, ad hoc enim necessario requireretur proprie dicta fractio, siquidem repræsentatio est alicujus rei gestæ per aliam ad vivum expressio. Eadem negat analogiam consistere in comminutione in partes p. 162. Alii sic adplicant: ut panis frangitur proprie, ita corpus Christi fractum est suo modo, Piscator. Sed hoc nimis generale est. Alii hoc modo: ut panis frangitur in partes, ita anima Christi divisa est a corpore. Vid. Schönfeldii Palatini antiqua fides Cattorum, Joh. Münster im Bericht, Hellopæus de re sacrament. p. 191. &c. Atqui separatio animæ & corporis cum dolore conjuncta non est proprie dicta fractio. Quis enim unquam dixerit, hominem frangi, quando moritur? Si animæ a corpore in morte separatio est fractio seu solutio continui violenter facta, ergo corpus & anima sunt unum continuum, ergo quantum, ergo accidens, ergo anima & corpus erunt unum per *accidens*. Acde quod hac ratione pars una fracti panis animam, pars altera corpus Christi denotaret, ut signo signatum responderet, & sic in duas solum partes panis frangendus fuerit: Si idcirco de corpore Christi dicitur fractio, quia ab eo anima naturaliter recessit, ergo pariter poterit fractio de sanguine dici, quia a sanguine quoque anima naturaliter recessit, sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Alii aliter: ut panis frangitur, ita corpus Christi patitur, vulneratur, moritur, Cassellani, anatomia, Pincierus. At hac ratione, ut illustris pateat similitudo; panis erit perforandus, non frangendus. Vulnera in latere, manibus ac pedibus Christi, etsi fuerunt aliqua continui solutio violente facta, non tamen fuerunt proprie dicta fractio, hoc est, corporis continui in particulas a toto separatas divisio, quia corpus Christi semper unum mansit, quatenus est corpus. Urgemus igitur, quod Johannes plane negat fractionem in Christi corpore factam, quomodo ergo repræsentatio fractionis habebit locum? Kennecherus in Psalm. I. p. 376. edit. Franc. fractione panis ipsam Christi pro nobis satisfactionem notari scribit, & in ea analogia tertium collocat. Atqui hæc comparatio nec ullo scripturæ dicto, nec ulla ratione, nec ecclesiæ testimonio nititur. h.) Quia urgentur, ut in altera etiam cœnæ parte repræsentativam illam analogiam demonstrent, ideo varia quærunt subterfugia. Schönfeldius analogiam quærit in eo, quod benedi-

nedictum vinum seorsim in cœna detur. Quis vero unquam tam acutus fuit, ut divinare potuerit, effusionem sanguinis per hoc notari, si panis seorsim edatur, & vinum seorsim bibatur. Pistangelus dicit, calicem ex alto infundendum esse, ut effusio illa sanguinis significetur. Atqui vinum eucharisticum in ipsa hujus sacramenti administratione a Christo effusum esse nusquam legitur, quin imo calicem, in quo erat genimen vitis, accepisse dicitur, quomodo ergo repræsentativa effusio locum habebit? Alii dicunt, per infusionem calicis in ora communicantium eam notari. Cassellani, anatomia, Goclenius, Chrastovius de cerem. missæ pag. 20. Quis vero unquam dixit, bibitionem vini esse ejusdem effusionem? quomodo igitur bibitio vini notare potest effusionem sanguinis Christi? Quando e calice bibitur, vinum non effunditur, sed in ora infunditur, ut interim nihil dicam de eo, quod apud Calvinianos calix in manus communicantibus detur.

Argumenta contra repræsentativam fractionem.

§. CLIX. Nos fractioni *repræsentativae* opponimus hæc fundamenta. I.) Quod destituatur mandato divino. Nullo scripturæ apice monstrari potest, Christum hoc fine panem eucharisticum fregisse, vel a nobis panem illum hoc fine frangi præcepisse, ut fractio corporis Christi per eam repræsentetur. Ivellus, episcopus Calvinianus, art. XI. cont. Hardingum multis patrum testimoniis in medium adductis tandem concludit, sacramentum in partes divisum esse, non ut nova mysteria indicaret, sed ut populus communicaret. II.) Quod repugnet naturæ nov. test. Figuræ & typi pertinent ad vetus testamentum, quod fuit tempus umbrarum, hodie in nov. test. non amplius habemus panes propositionis typicos. Officium panis eucharistici non est *significare*, *praefigurare* & *adumbrare*, sed docente apostolo 1 Cor. X. 16. esse κοινωνίαν, medium atque organum *exhibendi* ac *distribuendi* corporis Christi. Ergo etiam fractionis finis est non repræsentare crucifixionem Christi, sed inservire distributioni corporis Christi, quod pro nobis in ara crucis traditum. Si fractio panis vi verborum institutionis significat passionem Christi in cruce; eandem quoque significavit in prima cœna. At ibi non significavit passionem Christi in cruce, quia corpus tum adhuc erat frangendum, non autem fractum. Ergo nec nunc significat. Respondeant vero nobis adversarii, qua fronte contendant, imagines rerum sacrarum in templis christianorum non esse habendas, quia morali lege cautum sit, ne habeantur, atque interim in sacramento cœnæ externas passionis & mortis Christi imagines constituant. III.) Quod repugnet ipsi typo, propter quem adhiberi jubetur. Nam corpus Christi non est fractum in cruce Joh. XIX. 36. sed repræsentativa illa panis fractio præsupponit fractionem in Christi corpore; unde sic argumentamur: quod de pane adfirmatur, de corpore autem Christi negatur, in eo non potest sacramentalis analogia consistere. Atqui fractio de pane adfirmatur, de corpore autem Christi negatur. Ergo in ea non potest analogia sacramentalis consistere. Analogia est comparatio habentium λόγον non simpliciter eundem, sed similem. Ubi vero in hac comparatione est λόγος similis, quando in προτάσει adfirmatur, quod in ἀποδόσει negatur? Huc pertinet typus agni paschalis, qui ideo frangi prohibitus, ut typus responderet antitypo, unde sic inferimus: contradictoria de uno eodemque simul adfirmari non possunt. Agnus paschalis fuit typus, non esse frangendum Christi corpus. Joh. XIX. 36. Exod. XII. 46. Ergo fractio panis non potest esse typus repræsentans fractionem corporis, alias de corpore Christi prædicarentur contradictoria, videlicet frangi & non frangi. IV.) Quod repugnet institutioni sacræ cœnæ. Præterquam enim, quod forma sacræ cœnæ nequaquam in *significativa* quadam repræsentatione, sed in benedicti panis ac mediante eo corporis Christi manducatione, & in benedicti vini ac mediante eo sanguinis Christi bibitione consistit, ac quod cœna instituta sit, non ut mortem Domini frangendo panem repræsentemus, sed ut illam, corpus ejus edendo & sanguinem ejus bibendo, adnunciemus; 1 Cor. XI. 26. urgemus

insuper hoc argumentum: Si fractio panis in prima parte cœnæ est necessaria propter designandam fractionem corporis Christi, utique etiam effusio vini in parte cœnæ altera necessaria erit, propter designandam effusionem sanguinis Christi. Sed posterius dici nequit, cum de *repræsentativa* vini eucharistici effusione altum in verbis institutionis sit silentium. Ergo nec prius adseri debet. V.) Quod repugnet fini institutionis. Si Christus hoc fine instituisset sacram cœnam, ut per fractionem panis repræsentaretur fractio corporis, & per bibitionem vini repræsentaretur effusio sui sanguinis, utique in locum typi clarissimi obscurum & minus perspicuum typum instituisset. Ecquis enim non videt mactationem, assationem & manducationem agni paschalis ac sanguinis effusionem longe clarius repræsentasse ea, quæ in corpore & sanguine Christi contigerunt, quam panis manducationem & vini bibitionem in sacra cœna? Posterius autem dici nequit, cum repugnet sapientiæ & intentioni Christi. Ergo nec prius locum habet (*). VI.) Quod sapiat papismum. Pontificii itidem non propter distributionem, sed propter mysticam significationem panem frangunt. Sergius cap. *Triforme.* de consecr. dist. 2. *Triforme est corpus Domini. Pars oblata, in calicem missa, corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat. Pars comesta ambulans adhuc super terram. Pars in altari usque ad missae finem remanens, corpus in sepulchro, quod usque ad finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt.* Ubi glossa addit: *Hoc hodie non servatur, sed duae partes siccae comeduntur, prima sicca pro animabus sanctorum ad laudem Dei, altera sicca pro illis, qui sunt in purgatorio, tertia cum sanguine pro illis, qui sunt in peccato viventes.* Durandus libr. IV. ration. div. officiorum cap. 51. num. 20. *Quare fiunt tres partes? ad quod dicendum est, quod frangitur in tres partes. Primo in memoriam Trinitatis. Secundo in memoriam triplicis status Christi. Primus fuit in hominibus manens, secundus fuit mortuus in sepulchro jacens, tertius est immortalis in cœlo existens. Tertio vero in memoriam & signum, quod Christus passus fuit in triplice parte sui, id est, in pedibus, in manibus, & in latere. Quarto in signum, quod tres sunt partes mystici corporis, prima est in cœlo sive in patria; scilicet ecclesia triumphans: secunda est in terra, scilicet ecclesia militans: tertia est in purgatorio, & haec dicitur purgans. Quinto in typum trium personarum euntium in Emaus, scilicet Christi & Cleophae, &, ut quidam volunt, Lucae.* Bellarminus libr. I. de missa cap. 27. §. Porro. *Fractio sine dubio non habet Dominum auctorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit vel ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim a consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem multis aliis actionibus interjectis, & non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum.* Vide Bonaventuram libr. IV. sent. dist. 12. num. 46. lit. L. Alexandrum de Ales parte IV. q. 42. memb. 2. Godscalcum Holen serm. XL. æstival. lit. M. Ludolphum de Saxon. in vita Christi p. 197. &c. VII.) Quod photinianismo serviat. Catech. Racov. major

(*) Finis fractionis, qui invertit ipsum veritatis ordinem, est alienus At talis est finis fractionis panis analogicus. Ergo. *Minor* probatur, quia typorum Christum præfigurantium seu figurarum ceremonialium terminus *ad quem* est Christus, in quo implentur; fractionis autem panis, prout a Calvinianis describitur, terminus non est ipse Christus, sed panis, quod exinde probatur, quia quando adserunt respectu ceremoniæ hujus, scilicet fractionis, dicere Paulum, Christi corpus esse fractum, etiamsi proprie non sit fractum, nihil aliud dicunt, nisi quod ob analogiam sacramentalem de corpore Christi fractio prædicatur *metaphorice*, quia panis corporis signum frangatur, & sic terminat fractionem in typo, in pane, evertit naturam typi, & ab antitypo Christo ad typum panem contra typorum naturam regreditur. Quod Calviniani per imagines in templis repræsentari nolunt, ipsi in sacra cœna per externas actiones, per fractionem scilicet panis & infusionem vini in poculum, repræsentant, adeoque ipsi mandatum prævaricantur, quo toties imagines ex nostris templis ejicere conati sunt. GERHARDUS.

jor cap. III. p. 223. (*). *Simplex & verus verborum Christi sensus est hic, ac si dixisset: Opus fractionis & manducationis panis est adnunciatio & velut repraesentatio ejus, quod accidet meo corpori, ac infusio & bibitio vini est adnunciatio & velut repraesentatio ejus, quod accidet meo sanguini; aut ut simul apostoli verba interpretemur,* 1 Cor. XI. 25. *bibitio ex calice est adnunciatio immensi amoris Dei, quem in novo foedere nobis obtulit, qui per mortem Christi confirmatus est.* Oflorodus in instit. germ. cap. XXXVIII. pag. 34. *Dicimus, quod Christus propter nullam aliam causam panem corpus suum, & vinum sanguinem suum adpellaverit, quam quod quatenus panis frangitur & comeditur. Vinum autem, quatenus in calicem effunditur & bibitur, corporis sui pro nobis fracti & sanguinis sui pro nobis effusi figura & expressa imago sit, quando mortis Domini recordamur.* Vide plura contra repraesentativam fractionem tom. I. disp. Giessenf. disp. VII. thesi 7. & seqq.

Argumenta Calvinianorum pro necessitate fractionis. 1.) a Christi facto.

§. CLX. Argumenta, quae pro necessitate fractionis proferunt, potiora haec sunt. 1.) *Christus fregit & dixit: Hoc facite. Ergo fractio propter mandatum Christi est necessaria.* Resp. 1.) Non de fractione simpliciter, sed de *repraesentativa* fractione invicem disceptatur. Christum fregisse panem concedimus, fregisse autem hoc fine, ut fractionem sui corporis repraesentaret, negamus, fregit enim propter distributionem, ut quidam ex ipsis adversariis agnoscunt. Wolfg. Musculus in locis comm. de coena Domini p. 321. *Christus fregit panem gratia dividendi, & hoc illi consuetum erat.* Item: *Fractionis hujus mischpat & finis est communicatio.* In 1 Cor. XI 24. *Ut panis dum frangitur, pro illis frangitur, quibus ad edendum distribuitur, propterea quod nisi frangatur, distribui & edi nequit: sic corpus Domini, panis vivus de coelo missus, ut cibus noster fieret, in cruce pro nobis est fractum, id est, occisum.* Ramus in theol. *Christus fregit propter distributionem.* Aretius lect. IV. de coena. *Accipit, gratias agit, frangit, quae omnia de more patrio sunt sumta, nam in agni paschalis esu senior illa facere solet, accipit panem, adjunctis precibus benedicit, & distribuit.* Item: *Fractio distributioni inserviebat* (**). 2.) Magna igitur diversitas est inter fractionem, Christi, & inter fractionem, quam urgent adversarii, Christus panis fractione pro re nata usus est, quia ipsi tum non erat in promtu panis ad distributionem jam ante praeparatus. Atqui talis necessitas non incumbit adversariis, potest enim commodius ante coenae administrationem panis praeparari ad distributionem. Christus fregit panem absque omni solennitate more usitato & consueto. Atqui fractio panis cum singulari quadam solennitate ab adversariis celebrari jubetur tanquam actus quidam sacramentalis & mysticus (***). Christus fregit panem propter distributionem: adversarii frangunt ad repraesentandam corporis Christi fractionem. Christus non videtur panem integrum in sacra coena fregisse, sicut fit in ipsorum ecclesiis, sed fragmenta panum, quae in mensa jacebant residua, & jam antea in altera coena comminuta adhibuisse, cum instituerit coenam ἐσθιόντων αὐτῶν. Denique ex Christi exemplo colligitur tantum

(*) Exstat hic locus *cap. III. catech. Racov. quaest. 344. p. 525.* edit. OEDERI.

(**) Idem Aretius part. I. probl. 82. *Fuit fractio panis adhuc in usu tempore Christi tam in convictu, quam in eleemosynis. Ratio videtur esse, quod Hebraei semper sint usi panibus latis & minus crassis, qui commodius frangerentur quam scinderentur.* GERHARDUS.

(***) Pelargus adhuc orthodoxus in notis ad Candid. p. 46. *Christi modum in fractione jubes observare, sed nec ipse jussit, testibus Aretio, Piscatore & aliis vestris: nec modum, quem Aretius patrium, hoc est, Judaicum fuisse ait, praescripsit. Vere quidem fregit panem, at non idcirco vestro, sed vel peculiari aliquo, ut nonnullis visum, vel juxta Aretium patrio more sive Judaico.* GERHARDUS.

tum τὸ ὅτι, non autem τὸ ποῖον, & ipso Calvino teste in comm. conc. evangel. p. 334. *Adhuc incertum est, quinam fractionis ritus, & ad quem modum a Christo fuerit servatus.* Modus ἀρτοκλασίας illius a nullo evangelistarum fuit explicatus, quod omnino fieri oportuisset, si exemplum Christi necessario foret imitatione exprimendum, vel si quid mysterii in illa fractione latitasset. Inter hasce diversitates fractionis a Christo usurpatæ & ab adversariis nobis obtrusæ eminet ea, quod Christus propter distributionem fregerit, adversarii autem propter repræsentationem passionis frangant. Quare cum actiones varientur ex fine, frustra urgetur exemplum Christi, nisi etiam probetur, Christum propter repræsentationem fregisse. 3.) Mandatum Christi: *Hoc facite*, referendum est præcipue ad ea, quæ apostoli in ea actione præstabant, puta quod jubente Domino panem benedictum edebant, & ex calice benedicto bibebant, unde sic inferimus: Quodcunque apostoli in prima cœna fecerunt, id Christus eos facere jussit illis verbis: *Hoc facite.* Jam vero apostoli utpote obsequentes mandato Christi in prima cœna non fregerunt panem, sed benedictum panem, qui est communicatio corporis Christi, manducarunt, & ex benedicto calice, qui est communicatio sanguinis Christi, biberunt. Ergo mandatum Christi: *Hoc facite*, non ad fractionem proprie ac præcipue, sed ad manducationem ac bibitionem pertinet. Eodem modo exponit Paulus in 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducaveritis hunc panem, & biberitis ex hoc calice, mortem Domini adnunciabitis*; in quem locum sic scribit Piscator: *Sequentibus verbis apostolus explicat verba Christi dicentis: Hoc facite in mei commemorationem.* In scholiis ad v. 24. *Hoc facite, id est, hujusmodi panem edite.* Aretius lect. IV. de cœna: *Alii ad omnia superiora referunt:* Hoc facite*; sed non est satis concinna interpretatio.* Item: *Nec ad fractionem nos hic ligare voluit* (*). Zanchius libr. I. epistolarum fol. 238. *Quod quidam præceptam esse volunt fractionem propter haec verba:* Hoc facite, *meo judicio falluntur, tum quia liquet, mandatum hoc de fine, non ad factum Christi: fregit, sed ad superius mandatum de accipiendo & edendo pane referendum esse: tum etiam, quia sequeretur, male fieri a nostris ministris, quod soli frangant panem, cum mandatum hoc, si de frangendo etiam pane intelligatur, non ad ipsos solos, sed ad omnes fideles referatur, quibus etiam omnibus dixerat prius:* Accipite, edite. Libell. Cassal. de cœna lit. E. verbum *fregit* accenset verbis non προσακτικοῖς, sed περιστατικοῖς, quæ non sint obligatoria verbisque mandati æquiparanda (**). 4.) Si mandatum Christi transferre velimus ad ea, quæ Christus in hac actione fecit, necessario distinguendum

(*) Verba Aretii integra sic habent: *Alii ad omnia superiora referunt: Hoc facite; quid? quod me vidistis facere. Accipite sic & frangite, atque inter vos distribuite. Sed non satis concinna est interpretatio, nam in altera sacramenti parte quoque repetit:* Hoc facite; *cum tamen ad fractionem non possit referri, ideoque simplicior & verior est sententia, ut* facite *ad suum copulatum referamus.* Hoc facite, *id est, cœnam celebrate in mei commemorationem. Sententia enim Domini est, non in alterius nomine hunc ritum esse repetendum, sed in salvatoris Christi solum nomine, nec ad fractionem voluit nos hic ligare.* GERHARDUS.

(*) Piscator in cap. XXVI. Matth. p. 773. *Hoc facite in mei commemorationem, id est, hunc panem edite, ut mei recordantes mortem meam adnuncietis &c. In hunc solum verba ista exponit apostolus* 1 Cor. XI. 26. *Et sane ipsa verborum consequentia hunc sensum per se gignit, quantum quidem attinet ad verbi illa:* Hoc facite. *Proxime enim præcessit:* accipite, edite. Ibidem: *Falsa est propositio, quod Dominus illis verbis jussit facere, quod ipse fecerat.* p. 772. Idem in Matth. p. 759. *Cur illud mandatum:* Hoc facite, *debeat referri ad ea tantum, quæ Dominus discipulis tum imperavit, nempe ut panem illum ac poculum acciperent, ederent & biberent, non autem ad actiones benedicendi, frangendi & porrigendi a Domino tunc administratas, ratio haec est, quod distinctas oporteat esse actiones ministri & communicantium, nec actiones ministri ad communicantes pertinent. In prima autem illa cœna ministrum agit solus Dominus, apostoli vero communicantes.* GERHARDUS.

dum inter *adiaphora*, & *necessaria*, inter *ceremonialia*, & *sacramentalia*. Quemadmodum enim ex eo, quod Christus scribitur, discubuisse, cœnam celebrasse in diversorio, & quidem vesperi, nequaquam licet colligere, idem nobis necessario faciendum esse: ita quoque res sese habet in fractione (*). 5.) Ex quo intelligitur, quid respondendum sit argumento, quomodo illud format Paræus libr. de fract. panis, f. 161. *Si benedictio est actus sacramentalis, etiam fractio erit actus sacramentalis, quia fractio sequitur* εὐλογίαν, *& præcedit distributionem.* Resp. fractio non interponitur ut actus sacramentalis peculiaris, sed ut actus ministerialis ob distributionem requisitus, ergo εὐλογίας & fractionis, item fractionis & distributionis est dispar ratio.

§. CLXI. II.) *Ritus fractionis in celebratione eucharistiae servatus.* 2.) *Ab apostolorum exemplo.* Act II. 46. XX. 7. Resp. 1.) Locum Act. II. quidam veterum de parca & frugali cibi vulgaris sumtione exponunt, ut ostendimus superius §. 57. quibus suffragatur Beza in notis ad nov. test. eodem sensu locum Act. XX. accipit Lyranus, quæ interpretatio cum circumstantiis textus optime congruit. 2.) Demus vero, in his locis agi de eucharistia, tamen per fractionem phrasi hebræa distributionem intelligi manifeste constat, ut in sequentibus clarius ostendetur. 3.) Demus etiam, per fractionem intelligi comminutionem in partes, nondum tamen evicta erit absoluta quædam necessitas fractionis, describitur enim exemplum apostolorum, non autem aliquod universale mandatum. 4.) Nec immerito repetimus discrimen fractionis ab apostolis usurpatæ, & ab adversariis obtrusæ. Apostoli fregerunt panem propter distributionem, nequaquam vero ob *figurativam* quandam repræsentationem, quam tantopere adversarii urgent.

§. CLXII. III.) *In primitiva ecclesia ritus fractionis in administratione hujus sacramenti usque ad tempus antichristi fuit observatus* (**). Resp. 1.) Veteres diviserunt quidem panem eucharisticum, interim tamen ritum illum nequaquam urserunt ut absolute & præcise necessarium, ideo ecclesiæ orientales pro diversitate temporum ac locorum multipliciter eum variarunt. Alicubi concideruntpanem ferro quodam, quod vocarunt λόγχην, *lanceam sacram*, ut patet ex Nicolao Cabasila tom. VI. biblioth. patrum. Alicubi facta fuit divisio εἰς τὰ πολλά. Dionysius eccles. hierarch. c. 3. Alicubi εἰς τὰ τέσσαρα. Liturgia Chrysostomi. In ecclesiis occidentalibus panem alicubi manu fuisse fractum colligitur ex Augustino epist. 59. ad Paulin. & libr. de hæresib. cap. de Ophitis. Nostra frangendi ratio multis retro seculis instituta & ad nostram usque ætatem fuit observata. Causa instituti videtur ortum duxisse ab ecclesiis populosioribus, in quibus, quia propter multitudinem ad sacram synaxin accedentium fractio publica remoram quandam videbatur paritura, ideo de compendio fuit

3.) *A primitivæ ecclesiæ praxi.*

(*) Lutherus part. I. contra cœlest. prophetas: *Soll das gelten, daß man so steiff dem Exempel Christi sol folgen, und nichts dem Wort allein, so wil folgen, daß wir das Abendmal nirgend müssten haben, denn zu Jerusalem im gepflasterten Saal, denn so wir die eusserliche Gebot so streng müssen halten, müssen auch die eussersten Stäte und Personen streng gehalten werden, und wil dahin kommen, daß das Abendmal allein den jungen zu halten gewesen sey, welchen ers allein d zumahl befahl und zusprach &c.* GERHARDVS.

(**) In primitiva ecclesia fractionem panis in usu fuisse, luculenter patet ex verbis IGNATII, quæ in *epistola* eius *ad Ephesios* genuina *num. XX.* extant. Qui plura de hoc argumento legere voluerit, adeat cardinalem BONAM *rer. liturgic. libr. II. cap. XV. §. III. & IV. oper. p. 577. seqq.* atque JOSEPH. BINGHAMVM in *orig. sive antiquit. ecclesiast. vol. VI. libr. XV. cap. III. §. XXXV. p. 370. seqq.* Ut alios scriptores, qui de sacræ cœnæ sive eucharistiæ ritibus agunt, atque in FABRICII *bibliograph. antiquar. cap. XI. §. XXVI. p. 564. seqq* excitantur, haud memoremus.

fuit cogitatum, ac mos frangendi panem ante cœnæ administrationem usurpari consuevit. 2.) Exemplum primitivæ ecclesiæ non introducit absolutam hujus ritus necessitatem, multo minus *repræsentativam* illam fractionem probat, cum *distributionis* ergo fractio usurpata fuerit (*). 3.) Adversarii fractionem urgent, ut rem absolute necessariam & quidem hoc fine, ut præfiguretur fractio corporis Christi: neque consentiente, sed potius contradicente & repugnante ecclesia ritum illum introducunt maximo cum infirmorum scandalo: quin etiam hoc fine remotis panibus illis minutioribus usum vulgaris ac majoris panis introducere satagunt, ut veritatem realis præsentiæ labefactent, id vero ex primitivæ ecclesiæ praxi nunquam probabunt.

4.) *Ex loco apostolico 1 Cor. XI. 24.*

§. CLXIII. IV.) *Corpus Christi dicitur pro nobis fractum. 1 Cor. XI. 24. Id cum non sit factum in Christi corpore, ideo necessario per metonymiam & analogiam sacramentalem ad fractionem panis referendum.* Resp. analogia illa invertit rerum ordinem, uti recte observat Mentzerus tom. I. disput. Giessens. disp. VII. th. 24. Omnis enim typus sive figura ceremonialis terminum *ad quem* habet Christum, in quo impletur. At fractio illa repræsentativa sic proponitur ab adversariis, ut terminus significationis ponatur in ipso pane. Quia enim fateri coguntur, corpus Christi proprie loquendo fractum non esse, ideo fingunt propter analogiam sacramentalem fractionem prædicari de corpore Christi, ideo quia panis frangatur, qui sit signum corporis Christi, Hoc igitur modo terminabitur fractio in pane, hoc est, in typo, & dicetur, ideo frangi Christi corpus, quia frangatur panis, quæ methodus est inversa & contraria scripturæ & naturæ typorum. 2.) Rem ipsam quod attinet, tres occurrunt explicationes hujus phraseos, analogiæ fidei congruentes. Flacius in libr. de re sacramentaria. p. 14. corpori Christi fractionem tribui dicit *propter fractionem panis*, non quidem sensu eo, quo adversarii hoc adsciunt, sed longe diverso, videlicet propter sacramentalem panis & corporis Christi unionem, sic enim scribit: *Paulus corpori tribuit fractionem pro nobis, sumto praedicato proprie conveniente ipsi elemento panis. Tantam igitur ostendit Spiritus sanctus esse conjunctionem istorum subjectorum, nempe panis cum corpore & vini cum sanguine, ut praedicatis & quasi proprietatibus suis aliquatenus promiscue utatur. De potione enim dicitur, quod pro nobis fundatur, quod est proprium sanguinis, ut sic ostendatur, quod in hac potione sit verus sanguis, non solum vinum: & vicissim de corpore dicitur, quod frangatur, quod est proprium panis.* Sed cum differentia quædam sit inter has propositiones: calix eucharisticus pro nobis est effusus, & panis eucharisticus est pro nobis fractus, ut ostendimus superius §. 100. membro 6. ideo hanc explicationem judicamus esse coactiorem. Hunnius tract. de cœna. c. 14. tom. I. col. 1088. refert, verba Christi apud Paulum a quibusdam (intelligit vero Ignatium epist. ad Philadelph. Chrysostomum, Oecumenium, Theophylactum, Lutherum, Chemnitium & Erasmum) sic exponi, quod verbum *frangendi* consueta scripturæ sacræ phrasi denotet *distributionem*, ut sit sensus: *Hoc est corpus meum, quod in illo cœnae usu mediante pane inter vos distribuitur*, quam interpretationem, nec incongruam esse, nec a se improbari addit. Sed cum corpus Christi non dicatur *nobis* frangi, id est, *distribui*, sed *pro nobis* frangi, ideo præferimus illam explicationem, quam ibidem

Prima explicatio.

Secunda explicatio.

Hun-

(*) Fractionem panis distributionis ergo olim factam esse, testatur AVGVSTINUS, quando ait: *panis benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum communicatur.* Certe hæc ipsa verba finem fractionis sive comminutionis non ἀφῶντα aliquod repræsentativum, sed distributionem esse, clare satis innuunt, fatente JO. HOORNBECKIO *libr. I. miscell. sacr. cap. XX. pag. 557.*

Tertia explicatio.

Hunnius subjungit, quod per fractionem *metaphorica* locutione intelligantur cruciatus passionis, quos Christus in corpore pro nobis sustinuit; nullum enim dubium, quin verba Lucæ & Pauli exactissime consentiant. Jam vero quod apud Paulum dicitur, *corpus Christi pro nobis fractum*, id Lucas sic exprimit, *corpus Christi esse pro nobis traditum*, & collationis gratia huc adferri potest, quod Christus dicitur *attritus propter iniquitates nostras*, Esa. LIII. 4. quodque *suspensus fuerit inter duos latrones, quibus crura fracta sunt*, Joh. XIX. 32. denique quod Ezechias dicit Esa. XXXVIII. 13. *Quasi leo contrivit* (יְשַׁבֵּר fregit) *omnia ossa mea*, nimirum quia tales corporis & animæ cruciatus perferebat, quales esse solent eorum, quorum ossa leo confringit (*). Probamus igitur, quod scribit Goclenius in disput. magistrand. anno 1605. Marpurgi instituta part. XXVI. th. 4. *Non metonymica, sed metaphorica est enunciatio, quando corpus redemtoris nostri pro nobis fractum dicitur.* Ac potest pro ista explicatione etiam hoc argumentum adduci: Ut sanguis in posteriore parte cœnæ dicitur effundi, sic in priore parte dicitur corpus frangi. At sanguis effundi dicitur in ara crucis, non in sacra cœna. Ergo & corpus eodem modo frangi dicitur. Nec improbat hanc interpretationem ipse Calvinus, sic enim scribit in comment. 1 Cor. XI. pag. 241. *Aliqui exponunt de panis distributione, quia corpus Christi manere integrum oportuit &c. Ego, sicuti Paulum ad panis fractionem adlusisse fateor, ita hic frangi positum interpretor pro immolari, improprie quidem, sed non absurde. Nam utcunque nullum os mutilatum fuerit, corpus tamen ipsum primo tot tormentis & cruciatibus, deinde crudelissimo mortis supplicio expositum, non potest illaesum dici, hoc frangi vocavit Paulus.* Idem repetunt Prætorius homil. VII. pag. 168. ac Rennecherus in Psalm. I. pag. 376. edit. Franc. anno 1588. (**)

§. CLXIV. V.) 1 Cor. X. 16.

Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi. Ergo solus fractus panis habet promissionem, quod sit communicatio corporis Christi.

5.) Ex loco apostolico 1 Cor. X. 16.

Resp. 1.) *Frangere* שָׁבַר & פָּרַס Hebræis est *distribuere*, ut constat ex locis quamplurimis. Gen. XLII. 3. Hebræum שָׁבַר LXX. Interpr. verterunt per τὸ πείασαι, cum enim venditur annona, frangitur, hoc est, distribuitur, nequaquam vero comminuitur vel conteritur (***). Esa. LVIII. 7. *Frange esurienti*

(*) Cajetanus in 1 Cor. XI. *Nec est, quod Latinis horrori sit hæc particula, cum verissimum fuerit, verum Christi corpus multipliciter fractum fuisse. Nam & fractum fuit quantum ad cutem, cum flagellatus est a Pilati militibus, fractum quoque fuit quantum ad carnem, & in manibus & in pedibus clavis, quibus fixus est in cruce: & fractum demum est in latere, dum unus militum lancea latus ejus pepigit.* GERHARDUS.

(**) Pelargus adhuc orthodoxus in resp. ad notas Candidi p. 55. *Et vestri aut synecdochen agnoscunt, sicut Tossanus exposuit: panis, quem frangimus, & fractum scilicet accipimus & manducamus pag. 86. volum. II. aut pro distributione sumunt, sicut Musculus vester p. 342. panem vocat, idque in ipsa cœnæ fractione, id est, distributione, quem papistæ panem esse negant. Et Scrigelius in notat. juis p. 86. Fractio, inquit, intelligatur simplicissime de distributione, sicut Hebræi loquuntur,* frange esurienti panem tuum. *Utitur ergo Paulus hoc verbo propter morem distributionis, præsertim cum velit cœnam esse communem. Nihil itaque hinc ἀποδακτικῶς concludis. Paulus panem ait frangi, id est, distribui vel ad distribuendum frangi. Ergo fractio est simpliciter necessaria.* P. Ramus lib. IV. de theol. cap. 8. *Nam partitio fit panis fractione, non illa quidem significante ullam corporis Christi fractionem, ut Beda arbitratur; nec enim Christo quidquam fractum est, ut Johannes testis est cap. XIX. 33. sed simpliciter exprimente partitione, unde singulis pars daretur.* GERHARDUS.

(***) Hebræi igitur שבר *frangere* pro *dividere*, pluresque partes ex aliquo cumulo separare usurpant. Gen. XLI. 56. dicitur Joseph *frumenta fregisse Ægyptiis* מַשְׁבִּיר hoc est, ex magno cumu-

enti panem tuum, hoc est, eleemosynæ nomine panem distribue, interprete Augustino, ad cujus mandati complementum nequaquam necessarium est, ut panis scindatur, quinimo is propius accedit ad hoc Dei mandatum, qui integram massam panis dat pauperi, quam qui duntaxat partem aut frustum panis communicat, ut recte scribit Hunnius l. d. Jer. XVI. 7. *& non dividentur*, יִפְרְסוּ Lutherus: *Man wird nicht austheilen*. Thren. IV. 4. *Parvuli posCunt panem, & nemo est, qui eis frangat*, בְּרָכָה רֹאשׁ מַשְׁבִּיר בָּר *Benedictio super caput frangentis frumentum*, proverbialiter dicunt Hebræi ex Prov. XI. 26. hoc est, super eum, qui beneficus est erga pauperes, qui frumentum æquo vendit ac distribuit pretio. 2.) Recte ergo statuit Lutherus tom. II. Jen. germ. fol. 204. in hoc dicto Paulino per *fractionem* intelligendam esse *distributionem*, cui fractio subservit, & inde facta colligitur, tum quia hebraismi Paulo sunt familiares, tum quia in repetitione verborum institutionis, 1 Cor. XI. 24. omisso verbo *dedit* verbum *fregit* duntaxat ponit, ut innuat se in hac de cœna doctrina per fractionem intelligere distributionem; tum denique quia de tali fractione apostolus loquitur, per quam fiat communicatio corporis Domini. Jam vero per comminutionem in partes non fit communicatio corporis Domini. Ergo comminutio in partes non est illa fractio, de qua apostolus loquitur. 3.) Idem agnoscunt quidam ex ipsis adversariis. Wolfg. Musculus in 1 Cor. X. 16. *Panem vocat apostolus, idque in ipsa sacra fractione, hoc est, distributione, quam papistae panem esse negant.* 4.) Si vel maxime obtineretur, Paulum loqui de ritu fractionis in plures particulas, maneret tamen firmum fixum, notari solummodo ritum in ecclesia tum temporis usitatum, nequaquam vero illum statui partem cœnæ essentialem, aut finem fractionis hic constitui repræsentationem passionis, unde Hemmingius in h. l. fractionem inter adiaphora numerat, *cum de ea tantummodo exempla, nequaquam vero praecepta extent.*

§. CLXV. VI.) *Unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1 Cor. X. 17. *Ergo nisi frangatur panis, non possumus de uno pane participare.* Resp. panis eucharisticus *unus* dicitur non ratione massæ, quatenus frangendus in plures particulas dividatur, sequeretur enim 1.) illos tantum christianos esse unum corpus spirituale, qui in una & eadem particulari ecclesia de una quadam integra massa simul & semel participant; 2.) falso Paulum de unitate illa gloriari, erat enim tunc temporis Philippis, cum ad Corinthios hæc scriberet, quomodo igitur ex una massa cum Corinthiis communicabat? 3.) in ecclesiis adversariorum quaternis tantum communicantibus spiritualem unionem intercedere: aliæ igitur sunt causæ, ad quas Paulus respicit, quando ex unitate panis eucharistici commonefactionem de unitate spirituali deducit. 1.) Potissima est unitas usus sacramentalis. Omnes enim christiani, quocunque loco degant, & eucharistiæ sacramento utantur, hoc fine consecrato pane utuntur, ut mediante illo corporis Christi participes reddantur. Hoc sensu & respectu *unum* in ecclesia catholica per totum orbem dispersa dicitur *baptisma*, Eph. IV. 5. licet aqua ex diversis fontibus ac fluminibus petatur. Bucanus loco XLVIII. p. 672. *de uno pane participamus, uno, inquam, communi notione sacramenti (non autem numero) & in unum finem accepto, quia in unum finem accipitur.* 2.) Est etiam unitas ὁμογενείας in pane. Namque omnis panis, ubicunque demum distribuatur, modo verus sit panis, unus est & idem τῷ γένει; ergo ut in vulgari convivio, ubi plures consederint, licet singuli singulos habeant panes, de

6.) Ex dicto Paulino 1 Cor. X. 17.

cumulo frumentorum separavit & vendidit, sic Amos VIII. 5. Pari phrasi nos in ipso cœnæ actu recte dicimur panem frangere, quando ex cumulo placentularum unam post alteram tollimus, & inter communicantes distribuimus, quæ fractio ab Augustino dicitur *præparatio distributionis.* GERHARDUS.

de uno tamen pane edere dicuntur: sic in cœna sacra licet singuli singulos accipiant panes, omnes tamen de uno pane participant. 3.) Est in pane eucharistico unitas σωρῷ sive acervi. Quamvis enim panes illi minutiores, quibus in celebratione eucharistiæ utimur, sint distincti numero, tamen sunt unum acervo, unde manu ministri distribuentis sigillatim separantur. 4.) Denique est unitas materiæ, quatenus ex multis granis contritis una farinæ massa conficitur, ex qua postea panis pinsitur, unde recte licet colligere: quemadmodum ex multis granis unus fit panis, sic ex multis fidelibus constat unum corpus mysticum, cui interpretationi non solum ex veteribus Chrysostomus & Beda, sed etiam Musculus ex adversariis subscribunt.

§. CLXVI. VII.) Ex Lutheri viginti testimonia pro necessitate fractionis adlegant, quæ partim *ex secunda parte* libri *de missa*, partim ex libro *de utraque specie* sunt desumta. *Resp.* non faciunt hoc amore doctrinæ Lutheranæ, quam potius oppressam cupiunt, sed ut Lutheri nomine simpliciores seducant, quod futurum Lutherus ipse adhuc vivus præmonuit tom. II. Jenens. germ. fol. 349. tom. III. Jenens. fol. 382. tom. VI. fol. 19. 116. in præfat. art. Smalcald. Notandum vero: 1.) Quod pleraque Lutheri testimonia fide non bona adlegent, quædam enim expungunt, quædam transponunt, quædam addunt, ut instituto ipsorum serviant. 2.) Quod Lutherus per *fractionem* non intelligat panis integri in particulas plures comminutionem, ea enim in papatu, contra quem Lutherus disputat, adhuc usitata est, sed idiotismo linguæ sanctæ *distributionem*, ut ἔκ-εξήγησις addita manifeste ostendit, passim enim frangere exponit per distribuere, dare, exhibere, aliis offerre &c. 3.) Quod scopus, quem sibi propositum habet Lutherus, ab adversariis vel negligatur vel occultetur. Lutherus impugnat missam privatam in papatu usitatam, in qua solus sacrificulus edit & bibit omissa plane distributione, sive ut Lutherus cum scriptura loquitur, *fractione*. Hunc esse genuinum Lutheri scopum demonstrat a) contextus scriptorum, ex quibus testimonia illa sunt desumta. b.) Praxis celebrandæ eucharistiæ in papatu, quia sacrificulus in missis etiam privatis panem dividit in tres particulas. Quod si Lutherus per fractionem intelligeret divisionem in plures particulas, sine adversario pugnaret. c.) Fractionem illam, quam adversarii urgent, Lutherus nec suasit, nec usurpavit. Lavaterus in certam. sacram. pag. 7. notat, Lutherum negasse fractionis necessitatem. Insignem igitur hypocrisin & timiditatem Luthero tribuunt adversarii, quod fractionem in publicis scriptis propugnaverit, eandem tamen introducere & exemplo suo confirmare veritus fuerit. d.) Illo tempore nondum erat mota de fractione controversia. e.) Lutherus ubique fractionem exponit per distributionem.

7.) *Ab auctoritate Lutheri.*

§. CLXVII. Coronidis loco notandum, quæcunque ab adversariis pro necessitate fractionis adferuntur argumenta, exemplo baptismi tanquam validissima instantia refelli posse. Eodem enim modo colligere possum pro necessitate fractionis in eucharistia. 1.) Adest ibi mandatum *baptizate*, atqui ex hypothesi adversariorum baptizare significat proprie immergere. Calvinus lib. IV. instit. cap. 15 §. 19. *Baptizare significat immergere.* Beza epist. II. *Christus jussit nos baptizari, quo verbo certum est significari immersionem.* Musculus in locis cap. de baptismo: *Baptismus Latinis sonat intinctionem & immersionem.* Keckermannus lib. III. syst. theolog. c. 8. pag. 451. *Baptismus proprie significat immersionem.* 2.) Præsto est exemplum Christi, qui in Jordane baptizatus *ex aqua ascendisse* dicitur. 3.) Exemplum apostolorum & 4.) primitivæ ecclesiæ, siquidem ceremonia illa in apostolica & primitiva ecclesia fuit retenta. 5.) Paulus Rom. VI. 4. exstruit ex ea pulcerrimam analogiam, quod *per baptismum Christo consepeliamur &c.* Singula membra speciose deduci & explicari possunt, sed quemadmodum ipsi adversarii agnoscunt, ritui immersionis in ba-

Ex baptismo petitur instantia contra fractionis necessitatem.

bar tismo hisce argumentis nequaquam conciliari absolutam quandam necessitatem, ita quoque agnoscant argumentis illis, quæ pro fractionis ritu adferunt, itidem non evinci absolutam quandam in ipsa eucharistiæ celebratione fractionis necessitatem.

CAPUT XV.

DE DISTRIBUTIONE BENEDICTI PANIS ET VINI.

Distributio benedicti panis & vini.

§. CLXVIII. *Secundus* actus sacramentalis est benedicti panis & vini *distributio*, siquidem Christus in prima sacræ cœnæ institutione & administratione non solum panem & calicem *accipiens benedixit & gratias egit, sed etiam panem benedictum fregit ac dedit discipulis, dicens: Accipite.* Matth. XXVI. 26. Marci XIV. 22. Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. Similiter & calicem benedictum ipsis dedit dicens: *Bibite.* Matth. XXVI. 27. Marci XIV. 23. Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 25. Subjunxit etiam mandatum: *Hoc facite*, ut doceret ad legitimam sacræ cœnæ administrationem requiri, non solum panis & vini benedictionem, sed etiam benedictorum symbolorum distributionem, propter quam consecratio præmittitur, eidemque suo quodam modo una cum fractione inservit. Hunc sacramentalem actum in ecclesia apostolica circa eucharistiæ administrationem fuisse observatum, colligitur ex dicto apostolico 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Domini?* ubi *frangere* significat *distribuere*, ut ostendimus superius.

Quæritur 1.) An sacra symbola communicantibus in manus danda.

§. CLXIX. Quæritur hoc loco: I.) *An sacra symbola communicantibus in manus danda, an vero ori admovenda ab ecclesiæ ministro.* Resp. judicamus hoc in se ac per se absque opinione necessitatis aut cultus esse adiaphorum, distinguendum enim inter δόσιν ac δόσεως τρόπον, δόσις ipsa, scilicet distributio, est essentialis sacræ cœnæ pars, ideoque simpliciter necessaria, sed τρόπος δόσεως, an scilicet manui vel ori communicantium sacra symbola offerantur, libertati christianæ relictus intelligitur, cum de eo peculiare aliquod mandatum ex verbis institutionis proferri nequeat. Testantur evangelistæ, Christum benedictum panem & calicem discipulis dedisse, sed an manui, an ori eorum admoverit, nusquam exprimunt, facturi illud omnino, si alterutrum absolute & simpliciter foret necessarium. Quemadmodum igitur in administratione baptismi aquam baptizando in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti adfundi necessarium est, sed an illa adfusio fiat in capite an in toto corpore, nihil quidquam interest, ut suo loco ostendimus: sic distributio sacrorum symbolorum in eucharistiæ administratione necessaria est, an vero immediate ori, an vero mediate manui communicantium cibus ac potus eucharisticus communicantibus detur, in ecclesiæ libertate est relictum. In primitiva ecclesia, nondum nata ac nota transsubstantiatione, sacra symbola tangere fidelibus non erat nefas, quia tum viris tum fœminis in manus dabantur. Eusebius lib. VII. histor. eccles. cap. 8 recitat narrationem Dionysii episcopi Alexandrini de quodam, qui se ab hæreticis baptizatum dolebat, in qua inter cætera sic legitur: *Cum & gratiarum actionem in ecclesia audisset, & ad illam una cum aliis Amen succinuisset, mensæ adstitisset, manus ad suscipiendum sanctum cibum extendisset, illum etiam accepisset, & prolixo jam tempore corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuisset, non sum ausus eum denuo baptismate initiare.* Idem lib. VI. histor. eccles. cap. 42. circa finem de Novato schismatico: *Cum oblata dispensaret, & cuique partem tribueret, illud adjecit: miseros homines, antequam de benedictione ac collectis sumerent, jurare coëgit, utrisque illorum manibus prehensis nec demissis, donec jurantes dicerent: jura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, quod me nunquam deserere & ad Cornelium rever-*

reverti velis. Cap. 43. seq. *Eucharistiam per puerum Serapioni aegroto deferendam a presbytero datam esse* commemorat. Apud Tertullianum lib. II. ad uxorem cap. 5. & Nazianzenum orat. in laudem Gorgoniæ, fideles fœminæ sacra symbola domum secum ferunt (*). Apud Cyprianum serm. V. de lapsis occurrunt hæ loquendi formulæ: *A diaboli uris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus adscendunt &c.* Ibidem p. 226. de quodam idolis maculato refert, quod *sacrificio a sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus latenter accipere, sanctum Dei edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit.* In sexta synodo in Trullo can. CII. damnantur, *qui sacramenta vasculis aureis excipiunt, quae manus debebant.* Theodoretus lib. V. hist. eccles. cap. 17. in princ. refert verba Ambrosii ad imperatorem Theodosium: *istasne adhuc stillantes injustae caedis cruore manus extendes, & in sanctissimum Dei corpus prehendes* (**)?

§. CLXX. Errant igitur *Pontificii*, qui eucharistiam laicis fidelibus in manus dare nefas esse ducunt, (secuti canonem II. concilii Rotomagensis: *Nulli laico aut fœminae eucharistia in manus ponenda, sed tantum in os ejus.*) quasi vero quod ore accipitur, manu non liceat tangere. Errant etiam *Calviniani* (***), ac qui eos hac in parte sequuntur *Neophotiniani* (***), qui necessarium statuunt eucharistiam in manus dare communicantibus. I.) Quia verbum λαμβάνειν, *quo Christus in eucharistiae administratione utitur, significet in manus accipere.* Resp. τὸ λαμβάνειν est generale verbum significans omnem *Antithesis.*

(*) Non tantum ex TERTULLIANO, quem supra adlegavit GERHARDUS, sed ex aliis quoque scriptoribus iisque antiquissimis luculenter paret, multis olim in locis invaluisse abusum, ut laici utramque sacræ eucharistiæ partem manibus accipientes, domum deferrent & custodirent. Vid. *notas* cardinalis DE AGUIRRE *concilio Caesar. Augustano* an. CCCLXXX. celebrato, subiunctas, *tom. II. concil. Hispaniae §. XXI. fol. 118.* & HOORNBECKIUM *loc. ort. libr. I. cap. XVIII. p. 567.* Colligimus exinde, *transsubstantiationis* doctrinam temporibus istis in ecclesiam nondum fuisse introductam. Qui enim ecclesiæ Romanæ sunt addicti, id pro piaculo nunc habent, si laicus panem consecratum manibus contrectet. Id quod olim secus sese habuit. Vid. HENR. RIXNERUM *de veterum circa sacram eucharistiam institutis & ritibus, cap. IX. §. XIX. p. 139.*

(**) Theodorus Bibliander in praefat. epist. Zwinglii & Oecolampadii lit. d. 1. fac. 2. *Nihil refert, utrum fideles manibus suis pertractent symbola, quod simplicitati & verbis instituentis Christi congruit, sive porrectum a ministro symbolum in os accipiant.* Calvinus lib. IV. instit. cap. 17. §. 43. *Quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles nec ne, inter se dividant, aut singuli quod sibi datum fuerit, edant: calicem in diaconi manu reponant aut proximo tradant: panis sit fermentatus an azymus, vinum rubrum an album, nihil refert, haec indifferentia sunt & in libertate ecclesiae posita.* Chamierus tom. IV. panstrat. lib. VII. cap. 20. §. 1. *Solet panis* (in usu papistico) *distributus tradi immediate in os laici, non in manus, quae certe ratio est brutae magis communionis, quam humanae. Itaque nec Christo usurpata, nec veteri ecclesiae.* Wendelinus lib. I. christ. theol. cap. 23. th. 7. p. 376. Bezæ epist. II. in hoc passu nobiscum consentientis sententiam Bucani loc. XLVIII. p. 685. papistæ ac superstitionis nos iniquulantis injuriis merito præfert. Lavaterus in lib. de ritibus ecclesiæ Tigurinæ cap. 13. refert, *quod in ecclesia Tigurina quisque communicantium accipiat particulam exhibiti panis, & postea reliquam partem proximo a sinistra porrigat.* (Sic ergo non exprimunt porrectionem, quam a Christo singulis factam autumant.) GERHARDUS.

(***) Vid. Sohnius tom. I. exeg. p. 249. Jo. Loc. Naum p. 24. Bucanus p. 724. Eorum verba & objectiones adlegat & refellit Eckhardus in fascic. controv. theolog. cap. XXI. q. 4. pag. 634. GERHARDUS.

(****) Sufficiat ex Neophotinianis hoc adlegasse VALENT. SMALCIUM, qui in libro *contra Franzium fol. 349.* sequentem in modum scribit: *panem ac calicem in manus communicantium tradi, nonne ejs convenientius, quam hominibus ea ab alio ita porrigi, ac si manibus capti essent?*

omnem sumtionem, quacunque corporis parte, quocunque instrumento fiat: illud in verbis cœnæ per τὸ φαγεῖν restringitur ad certam speciem, ad illam scilicet sumtionem, quæ fit ore. Marc. XV. 23. de Christo in cruce pendente dicitur: *Et dabant ei* (utique non in manus, sed in os) *bibere myrrhatum vinum, & non accepit*, οὐκ ἔλαβε. Joh. XIX. 30. Jesus dicitur *accepisse acetum*, ἔλαβε τὸ ὄξος, quod ori fuisse admotum v. 29. adseritur, neque enim manibus cruci adfixis spongiam illam aceto plenam accipere poterat. Joh. XX. 22. Christus sufflans in discipulos dicit: *Accipite Spiritum sanctum*, λάβετε πνεῦμα ἅγιον. Act. I. 8. *Accipietis virtutem Spiritus sancti.* Apoc. XXII. 17. *Qui vult, accipiat aquam vitae gratis* (*). Apud Platonem differentiæ causa additur λαμβάνειν εἰς τὰς χεῖρας, ut innuatur esse alios τὸ λαμβάνειν modos. Demus autem ex hypothesi, Christum sacra symbola discipulis in manus dedisse, nondum tamen evictum foret, hunc distribuendi modum esse simpliciter & absolute necessarium, adeoque ad partes cœnæ *essentiales* pertinere, cum inter distributionem ipsam & distributionis modum; inter præceptum & exemplum; inter necessaria & adiaphora, perpetuum maneat discrimen. Agnoscit hoc ipse Beza, quando epist. II. sic scribit: *Sumtio simpliciter & absolute ac prorsus necessario requiritur ad hujus sacramenti usum. Ut autem haec sumtio sive acceptio fiat manu, non item.* Et postea: *Sumtio sacramentorum minime dici potest expungi ab iis vel omitti, qui ore duntaxat absque officio manus illa accipiunt, quia ipsa sumtio, non autem sumendi modus, praecise praescribitur, ac proinde qui istam manus sumtionem sic urgent, ut cœnam in iis ecclesiis profanam judicent, ubi absque superstitione ac multo magis absque impietate adhuc oris sumtio retinetur, vereor, ut ipsi potius vel nonnulla rerum istarum ignorantia, vel* ἀυθαδείᾳ *peccent.* Hæc ille rectissime. II.) Quia *ex superstitione ortum trahat mos ori communicantium sacra symbola ingerendi. Qui offulas integras ori, non manibus, inserunt, adhuc papissare sese & superstitionis fomitem fovere, nescio qua ratione inficiari possint*, scribit Bucanus loco XLVIII. p. 685. *Resp.* nequaquam dicimus prohibitum vel nefas esse, eucharistiam in manus communicantium dare, multo minus fidelium manus immundas dicimus, quibus sacra symbola tangi ob id interdictum censeatur, sed modum distributionis *adiaphorum* esse statuimus, ideoque propter ritum sua natura liberum ecclesias bene constitutas nequaquam turbandas nec infirmioribus scandalum præbendum esse dicimus, proinde retinemus morem sacra symbola ori communicantium admovendi, tum quia jam olim mos ille receptus, tum quia ad εὐχημοσύνην & reverentiam facere videtur, nec eum verbis institutionis ulla ratione eum pugnare ostendi potest (**).

§. CLXXI. Quæritur II.) *Quid statuendum de illa consuetudine quarundam ecclesiarum inter Calvinianos, in quibus communicans prior sequenti panem consecratum dat ac distribuit?* Lavaterus in libro de ritibus ecclesiæ Tigurinæ cap. XIII. inter cætera sic scribit: *Posthaec per totam ecclesiam ministri azymum panem* (eucharisticum) *in patinis circumferunt, & accipit quisque sua manu*

Q. 2.) Quid de Calvinianorum distributione statuendum.

(*) De Christo dicitur ἀδυνάτως ἡμῶν ἔλαβε. Paulus 2 Cor. XI. 24. ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα πλὴν μιᾶς παρὰ μίαν ἔλαβε. Confer Matth. VII. 8. Marc. IV. 16. Joh. XIII. 20. XVI. 24. XX. 22. Actor. I. 8. Gal. III. 2. Apoc. XXII. 17. GERHARDUS.

(**) Pelargus in antithesibus apologet. contra Balduinum th. CXXXIV. χαριέντως quidam *urgent, velut ordinatio Anglicana, ad cavenda pericula subtractionis & superstitionis, aliqui cum Calvino indifferentem ritum esse agnoscunt*, lib. IV. instit. c. 17. p. 43. *quia non admodum interest, quomodo sumatur panis, dummodo sumatur, verisimilius autem apostolos non ore, sed manu excepisse panem a Christo fractum & porrectum, &* τὸ λάβετε *magis proprie competit manui, quam ori.* GERHARDUS.

nu particulam de exhibito pane, & postea reliquam partem dat proxime adsidenti. Denique sequuntur alii ministri cum poculis & cantharis, ac praebet alius alii poculum dominicum, atque sic omnes de uno pane participant, ex quo intelligitur ritum hunc in Tigurina ecclesia esse usitatum. Cajetanus in cap. XXVI. Matth. existimat eundem in prima sacræ cœnæ administratione usurpatum fuisse. *Discipuli* (inquit) *acceperunt a Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cum sederent multi in tanta distantia, ut manus cum sederent multi in tanta distantia, ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ego, quod sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita ut in una patina panem in duodecim buccellas fractum manibus propriis tradiderit, & quod hinc ecclesia usum patinarum apostolica traditione acceperit, ita quod sicut calicem unus discipulus sedit, alii patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successive porrexerunt.* Sed haec incerta sunt, unde etiam plerique Calviniani, ab ipso Christo sacra symbola in manus discipulorum fuisse data, existimant. Nos licet modum distributionis ἀδιάφορον esse statuamus, tamen ad εὐχημοσύνην & reverentiam pertinere, multisque incommodis hoc pacto occurri posse dicimus, si per ministrum ecclesiæ singulis communicantibus sacra symbola distribuantur.

§. CLXXII. Quæritur III.) *An repugnent institutioni sacrae cœnae missae privatae, in quibus solus sacerdos panem & vinum benedictum accipit* (*), *ut reliquis spectatoribus in commodum cedat?* Q. 3.) *Quid statuendum de missis privatis.* Resp. missæ privatæ ortum trahunt ex opinione sacrificii missatici, quibus opponimus: 1.) Institutionem Christi. Christus in prima sacræ cœnæ institutione & administratione non solum panem accepit, benedixit, fregit, sed etiam discipulis dedit, dicens: *Hoc facite;* similiter & calicem accipiens, non solum gratias egit, sed etiam discipulis dedit, dicens: *Bibite*, & in genere postea subjunxit: *Hoc facite.* Ergo panem & vinum solummodo consecrare sine distributione, non est dominicam cœnam celebrare, omittitur namque peculiaris, idemque essentialis hujus sacramenti actus, videlicet *distributio*, quomodo igitur sua integritas sacræ cœnæ constabit, nisi distributio accedat (**)? 2.) Exemplum apostolorum, qui

(*) Ex iis, quæ de missis *privatis*, seu *solitariis* heic differit GERHARDUS, facile patet, hoc nomine non intelligi privatam eucharistiæ celebrationem, quæ in ædibus privatis subinde instituitur. Hanc enim in casu necessitatis omnino licitam esse, omnes fatentur. Ipsi concilii Nicæni patres *canone XIII.* prohibuerunt: ωσε ει τις εξοδευοι, τε τελευταιε και αναγκαιοτατε εφοδιε μη αποτερεσθαι, *ut, si quis e corpore egressurus sit* morte, *ultimo & maxime necessario viatico minime privetur.* Vid. HARDUINUM *tom. I. concil. fol.* 330. Per *ultimum* vero *viaticum*, cuius in hoc canone fit mentio, sacram cœnam intelligendam esse, interpretes Græci ZONARAS & BALSAMON recte adnotarunt. Hinc & complura in monumentis veterum deprehendimus exempla sacræ eucharistiæ in ædibus eorum, qui lectulo erant adfixi, vel carceri inclusi, administratæ. De hoc itaque usu epulti sacri privato nulla nobis cum ecclesiæ Romanæ doctoribus controversia intercedit. Sed disputatur heic potius de participatione corporis & sanguinis Christi, quæ, ut supra observat GERHARDUS, fit a *solo sacerdote* consecrante, qui sacramentum hoc sibi porrigit, nemine ex reliquo christianorum cœtu *vel* præsente, *vel* symbola sacra accipiente. Ipsi concilii Tridentini patres definiunt, missas solitarias esse, *in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, canon. VIII. sess. XXII.* In hancce itaque classem referuntur partim illæ missæ *privatæ*, quæ ad privata altaria in angulis ecclesiarum, nemine præter solum sacerdotem præsente, demurmurantur, germanice *Winckelmessen* alias adpellatæ; partim vero omnes illæ missæ *publicæ*, in summo altari celebratæ, in quibus solus minister consecrans sacramentum hoc sibi porrigit, licet vel universus cœtus ecclesiasticus, vel saltim magna eius pars adsit. Atque ex hac ipsa ministri consecrantis communione fructus in universum cœtum præsentem redundare, contendunt ecclesiæ Romanæ socii.

(**) Non tantum *institutioni* sacræ eucharistiæ *missæ* istæ *solitariæ* adversantur, prout supra ostendit

qui in administratione sacræ cœnæ etiam aliis benedictum panem & calicem distribuerunt. Act. II. 42. XX. 7. 1 Cor. X. 24 ubi εὐλογία & fractio sive distributio conjunguntur. 3.) Oppositio-

stendit GERHARDUS, sed & eiusdem *fini* repugnant. Quum enim, inter alia, hunc quoque in finem institutum sit sacrum istud epulum, ut indicaretur, κοινωνίαν, sive communionem quandam intercedere inter eos, qui unius panis atque unius calicis fiunt participes, quod haud obscure innuit gentium apostolus *1 Cor. X. 17.* & *XII. 13.* recte exinde colligitur, rationem huius sacramenti sibi non constare, nisi plures adsint, qui in eiusdem veniant participationem. Nec sane in veteri ecclesia unquam celebrata fuit sacra eucharistia sine communicantibus, prout ex CHRYSOSTOMI *homil. XVII. in cap. IX. epist. ad Ebræos* rectissime observat Augustana nostra confessio *abusu III. p. 26.* Add. CARPZOVIUM in *isagoge ad h. l. p. 667.* & cel. J. G. WALCHIUM in *introduct. in libros eccles. Lutheranæ symbolicos libr. I. cap. III. §. XLIV. p. 350. seqq.* Observant quoque pii nostri confessores *loc. cit. veteres* aut GREGORIUM *missæ privatæ mentionem haud facere*, idque in *apologia* huius *confess. p. 251.* repetunt. Luculenter hocce adfertum comprobarunt, atque argumentum de missis privatis, quod breviter duntaxat heic pertractatur, late deduxerunt GERHARDUS noster in *confess. cathol. libr. II. part. II. art. XV. cap. II. p. 1225. seqq.* DANIEL CHAMIERUS, in *panstrat. cathol. tom. IV. libr. VII. cap. XVII. p. 191.* PETR. MOLINÆUS in *nouitate papatus contr. XIII.* inprimis *cap. III. p. 1293. seqq.* GEORG. CALIXTUS in *exercitat. de missis privatis*, præcipue *§. XII. seqq.* JO. FRANC. BUDDEUS in *dissertat. de origine missæ pontificiæ*, quæ in *miscell. sacror. part. I.* exstat, *§. XXIII.* & *XXIV. p. 28. seqq.* itemque in *dissertat. historico-theolog. Jo. Ern. Grabio opposita*, sub tit. *Clementem Romanum atque Irenæum non fivere missæ pontificiæ §. XXIII. p. 50. seqq.* SAL. DEYLINGIUS in *exerc. de errorum pontificiorum circa eucharistiam novitate*, quæ *observ. miscell. part. I.* inserta est, *observ. III. §. V. seqq. p. 279. seqq.* nec non JOSEPH. BINGHAMUS *in orig. sive antiq. ecclesiast. vol. VI. libr. XV. cap. IV. §. IV. p. 378. seqq.* Et sane tam clarum est atque exploratum, nullum missarum privatarum in antiquitate christiana vestigium deprehendi, ut ipsi cordatiores inter pontificios ingenue id fateantur. Fecit id, inter hos JO. BONA, pater purpuratus, isque doctissimus, *libr. I. rerum liturgic. cap. XIII. §. 2. p. 176.* ubi disertis verbis scribit: *ab initio sic sacrificium principaliter institutum fuisse, ut publice atque solenniter fieret, clerico & populo adstante, offerente & communicante, ipse tenor missæ & veteris ecclesiæ praxis evincunt. Omnes enim orationes atque ipsa canonis verba in plurali numero, tanquam plurium nomine proferuntur.* Equidem CLAUDIO ESPENCÆO, theologo Parisiensi, perdifficile videtur, ipsum, quo missæ solitariæ cœperint, temporis articulum præcise determinare. Maxime tamen nobis videtur probabile, seculo circiter octavo & nono id contigisse. Hocce enim temporis intervallo præter ecclesias cathedrales & parochiales, monasteria, oratoria, sacella, altaria magno numero exstrui cœperunt, in quibus eucharistia certatim celebrabatur. In tanta itaque missarum frequentia cum non semper aut spectatores, aut communicantes adessent, accidit inde, ut actus missam celebrandi vel randem evaderet solitarius, variæque orirentur quæstiones, verb. grat. an recte a sacerdote adhiberentur formulæ: *pax vobiscum, Dominus vobiscum*, nullis præsentibus, qui responderent: *& cum spiritu tuo.* Iniicitur disceptationis huius mentio passim in canonibus conciliorum, quæ hoc tempore in Gallia Germaniaque fuerunt celebrata. Ita in concilio Moguntino, anno ultimo Caroli M. imperatoris habito, *canone XLIII.* decernitur: *nullus presbyter, ut nobis videtur, solus missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Cumprimis notatu admodum digna sunt verba synodi Parisiensis anno *DCCCXXIX.* imperante Ludovico pio congregatæ, siquidem ex iis & origo & fundamenta conspiciuntur, quæ hanc corruptionem invexerunt. *Irrepsit*, inquit synodus canone XLVIII. libri primi, *in plerisque locis partim incuria, partim avaritia, reprehensibilis usus & congrua emendatione dignus, eo quod nonnulli presbyterorum sine ministris missarum solemnia frequentent. Quod nec verba domini salvatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis sui discipulis celebranda tradidit, nec apostoli Pauli declarant documenta, nec etiam in actis apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo inveniuntur. Unde conveniendus, immo interrogandus nobis videtur huiusmodi corporis & sanguinis domini solitarius consecrator, quibus dicat: dominus vobiscum, & a quo illi respondeatur: & cum spiritu tuo, vel pro quibus supplicando*

positionem apostolicam inter administrationem cœnæ in publico ecclesiæ conventu & πρόληψιν ἰδίου δείπνου. 1 Cor. XI. 20. & seqq. 4.) Collationem cum baptismo. Nemo in alterius commodum potest suscipere baptismum, ut ostendimus suo loco. Ergo nec sacra cœna in alterius commodum usurpari potest. 5.) Collationem cum cibis vulgaribus. Nemo in alterius commodum cibos corporales manducat. Ergo nec cibum illum sacramentalem. Obvertunt, a) *cœnam esse sacrificium, cujus oblatio aliis etiam prosit.* Resp. de hac hypothesi suo tractatur loco (*). b) *Christum nuspiam prohibuisse consecrationem externorum symbolorum, si vel ma-*

cando domino inter cetera: memento domine & omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit. Quæ consuetudo, quia apostolicæ & ecclesiasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps huiuscemodi usus inhiberetur, provideatque unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, & si hanc definitionem superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subiaceat. Ex his itaque aliisque canonibus conciliorum seculo octavo & nono habitorum omnino colligere licet, his ipsis temporibus missas istas, quas *solitarias* vocant, celebrari cœpisse.

Altius quidem huius missarum generis originem repetunt ecclesiæ Romanæ doctores, eandemque ad prima post Christum natum secula, immo ad ipsum ævum apostolicum referendam contendunt. Speciatim JO. BONA, ecclesiæ Romanæ cardinalis, qui sibi hac in re haud constat, id evincere conatur *libr. I. rerum liturg. cap. XIV. & XVIII.* quem alii heic sequuntur. Sed male confundunt scriptores isti missas *privatas*, hoc est, minus solemnes, & paucis duntaxat præsentibus in casu necessitatis, v. gr. ægrotantibus administratas, cum *solitariis*, ubi sacerdos, non ex necessitate quadam, sed ex opinione commodi, quod missæ adferant, *solus* communicat. *Illas* in primitiva iam ecclesia obtinuisse non negamus; verum *has* seculo demum octavo celebrari cœpisse, in antecedentibus luculenter ostendimus. Plura hanc in rem dici possent; sed nolumus hisce diutius immorari.

(*) Tractationem controversiæ: *an sacra cœna sit sacrificium, cuius oblatio aliis etiam prosit?* in locis hisce theologicis frustra quæsivimus. Deprehendimus vero rationem huius omissionis in GERHARDI *præfatione, tomo quinto* huius operis præfixa. Ibi enim scribit, se *prætermisisse* hancce *tractationem de missæ sacrificio, quoniam eam a Chemnitio in concilii Tridentini examine, Menzero contra Pistorium, Huttero contra Bellarminum, atque aliis eo modo explicatam noverit, ut nihil in ea desiderari queat.* Quod ad MARTINUM CHEMNITIUM attinet, is argumentum hoc luculenter pertractavit *loc. cit. part. II. de missa fol. 332.* BALTHASAR vero MENZERUS, theologus quondam Giessensis, nec non *Marpurgensis*, in scriptis suis JO. PISTORIO oppositis, tum alios ecclesiæ Romanæ errores, tum cumprimis illum de *sacrificio missatico* solide confutavit. Ediderat PISTORIUS, qui derelicta religione evangelica, doctrinæ ac disciplinæ pontificis Romani se addixerat, anno *MDXCIX.* librum, sub titulo: *Wegweiser vor alle verführte Christen, das ist, wahrhaftiger Bericht von 14. durch die unrechtgläubigen in Streit gezogenen Articuln, darauß jedermann der römischen Kirche Wahrheit erkennen kan.* Huic vero mox sese obiecit & pro ecclesiæ nostræ caussa pugnavit laudatiss. MENZERUS, ediditque *anti-Pistorium, seu disputationes de præcipuis quibusdam controversis doctrinæ christianæ capitibus*, Marpurg. *MDC.* & rursus *MDCXIV. 4.* Evulgavit is quoque *apologiam primæ disputationis anti-pistorianæ*, ibidem MDC. 8. itemque librum germanico sermone conscriptum, cui index: *der evangelische Wegweiser*, Marpurg. *MDCIII.* 8. Vid. de eo *die Sammlung von alten und neuen theol. Sachen, 1723. p. 197. seqq.* Inprimis vero LEONH. HUTTERUS, theologus quondam Vitembergensis, in errore hoc de sacrificio missatico profligando multam operam posuit, & cardinalem inprimis Bellarminum sibi confutandum sumsit. Huc spectant sequentia eius scripta: *disputatio de sacrificio missatico Romanensium, eiusque abominatione horrenda*, Vitemb. *MDCIII.* porro: *refutatio duorum librorum Bellarmini de sacrificio missæ*, ibid. *MDCIV.* 8. ac denique: ἀπόδειξις *altera* ἀνασκευαστικὴ, *confutationem argumentorum, quibus sacrificium papale missaticum falso stabiliri solet, continens*, Tubing. & Francof. *MDCXXII.*

Non ingratum, ut speramus, erit lectoribus nostris, si triumviris hisce a GERHARDO nostro laudatis, qui in argumento hoc de sacrificio

maxime non adsint communicantes. Resp. institutio Christi est norma & regula, juxta quam sacra

cio missæ elucidando studium suum operamque collocarunt, alios scriptores, tum Romanenses, tum protestantes, hoc subiungamus.

Ab ecclesiæ Romanæ scriptoribus ut dicendi faciamus initium, ex iis cumprimis hoc notari merentur CLAUDIUS ESPENCÆUS, qui *de missa publica & privata* peculiarem librum Parisiis ann. *MDLXXIII.* luci expostuit publicæ, in eius *operibus* Lutetiæ Parisiorum anno *MDCCXIX.* iunctim editis recusum; ROBERTUS BELLARMINUS, ecclesiæ Romanæ cardinalis, qui in *disputat. de controversiis christianæ fidei tom. III. libr. V. & VI.* argumentum hoc copiose pertractavit; JO. DE ANGELIS, gente hispanus, Franciscanorum familiæ adscriptus, cuius exstat *tratado de los sacratissimos mysterios de la Misa*, Madriti *MDCIV.* OLIVERIUS BONARTIUS, Iprensis, societatis Jesu theologus, qui scripsit *de horis canonicis & sacrificio missæ*, Antverp. *MDCLIII.* 4. GABRIEL DE HENAO, Jesuita Hispanus, superiori seculo clarus, qui *de sacramento missæ* 2. vol. Salmanticæ *MDCLVIII.* in fol. edidit; JO. BONA, pater purpuratus, cuius tractatus asceticus *de sacrificio missæ* anno *MDCLXXII.* primum prodiit, ac deinceps eiusdem *operibus* iunctim editis *p. 175. seqq.* fuit insertus; JAC. BENIGNUS BOSSUETUS, episcopus quondam Meldensis, qui edidit: *explication de quelques difficultés sur les prieres de la messe*, Paris *MDCLXXXIX.* ubi eos refutare conatus est, qui pontificiorum doctrinam de sacra cœna, eiusque sacrificio proprie sic dicto ac propitiatorio, ex ipso canone missæ oppugnarunt. Jungi vero merentur DIONYSIUS PETAVIUS, societatis Jesu sacerdos, isque Gallus, *dogmat. theolog. tom. VI. p. 123. seqq.* HONORATUS TOURNELY, theologus Parisiensis, in *prælect. theolog. tom. III. part. III. de sacra eucharist. quæst. VIII. p. m. 438. seqq.* PETR. LE BRUN, presbyter oratorii Parisiensis, cuius librum quatuor tomis constantem hacque insignitum inscriptione: *explication litterale historique & dogmatique des prieres & des ceremonies de la messe*, supra in notis *ad §. 148. p. 266.* iam adlegavimus; porro: episcopus Mirapiscensis in *instruct. pastoral.* gallice editis, &, qui primo nominandus erat loco, PROSPER cardinalis LAMBERTINUS, postea BENEDICTUS XIV. ecclesiæ Romanæ præsul, isque doctissimus, cuius exstant *commentarii duo de Christi matrisque eius festis, & de missæ sacrificio*, quos ex italico in latinum sermonem vertit, ac Patavii ann. MDCCLII. in fol. edidit MICHAEL ANGELUS DE GIACOMELLIS, ex intimis auctoris capellanis. Ut alios taceamus.

Pergimus ad protestantes, qui doctrinam Romanensium de sacrificio Missatico confutandam sibi sumserunt, ubi quidem ex nostræ ecclesiæ doctoribus primo loco nobis nominandus venit ipse GERHARDUS noster, qui argumentum hoc, in *locis theologicis* prætermissum, in *confessione cathol. part. II. libr. II. art. XV. cap. I. p. 1200. seqq.* copiose solideque pertractavit. Gerhardo iisque, quos ipse nominavit, Menzero nimirum & Huttero, iungi merentur THEODOR. THUMMIUS, theologus Tubingensis, cuius præter dissertationem *de sacrificio papali missatico*, exstat: *apodixis theologica continuata, confutationem exhibens argumentorum, quibus sacrificium papale missaticum falso stabiliri solet*, Tubingæ MDCXXI. 4. GEORG. CALIXTUS in *tractatu de pontificio missæ sacrificio*, Francof. MDCXIV. itemque in tribus dissertationibus *de sacrificio Christi, semel in cruce oblato & initerabili*, contra pontificios, Helmstad. MDCXLIV. nec non in *exercitat. de missis solitariis*, Helmst. MDXLVII. BALTH. CELLARIUS, *disput. de sacrificio missæ*, Helmst. MDCLII. FRID. BALDUINUS, in disput. *de missa papistica*, Vitemb. MDCXXIV. 4. JO. CONR. DANHAVERUS in *hodomor. pap. phantasm. X. p. 580. seqq.* & in *mysterioseph. sect. III. art. I. §. 50. p. 623.* JO. GEORG. DORSCHÆUS, cuius exstat *myssaria missæ*; JO. ERN. GERHARDUS differt. *de missa, non missa, pontificia*, Jenæ MDCLIX. JO. ADAM OSIANDER de *pontificiorum sacrificio incruento* Tubing. MDCLXXXV. JO. WOLFFG. JÆGERUS de *supposititio missæ sacrificio*, ibid. MDCXCIII. ut alias dissertationes particulares, quæ in tomis Marpurgensibus, Wittebergensibus aliisque exstant, hoc taceamus. Cumprimis commemorari hoc meretur JO. FECHTIUS, cuius *tractatio historico-theologica de origine & superstitione missarum in honorem sanctorum celebratarum*, J. B. Bossueto, jo. Dezio & Jo. Grancolasio, theologis Gallicanis opposita, primum Rostoch. MDCCVII. 4. lucem adspexit publicam, deinde vero auctior, ibidem MDCCXXV. 8. fuit recusa. Adiecta est duplex appendix *de sacrificio missæ repræsentativo*, nec

non

sacra cœna in ecclesia est administranda propter adnexum mandatum: *Hoc facite.* Distributio

non *concomitantia sacramentali.* Fechtio adlatus ponimus Jo. Franc. Buddeum, qui edidit dissertationem, *qua evincitur, Clementem Romanum atque Irenæum non favere missæ pontificiæ*, Jenæ MDCCV. insertam postea eiusdem *miscell. sacr. part. I. p. 1.* Adiungimus eidem Jo. Christoph. Pfaffium, cuius dissertatio *de falsitate, vanitate & novitate sacrificii missatici* &c. Tubing. MDCCXIV. prodiit, eiusdemque filium Christoph. Matth. Pfaffium, qui in variis scriptis, veluti in *notis*, quas adiecit Irenæi *fragmentis anecdotis*, nec non *dans la reponse à la première lettre du P. Scheffmacher, Jesuite de Strasbourg sur le sacrifice de la messe*, & in libro germanice edito: *Widerlegung der zwölf Briefe des P. Seedorfs p. 39. seqq.* alibique passim argumentum hoc egregie pertractavit. Exstant quoque variæ eius dissertationes huc spectantes, verb. grat. *de una oblatione in æternum consummante ad Ebr. X. 14.* itemque *dissertatio anti-Toutteana*, nec non binæ aliæ, altera quidem in oraculum sacrum, quod *Malach. I. 11.* legitur, altera vero in locum 2 *Maccab. XII. 39. seqq.* in qua disquiritur: *an ex eo adstrui possint missæ & preces pro defunctis ex purgatorio liberandis?* Tubing. MDCCXLIX. 4. Referendi & huc sunt Godofr. Schwarzius in *dissertationibus de sensu verborum Malachiæ I. 11.* quibus probatur, Romanæ ecclesiæ sacrificium missaticum in effato hoc nullum præsidium habere, Rintel. MDCCLV. 4. Jo. Gvil. Ianvs in dissert. *de sacrificio missæ pontificio, liturgiis orientalibus ignoto*, adversus Eusebium Renaudotium, Vitemb. MDCCXXV. & Salom. Deylingivs in *observat. miscell. part. I. exercitat. V. obs. IV. & V. p. 290. seqq.* Diximus & nos nonnulla ad argumentum hocce spectantia in libro germanico sermone edito, sub tit. *theologische Sendschreiben an einen vornehmen Herrn von Adel, in welchen die zwischen der evangelisch- und römisch-catholischen Kirche obschwebende Religions-Strittigkeiten untersucht und zugleich des Herrn Pater Seedorffs herausgegebene Sendschreiben unpartheyisch geprüft werden.* Francof. & Lips. MDCCL. 8. Vid *quinque priores epistolas, p. 1 ad 206.*

Nec defuerunt ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus, qui in hac controversia eruditionem industriamque suam comprobarunt, ac singularia scripta, ad pontificiorum errorem de incruento missæ sacrificio profligandum composita, in lucem publicam ediderunt. Sufficiat ex iis hoc nominasse Phil. Mornæum *de l' institution, usage & doctrine de l' eucharistie en l' église ancienne; ensemble, quand, comment, & par quels degrés la messe s' est introduite en sa place*, Rochel. 4. *MDXCVIII.* Salmur. *MDCIV.* Dan. Chamierum in *panstrat. cathol. tr. IV. libr. VII. cap. XII.* ad *XVIII. p. 154.* ad *192.* Francisc. Gomarum *oper. theolog. part. II. p. 120.* Andr. Rivetum in *cathol. orthodox. tr. III. quæst. 19. tom. III. oper. p. 350. quæst. 20. p. 359.* Franc. Turrettinum in *instit. theol. elenchr. part. III. loc. XIX. quæst. XXIX. p. 582. seqq.* Jo. Henr. Heideggerum in *tumulo concilii Trident. tom. II. quæst. I. p. 113. seqq.* Jo. Dallæum, qui *de cultibus latinorum religiosis & de obiecto cultus religiosi* scripsit; Jo. Forbesium in *instruct. historico-theolog. libr. XI. cap. X. p. m. 613. seqq.* Josuam Placæum, qui edidit *examen des raisons pour & contre le sacrifice de la messe*, Salmur. *MDCXXXIX.* 8. Matth. Bochartum, cuius exstat *traité de sacrifice de la messe*, Genev. *MDCLI. MDCLVIII.* 8. nec non Dav. de Rodon, cuius *tombeau de la messe*, Genev. *MDCLXII.* 8. prodiit. Ob hoc ipsum vero opusculum auctorem e Gallia expulsum Genevam se recepisse cœtuique reformatorum se adiunxisse, refert Petr. Bælius in *diction. hist. & critique* voce *Rodon.* Scripsit quoque Ant. Sadeel, theologus Reformatus gente Gallus, *tractationem de unico Christi sacerdotio & sacrificio adversus commentitium missæ sacrificium*, quæ Genevæ MDLXXX. 8. MDLXXXVIII. MDCXIV. seorsim prodiit, eiusdemque *operibus* iunctim editis, *p. 37.* fuit inserta. Cumprimis notari heic meretur Petri Molinæi *anatome missæ*, quæ Lugduni Batav. MDCXXXVII. primum prodiit, ac deinceps in varias linguas, gallicam nimirum, anglicam & germanicam fuit conversa, magnamque præ aliis huius generis scriptis existimationem sibi comparavit. Jungi vero eidem meretur: *la deuxieme partie de l' anatomie de la messe*, Genev. MDCXL. Prætermittimus dissertationes peculiares Georg. Sohnii, quæ in eiusdem *operibus tom. III. p. 312.* exstant, nec non aliorum theologorum, quæ in *thesauro disputat. Sedanensium tom. I p. 790, 801. seqq.* & *tom. II. p. 529. seqq.* & *p. 1073. seqq.* leguntur.

Theologis Reformatis ex Anglorum gente adiungimus Thom. Cranmerum, archiepi-

burio non per inet ad *ceremonialia*, sed *essentialia*, ideo sine ea non constat huic sanctissimæ actioni sua integritas. De tota hac re alibi plura.

CAPUT.

chiepiscopum quondam Cantuariensem, qui peculiarem librum *de eucharistia* edidit, THOM. MORTONUM, episcopum primum Coventrinensem, postea Durhamensem, in *magna impostura ecclesiæ novæ Romanæ &c.* MATTH. SUTLIVIUM *de missa & variis erroribus Romanæ synagogæ de eucharistia*, contra Bellarminum, Lond. MDCIII. & JO. PRIDEAUX, episcopum olim Vigornienſem, in *oper. theol.* iunctim editis *p. 218. seqq. & p. 688.*

Hisce ex ARMINII discipulis, qui *Remonstrantes* vulgo adpellari solent, addi merentur PHIL. LIMBORCHIUS in *theolog. christ. libr. V. cap. LXXIII. §. IV-XIII. p. 634. seqq.* & ADRIAN. A CATTENBURGH in *spicilegio theolog. Limborchinæ p. 1050. seqq.*

Quod restat, sequentia adhuc paucis notamus: *I)* neminem ex cœtus Romani scriptoribus sacrificium missaticum maiori cum veri specie adstruxisse JAC. BENIGNO BOSSUETO, episcopo olim Meldensi, in libro gallico supra iam excitato, cui index: *explication de quelques difficultés sur la prière de la Messe* &c. quem vero ex ecclesiæ Reformatæ theologis JAC. BASNAGIUS in *historia ecclesiæ*, gallico sermone scripta, *tom. II. libr. XV. cap. IV.* §. VII. *p. 876. seqq.* & *libr.* XVI. *cap. X.* §. II. & VI. *p. 947, 949, 950.* ex nostris vero C. M. PFAFFIUS in *dissertat. de oblatione veterum eucharistica* §. XVIII. *seqq.* solide confutarunt. *II)* Esse theologos quosdam Anglos, veluti JO. ERNEST. GRABIUM, GEORG. HICKESIUM, HENR. DODWELLUM, MEDUM, JONSONIUM aliosque, qui sacrificium quidem eucharisticum statuant, sed a sacrificio pontificiorum missatico plane diversum. *Hoc* quippe in sacrificio corporis & sanguinis Christi repetito, *illud* vero in oblatione panis & vini consistit, quæ, ex mente illorum theologorum, corpus Christi mysticum sunt, verumque duntaxat repræsentant. Si patres Tridentinos audiamus, eucharistia est eiusmodi sacrificium propitiatorium idque incruentum, in quo corpus & sanguis Christi Deo patri offeratur, modoque incruento immoletur; contra vero theologi isti Anglicani, de quibus heic sermo est, hoc duntaxat statuunt, quod symbola, panis & vinum, quibus sacra cœna conficitur, Deo consecrari precibusque offerri debeant. Legenda, quæ de hac sententia adnotarunt b. canc. PFAFFIUS *loc. cit. §. XLII. p. m. 387.* & b. DEYLINGIUS in *dissertat. de Irenæo evangelicæ veritatis confessore & teste*, quæ *observat. miscell. part. I.* exstat, §. LI. *p. 102. seqq.* Illud quoque *III)* notari heic meretur, vocabulum *sacrificii* tum in sacris novi testamenti libris, tum in antiquis ecclesiæ monumentis sæpius *improprie* sumi, ut hac voce denotentur θυσίαι πνευματικαι *sacrificia spiritualia*. Ita in sanctioribus litteris *sacrificiorum* nomine insigniuntur preces Ebr. V. 7. XIII. 13. Apoc. V. 8. VIII. 3, 4. *fides*, Phil. II. 17. &c. *eleemosyna*, Phil. IV. 18. Ebr. XIII. 16. *prædicatio evangelii & conversio gentium*, Rom. XV. 16. *sanctificatio* nostra, *cultusque Dei* cum internus, tum externus, Rom. XII. 1. 1 Petr. II. 5, 9. *martyrium*, Phil. II. 17. 2 Tim. IV. 6. *gratiarum actio* & huius generis alia. Scriptores divinos imitati sunt cœtus christiani doctores tum antiquioris, tum recentioris ævi. Ita EUSEBIUS in *orat. de laude Constantini M. cap. XVI. f. 659.* preces christianorum vocat τας αναιμακτους και λογικας θυσιας τας δι ευχων, *rationalia & incruenta sacrificia*, nimirum preces, quæ Deo offeruntur; & secundum CLEMENTEM *Alexandrinum libr.* VII. *Stromat. f. 866. edit. Oxon.* sacrificia eorum, qui Christo nomen dederunt, sunt ευχαι τε και αινοι, *preces, & laudes*, itemque *scripturarum lectiones, psalmi & hymni*. Quum itaque *IV)* sacra cœna in antiquiori ecclesia christiana nunquam fuerit administrata sine precum recitatione ac prolixa gratiarum actione, ipseque generis humani redemtor, instituens hocce sacramentum, *gratias egisse, & benedixisse* dicatur, factum hinc est, ut administratio huius sacramenti, quod *missæ* nomine venit, *sacrificium* a patribus fuerit adpellata. Loca patrum, quæ huc pertinent, in medium adduxit JO. CASPAR SUICERUS in *thesauro ecclesiast. tom. I. p. 1421.* Ipsa *Augustanæ confessionis apologia p. 255. seqq. missam* ad huius generis sacrificia spiritualia & eucharistica quodammodo referri posse, certis sub cautelis concedit, nec quisquam est, qui hoc sensu *missam* sacrificii nomine insigniri posse, inficias iverit. Verum, quod *V)* notamus, longius progressi sunt concilii Tridentini patres, missamque sacrificium non *eucharisticum*, sed *propitiatorium*, non *figurate*, sed *proprie* sic dictum esse, contenderunt, inque dissentientes anathematis

CAPUT XVI.

DE MANDUCATIONE ET BIBITIONE SACRAMENTALI.

Manducatio & bibitio sacramentalis.

§. CLXXIII. *Tertius* actus sacramentalis est *acceptio* sacrorum symbolorum, videlicet benedicti panis manducatio & benedicti vini bibitio. Quemadmodum enim consecratio respicit distributionem, ita distributio acceptionem, videlicet manducationem & bibitionem, siquidem actui *exhibitivo* distributionis, vi relationis, respondet actus *receptivus*, manducationis & bibitionis. Porro manducationem benedicti panis & bibitionem benedicti vini esse peculiarem & sacramentalem actum, ac proinde partem coenae *essentialem*, demonstramus his fundamentis. 1.) Verba coenae: *Accipite, manducate, & bibite*, sunt προσακτικὰ, quae diserte requirunt non ὄψιν, nudum adspectum, sed χρῆσιν, usum sacrorum symbolorum, nec in genere tantum requirunt usum, sed in specie eum determinant; quod scilicet sacramentalis illorum symbolorum usus in manducando ac bibendo consistat. Matth. XXVI. 26, 27. Marc. XIV. 22, 23. Luc.

matis fulmen evibrarunt. Ita enim habent verba huius concilii *sess.* XXII. *can. 3. si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, non autem propitiatorium, anathema sit.* Adiunxerunt *VI*) huic errori in se gravissimo alium non minus gravem, statuentes, sacrificium istud missaticum, ex opere, uti dicunt, operato vim suam prodere, nec tantum illis, qui eucharistia utantur; sed aliis quoque, pro quibus offeratur, mortuis aeque ac vivis, utilitatem adferre, ac remissionem culpae ac poenae mereri, h. e. animas ex purgatorii igne liberare, prout patet ex *can. 1. sess. XXV.* ubi docetur, *purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero* ACCEPTABILI ALTARIS SACRIFICIO, *iuvari.* Atque ex his, quae modo differuimus, *VII*) facile patet, in quonam versetur status controversiae, quae de sacrificio missarico inter protestantes ac pontificios inde a tempore reformationis tantis animorum motibus fuit agitata. Scilicet non quaeritur: an eucharistia possit *improprie* ac *symbolice* vocari *sacrificium eucharisticum* & *mysticum*, ratione *commemorationis*, quia in memoriam nobis revocat unicum ac sufficientissimum Christi sacrificium pro peccatis nostris in ligno crucis oblatum; vel ratione *precum* & *gratiarum actionis*, quae in celebratione eucharistiae fieri debent? Hoc enim adversariis facile largiuntur protestantes. Sed in eo potius cardo controversiae vertitur: Utrum in eucharistia detur verum sacrificium, non eucharisticum, internum & spirituale, sed *externum*, *corporale* & *propitiatorium*, in quo sub speciebus panis & vini Christus quotidie offeratur a sacerdote Deo patri in victimam pro peccatis viventium & mortuorum? Hancce quaestionem adfirmant ecclesiae Romanae sectatores, aiuntque, quem ad modum Christus morte sua pro poenis damni & aeternitate poenarum sensus olim satisfecerit; ita sacrificii huius in cruce olim peracti incruenta repetitione impetrari 1) *viventibus* culpae ac poenae cuiuscunque, itemque satisfactionum remissionem nec non alia, quibus illi indigerent, auxilia; quod vero 2) ad *mortuos* attinet, illos virtute huius sacrificii liberari ex purgatorio. Addunt 3) *utrisque*, tam viventibus, quam mortuis, intercessionem sanctorum; ac denique 4) ipsis sanctis in coelo triumphantibus maiorem gloriae gradum hocce sacrificio obtineri: Verum theologi protestantes negantem heic amplectuntur sententiam, firmissimis innixi rationibus, quae in libris eorum systematicis aliisque, quos supra adlegavimus, legi possunt. Neque enim instituti nostri brevitas permittit, ut easdem heic repetamus, atque controversiam hanc data opera excutiamus. Hanc unicam *VIII*) subiungimus observationem eandemque historicam, nimirum nullam ante concilium Tridentinum exstitisse publicam sententiae, quae hodie in ecclesia Romana obtinet, definitionem, ipsosque praesules ac theologos in hacce synodo congregatos, in partes aequales fuisse divisos, contendentibus aliis, sacramentum altaris esse sacrificium verum proprieque sic dictum; aliis vero statuentibus, nullum pro hac opinione e sanctioribus litteris desumi posse argumentum, ideoque nihil heic definiendum, sed in simplici adsertione adquiescendum esse, quod celebratio sacrae eucharistiae sit sacrificium. Testatur hoc PAULUS SARPIUS in *hist. concilii Trident. libr. VI. p. m. 940. seqq.*

Luc. XXII. 19. 20. 1 Cor. XI. 24. 25. II.) Apostoli & reliqui fideles in primitiva ecclesia sacram cœnam eo modo usurparunt, ut panem benedictum ederent, & ex calice benedicto biberent. Marc. XIV. 23. *Et biberunt ex eo omnes.* 1 Cor. X. 21. *Non potestis simul calicem Domini & calicem daemoniorum bibere; non potestis mensae Domini participes esse & mensae daemoniorum.* 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc & calicem bibetis &c.* ubi perpetuo conjunguntur manducatio & bibitio. III.) Sicut distributio ideo necessaria est, quia consecratio propter eam fit, eandemque respicit: ita quoque manducatio & bibitio necessaria est, quia distributio propter hos actus fit, eosdemque respicit. Mutua relatio eandem distributionis & acceptionis, δόσεως καὶ λήψεως, rationem esse ostendit.

Objectum manducationis & bibitionis.

§. CLXXIV. *Objectum* manducationis & bibitionis sacramentalis sunt symbola sacramentalia, hoc est, panis, cui sacramentaliter unitum corpus Christi; & vinum, cui sacramentaliter unitus est sanguis Christi, siquidem teste apostolo 1 Cor. X. 16. *panis, quem frangimus,* (distribuimus & manducamus) *est κοινωνία corporis Christi: poculum, quod benedicimus,* (distribuimus & ex eo bibimus) *est κοινωνία sanguinis Christi.* Dicimus igitur in sacra cœna panem nec solum nec seorsim, neque corpus Christi solum sive seorsim; nec vinum solum, sive seorsim, neque sanguinem Christi solum sive seorsim, sed cum vino sanguinem Christi accipi, nimirum propter mysticam & sacramentalem panis & corporis, vini & sanguinis Christi unionem, quæ a veracis & omnipotentis Christi institutione dependet, humana autem ratione nec comprehendi potest, nec investigari debet. Quinimo cum sacramentaliter unita corpus & sanguis Christi longe præstantiora sint pane & vino, ideo sacramentalis manducatio & bibitio præcipue versatur circa corpus & sanguinem Christi; siquidem manducatio panis & bibitio vini in eucharistia ideo a Christo instituta est atque a nobis suscipitur, ut mediante pane accipiamus & manducemus corpus Christi, cujus est κοινωνία, & mediante vino accipiamus & bibamus sanguinem Christi, cujus est κοινωνία, quod colligitur ex verbis Christi, in quibus post præceptum bibendi ἀιτιολογικῶς subjungitur: *Hoc est enim sanguis meus.* Matth. XXVI. 27. Ergo hic locum habet regula logica: *Propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale.* I. posterior. c. 2. §. 14. in causis scilicet per se, quibus affectio secundum magis aut minus inest.

Antithesis adversariorum.

§. CLXXV. Pontificii bibitionem a manducatione sacramentali separant, quando laicis tantummodo panem benedictum manducandum, nequaquam vero vinum benedictum bibendum exhibent, errant igitur circa ipsum actum sacramentalem, qua de re superius late dictum fuit. Circa *objectum* hujus actus sacramentalis errant I.) Calviniani, quando docent, ore corporis solum panem & vinum, nequaquam vero mediante pane Christi corpus, mediante vino Christi sanguinem accipi. Ut enim *realem* præsentiam, ita quoque *oralem* manducationem corporis Christi præfracte negant, quam Beza vocat *tale commentum, cujus vel ipsum Satanam pudeat.* Zwinglius tom. II. in exegesi. p. 372. *carnem Christi in cœna corporaliter edi pestem esse* asserit. Bucanus loco XLVIII. p. 685. quærit: *An una & eadem numero & genere sit signorum & rerum significatarum præbitio & oralis manducatio?* Respondet autem negate: 1.) *Nam ut duae sunt personae administrantes cœnam Domini, una pastoris, id quod exterius & foris agitur, agentis: altera Christi suo Spiritu sancto id, quod interius fit, efficientis.* 2.) *Et duabus rebus constat tota actio cœnae Domini, una terrena, corporea & sensibus ipsis perceptibili: altera cœlesti, spirituali & fideli mente intelligibili.* 3.) *Duaeque sunt partes hominis, quarum una corpus est, altera anima: sic duas esse adserit diversas praebitiones, quarum una fiat per ministrum corpori, altera per Christum menti, & totidem manducationes, unam scilicet externam, corporalem, ora-*

oralem, naturalem, & sensibilem, nempe signorum externorum sensibilium, quae & sacramentalis dicatur; alteram internam, supernaturalem rerum significatarum & fidei oculis perceptibilium, quae dicatur spiritualis; illam a Christo institutam esse, ut sit hujus spiritualis manducationis & bibitionis expressa quaedam effigies. Fundamentum hujus nefariae distractionis oritur ex negata vera praesentia corporis Christi in coena; corpus Christi nequaquam vere & *realiter*, sed tantum *significative* praesens esse in coena, ideo etiam tantum panem, nequaquam vero corpus Christi ore percipi adserere coguntur. II.) Sed & Pontificii circa objectum hujus actus sacramentalis errant, dum solum Christi corpus, nequaquam vero panem, cujus substantia defierit, manducari, & solum Christi sanguinem, nequaquam vero vinum, cujus substantia itidem desierit, bibi adserunt, quae opinio ex hypothesi transsubstantiationis ortum ducit. III.) Est recens quorundam adsertio, *corpus Christi non primum in usu sacrae coenae ore percipi, sed Spiritum sanctum ista efficacia illud jam ante in nobis existens mediante pane nobiscum unire.* Quae opinio tollit unionem sacramentalem panis & corporis, vini & sanguinis Christi, ac panem facit medium non κοινωνίας corporis, sed efficaciae Spiritus sancti, quin & finem sacramentalis manducationis evertit, ideo enim corpus Christi mediante pane eucharistico edimus, ut fides in nobis confirmetur, non autem ideo edimus panem, ut Spiritus sanctus per illum sua efficacia corpus Christi, jam ante in nobis praesto existens, nobiscum uniat. IV.) Neophotiniani nec *oraliter* nec *spiritualiter* adeoque nulla plane ratione corpus Christi in coena manducari adserunt. Catechismus Racov. major. c. III. p. 218. 219. 220. *Haec verba* (Hoc est corpus meum) *non eodem sensu ab hodiernis christianis accipiuntur: nam quidam ea sic interpretantur, ut panem in corpus, vinum in sanguinem corporaliter mutari credant, quod plerumque transsubstantiationem vocant. Alii ita intelligunt, ut corpus Domini sit sub pane, in pane, & cum pane. Denique quidam opinantur, se in coena Domini veri corporis & veri sanguinis Domini participes fieri, quamvis spiritualiter, quae opiniones omnes sunt falsae & erroneae.* Eadem habet Ostorodus in instit. germ. cap. XXXVIII. pag. 334. & seq.

§. CLXXVI. Nos secuti clarissimam institutionis dominicae adsertionem statuimus, in sacra coena mediante pane verum Christi corpus manducari; mediante vino verum Christi sanguinem bibi, quae manducatio non est *physica* aut naturalis, quam Capernaitae somniabant. Joh. VI. 52. Quia naturalis manducatio pro objecto habet solum cibum naturalem ad corporis nutritionem, sed manducatio in sacra coena objecti loco habet non solum panem, sed & corpus Christi, quod est cibus vivificus animam & corpus nostrum alens ad vitam aeternam: manducatio naturalis ita comparata est, ut eam sequatur masticatio, deglutitio, concoctio, expulsio superfluitatum &c. qualia Christi corpori non possunt tribui. Vocamus igitur manducationem *sacramentalem*, cum ex unione sacramentali panis & corporis Christi unice dependeat & ex ea aestimenda sit, quae consistit in eo, quod ore corporis non solus panis, sed & corpus Christi sacramentaliter eidem unitus percipiantur, non modo aliquo hujus seculi, sed in sublimi & incomprehensibili mysterio. Quando quidam nostrum hanc sacramentalem manducationem vocant *corporalem*, secuti Cyrillum & alios ex veteribus, respiciunt non ad *modum*, quasi modo corporali ac naturali illa fiat, sed ad *objectum* manducationis, quod non panem solum, sed mediante illo verum Christi corpus accipiamus. Quando quidam vocant manducationem *spiritualem*, id adcurate declarandum est, ne sensu Calviniano dictum existimetur (*). Calviniani *sacramentalem* manducationem sic definiunt, quod ore accipia-

Quaenam sit & dicatur manducatio sacramentalis.

(*) Triplex est manducatio, 1.) *physica* solius panis. 2.) *sacramentalis* seu mystica corporis Christi cum pane, 3.) *spiritualis*, quae est beneficiorum Christi adprehensio. Quamvis Christi

cipiamus panem, qui sit corporis Christi absentis sacramentum, hoc est, tantummodo signum: nos sacramentalem manducationem sic describimus, quod ore accipiamus panem, qui sit corporis Christi vere præsentis κοινωνία. Calviniani *spiritualem* manducationem sic describunt, quod anima ejusque organum, fides scilicet, in cœlum sese elevet, ibidemque corpore & sanguine Christi perfruatur, hoc est, beneficia traditione corporis & effusione sanguinis parta sibi adplicet. Nos adplicationem beneficiorum Christi per fidem, hoc est, spiritualem manducationem carnis & bibitionem sanguinis Christi, de qua Joh. VI. agitur; nequaquam negamus, sed ad fructum & finem sacræ cœnæ referimus, ideoque sacramentalem manducationem, ad formam sacræ cœnæ pertinentem, ab ea distinguimus. Quando vero sacramentalis manducatio vocatur spiritualis, opponitur hoc omnibus carnalibus & terrenis cogitationibus, quas de hoc cœlesti mysterio humana ratio potest concipere (**). Sic ergo patres ex scriptura & nos cum eis duplicem manducationem corporis Christi agnoscimus: 1.) *Spiritualem*, quæ est finis & fructus sacræ cœnæ, quæque fieri potest etiam extra usum hujus sacramenti per solam fidem, quæ nihil aliud est quam vere credere, quod corpus Christi sit pro nobis traditum; sanguis ejus pro peccatis nostris in ara crucis effusus. 2.) *Sacramentalem*, quæ ad essentiam sacræ cœnæ pertinet, quæque fit in externo hujus sacramenti usu, quæ nihil aliud est, quam ore accipere panem eucharisticum, qui est κοινωνία corporis Christi. Hæc sacramentalis manducatio dicitur *spiritualis* non sensu priori, sed longe alio, quia scilicet corpus Christi non manducatur naturaliter, ac modus manducationis, uti etiam præsentiæ, non est naturalis, carnalis, physicus, localis, sed supernaturalis, divinus, mysticus, cœlestis, & spiritualis. Probe hoc discrimen intellexit Bucanus, unde loco XLVIII. pag. 687. sic scribit: *Quod quidam fingunt corporalem manducationem, quae fiat modo cœlesti & supernaturali, est commentum ineffabile & inintelligibile, adeoque contradictionem implicans.* Itane vero quia ratio nostra hoc mysterium non comprehendit, sed fortissime eidem adversatur, ideo repudiandum fuerit? sed de tota hac re paulo post plenius.

§. CLXXVII. Nos *sacramentalem* manducationem corporis Christi, prout superius definita est, demonstramus hisce fundamentis: 1.) Verba cœnæ *substantialia* accipienda sunt in nativa & propria significatione, ut superius fuit comprobatum. Atqui verba illa: *Edite, bibite,* sunt substantialia. Ergo in propria & nativa significatione sunt accipienda. *Minorem* confirmant argumenta illa, quæ ostendunt sacramentorum genus esse actionem, cum scriptura ipsa definiat ea verbis *activis*, hoc est, actionem requirentibus, cumque suum esse in actione habeant, & sine actione

Fundamenta adfertionis de manducatione sacramentali.

Christi corpus non sit cibus corporalis ad sustentationem terrenæ vitæ pertinens, tamen est cibus corporis, per quem corpus ad spiritualem, cœlestem & beatam vitam nutritur. Sicut baptismus non solum animam sed totum hominem anima & corpore regenerat, sic corpore & sanguine Christi non solum anima sed etiam corpus, seu totus homo anima & corpore ad vitam spiritualem, cœlestem & æternam nutritur, quando igitur eucharistia dicitur cibus animæ, id accipiendum est sensu *inclusivo*, non *exclusivo*. Ac si vel maxime corpus Christi esset tantum cibus animæ, nondum tamen consequens foret, ore corporeo illud non percipi, quia verbum Dei est animæ cibus, Hebr. V. 12. & tamen auribus corporeis recipitur; Rom. X. 14. quinimo ideo ore corporeo accipitur Christi corpus, ut animæ nutritio mediante unione panis cum corpore sit efficacior. GERHARDUS.

(**) Sacramentalis manducatio dicitur spiritualis, 1.) respectu *oppositionis*, quia usui communi ac vulgari propter nutritionem corporis ad hanc vitam suscepto opponitur. 2.) Respectu *objecti*, quia illius objectum est ipsius λόγε glorificatum & πνευματικὸν σῶμα. 1 Cor. XV. 44. 3.) Respectu *operationis*, quia quod editur eo modo, alit ad vitam æternam. 4.) Respectu *modi* & *conditionis*, quia est manducatio mystica & supermaterialis. GERHARDUS.

ne esse nequeant, ut in tractatu de sacramentis dictum fuit. Quare cum verba *edendi* & *bibendi* exprimant certum genus actionis in hoc sacramento necessariæ, utique in propria & nativa significatione erunt accipienda. Jam vero notum est, quid edere ac bibere, si absque tropo accipiantur, significent, videlicet ore percipere, unde sic colligimus: quo organo Christus jubet accipere panem & vinum, eodem etiam organo jubet accipere suum corpus & sanguinem. Atqui panem & vinum jubet accipere organo corporeo, scilicet ore. Ergo etiam corpus & sanguinem suum jubet accipere organo corporeo, videlicet ore. *Major* probatur, quia Christus discipulos jubet edere & bibere organo corporeo, ore scilicet, illud, quod ipsis manducandum & bibendum offerebat. Jam vero id, quod manducandum offerebat, testatur esse corpus suum, id quod bibendum offerebat, testatur esse sanguinem suum. Ergo etiam corpus & sanguinem suum organo corporeo, ore scilicet accipere jubet (*). Fidei mentionem in verbis *substantialibus* facit nullam, nec præcipit, ut credant, sed ut manducent ac bibant in verbis cœnæ *formalibus*, postea demum in verbis *finalibus* & promissionis requirit, ut videlicet hoc faciant in ἀνάμνησιν suæ mortis, hic autem quæstio est de verbis cœnæ *formalibus* (**). II.) Manducatio sacramentalis respondet unioni sacramentali, illa quippe hujus est finis; non enim propter panem, sed propter hominem Christus in cœna præsens est, ergo unio corporis Christi cum pane respicit manducationem sacramentalem, per quam homini fit κοινωνία corporis Christi. Jam vero unio sacramentalis ita comparata est, non quod panis sit signum corporis Christi absentis, sed quod panis in usu sacræ cœnæ sit medium & organum, per quod communicetur corpus Christi, sive ut Paulus loquitur, quod *panis, quem frangimus, sit* κοινωνία *corporis Christi*. Ergo etiam manducatio sacramentalis ita comparata est, non quod ore accipiatur tantum panis, qui sit absentis corporis signum, sed quod mediante pane vere manducetur Christi corpus, mediante vino vere bibatur Christi sanguis. III.) Quæcunque ad essentiam sacramenti pertinent, organo corporeo accipiuntur, ut ostendit exemplum circumcisionis, baptismi & aliorum sacramentorum. Jam vero corpus & sanguis Christi pertinent ad essentiam sacræ cœnæ, siquidem *eucharistia constat non solum re terrena, sed etiam re cœlesti, corpore scilicet & sanguine Christi:* Irenæus libr. IV. c. 34. Ergo corpus & sanguis Christi organo corporeo, ore scilicet accipiuntur. Sacramentum est totum constans duabus partibus, terrena, scilicet pane & vino, ac cœlesti, scilicet corpore & sanguine Christi. Jam vero totum

(*) Verba Christi in sua nativa literali διανοίᾳ relicta & non per tropos ac figuras inflexa solide probant substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna his in terris juxta ipsius institutionem dispensata præsentiam & oralem manducationem & bibitionem, teste Pierio, qui interrogatus a Philippo Nicolai: *annon quando illud edere & bibere, de quo in verbis cœnæ Christus loquitur, non aliter, quam* κατὰ ῥητὸν *sumitur, oralis acceptio corporis & sanguinis Christi hic exprimatur?* respondit triplici adfirmatione, *Ja, ja, ja.* Vide Philippum Nicolai hac de re fusius differentem tom. IV. oper. germ. p. 697. in fol. Idem tasti sunt Zwinglius & ejus socii, teste Luthero tom. III. germ. Ien. p. 488. Ac non debemus hic a τῷ ῥητῷ ad tropos & figuras *rhetoricas* pro nostro lubitu & arbitratu abire, ut multis argumentis confirmatum fuit] *supra*. GERHARDUS.

(**) Hyperaspistæ 12. causarum, *cur Reformati cum sententia Lutheri de cœna consentire nequeant* aliquoties repetunt, *quod Christus non corpus suum, sed panem jusserit edere, qui phrasi sacramentali adpellatur corpus.* Sed præter argumenta ex verbis institutionis deducta opponimus illis Bezam, qui part. II. resp. ad Hoffm. p. 16. *Agedum* (inquit) *tibi largior jubere Dominum, accipi, comedi & bibi, tum signa, id est, panem illum & vinum illud, tum verum illud suum corpus pro nobis traditum, tum verum illum sanguinem pro nobis effusum, id est, semet ipsum totum. Quis enim hoc negarit, quin Christi verbis auctoritatem deneget?* GERHARDUS

totum sacramentum hic in terris ore accipitur. Ergo etiam utraque pars, non terrena solum, sed & cœlestis. Si pars altera sacramenti fide cœlos subvolante acciperetur, in terris non esset integrum sacramentum, imo plane nullum esset sacramentum, quia remota parte essentiali non amplius est totum. IV.) Ubicunque verbum edendi de pane, & bibendi de vino dicitur, significatio ejus est propria & nativa, quia actio prædicatur de proprio suo objecto, manducatio & bibitio *figurate* accepta non habet locum, nisi cibus & potus etiam figurate accipiatur. Jam vero in verbis cœnæ vox *edendi* de pane, (licet non solo) vox *bibendi* de vino (licet non solo) prædicatur. Ergo significatio est propria & nativa. V.) Una atque eadem significatio est verbi *bibendi* in mandato Christi & in mandati illius exsecutione; absit enim, ut dicamus, in prima cœnæ administratione aliud mandasse Christum, aliud apostolos fecisse. Jam vero in exsecutione illius mandati verbum *bibendi* accipitur proprie, *& biberunt ex eo omnes.* Marc. XIV. 23. Id quod per se patet, & confirmatur exemplo proditoris Judæ, quem primæ cœnæ interfuisse ex contextu Lucæ plerique patres statuunt. Ergo etiam in mandato Christi verbum *bibendi* accipitur proprie. Vicissim, quæ est ratio partis posterioris, eadem etiam ratio est partis prioris. Jam vero verbum *bibendi* in parte posteriore accipitur proprie. Ergo etiam verbum *manducandi* in parte priore proprie accipitur. VI) *Panis, quem frangimus*, hoc est, panis eucharisticus fractus & distributus, *est κοινωνία corporis Domini.* 1 Cor. X. 16. Jam vero os accipit fractum & distributum panem. Ergo os accipit in sacramento corpus & sanguinem Christi. VII.) Talis significatio verbi *edite* & *bibite* statuenda est, quæ etiam competit indignis, ut suo loco ex 1 Cor. XI. 27. probabimus. Jam vero spiritualis manducatio, prout ab adversariis definitur, non competit indignis. Ergo verba *edite* & *bibite* non possunt de spirituali manducatione & bibitione intelligi. VIII.) Verba: *edite, hoc est corpus meum*; *bibite, hoc est sanguis meus*, proprie loquendo non sunt verba promissionis, sed verba mandati, ordinationis ac dispositionis. Jam vero fides proprie respicit verbum promissionis, fide ea accipiuntur, quæ promittuntur. At quæ simpliciter adfirmantur, ea quidem credenda sunt, non tamen fide accipiuntur vel adprehenduntur. Sic Christum incarnatum esse, credendum est, interim tamen Christi incarnatio non pendet ex nostra fide: ita quoque Christi corpus, manducato benedicto pane, vere manducari credendum est, interim tamen præsentia & manducatio corporis Christi non pendet ex fide nostra. IX.) *Sacramentalis & spiritualis* manducatio corporis Christi multis modis differunt. Ergo non sunt invicem confundendæ. Sacramentalis manducatio pertinet ad *essentiam* sacræ cœnæ: spiritualis vero ad illius *finem & fructum*, qui proponitur in his verbis: *Hoc facite in mei commemorationem.* Sacramentalis manducatio est *medium*, spiritualis manducatio est *finis*, jam vero media ad finem ducentia sunt distincta ab ipso fine. Sacramentalis manducatio distincta est a bibitione sacramentali, ut ostendunt verba institutionis: spiritualis manducatio non distinguit corpus & sanguinem Christi, sed uno actu fertur in totum Christum. Sacramentalis manducatio versatur non tantum circa corpus Christi, sed etiam circa panem, quo scilicet mediante corpus Christi accipit: spiritualis manducatio non versatur circa externum elementum, sed tantum circa corpus Christi. Sacramentalis manducatio est communis omnibus sacra cœna utentibus: spiritualis autem solis fidelibus convenit. Sacramentalis manducatio fit non solum a fidelibus ad salutem, sed etiam ab incredulis ad judicium; spiritualis fit tantummodo ad salutem. Sacramentalis manducatio instituta demum est in nov. test. sed spiritualis est omnium temporum etiam vet. test. Absque sacramentali manducatione multi, scilicet infantes & fideles adulti in casu privationis necessariæ salvantur: spiritualis autem omnibus salvandis est necessaria. Sacramentalis manducatio non potest abesse a sacra cœna: spiritualis autem manente integra sacræ cœnæ essentia abesse potest, neque enim ad sacramenti integritatem quidquam interest, qua fide quis eo utatur. Ex quibus omnibus

sic

sic inferimus: Eam oportet esse significationem verborum *edite & bibite* in sacra cœna, per quam manducatio & bibitio sacramentalis a manducatione & bibitione spirituali distinguatur; ratio *connexionis* pendet ex discrimine multiplici modo ostenso. Jam vero significatio *metaphorica* verborum *edite & bibite* non distinguit manducationem & bibitionem sacramentalem a spirituali, quia *figurate* edere Christi corpus, *metaphorice* bibere ipsius sanguinem nihil aliud est, quam spiritualiter *edere* ac *bibere*. Ergo significatio *metaphorica* non habet locum in verbis cœnæ substantialibus *edite* ac *bibite*. X.) Mentzerus tom. III. disp. Giss. disp. VI. th. 147. addit hoc argumentum: relati & correlati eadem est ratio in proprietate significationis vocabuli. Nam pater proprie dictus habet filium proprie dictum, sicut patris metaphorice dicti filius etiam metaphorice dicitur. Atqui distributio & acceptio in sacra cœna, quæ refertur ad manducationem & bibitionem, accipitur proprie, non *modificate*, ut fatentur ipsi adversarii. Ergo etiam manducatio & bibitio accipiuntur in significatione propria, non modificata.

Testimonia patrum.

§. CLXXVIII. Referenda huc sunt dicta veterum. Irenæus libr. IV. cap. 34. pag. 263. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quae a corpore Domini & sanguine alitur?* libr. V. c. 4. p. 318. *Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita aeterna, quae corpore & sanguine Domini nutritur?* Tertullianus de resurrect. carnis c. 8. p. 317. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Cyprianus serm. de lapsis p. 225. *Iacens stantibus & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegis irascitur.* Chrysostomus homil. XXVII. in 1 Cor. p. 567. *Haec facis Christi mensa exceptus illo die, quo dignus habitus es, qui carnes ejus lingua tangeres, quicunque sis ergo, ne haec fiant, manum tuam expurga, & castiga linguam & labra, quae ingressus Christi fuere vestibula,* ἅπερ ἐγένετο πρόθυρα τῇ ἐπιβάσει τοῦ Χριστοῦ. Hom. XXIX. in 2 Cor. *Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum accipiens corpus dominicum.* Homil. I. Eph. *Quomodo comparebit ante tribunal Christi, qui labiis & manibus immundis ausit corpus ejus attingere?* Cyrillus libr. X. in Joh. XIII. p. 500. *Non negamus, recta nos fide caritateque sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis scripturis omnino alienum dicimus.* Et postea: *An fortasse putant ignotam nobis mysticae benedictionis virtutem esse? quae cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare?* Theodoretus libr. V. histor. eccles. c. 17. (aliis est 18. cap.) in principio refert verba Ambrosii ad imperatorem Theodosium: *Qua temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies, quando furore verborum tuorum injuste est effusus sanguis.* Augustinus epist. CXVIII. paulo ante finem: *Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi.* Lib. II. contra advers. legis & prophetar. cap. 9. circa finem: *Mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum sanguinem potare, quam fundere.* Serm. CCXV. de tempore, paulo ante finem: *Videte, fratres carissimi, si justum est, ut ex ore christianorum, ubi corpus Christi ingreditur, luxuriosum canticum quasi venenum diaboli proferatur.* Theophylactus in 2 Cor. XIII. *Per os Christus ingreditur, cum sacrosanctum corpus accipitur.* Oecumenius in 1 Cor. XI. *Sacratissimum Christi corpus manibus impuris accipiunt indigni, & exsecrando ori suo admovent.* Leo serm. IV. de quadragesim. *Ore indigno Christi corpus accipiunt.* Serm. VI. de jejun. *Hoc ore sumitur, quod corde creditur,*

& frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id, quod creditur, disputatur. Gregorius hom. XXII. pasch. col. 146. *Quid sit sanguis agni, jam non audiendo sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Libr. IV. dialog. cap. 58. *Ejus corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis jam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.*

Argumenta Calvinianorum contra oralem manducationem.

1) Joh. VI. traditam esse expositionem verbi edite.

§. CLXXIX. Exceptiones adversariorum ad argumenta potiora hæc sunt. I.) *In cap. VI. Johannis ab ipso Christo expositum esse, quam corporis sui manducationem & sanguinis sui bibitionem instituerit, videlicet nullam aliam, quam spiritualem; quin imo adserunt, Johannem ideo descriptionem institutionis praetermisisse, quia jam ante, in cap. VI. scilicet, exposuerit, qualis manducatio corporis & bibitio sanguinis in sacra cœna intelligenda sit.* Inde Oecolampadius cap. VI. Joh. *suum ferreum atque aheneum murum, adeoque angelum contra nos igneo gladio armatum* vocare fuit solitus (*). Resp. 1.) Philippus in comm. in Johan. nominc Crucigeri editis cap. VI. sic scribit: *Ego concionem illam Johannis nec de ceremonia cœnae Domini, nec de sacramentali manducatione, sed sola fide intelligo, sicut Christus ipse praefatus est.* Hanc sententiam Philippi adprobat etiam Calvinus in c. VI. Joh. similiter scribens p. 44. *Non de cœna hic habetur concio, sed de perpetua communicatione spirituali, quae extra cœnae usum nobis constat.* Et postea: *Ex his verbis palam adparet, totum hunc locum perperam de cœna exponi, quae nondum erat instituta* (**). Gualtherus homil. LIII. in Joh. fol. 112. & homil. LIV. fol. 114. fatetur, *Christum hoc loco nullam cœnae mentionem facere.* Perkinsus in cathol. reform. controv. X. cap. 4. p. 222. edit. Herb. *Caput Johannis sextum non debet intelligi de peculiari illa manducatione, quae fit in cœna, sed in genere de omni manducatione & fruitione Christi, quae fit etiam extra usum cœnae.* Benedict. Aretius lect. V. de cœna. *Quod locum Johannis VI. attinet, ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, respondemus non eandem esse cum hac propositione rationem. Nam Joh. VI. cœna nondum fuit instituta, nec etiam illic instituitur.* Vorstius in antibellarm. cap. de cœna. p. 394. *in loco Joh. VI. nihil quidquam de sacramento eucharistiae proprie agitur* (***). 2.) Quamvis igitur ex cap. VI. Joh. salutaris usus cœnæ

(*) Cap. VI. Joh. de cœna sacra agere statuit Bellarminus libr. I. de euch. c. 5, 6, 7. cui contrariatur Franc. Suarez libr. II. defens. fidei cathol. cap. 5. p. 368. *Multi* (inquit) *catholici negarunt illa verba Joh. VI. intelligenda esse de manducatione sacramentali.* Cap. VI. Joh. de cœna quoque intelligunt Martyr in loc. comm. class. IV. loc. X. §. 34. Thalmannus de cœna p. 173. Wilhelmus Kleinwitzius, contra Hesshus. p. 491. Johan. Leonhardus in gladio versatili p. 81. auctore Sadeel oper. fol. 348. Danæus contra Selneccerum p. 101. Georg Hanfeld *im Wegweiser vom Abendmahl*, p. 338. Amlingius *vom Abendmahl*, p. 92. Embdenses in resp. contra Hunn. p. 219. Sed de sacramento eucharistiæ nihil in eo capite agi docent Calvinus in cap. VI. Joh. Aretius lect. V. de cœn. Dom. p. 86. Pelargus in Johan. p. 78. GERHARDUS.

(**) Chamierus tom. IV. panstrat. cathol libr. VIII. cap. 5. §. 21. p. 292. *Persuasissimum nobis est, hoc toto capite Joh. VI. agi abstracte de re per sacramentum eucharistiae significata, id est, esu totuque spirituali carnis ac sanguinis Christi. Itaque non probamus Bohemos directe ab iis verbis,* (pro communione sub utraque specie) *argumentantes.* Vide eundem tom. ejusd. lib. XI. cap. 3. ubi multis hac de re disputat. Schœnfeld *in der von ihm glossirten Bibel über das VI. cap. Joh.* & Steinius part. II. *der Brüderschafft* p. 102. itidem negant, Joh. VI. de eucharistiæ sacramento agi. Matth. Sutlivius de missa adv. Bellarm. libr. I. cap. 24. p. 117. vocat *plane immane figmentum & futile inventum in loco arenoso positum*: quod 12. argumentis probat. GERHARDUS.

(***) Joh. Völkelius Photinianus in dissolutione nodi Gordii p. 16. *Evidentissime a nostris demonstratum, verba illa Christi, quæ in c. VI. Johannis exstant, ad cœnae dominicae institutionem minime pertinere.* GERHARDUS.

cœnæ in ſpirituali corporis Chriſti manducatione & ſanguinis bibitione conſiſtens declarari poſſit, quo ſenſu & reſpectu pii veteres hoc caput ad doctrinam de cœna referunt; tamen quæ ſit ſacramentalis manducatio, & in quo ipſa eſſentia ſacræ cœnæ conſiſtat, id ex cap. VI. Joh. peti nec poſſe nec debere dicimus, quia cap. VI. Joh. agit de manducatione ſpirituali, ſed inſtitutio ſacræ cœnæ tractat de manducatione ſacramentali, quod ipſi etiam adverſarii concedere coguntur. Jam vero manducatio ſacramentalis a ſpirituali multis modis differt, ut per diſtincta membra paulo ſuperius fuit declaratum. 3.) De quolibet dogmate judicandum eſt ex propria ſede, juxta regulam theologicam. Jam vero propria ſedes doctrinæ de cœna non eſt cap. VI. Johannis, quippe quæ poſt illam concionem integro demum anno elapſo fuit inſtituta, ſed Matth. XXVI. Marc. XIV. Luc. XXII. 1 Cor. X & XI. Ergo ex illis locis petenda eſt doctrina de ſacra cœna. Ubi non habet locum integra deſcriptio ſacræ cœnæ, ibi non poteſt quæri ejus eſſentia. Atqui integra deſcriptio ſacræ cœnæ non habet locum in cap. VI. Joh. quia nec externorum ſymbolorum, panis ſcilicet & vini, nec ſacramentalis manducationis & bibitionis ibidem fit mentio. Ergo. Ubi non fit mentio panis & manducationis proprie acceptæ, ibi non deſcribitur eſſentia ſacræ cœnæ, quia verba *panis & manducandi* in verbis inſtitutionis accipiuntur proprie, ut ſuperius fuit confirmatum. Jam vero Joh. VI. non fit mentio panis & manducationis proprie acceptæ, ſed tantum *metaphoricae* & ſpiritualis manducationis. Ergo. Vide Polyc. Lyſerum in harm. evang. cap. LXXVIII. p. 203. ubi diſcrimen manducationis, de qua Chriſtus Joh. VI. agit, & manducationis ſacramentalis, quam idem in ſacra cœna inſtituit, late exponitur. 4.) *Johannem ideo praetermittere voluiſſe cœnae dominicae deſcriptionem, quia in cap. VI. ipſam cœnae ſubſtantiam expoſuerit*, cauſæ eſt fallacia; ideo vero Johannes inſtitutionis deſcriptionem prætermiſit, a.) quia a reliquis evangeliſtis, quorum ſcripta jam tum exſtabant, erat diligentiſſime adnotata; teſtatur enim Euſebius libr. III. hiſt. eccleſ. cap. 21. *Cum trium evangeliſtarum ſcripta ad cunctos, & jam ad ipſum* (Johannem) *quoque perveniſſent, probaſſe quidem & veritatis teſtimonium illis dediſſe, ſolam tamen in horum ſcriptis deſideraſſe narrationem eorum, quae initio praedicationis geſta ſunt a Chriſto.* Et poſtea: *Ideo non abs re genealogiam quidem ſervatoris ſecundum carnem, tanquam a Matthaeo & Luca jam ante deſcriptam, ſilentio tranſit.* Idem vero de ſacræ cœnæ deſcriptione judicium (*). b.) Quia non tam res a Chriſto geſtas, inter quas etiam cœnæ inſtitutio referenda eſt, quam dulciſſimas conciones Chriſti, præſertim a reliquis evangeliſtis prætermiſſas, narratione evangelica complecti voluit. c.) Quia ex Pathmo in Aſiam reverſus, Ebionis & Cerinthi divinitatem Chriſti oppugnantium blaſphemias audiens, easdem ſuo refutare voluit evangelio. Irenæus libr. III. cap. 11. p. 184. *Johannes Domini diſcipulus volens per evangelii adnunciationem auferre eum, quia Cerintho inſeminatus erat hominibus, errorem & multo prius ab his, qui dicuntur Nicolaitae, ut confunderet eos, & regulam veritatis in eccleſia conſtitueret, ſic inchoavit evangelium*, &c Idem teſtatur Hieronymus in catal. ſcript. eccleſ. d.) Quia in epiſtola ſua docuerat, ſanguinem Chriſti in terris *teſtari* atque eſſe medium, per quod *Chriſtus ad nos venit.* 1 Joh. V. 6. & 8.

§. CLXXX. II.) Regerunt: *In verbis Chriſti*: Edite, hoc eſt corpus meum, τὸ *edere & de pane & de corpore Chriſti intelligendum eſſe, ſed diverſimode: de pane proprie; de corpore Chriſti metaphorice.* Conſid. commonef. p. 220. *Cum ſancta cœna* (ſcribit Bucanus loco XLVIII. p. 687.) *conſtet duabus rebus, terrena & cœleſti, ſeu ſigno & ſignato,*

2.) *Verbum edite de pane proprie, de corpore Chriſti metaphorice intelligendum eſſe.*

(*) Seelmatterus Calvinianus in præf. ſymphoniæ evangelicæ: *Johannes ideo deſcriptionem inſtitutionis cœnæ prætermiſit, quia expendit a reliquis evangeliſtis ſacræ cœnæ tum celebrationem tum inſtitutionem, in perpetuum eccleſiæ ritum plene conſignatam.* GERHARDUS.

gnato, duo sunt manducandi modi, & ideo duplex manducatio praecipitur, una signi, altera signati, illa corporalis & sensibilis, haec vero spiritualis & intelligibilis: illi manducationis vocabulum proprie, huis vero figurate tribuitur, ut Psalm. XIV. 4. Operarii iniquitatis comedunt populum meum sicut panem, & Joh. VI. 53. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam. *Resp.* 1.) Ἀδύνατον est, unum idemque verbum in una propositione simplici duplicem, eandemque disparatam obtinere significationem. Ubi enim diversa significatio, ibi diversi conceptus. Ubi conceptus diversi, ibi etiam res diversæ. Ubi res diversæ, ibi diversus attributionis modus. Ubi non est unus attributionis modus, ibi non una nec simplex, sed diversa & multiplex est prædicatio. Ergo ubi significationes diversæ, ibi etiam multæ prædicationes. Keckermannus libr. II. syst. log. sect. 1. cap. 1. can. 1 *Utrumque* (nomen & verbum) *dicitur esse unum unitate significationis, atque adeo dans verbum ambiguum non dat verbum, sed verba.* Sadeël p. 158. *Eritne figurata locutio respectu animi & non respectu corporis? Unde tantum discrimen? ubi tanti discriminis τὸ ῥητὸν? en hominum somnia!* (**) 2.) Psalm. XIV. 4. non una & simplex, sed duplex est prædicatio, unde in Hebræo vox *comedendi* bis repetitur. *Comedunt populum meum, ac si comederent panem.* Idem animadvertitur in omnibus exemplis, quæ proferuntur ab adversariis hoc fine, ut probent, vocem unam in una oratione simplici duas sustinere posse significationes. Vide Meisnerum part. I. sobr. phil. sect. 1. cap. 5. q. 6. Joh. VI. 53. *manducandi* vox unam tantum habet significationem, *metaphoricam* scilicet. 3.) Figmentum de duplici significatione vocis *edite* in verbis cœnæ separat ac divellit unionem sacramentalem panis & corporis, cum tamen panis & corpus Christi non considerentur ut duo objecta plane sejuncta, sed ut unum objectum sacramentale, quod totum Christus edere jubet, unde sic colligimus. Quemadmodum sacra cœna est unum sacramentum, non duo, quia scilicet est ibi rei terrenæ & cœlestis unio sacramentalis, ita verba sacramentalia *edite, bibite*, non duplicem, sed unam habent significationem tum unioni sacramentali, tum unitati sacramenti respondentem. 4.) Idem figmentum separat & divellit unicam illam & indivisam sacramentalem manducationem in sacra cœna a Christo institutam, quæ nec est solius panis, nec solius corporis Christi, sed corporis Christi cum pane sive mediante pane manducatio: separat etiam unicam illam & indivisam sacramentalem bibitionem a Christo institutam, quæ nec est solius vini, nec solius sanguinis Christi, sed sanguinis Christi cum vino sive mediante vino bibitio. Hæc, inquam, una sacramentalis, ac proinde indivisa manducatio & bibitio, non tam distinguitur, quam divellitur in geminam objecto, instrumento ac loco differentem, dum adseritur, panem & vinum accipi ore corporis in his terris corporaliter; corpus autem & sanguinem Christi accipi sola fide in cœlis spiritualiter (**). 5.) Nulla necessitas a proprietate literæ discedere nos cogit. Quamvis enim rationi nostræ ἄτοπον καὶ ἀδύνατον videatur, corpus Christi una cum pane ore percipi, tamen propter absurdum rationis a sensu literali in articulis fidei non est discedendum. Principium ergo petitur, quando

(*) Alstedius in prægogn. theol. libr. II. cap. 100. p. 142. *Scriptura sacra non est ambigua, sed quælibet vox & phrasis in eadem sententia & constructione eadem, uno & eodem loco habet unicam tantum significationem, unicum sensum, non plures. Nam tum demum est enunciatio vera, cum unum dicitur, sed unum non dicitur, cum voci seu phrasi eidem duplex adfingitur significatio in eodem loco, sicut Romanenses fingunt, verbum facite in verbis cœnæ significare primo sacrificare seu offerre Deo corpus Christi, secundo panem & corpus Christi accipere.* GERHARDUS.

(**) Si verbis *edite, bibite*, innuitur perceptio, quæ fide fit, particula *hoc* non denotabit solum panem, alias enim Christus jussisset credere in panem, quod absurdum. Sed ex mente Calvinianorum verbis *edite, bibite*, innuitur perceptio, quæ fide fit. GERHARDUS.

quando verbo *edite* ideo duplex significatio adfingitur; quia corpus Christi mediante pane proprie manducari nequeat. 6.) Quinimo διττότης illa significationis in una voce ex verbis institutionis non solum probari nequit, sed iisdem etiam adversatur. In parte enim cœnæ posteriore una tantum significatio verbi *bibite* locum habet, quia Christus addit bibite *ex hoc* scilicet poculo, quæ verba ad bibitionem *metaphoricam* referri non possunt, cum ex poculo fide non possit bibi sanguis Christi, sed tantum ore. Jam vero par est ratio utriusque mandati *edite* in parte priore, & *bibite* in parte posteriore. Quare cum per τὸ *bibere* non nisi oralis bibitio vini & sanguinis Christi sacramentaliter eidem uniti intelligi possit, consequitur etiam per τὸ *edere* non nisi oralem manducationem panis & corporis Christi sacramentaliter eidem uniti intelligi & posse & debere. 7.) Quemadmodum superius unio sacramentalis declarata est per collationem cum unione personali: ita quoque eadem collatio huc adferri potest. Ut enim ea, quæ de Christo dicuntur, non accipiuntur *proprie* respectu unius, *tropice* vero respectu alterius naturæ, sed significatione una propria propter personæ ταυτότητα. ita quoque verba cœnæ substantialia non sunt accipienda *proprie* respectu externorum symbolorum, *tropice* respectu corporis & sanguinis Christi, sed significatione una propria propter sacramenti unitatem & sacramentalem unionem. 8.) Quæcunque argumenta probant aliam quam metaphoricam & spiritualem manducationem corporis Christi in verbis cœnæ substantialibus intelligendam esse, quorum aliquot superius percensuimus, eadem etiam probant, unam tantum videlicet propriam esse verborum *edite* & *bibite* significationem. Verba *edite* & *bibite* causam sacræ cœnæ *formalem* describunt. At esus & potus spiritualis non est causa formalis, sed finis & fructus sacræ cœnæ. Plura argumenta ex distinctione manducationis sacramentalis & spiritualis, item bibitionis sacramentalis ac spiritualis petita huc adducentur loco. 9.) Utimur hac ἀπαγωγῇ ad absurdum: manducare in verbis cœnæ est fide percipere. Manducamus autem benedictum panem, qui est signum corporis Christi. Ergo fide percipimus benedictum panem, qui est signum corporis Christi. *Conclusio* est absurda, cum panis non fide, sed ore accipiatur. Ergo aliqua ex *praemissis*; atqui utraque est adversariorum. Si dicant manducare significare & φάγειν & πιστεύειν, φάγειν ratione *panis*, πιστεύειν ratione *corporis*, petunt manifeste principium. 10.) Regerunt, metaphoricam significationem verbi *edere* non esse humano arbitrio excogitatam, sed ab ipso Spiritu sancto monstratam, videlicet in cap. VI. Joh. *Resp.* nos metaphoricam & spiritualem manducationem corporis Christi minime negamus, sed quod in verbis cœnæ substantialibus: *Edite, hoc est corpus meum*, metaphorica & spiritualis illa manducatio, de qua Joh. VI. agitur, instituta sit & a nobis intelligenda veniat, id vero negamus, propter argumenta superius prolata. Duplicem Christus corporis sui manducationem & sanguinis sui bibitionem nos docet. *Spiritualem* in concione Joh. VI. expositam; *sacramentalem* in sacra cœna institutam. Nequaquam igitur prætextu unius altera oppugnanda est, cum scriptura sit una copulativa. Sicut Ariani testimoniis, quæ loquuntur de Christi humanitate, oppugnabant Christi divinitatem: Marcionitæ testimoniis, quæ loquuntur de Christi divinitate, oppugnabant veritatem corporis Christi: Hymenæus & Philetus testimoniis de spirituali resurrectione oppugnabant articulum de resurrectione corporum, atque interim sonora voce clamabant, se non ex ratione humana, sed ex scriptura divina argumenta petere: ita quoque Calviniani testimoniis, quæ de spirituali manducatione & communione nostra cum Christo per fidem agunt, oppugnant sacramentalem manducationem, quæ fit ore corporis in usu sacræ cœnæ, atque interim pleno ore jactitant, se non ex humanæ rationis lacunis, sed ex Israëlis fontibus haurire, quæ contra sacramentalem manducationem proferunt. Πρῶτον vero ψεῦδος utrobique idem, quod videlicet articuli fidei sibi invicem opponuntur, quod commiscentur ea, quæ erant distinguenda, ac quod propter absurdum rationis a proprietate literæ discedatur. 11.) Regerunt ulterius, nos ipsos quo-

quoque uni eidemque verbo in eadem propositione duplicem significationem imponere, cum dicimus: panem proprie, corpus Christi mystice comedi. Ursinus in consid. commonef. p. 270. Resp. τὸ edere, quatenus in sua propria & genuina significatione idem notat, quod ore ut organo aliquid percipere, eatenus de pane eucharistico & corpore Christi eadem ratione prædicatur, ac perinde nequaquam duplicem significationem sortitur: interim si de modo quæstio sit, non negamus, panem *naturaliter*, (nimirum si essentiam & naturam ejus, non autem sacramentale officium respicias) corpus Christi *mystice* manducari, sed distinctus ille manducationis modus non importat duplicem significationem verbi *edere*, nec duplex organum perceptionis, uti paulo post plenius docebitur. 12.) Denique regerunt, *in baptismo aqua, sanguine, & spiritu nos baptizari, nemo tamen dixerit, nos eodem modo baptizari aqua, quo spiritu aut sanguine.* Ursinus l. d. *Resp.* τὸ βαπτίζειν non usurpatur proprie de aqua, tropice de sanguine & spiritu in ipsa baptismi actione, sed unam omnino significationem habet, videlicet mediante adspersione aquæ in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti facta, per Spiritum & Christi sanguinem a peccatis abluere. Invertimus igitur argumentum. Quemadmodum in baptismo mediante aquæ adspersione Christi sanguine sacramentaliter adspergimur, ita in sacra cœna mediante panis manducatione corpus Christi sacramentaliter manducamus.

3.) *Manducatio proprie dicta est physica.*

§. CLXXXI. III.) *Nulla est proprie dicta manducatio, quae non sit physica sive naturalis. Si ergo corpus Christi in cœna proprie loquendo editur, utique etiam naturaliter editur. Et vicissim, si non editur naturaliter, ergo nec proprie.* Resp. 1.) Confunditur proprietas vocis *grammatica* cum proprietate rei *physica*. Ex proprietate vocis grammatica non recte processus sit ad proprietatem rei physicam. Exempli gratia generatio vere & proprie dicitur de Filio Dei ab æterno a Patre genito. Si enim non esset vera & propria generatio, utique λόγος non esset vere genitus, & per consequens non esset verus Dei Filius: inde tamen inferri non debet, generationem Filii Dei esse physicam, qualis est hominum generatio. 2.) Nec concedi potest, omnem manducationem in propria significatione acceptam esse *physicam*. Angeli in sacris literis edisse & bibisse leguntur, quæ certe non tropica sed vera fuit manducatio, interim physicam & naturalem fuisse nemo dixerit. Christus post resurrectionem manducavit, teste evangelica historia & Petro; Act. X. 41. si tropice manducavit, non probavit resurrectionis veritatem. Ergo vere & proprie comedit, neque tamen dicendum, quod fuerit manducatio physica & naturalis, quia corpus Christi post resurrectionem fuit spirituale & glorificatum. 3.) In hoc & similibus adversariorum argumentis semper confunduntur *res* & rei *modus*, quæ duo distinguenda esse multis exemplis confirmari potest. Filius Dei natus est ex muliere, Gal. IV. 4. ideo Maria gestavit in utero, lactavit, educavit ipsum Dei Filium, ubi verba gestandi, lactandi, educandi, accipiuntur proprie. Adfer jam argumentum. Nulla gestatio, lactatio, educatio proprie dicta est, nisi sit naturalis, & facies ex mysterio rem plane naturalem. Spiritus sanctus vero & proprie descendit in specie corporali columbæ, non tamen *naturaliter* ac *localiter*. Corpora nostra vere & proprie sunt templa Spiritus sancti, neque tamen Spiritus sanctus in nobis habitat modo physico, terreno, corporali & crassa quadam ratione. Arbores in prima creatione productæ fuerunt vere & proprie dictæ arbores, neque tamen physico & naturali modo erant productæ. Hæc & similia consideret, qui comprehendere nequit, quomodo aliquid manducetur proprie, ore naturali, & tamen non naturaliter. 4.) Sic ergo limitamus *majorem* propositionem: quod primo & immediate sumitur ore, id demum naturali ratione manducatur. At corpus Christi non primo & immediate: sed consequenter ac mediate ore sumitur mediante scilicet pane, cum quo in usu sacræ cœnæ conjungitur: ergo. 5.) Modus manducationis æstimandus ex modo unionis, quæ non est naturalis & *physica*, sed

mystica

mystica & sacramentalis. Sicut in reliquis mysteriis, puta unionis personalis, Spiritus sancti in specie columbæ descendentis &c. unio *hyperphysica* largitur modum attributionis hyperphysicum ratione rei cœlestis, quæ cum re terrena conjungitur; ita in mysterio cœnæ idem fieri statuendum. 6.) Quemadmodum igitur modus unionis sacramentalis soli Deo cognitus est, nostræ autem rationis angustiis comprehendi nequit; ita quoque modus manducationis sacramentalis, ex unione sacramentali resultantis, humanæ rationi est incomprehensibilis. Quemadmodum nemo nostrum intelligit, quomodo Christus post resurrectionem, & angeli in adsumtis corporum formis comederint: ita quoque agnoscamus, manducationem illam sacramentalem esse mysterium ratione humana longe augustius, quod miremur potius, quam rimemur. 7.) Si hæc essent immediate opposita: corpus Christi in sacra cœna aut manducatur naturaliter, aut spiritualiter, cur peculiarem de sacramentali manducatione librum Ant. Sadeël conscripsisset? 8.) Regerunt, *in sacra cœna sunt res distinctae*. Ergo *distinctis percipiuntur instrumentis: panis scilicet ore, corpus Christi fide*. Resp. distinctæ quidem res sunt, non tamen disjunctæ vel separatæ, sed sacramentaliter unitæ. Propter unionem *sacramentalem* eodem organo percipiuntur, propter *essentialem* distinctionem non eodem modo accipiuntur. Maria Deum & hominem in utero gestavit, conjunctio est ratione uteri, distinctio ratione modi, non enim eo modo gestavit divinam naturam, quo humanam. Thomas tetigit Christum Deum & hominem, aliter autem tetigit secundum divinam, aliter secundum humanam naturam. Discipuli in flatu & cum flatu Christi acceperunt Spiritum sanctum, sed aliter acceperunt flatum, videlicet sensibiliter, & certo respectu naturaliter; aliter vero Spiritum sanctum. In baptismo adest Spiritus sanctus & aqua; sed aliter adspergitur corpus aqua, aliter Spiritu sancto. Hæc exempla manifeste testantur, substantias distinctas, si vel *personaliter*, vel *sacramentaliter*, vel alio quodam modo unitæ sint, uno quidem eodemque organo, interim tamen modo diverso recipi & adprehendi. Baptista vidit Spiritum sanctum descendentem in specie columbæ. Ergo non solum columbam, sed & Spiritum sanctum vidit, non tamen uno eodemque visionis modo. Naturalis oculorum acies adprehendit solam columbam, non penetravit ad ipsam Spiritus sancti essentiam, interim quia modo peculiari & *hyperphysico* Spiritus sanctus cum illa columba unitus erat, ideo recte & vere Johannes dicitur Spiritum sanctum vidisse. Spiritus sanctus descendit in specie columbæ. Ergo non solum columba, sed Spiritus sanctus vere descendit, modus autem descensus est dissimilis. Columba descendit naturaliter & localiter, Spiritus sanctus supernaturaliter & illocaliter. Apostoli flatu tanquam organo vere physico acceperunt Spiritum sanctum, non autem modo physico sed hyperphysico. Apostoli τὸν λόγον incarnatum uno eodemque visus & tactus organo, sed modo diverso viderunt & contrectarunt; carnem scilicet φυσικῶς, λόγον personaliter & ὑπερφυσικῶς.

§. CLXXXII. IV.) *Edere non potest proprie accipi in verbis cœnæ, alias sequeretur corpus Christi dentibus adteri.* Scriptor quidam anonymus in dissertatione monitoria adversus Hoë argumentum format hoc modo: *Edere non solum est ore accipere, sed etiam dentibus conterere ac deglutire, alias idem esset edere, quod bibere. Jam vero absurdum est de corpore Christi adfirmare, quod dentibus comminuatur.* Resp. 1.) De summis fidei mysteriis non judicandum est ex cœcæ rationis prædicamentis. 2.) Non omnis vera & propria manducatio necessario includit comminutionem dentibus factam, sed solummodo naturalis. Num enim de angelo in adsumta corporis forma, & de Christo post resurrectionem manducante audacter pronunciabimus, quod adsumtum cibum dentibus comminuerint, deglutierint, concoxerint, quanto modestius veteres dicunt: *Post resurrectionem comedit Dominus, & vere comedit, non secundum phantasiam, sed oeconomiam; cibum vero modo decenti, quem ipse*

4.) Edere est dentibus adterere.

novit, distribuit. Item: *Manducavit non necessitate, sed propria voluntate, aliter enim absorbet terra aquam, aliter sol. Sol potestate, terra necessitate, quia arida est &c.* Beda, Euthymius, Theophylactus in cap. XXIV. Luc. 3.) Quid, quod ne quidem naturalis manducatio semper includit masticationem, quomodo igitur de sacramentali manducatione hæ cogitationes locum habent? 4.) Christi corpus & sanguis non sunt vulgaris ac naturalis quidam cibus & potus, quo ad sustentationem corporis ad hanc vitam utimur, sed sunt cibus spiritualis ac cœlestis, ideo proprietates & consequentia manducationis physicæ ac naturalis non tribuamus corpori & sanguini Christi. Quamvis enim panis & corpus Christi sacramentaliter unita uno percipiantur organo, videlicet ore corporis, modus tamen manducationis variat, panis in se & sua natura consideratus sumitur naturaliter ac sensibiliter; corpus Christi supernaturaliter, mystice, incomprehensibiliter. Conjunctio est ratione *instrumenti*, distinctio ratione *sumtionis modi*. Christus corpore & sanguine suo totum hominem cibat, sicut etiam totus homo in baptismo regeneratur, verum non cibo aliquo naturali, neque ad hanc vitam, sed cibo cœlesti & spirituali ad vitam æternam; absit ergo, ut naturalis manducationis ἐπόμενα somniare hoc loco velimus. Gregorius Nyss. orat. catech. c. 36. *Quemadmodum parum fermenti totam massam sibi similem reddit: sic & corpus illud, quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque commutat.* Augustinus libr. VII. confess. cap. 11. in persona Christi: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me.* 5.) Vox *edendi* non pure, univoce nec æquivoce, sed analogice, hoc est, secundum prius & posterius prædicatur, de pane scilicet non tantum ut primo subjecto, sed etiam πρώτως καὶ ἀμέσως, de corpore autem Christi κατ' ἄλλο, ἐπομένως καὶ ἐμμέσως, scilicet propter unionem mysticam sacramentalem. Quemadmodum igitur ex eo, quod Spiritus sanctus in specie columbæ descendisse dicitur, non licet colligere, quod localiter & naturaliter descenderit, cum descensus non nisi κατ' ἄλλο, ἐπομένως καὶ ἐμμέσως, videlicet propter columbæ descensum Spiritui sancto tribuatur: ita quoque ex eo, quod corpus Christi mediante benedicto pane manducari dicitur, non licet colligere, quod naturaliter manducetur ac dentibus teratur, cum manducatio non nisi κατ' ἄλλο, ἐπομένως καὶ ἐμμέσως, videlicet propter panis eucharistici manducationem corpori Christi tribuatur.

§. CLXXXIII. V.) *Oralis manducatio corporis & sanguinis Christi non differt a Capernaitica laniena, quam Christus ipse* Joh. VI. *reprobat.* Bucanus loc. XLVIII. p. 687. *Manducationis vocabulum in verbis cœnæ figurate intelligendum, secus enim sequeretur, corpus Christi esse corporali actu manducandum, quod est horrendum & Capernaiticum.* Pezelius in tract. de cœna dicit, *hanc semper manere convenientiam inter Lutheranos & Capernaitas, quod utrique credant realem carnis comestionem, quamvis illi subtilem, hi vero crassam manducationem somniarent* (*). Resp. sacramentalis & Capernaitica manducatio toto cœlo differunt. Primum discrimen est in ipso manducationis *objecto*. Capernaitica manducatio respicit carnem nudi hominis, talem enim Capernaitæ putabant esse Christum, talis nudi hominis caro non potest salutariter manducari. Sed sacramentalis manducatio habet pro objecto carnem vivificam Filii Dei. Alterum discrimen consistit in eo, quod Capernaitæ talem manducutionem somniabant, in qua unus quidem hanc, alius vero illam corporis partem acciperet, donec totum corpus absumtum esset. Cyprianus vel quicunque alius auctor, in sermone de cœna, non

5.) Oralis manducatio est Capernaitica.

(*) Consensus orthod. p. 47. *Omnis alia quam spiritualis manducatio veræ carnis Christi est σαρκοφαγία.* Beza epist. VII. p. 246. *Errorem esse demus, ab ista cyclopica, id est, orali, ut ipsi loquuntur, sive reali carnis Christi manducatione abhorrere.* GERHARDUS.

non longe ab initio: *Orta fuerat aliquando, sicut in evangelio Johannis legitur, de novitate hujus verbi quaestio, & ad doctrinam mysterii hujus obstupuerant auditores, cum diceret Dominus:* Nisi manducaveritis carnem filii hominis *&c. Quod quidam, quia non credebant, non poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis & nefarium videbatur vesci carne humana, existimantes, hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel assam sectamque membratim edere docerentur, cum illius personae caro, si in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere.* Augustinus in enarrat. Psalm. XCVIII. post medium: *Acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt & putaverunt, quod praecisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo & daturus illis.* At hanc blasphemiam sonora voce damnamus ac docemus, convivii hujus coelestis hospites corpus Christi totum & indivisum, accipere juxta dictum antiquitatis: *Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille, nec sumtus absumitur.* Tertio: Capernaitae somniabant naturalem & physicam carnis manducationem, qualis est carnis in macello venditae: nos statuimus modum manducationis supernaturalem, invisibilem, spiritualem, mysticum & incomprehensibilem. Sic ergo sacramentalis manducatio & Capernaitica differt non solum objecto, sed etiam modo.

§. CLXXXIV. VI.) *Cibus spiritualis non potest percipi organo corporeo, ore scilicet corporis. Atqui caro Christi est cibus spiritualis, sanguis ejus est potus spiritualis,* Joh. VI. 55. & 58. *Ergo non potest percipi organo corporeo, ore scilicet corporis, & per consequens corpus Christi spiritualiter tantum manducatur* (*). Resp. 1.) Negatur *major* propositio. Spiritus sanctus est essentia, ut ita loquar, spiritualissima, idem tamen in corpore nostro habitat, adeo ut corpus nostrum sit ipsius templum 1 Cor. VI. 19. Verbum Dei est res spiritualis, & tamen auribus percipitur. Regeneratio est res spiritualis, & tamen non sola anima, sed totus homo regeneratur. Baptismus est lavacrum spirituale, & tamen corpore percipitur. Justitia originalis fuit res spiritualis, nec tamen corpus primi hominis ejusdem plane expers fuit. 2.) Si *major* est apodictica, erit etiam reciproca, cibus spiritualis non potest percipi ore corporis, & res corporea non potest percipi ore spirituali, quia ut se habet objectum spirituale ad os corporis, ita se habet objectum corporeum ad os spirituale. Jam subsumimus, Christi corpus est verum corpus. Ergo non potest percipi ore spirituali videlicet ore fidei. Ubi ergo manet tantopere deprædicata manducatio spiritualis? quam nos loco suo non negamus, sed ad fructum coenae referimus. Sadeel in libr. de verit. hum. nat. Christi. volum. oper. fol. 154. arg. IV. sic scribit: *Corpus non magis potest esse realiter praesens praesentia spirituali, quam Spiritus potest esse realiter praesens praesentia corporali.* Ex hoc principio etiam spiritualem manducationem corporis Christi everti verissime ostendunt Neophotiniani. Sic enim scribit Ostorodus in instit. germ. cap. XXXVIII. p. 337. *Sententia Calvinistarum* (quod non corporali, sed spirituali modo & nihilominus vere corpus & sanguinem Christi in sacra coena accipiamus) *minus subsistere potest quam priorum,* (Lutheranorum) *siquidem, quando corpus & sanguis Christi spiritualiter manducatur & bibitur, necessum est, ut spiritu & corde tantum id fiat, & quod corporalis rei manducatio & bibitio, qualis est panis & vini in coena Domini, id non postulant. Et profecto quemadmodum de spirituali manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi in sacris aliquid legitur, ita nihil legitur, quod peculiari ratione in coena id fiat, quod sufficit ad hanc sententiam rejiciendam, quae tamen cum adcurate examinatur, a priori parum vel nihil discrepat, siquidem in ea, sicut in priori adfirmatur, quod vere*

6.) *Cibus spiritualis non potest percipi organo corporeo.*

(*) Pelargus in comp. suo correcto vel potius depravato p. 470. *Res spirituales & coelestis ore fidei, res terrestris & elementaris ore corporis manducatur.* GERHARDUS.

vere corpus & sanguis Christi in cœna adsint & accipiantur, excepto hoc unico, quod dum Calviniſtae ſubtiliores eſſe volunt, longe craſſiorem errorem, quam priores, errant, ſiquidem nulla ratione intelligi poteſt, quomodo caro & ſanguis Chriſti ſpiritualiter & nihilominus vere ſub pane & vino accipi poſſint, quod etiam ipſe Johannes Calvinus fateri coactus eſt. Hæc Oſiodorodus. Catech. Racov. major. cap. III. p. 221. *Tertia opinio* (Calviniſtarum) *non poteſt conſiſtere, quoniam contradicentia ſunt, vero corpore Chriſti vere & realiter veſci & eodem ſpiritualiter veſci.* Ex his adparet, Photinianos hoc principio Calviniano ſpiritualem corporis Chriſti manducationem veram ac realem oppugnare. Si enim contradictionem implicat, corpus Chriſti realiter præſentia ſpirituali præſens eſſe, ut Sadëel contendit, contradictionem etiam implicabit, corpus Chriſti ſpirituali manducatione, & tamen vere & realiter manducari. Ut enim ſe habet præſentia ſpiritualis ad corpus, ita etiam manducatio ſpiritualis. Vide Grawerum in harm. Calvin. & Photin. cap. III. th. 14. & ſeqq. 3.) Rem ipſam quod attinet, circa *majorem* propoſitionem monendum, quod Chriſti corpus & ſanguis ſint cibus & potus ſpiritualis, non ratione eſſentiæ, quaſi mutata ſint in ſpiritualem οὐσίαν, id enim pugnaret cum veritate humanæ naturæ, ſed quadruplici potiſſimum reſpectu. *Primo* in *oppoſitione* ad cibum vulgarem & naturalem, quo corpus noſtrum alitur ad hanc vitam: *ſecundo* ratione *qualitatum*, quia corpus Chriſti non eſt ψυχικὸν, ſed πνευματικὸν & glorificatum: *tertio* ratione *effectus*, quia alit ad vitam ſpiritualem, & confert beneficia ſpiritualia ac cœleſtia: *quarto* ratione *modi* perceptionis, qui non eſt terrenus & naturalis, ſed ſpiritualis & cœleſtis. *Major* igitur ſic intelligenda, quod cibus ſpiritualis non poſſit percipi ore corporis, ſcilicet modo naturali, terreno & vulgari, item immediate & abſolute, jam vero corpus Chriſti non percipitur ore corporis modo naturali & terreno, ſed modo ſpirituali & cœleſti, & quidem mediante benedicto pane, cui eſt ſacramentaliter unitum. 4.) Ut fiat tota res evidentior, amolienda erunt ambiguitates, omnis confuſionis fontes. Si per ſpiritualem manducationem intelligitur ea, de qua Chriſtus agit Joh. VI. quæ conſiſtit in ſalutari participatione beneficiorum, pretioſo Chriſti corpore & ſanguine nobis partorum per fidem, tunc dicimus, quod hæc ſpiritualis manducatio, tanquam fructus & finis cœnæ adcurate diſtinguenda ſit a ſacramentali manducatione, quæ ad eſſentiam ſacræ cœnæ pertinet, & ſit ab omnibus hujus convivii cœleſtis hoſpitibus, cum prioris tantum a fidelibus & dignis fiat. Si vero ſpiritualis manducatio intelligitur ſenſu Calviniano, quod ſcilicet corpus Chriſti ſecundum eſſentiam ſit & maneat in cœlo quam longiſſime remotum ab ore ſumentis ſacramentum, & tantum ſua vi ſeu occulta adplicatione bonorum per paſſionem partorum in terram penetret, ut hac ratione effectum ſuorum meritorum, non autem ſe ipſum, cordi humano Chriſtus communicet, quodque os corporis tantum panem & vinum in ſacra cœna accipiat, fides autem ἐφαπτικὴ in cœlum ſe elevet, ibidemque corpus & ſanguinem Chriſti accipiat, tunc dicimus ex verbis cœnæ demonſtrandum eſſe, quod Chriſtus per verba *edite* & *bibite* talem manducationem & bibitionem inſtituerit, id vero adverſariis factu perquam erit difficile, ſiquidem de hoc figmento ne unica quidem ſyllaba in ſacris literis exſtat. Et quam abſurdum eſt, fidei noſtræ tribuere hanc δύναμιν adſcendendi in cœlum, ibidemque Chriſtum quærendi: contra vero magno conatu hanc potentiam Chriſto adimere, quod omni vi ſua non poſſit corpus ſuum in cœna nobis præſens ſiſtere. Chriſtus non nudum panem manducare, atque interim fide in cœlum ſubvolare, in verbis inſtitutionis jubet, ſed id quod diſcipulis manducandum exhibet, etiam corpus ſuum, verbis ſole meridiano clarioribus teſtatur. Denique ſi per ſpiritualem manducationem hoc intelligitur, quod Chriſtus juxta ſuam ordinationem modo arcano, cœleſti, ſupernaturali, ineffabili, nobisque inexplicabili, corpus ſuum vere præſens, mediante benedicto pane, manducandum, hoc eſt, ore ſumendum nobis porrigat, tunc dicimus, ſacramentalem manducationem hoc ſenſu & reſpectu vere eſſe ſpiritualem,

quia

quia non fit modo naturali, quo alii naturales & vulgares cibi accipiuntur, sed mystico, hyperphysico & spirituali modo. Quibus igitur respectibus corpus Christi dicitur cibus spiritualis, iisdem etiam respectibus oralis manducatio corporis Christi dicitur manducatio spiritualis, videlicet *primo* respectu *oppositionis*, opponitur enim esui communi ac vulgari, quæ fit propter nutritionem corporis ad hanc vitam: *secundo* respectu *glorificationis*, quia corpus Christi, manducationis hujus objectum, est ipsius λόγε glorificatum corpus: *tertio* respectu *operationis*, quod enim ita editur, alit vitam spiritualem: *denique* ratione *modi*. Ut enim unio sacramentalis non est terrena, sed mystica, spiritualis & supernaturalis: ita quoque manducatio sacramentalis non est terrena, sed mystica, spiritualis & supernaturalis. Vicissim ut corpus Christi, licet sit & dicatur cibus spiritualis, tamen est & manet verum & proprie dictum corpus sine omni figura ac tropo: ita manducatio sacramentalis corporis Christi, licet sit & dicatur spiritualis, tamen est & manet vera & proprie dicta manducatio sine omni figura ac tropo. 5.) Quando Cyrillus & alii ex veteribus corpus Christi in cœna nobis exhiberi dicunt *corporaliter*, Hilarius *naturaliter*, tunc respectus habetur ad subjectum præsentiæ, quod est verum & naturale Christi corpus, atque ad organum receptionis, quod est os corporis, nequaquam vero ad receptionis modum, qui non est corporeus, naturalis ac quantitativus. Vicissim quando spiritualiter illud nobis exhiberi dicunt, non respiciunt ad subjectum præsentiæ, quasi solum spiritu suo Christus in cœna præsens sit, neque ad organum receptionis, quasi solo spiritu nostro sive fide illud recipiamus, sed ad receptionis modum, & hac ratione excludunt omnes Capernaiticas cogitationes de crassa, locali, carnali & naturali præsentia, sicut conceptio & nativitas Christi ratione subjecti dicitur substantialis & corporalis: ratione vero modi supernaturalis & spiritualis. Perpetuo igitur in hoc mysterio distinguendum inter *instrumentum* receptionis & inter *modum* receptionis. Ὄργανον δεκτικὸν est naturale & corporeum, sed modus receptionis non est naturalis neque corporeus, inde sacramentalis manducatio dicitur oralis, ratione instrumenti, ex eo vero inferri nequit, quod fiat modo aliquo hujus seculi, ut ex antea dictis luculente adparet. Recte Sadeel de spir. mand. pag. 11. & 47. *Quidquid est mysticum, idem est* ὑπερφυσικὸν *& supernaturale & supra naturam.* Subsumo. Unio sacramentalis est mystica. Ergo non naturalis, sed supernaturalis. 6.) Quare cibum spiritualem non nisi spiritu sive ore fidei accipi posse, est petitio principii, quia verba institutionis clarissime adtestantur, corpus Christi, quod est cibus spiritualis hominis regenerati, mediante benedicto pane in sacra cœna manducari, ac sanguinem ipsius, qui est potus spiritualis hominis regenerati, mediante benedicto vino in sacra cœna bibi.

§. CLXXXV. VII.) *Si corpus Christi manducaretur mediante pane, & sanguis ejus biberetur mediante vino, introduceretur separatio corporis & sanguinis Christi. Consequens est absurdum. Ergo.* Resp. 1.) Ergone angusta rationis humanæ decempeda immensos religionis nostræ agros emetiri conabimur? Mysteria ideo sunt & dicuntur mysteria, quia captum ingenii humani excedunt. 2.) Nequaquam separationem vel divulsionem aliquam corporis & sanguinis Christi introducimus, sed ex verbis institutionis adserimus, distincte sub pane corpus, sub vino sanguinem Christi dari, modum omnipotentiæ divinæ relinquimus. 3.) Explicent nobis adversarii, quomodo humana natura finita infinitæ ὑποστάσεως λόγε particeps sit facta, quomodo Christus secundum humanam naturam in summam sublimitatem dextræ Dei evectus sit, & ex nobis audiant, quomodo distincte sub pane corpus manducandum & sub vino sanguinem bibendum in sublimi mysterio Christus exhibeat. 4.) Si corpus Christi physice, naturaliter & localiter dispensaretur in sacra cœna, per omnia procederet hæc collectio adversariorum. Quia vero præsentia, dispensatio & manducatio non est physica, naturalis

7.) Per oralem manducationem introducitur separatio corporis & sanguinis Christi.

ac localis pro ratione proprietatis corporis physici & naturalis, sed mystica, hoc est, quæ neque intelligitur, neque sentitur, sed supra naturæ regulas, quia corpus Dei est cum verbo personaliter unitum, ideo ratio consequentiæ vana est ac nulla. Etsi igitur vera & realis præsentia atque exhibitio corporis & sanguinis Christi, in cœna non fit naturali quadam separata ratione, non tamen propterea sequitur, nihil aliud quam repræsentationem corporis & sanguinis fieri, sive nuda tantum signa corporis in mortem traditi & sanguinis effusi nobis exhiberi; potest enim Deus pro infinita sua sapientia & potentia noviſſe tertium modum nobis ignotum, cum, quisquis in verbis testamenti ipsius credere noluerit, is etiam gratia hujus mysterii privabitur. Refut. orthod. consens. p. 118. Cum adversarii ingenue fateantur, se de corpore Christi non posse aliter, quam pro modo veri & naturalis corporis secundum proprietates humanæ naturæ & formam visibilis carnis cogitare, non mirum est, quod in hoc mysterio separationem carnalem corporis a sanguine Christi imaginentur, quam nos aperte damnamus, quoniam hoc mysterium non carnale, sed spirituale est, imo si carnale esset, quod videri, palpari & externo sensu, palato & ore gustari posset, mysterium non esset. Quapropter cum mysterium sit spirituale & modus præsentiæ spiritualis, supernaturalis & cœlestis, nulla fingenda est corporis a sanguine & sanguinis a corpore carnalis separatio, sed juxta voluntatem & verba testamenti Christi est eorundem vera & realis dispensatio, quam sola fides in verbo capit, quæ Deo nullum modum præscribit. Ibidem pag. 389. & 390. 5.) Ostendimus superius §. 51. membro 2. distinguendam esse unionem sacramentalem, naturalem ac personalem. Quod Christi corpus non est sine sanguine, id pertinet ad unionem *naturalem*. Quod Christi corpus non est sine divinitate τῦ λόγυ, id pertinet ad unionem *personalem*. Quod Christi corpus mediante benedicto pane in sacra cœna manducandum datur, & sanguis ejus mediante benedicto vino in sacra cœna bibitur, id pertinet ad unionem *sacramentalem*. Quando adversarii hæc confundunt, in castra Pontificiorum concomitantiæ patronorum transeunt, & multis difficultatibus sese involvunt. Si enim propterea corpus non potest distincte mediante benedicto pane dari manducandum, & sanguis non potest distincte mediante benedicto vino bibendus dari, quia inter corpus & sanguinem intercedit unio naturalis, utique etiam Christi divinitas manducato pane & corpore Christi manducabitur, quia inter divinitatem & corpus Christi intercedit unio personalis: Christo in carne patiente, patietur etiam divinitas, quia inter carnem & divinitatem est unio personalis.

§. CLXXXVI. VIII.) *Omnis promissio accipitur fide. Corpus & sanguis Christi offeruntur in sacra cœna verbo promissionis*: edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus. *Ergo non nisi fide accipiuntur.* Resp. 1.) Monuimus superius §. 277. membro 8. verba: *Edite, hoc est corpus meum; Bibite, hoc est sanguis meus*, proprie & adcurate loquendo non esse verba promissionis, sed verba mandati, ordinationis, institutionis ac dispositionis divinæ. Christus enim nequaquam dicit, si vera fide manducaveritis, mediante benedicto pane corpus meum manducabitis; sed absolute & simpliciter pronunciat: *Edite hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, hoc est, instituit sanctissimum testamentum & sacramentum, in quo mediante benedicto pane verum ipsius corpus, & mediante benedicto vino verus ipsius sanguis omnibus benedictum panem manducantibus & benedictum vinum bibentibus distribuatur, ad confirmandas & obsignandas promissiones evangelicas de remissione peccatorum & reliquis beneficiis, traditione hujus corporis in mortem & effusione hujus sanguinis in ara crucis nobis partis. Ergo verba illa cœnæ substantialia: *Edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, sunt verba testamenti & sacramenti, non autem verba promissionis, ac sacramentalis manducatio corporis & bibitio sanguinis Christi non est summum illud beneficium in verbo evangelii credentibus oblatum, sed beneficii illius signaculum, quo pro-

8.) Omnis promissio accipitur fide.

promissiones evangelicæ credentibus obsignentur & confirmentur. 2.) Deinde Chemnitius distinguit inter promissionem & rem promissam. Promissio accipitur fide, res promissa sæpe etiam corpore seu corporali instrumento accipitur, ut sanatio, panis quotidianus &c. Promissio Spiritus sancti fide ab apostolis fuit accepta, interim verum manet, quod Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum sederit super apostolos. Act. II. 3. 3.) Ad solidam igitur argumenti explicationem observanda est hæc distinctio: verbo promissionis *aut* intelligitur ipsa ordinatio Christi & sacræ cœnæ institutio, ac tum significatio est *catachristica*, aliter etiam vox promissionis accipitur in *majore*, aliter in *minore: aut* verbum promissionis accipitur stricte, ac tum distinguendum est inter *substantiam* cœnæ & ejus *fructum*. Ad substantiam cœnæ pertinent panis & vinum, corpus & sanguis Christi, eorumve manducatio ac bibitio sacramentalis: ad fructum adplicatio beneficiorum Christi, hoc est, manducatio & bibitio spiritualis. Promissio respicit fidem seu fructum, propter quem sacra cœna est instituta: corpus vero & sanguis Christi, quatenus illud mediante benedicto pane manducandum, hic vero mediante benedicto vino bibendus datur, non pertinent ad fructum cœnæ, sed ad ipsam substantiam. Hactenus ergo neganda *adsumtio*, quia corpus & sanguis Christi proprie loquendo non offeruntur verbo promissionis, sed verbo institutionis, ordinationis ac dispositionis Christi. 4.) Quidam novo schemate idem argumentum induunt: *Nulla est alia communicatio corporis & sanguinis Christi in cœna, quam in promissionibus evangelii. Atqui promissiones evangelicae saltem spiritualem corporis & sanguinis Christi communicationem sola fide acceptandam proponunt. Ergo non est alia communicatio corporis & sanguinis Christi in cœna, quam spiritualis sola fide acceptanda.* Sed præter ambiguitatem in phrasi spiritualis communicationis superius expositam latet etiam ambiguitas in verbo *evangelii*. Etenim si per evangelium intelliguntur promissiones evangelicæ proprie sic dictæ, in quibus remissio peccatorum, justitia, donatio Spiritus sancti, inhabitatio Christi & vita æterna vere credentibus offeruntur, tunc concedimus, has promissiones & hæc bona cœlestia in verbo evangelii oblata non nisi fide accipi. Sed si per evangelium in genere intelligitur, quidquid in historia evangelica novi testamenti a Christo institutum, ad obsignandas & confirmandas promissiones evangelicas proprie sic dictas, tunc dicimus, sacramentalem manducationem corporis & bibitionem sanguinis Christi non posse a verbo evangelii excludi, cum sit sigillum promissionum evangelicarum. Placuit enim Christo non nudo pane & vino, sed ipsius corporis & sanguinis sui κοινωνίᾳ evangelicas promissiones nobis obsignare, & hac ratione aliquod beneficium evangelii, videlicet sacramentalis κοινωνία corporis & sanguinis Christi, non recipitur fide, sed ore.

§. CLXXXVII. IX.) *Quidquid intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Matth. XV. 17. *Atqui tale quid de corpore & sanguine Christi cogitare nefas.* 9.) *Quidquid in os intrat, in ventrem abit.* Resp. 1.) Christus de externis, corporalibus ac naturalibus cibis loquitur, quos per secessum ejici pronunciat usitato scilicet naturæ ordine, at corpus & sanguis Christi sunt cibus & potus spiritualis, non ad hanc vitam, sed spiritualem ac cœlestem nos nutriens. 2.) Ecquis vero dicere audeat, vel si audeat, unde probabit, Christum, qui est *Dei virtus & sapientia* 1 Cor. I. 24. vel non novisse modum, vel non posse efficere, ut corpus & sanguis ipsius in sacra cœna manducetur ac bibatur alia supernaturali ac cœlesti ratione? 3.) Adde quod pronunciatum Christi ne quidem de naturalibus cibis sit universaliter accipiendum. Lombardus quidem libr. III. sent. dist. 3. lit. N. & O. negat *alimentum vere in substantiam nutriti converti*, potius tamen cum Thoma part. I. q. 119. art. 1. Scoto libr. IV. sent. dist. 44. q. 1. atque aliis philosophis ac medicis adferendum, alimentum revera converti in substantiam nutriti, quod docet Aristoteles libr. I. de generatione & corrupt. cap. 5. & probari potest hoc argumento: major quantitas naturaliter adquiritur vel extensione

sione vel adfusione novæ materiæ. Sed non extenditur tantum, quod nutritur & augmentatur, alias rarefieret. Ergo adponitur ei nova materia, quæ necessario speciem nutriti induit. Sensus ergo verborum Christi non est, omne omnino ac totum quod adsumitur, in secessum emitti, *sed aliquid ex omni, quod adsumitur*, explicante Lyrano.

§. CLXXXVIII. X.) *Oralis manducatio plane est inutilis. Pii enim jam ante corpus & sanguinem Christi fide participarunt, quod ad salutem illis sufficit. Impiis vero manducatio illa ad judicium cedit.*

10.) Oralis manducatio plane est inutilis.

Resp. argumentum ab inutili petitum exposuimus superius §. 108. Argumentum ab absurdo eidem cognatum exposuimus §. 88. Hoc loco breviter monemus. 1.) Hac methodo totam sacræ cœnæ institutionem facilime everti posse. Si enim pii ideo non opus habent sacramentali manducatione & bibitione, quia spiritualis manducatio & bibitio ad salutem ipsis sufficit, ergo frustra instituit Christus sacram cœnam, ergo nec panis & vini perceptione in sacra cœna indigebunt. 2.) Quamvis spiritualis manducatio etiam extra usum cœnæ locum habeat, & ad salutem sit sufficiens, non tamen inutilis judicanda est manducatio sacramentalis, cum sit medium, quo fides nostra & spiritualis beneficiorum Christi communicatio nobis offertur, exhibetur, confirmatur & obsignatur, qua confirmatione fidei in hac infirmitate carnis nostræ magnopere indigemus. 3.) Quod manducatio sacramentalis in indignis finem suum proprium non adsequitur, sed ad judicium illis cedit, id fit propter indignorum impœnitentiam atque ἀπιστίαν, ideoque per accidens, neque ob id desinit in se ac per se esse medium fidei confirmandæ, licet hunc fructum & effectum in solis credentibus adsequatur. Reliqua adversariorum argumenta vel manifeste petunt principium, vel ex absurditate rationis humanæ adparente petita sunt, ideoque nullum vere pio negotium facessere possunt, qui vere credit, Christum *esse omnipotentem in factis, veracem in promissis, omnisapientem in suis institutis.*

§. CLXXXIX. Ex patribus hæc potissimum urgent, quod jubeant *manducare corde & spiritualiter*, quod cibum eucharisticum adpellent *cibum mentis, non ventris*, quod verba illa præfationis eucharisticæ *sursum corda* a vetustissima ecclesia fuerint usurpata, teste Rhenano in præfat. ad libr. Tertull. de coron. milit. p. 436. quod *fide sacra symbola intueri* jubeant. *Resp.* 1.) In locis patrum adcurate distinguendum, ubi de præsentia vel salutari *fructu* cœnæ tractent. Sacramentalis manducatio ad essentiam, spiritualis ad fructum cœnæ pertinet. 2.) Quando cibus eucharisticus vocatur *cibus mentis, non ventris*, haud quaquam excluditur sacramentalis manducatio, sed opponitur hoc furori Capernaitarum atque omnibus terrenis cogitationibus de carnali & naturali manducatione. Commendatur insuper hoc ipso spiritualis & salutaris illa manducatio, quæ usum hujus sacramenti respicit, & sine qua sacramentalis nihil prodest. 3.) Phrasis illa *sursum corda* non negat corpus Christi in sacra cœna, quæ in ecclesia in his terris celebratur, esse præsens, nec jubet fidem nostram ab actione cœnæ avertere, atque in cœlum evolare, & ibi corpus Christi quærere, cum in canone Nicæno, in quo phrasis illa exstat, agnus Dei in mensa dominica dicatur προκείμενος, sed jubet mentes a terrenis & carnalibus cogitationibus abductas ad Deum elevare, atque hanc cœnam, *hanc mensam non graculorum sed aquilarum* (ut Chrysostomus loquitur) ab omnibus profanis & vulgaribus conviviis discernit. Sic particula *sursum* non de loci, sed mysterii coelestis omnem captum humanum transcendentis sublimitate, deque majestatis divinæ celsitudine omnis localitatis experte est accipienda, ut ostendimus superius §. 113. 4.) Quando canon Nicænus & alii ex veteribus *fide sacra symbola intuenda* esse dicunt, nequaquam illud opponunt sacramentali corporis Christi manducationi & sanguinis bibitioni ab ipso Christo institutæ, sed docent, hoc mysterium non ratione humana, sed fide ac spiritualiter intuendum esse, *cum animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei*, 1 Cor. II. 14. ac proinde religionis nostræ mysteria omnem rationis humanæ captum lon-

longissime excedentia fide æstimanda, non ratione discutienda esse. Hæc autem fides veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam, ut & sacramentalem corporis manducationem & sanguinis bibitionem nequaquam excludit, sed potius grato corde agnoscit, cum vera fides verbis Christi unice & fortiter inhæreat. Cyprianus serm. de cœna p. 450. *Carnalis sensus non penetrat ad intellectum tantae profunditatis, nisi fides accedat.*

Neo Photinianorum sententia.

§. CXC. Iisdem fere argumentis utuntur neo-Photiniani, qui nec oralem, nec spiritualem corporis Christi manducationem & sanguinis Christi bibitionem in cœna agnoscunt, hisce potissimum nitentes ratiunculis. I.) *Corpus hominis nec naturaliter, nec corporaliter, nec spiritualiter manducari potest.* Resp. nec unionem, nec manducationem naturalem, sed sacramentalem statuimus, ut ex superioribus patere potest, illam vero sacramentalem manducationem in verbis dominicæ institutionis fundatam qui ἀδύνατον existimat, divinæ potentiæ proterve obloquitur. II.) *Summum flagitium est & abominabile facinus comedere hominis, tanti praesertim benefactoris corpus.* Resp. Capernaiticam lanienam impugnant, a qua toto pectore abhorremus. Sacramentalis manducatio a Christo instituta tantum distat a Capernaitica laniena, quantum distat a neo-Photinianorum blasphemiis cœlestis orthodoxia. III.) *Manducatio oralis nihil prodesset, siquidem nihil operaretur.* Resp. sane oralis manducatio sine spirituali nihil prodest, ex eo autem non potest inferri, quod non sit a Christo instituta. IV.) *Manducatio illa pugnat cum reliquis fidei articulis, cum adscensione & natura corporis.* Sed hac de re in superioribus late fuit dictum. Vides tela Photinianorum pleraque depromta esse ex pharetra Calvinianorum.

CAPUT XVII.

DE REPOSITIONE SACRAMENTALI.

Argumenta contra repositionem panis eucharistici.

§ CXCI. Tres actus sacramentales, videlicet externorum symbolorum, panis & vini consecratio seu benedictio, benedictorum distributio, & distributorum manducatio ac bibitio in ipsa cœnæ dominicæ institutione exprimuntur. Sed Pontificii illis nequaquam sunt contenti, cum præter illos panis consecrati *repositionem, circumgestationem & adorationem* introduxerint. *Repositioni* opponimus hæc fundamenta. I.) Quod pugnat cum primæva sacræ cœnæ institutione. Christus in prima cœna panem accepit, benedixit, ac statim discipulis manducandum dedit, nequaquam vero reposuit vel reponendum dedit, sed in ipsa distributione dixit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*, nec mora temporis longior inter consecrationem & distributionem & manducationem intercessit, sed consecrationem immediate secuta est distributio, distributionem manducatio. Quare § juxta Christi institutionem sacra cœna administranda est, quod fieri debere nemo inficias ire poterit, utique consecrationem immediate debet sequi distributio, distributionem manducatio. Bellarminus libr. IV. de eucharist. c. 2. §. ex his solvitur, respondet dupliciter: 1.) negando, quod adservatio in pixide, gestatio & adoratio ullo modo repugnent divinæ institutioni. *Dominus enim jussit panem benedici & manducari, sed non jussit continuo post benedictionem manducari, praesertim totum & ab omnibus, unde non repugnat institutioni dilatio manducationis, modo ad eum finem benedictio seu consecratio ordinetur. Atqui hoc facit ecclesia, semper enim consecrat eucharistiam in ordine ad manducationem, sed conservat aliquam partem sacramenti, non ut non manducetur, sed ut tempore opportuno manducetur, nimirum ut deferatur ad aegrotos, quan-*

1.) Pugnat cum Christi institutione.

Exceptiones Bellarmini.

docunque necesse fuerit. Resp. Quæcunque Christus in prima sacræ cœnæ administratione immediato & indivulso nexu conjunxit, ea & nos in administratione cœnæ nequaquam temporis tractu separemus, sed conjungamus propter evidens mandatum: *Hoc facite* (*). Atqui Christus in prima sacræ cœnæ administratione immediato & indivulso nexu conjunxit consecrationem & distributionem ad λῆψιν. Ergo & nos in administratione cœnæ eadem conjungere oportet, modo velimus obsequi mandato ipsius: *Hoc facite.* Actus sacramentales sunt invicem subordinati, ut prior sequentem respiciat, & sequens ex priore dependeat. Consecratio respicit *distributionem*, ideo enim panis consecratur, ut distribuatur. Distributio respicit *manducationem & bibitionem*, ideo enim distribuitur panis consecratus, ut manducetur, vinum consecratum, ut bibatur. Pugnat igitur cum institutione dominica, & essentialem actuum sacramentalium subordinationem tollit, si actus illi, quos Christus immediate conjunxit, divellantur ac separentur. Ex verbis institutionis sacra cœna sic definitur, quod sit actio sacra ab ipso Christo instituta, in qua mediante benedicto pane corpus, & mediante benedicto vino sanguis Christi accipiuntur. Atqui repositio non est actio a Christo instituta, nec continetur in verbis definitionis ex ipsa institutione dominica petitæ. Ergo non debet habere locum in administratione cœnæ. Christus instituit duntaxat benedictionem, distributionem & sumtionem, per repositionem aliud ac plus fit, quam Christus instituit. An propter ægrotos necessaria sit panis consecrati repositio, videbimus suo loco. Quia vero in ecclesiis pontificiis finis consecrationis & repositionis non semper est manducatio, ideo addit Bellarminus 2.) *Si quis legitimus sacerdos existens eucharistiam consecraret, iis servatis, quae ad sacramenti essentiam requiruntur, non tamen in ordine ad manducationem, sed ad quemvis alium finem, is quidem male faceret, tamen verum sacramentum conficeret, & perseveraret sacramentum illud, quamdiu species illae perseverarent. Ratio est, quia institutio Domini non complectitur solum essentiam sacramenti hujus, sed etiam sacramenti usum. Benedictio enim seu consecratio ad sacramentum faciendum pertinent, distributio & manducatio ad usum. Porro res non pendet quoad esse suum ab usu. Sicut ergo si quis faciat sedem, cujus sedendo usus est, & tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinit esse sedes, imo etiamsi quis faciat sedem, non ut ibi sedeatur, sed ut in spectaculo exhibeatur; adhuc erit verissima sedes: sic etiam sacrosanctum sacramentum non desinit esse sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum.* Resp. fundamentum hujus exceptionis est transsubstantiatio, quam fingunt fieri vi verborum: *Hoc est enim corpus meum*, a sacerdote characterem habente prolatorum, qui ex pane conficiat corpus Christi, sicut scriniarius ex ligno conficit sedile, si vel maxime non fiat id, quod Christus fieri præcepit. Nos autem ex verbis institutionis colligimus, essentiam sacræ cœnæ, uti etiam aliorum sacramentorum, in actione consistere, proinde ubi omittitur actio a Christo instituta, ibi non habet locum sacra cœna. Christus benedixit, distribuit ac dixit: *Hoc facite.* Ergo si volumus juxta Christi institutionem administrare cœnam, debemus hoc ipsum facere, quod Christus fecit, videlicet externa symbola consecrare, & ad manducandum ac bibendum distribuere. Repetenda hoc loco argumenta omnia, quibus suo loco evicimus, sacramentorum genus esse actionem, ac proinde essentiam eorum in actione consistere. Quare ubi cessat actio sacramentalis, ibi desinit esse sacramentum. Notandum vero, quod duplex sit sacra-

(*) Ne quidem humanæ leges permittunt, ut testamentum aliter quam continuo actu conficiatur, l. hæredes §. fin. ff. qui test. facere possunt. l. hac consultissima C. de testam. l. cum antiquitas eod. annon multo magis in divinis rebus id observabimus, ut juxta Christi institutionem & exemplum continuo actu sacrum illud testamentum celebretur, omniaque ordine ac decenter peragantur? GERHARDUS.

cramenti usus, *sacramentalis* & *spiritualis*. Usus sacramentalis ad essentiam; spiritualis ad finem & fructum sacramenti pertinet. De usu spirituali recte dicitur, quod esse sacramenti ab eo minime pendeat, sed de usu sacramentali id minime concedi potest, cum verbum institutionis ad essentiam sacramenti requiratur, quæ omnia ex sequentibus erunt clariora.

§. CXCII. Repositioni II.) opponimus, quod repugnet exemplo apostolorum. Illi enim panem consecratum a Christo acceptum non reclauserunt, aut reposuerunt, sed continuo manducarunt, id quod ex eo adparet, quia non solum probabile est, ipsos magistri sui, a quo audierant, *accipite, manducate*, præcepto obsequentes fuisse, sed etiam Marc. XIV. 23. expresse testatur, quod ex poculo eucharistico *omnes biberint*, id ipsum etiam de priore parte cœnæ accipiendum, quod scilicet panem benedictum omnes acceperint & manducarint. Quare si juxta apostolorum exemplum sacra cœna celebranda est, panis consecratus non reponendus vel recludendus, sed sumendus & manducandus est, ac vinum consecratum non reponendum, sed bibendum. III.) Quod repugnet praxi primitivæ ecclesiæ. Colligitur enim ex actis apostolicis & priore epistola ad Corinth. fideles in primitiva apostolica ecclesia juxta Christi institutionem hoc modo celebrasse eucharistiam, ut externa elementa panem & vinum consecrarent, & consecrationi manducationem ac bibitionem immediate conjungerent. 1 Cor. X. 21. *Non potestis calicem Domini bibere & calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini & mensae daemoniorum participes esse.* 1 Cor. XI. 26. *Quoties ex hoc pane manducaveritis, & ex hoc calice biberitis, mortem Domini adnunciabitis.* v. 28. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice illo bibat.* Quare si juxta formam ecclesiæ apostolicæ sacra cœna celebranda est, uno eodemque tempore consecratio, distributio & sumtio fieri deberet.

2.) *Pugnat cum apostolorum exemplo.*

3.) *Pugnat cum praxi primitivæ ecclesiæ.*

IV.) Quod repugnet adsertioni apostolicæ 1 Cor. X. 16. *Poculum, quod benedicimus, est communicatio sanguinis Christi; panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*; ubi Paulus panem non simpliciter vocat corpus Christi ejusque κοινωνίαν, sed addit: *panis, quem frangimus*, ut adpareat, eum non de solo pane loqui, sed de illius etiam fractione sive distributione, & ei correspondente manducatione. Panis enim, quem frangimus, & poculum, cui benedicimus, idem est, quod panis fractio seu distributio & manducatio, & vini benedictio, eandemque secuta distributio & bibitio ex poculo. Ergo participatio corporis Christi adscribitur pani non ratione *substantiae*, nec solius benedictionis respectu, sed ratione etiam *fractionis*, id est, distributionis & sumtionis a Christo institutæ. Lutherus tom. I. Jen. p. 215. *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi, id est, quando panem distribuimus & comedimus, tunc accipimus & comedimus non nudum panem, sed etiam corpus Christi.* V.) Quod multis conflictetur incommodis; fit enim repositio hoc fine, ut panis in processione circumgestetur & adoretur, cum tamen consecratio panis juxta institutionem primævam tantum ob manducationem fieri debeat. Præterea per hanc repositionem occasio datur divisioni unius ejusdemque mysterii, quam Gelasius pontifex cap. *comperimus* dist. 2. de consecr. *sacrilegam* vocat, cum solus panis consecratus, non autem vinum reponatur. Pugnat insuper repositio cum regula ex verbis institutionis exstructa: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* Denique repositio causa est irreverentiæ, cum panis consecratus a muribus corrodatur, fiat mucidus, aliisque modis corrumpatur. VI.) Quod repugnet naturæ sacramentorum, quippe quorum omnium essentia in actione consistit, ut ex institutione manifeste adparet. Dissimilitudo, quam hac in parte inter baptis-

4.) *Pugnat cum adsertione apostolica.*

5.) *Multis laborat incommodis.*

6.) *Repugnat naturæ sacramentorum.*

sinum & eucharistiam Bellarminus libr. IV. de euchar. cap. 3. introducere conatur, postea excutietur. VII.) Quod repugnet typis vet. test. Exod. XII. 10. de agno paschali eucharistiæ typo sic præcipit Dominus: *Non relinquetis ex eo usque mane, & relictum ex eo usque mane in igne comburetis.* Exod. XVI. 19. interdicitur, *ne quid ex manna usque ad diem alterum reservetur.* (jam vero constat agnum paschalem & manna fuisse typos eucharistiæ) Levit. VII. 15. *Caro sacrificii confessionis pacificatorum ejus in die oblationis ejus comedatur, non dimittet ex eo usque mane.* (In sacra cœna accipimus verum Christi corpus, quod in ara crucis pro peccatis nostris oblatum, proinde panis conseceratus, cui in usu sacramentali corpus Christi unitum est, nequaquam reponendus vel recludendus.)

7.) *Pugnat cum typis vet. test.*

§. CXCIII. *Repositionem & adservationem* sacramenti ne quidem post apostolorum tempora fuisse universæ ecclesiæ consuetudinem, Chemnitius probat adductis aliquot veterum dictis. Cap. *tribus gradibus.* dist. 2. de consecr. citatur dictum Clementis episcopi Romani epist. II. *Tanta in altario certe holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quodsi remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore clericorum diligentia consumantur.* Bellarminus excipit, *hoc intelligendum esse exceptis partibus illis, quae servandae erant pro communione infirmorum, cum ibidem presbyter, diaconus & minister cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire jubeantur, ne qua putredo in sacrario inveniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria.* Resp. de partibus pro communione infirmorum servandis nulla ibi fit mentio, sed clerici jubentur residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumere, ex quo intelligitur, per custodiam non intelligi reclusionem in dies aliquot, sed fragmentorum relictorum cum reverentia conjunctam consumtionem. Quidquid vero sit de hoc Clementis testimonio, non multum ei tribuimus, cum scripta ejus sint supposititia, teste Eusebio libr. III. hist. eccles. cap. 35. cumque libr. VIII. const. cap. 13. al. 20. idem Clemens jubeat *peracta communione, quod supererit corporis Domini a diaconis in pastophorium inferri*, id nisi de oblationibus populi residuis intelligatur, eum priore decreto pugnat. *Pastophoria* sunt Ruffino libr. II. histor. eccles. cap. 23. in descriptione templi Serapidis *domus, in excelsum porrectae*, in quibus vel æditui, vel hi, quos ἁγιεύοντας adpellabant, hoc est, qui se castificant, commanere soliti erant. Hieronymo in cap. XXII. Esaiæ, sunt *thalamus*, in quo habitat præpositus templi, inde Apulejo in metamorph. XI. libr. *pastophori* dicti. At quis credat, christianos, perpetuis persecutionibus tum temporis obnoxios, de structuris ejusmodi tunc cogitasse? Bellarminus argute libr. IV. de sacram. euchar. cap. 4. *Apostoli vas illud, in quo sacramentum adservatum recondebatur, pastophorion dixerunt, quod in eo sacramento vere Christus sit, qui est verus templi praepositus.* Atqui apostolis ignota fuit sacramenti reclusio, quæ ab Innocentio III. circa annum Christi 1215. demum introducta. Ex historia Serapionis apud Eusebium libr. VI. cap. 43. adparet, sacerdotes in suis ædibus secum habuisse eucharistiam. Apud Chrysostomum epist. I. ad Innoc. milites ingrediuntur illud sanctuarium, in quo sanguis Domini adservabatur. Ergo per *pastophorion* non potest nec debet intelligi *ciborium*, in quo seris & clavibus adhibitis sub custodia sacramentum conservatur, sed vel privatæ *aedes sacerdotum*, vel *templi sacrarium* (*). Origenes, vel Cyrillus in Lev. cap. VII. hom. V. *Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, & dicebat eis:* accipite & manducate, *non distulit nec servari*

Dicta veterum contra repositionem.

Pastophoria veterum.

(*) Conferenda heic sunt, quæ JOSEPH. BINGHAMUS in *originibus sive antiquitatibus ecclesiast. vol. III. libr. VIII. cap. VII. p. 267. seqq.* de *pastophoriis* adnotavit.

vari jussit in crastinum. Excipit Bellarminus, *Dominum non quidem jussisse eucharistiam a se consecratam differri in crastinum, non tamen inde colligi posse, non debuisse unquam postea eucharistiam conservari, cum multa Dominus per se non jusserit, quae postea per apostolos jussit, etiam circa sacramentum eucharistiae*, teste Augustino epist. CXVIII. *Resp.* explicat ibidem Origenes praeceptum de carnibus sacrificii laudis eodem die comedendis, ita ut non remaneat ex eis quidquam mane, illud velut typum ad sacram eucharistiam adcommodat, quae itidem non servari jussa est in crastinum, sed accipi & manducari. Quod si adplicatio typi ad antitypum sibi constare debet, utique prohibitio adservationis utrobique locum habet. Eo ipso, quod Christus non praecepit adservari panem eucharisticum, sed post consecrationem statim manducandum discipulis praebuit, eo inquam ipso adservari prohibuit, siquidem jussit nos hoc facere, quod ipse fecit. Neque ullum apostolorum mandatum vel exemplum ostendi potest de repositione, nec sufficit, si absque ulla probatione & documento fingatur esse apostolica traditio. Cyprianus serm. de coena Domini pag. 453. *Panis ille non recipitur, non includitur.* Hieronymus 1 Cor. XI. *Post communionem quaecunque eis de sacrificiis superfuissent, illic in ecclesia communem cibum comedentes pariter consumebant.* Augustinus libr. III. de Trinit. cap. 10. *Panis ad hoc factus in accipiendo sacramento consumitur.* Hesychius in Levit. libr. II. cap. 8. explicans illud: *Quidquid reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet*, indicat sui seculi morem fuisse, ut si quid omnibus communicatis reliquum esset, incenderetur & cremaretur (*). *Quod nunc* (inquit) *videmus etiam sensibiliter in ecclesia fieri, ignique*

(*) Ritus hicce comburendi sacras eucharistiae reliquias in ecclesia Hierosolymitana & fortassis apud complures alias olim fuit usitatus, prout HESYCHIUS *Hierosolymitanus*, supra a GERHARDO excitatus, qui ineunte seculo, post Christum natum, septimo floruit, *loco* supra *excitato*, distertis verbis testatur. Legantur, quae CLAUDIUS ESPENCEUS, theologus Parisiensis, *libr. II. de eucharistia eiusque adoratione, cap. X.* de hocce ritu adnotavit. Licet enim is Romanensium sacris fuerit addictus, ingenue tamen fatsus est, consuetudinem istam in ipsam ecclesiam Romanam dimanasse, inque ea, ex decreto PII I. pontificis & martyris, in hunc usque diem observari. Huic ritui (ita scribit ESPENCEUS *loc. cit. fol. 1106. oper.*) *non admodum refragati sunt quidam hodiegue Catholici, non quo tantum casu esset vel calix effusus, vel alterutra eucharistiae species evomita, aut sic computruisset; sed quo etiam casu communione peracta nemo supereesset percepturus, superstites illas reliquias cum corrumpi possint, alicubi & aliquando reverenter igni conviaditas, ut elemento purissimo absumendas, ne qua ex earum nimia adservatione, & ita corruptione, sacramento fieret irreverentia, irrisio, iniuria, quae nulla fit per hoc incendium, ut cuiusvis & operatio ad specierum modo externarum absumtionem, non etiam ad rerum ipsarum, corporis inquam & sanguinis domini laesionem, pervingere possit.* Tria sunt, quae de hocce ritu comburendi reliquias sacrae coenae paucis adhuc notamus: I) consuetudinem hanc fluxisse ex regula divinitus data de reliquiis sacrificiorum pacificorum & votivorum, sub veteris testamenti lege. Vid. *Lev.* VII. 17. Ita enim scribit HESYCHIUS *loco* supra a GERHARDO *adlegato: Quod reliquum est de carnibus & panibus, id igne incendi praecepit* (Deus). *Quod nunc videmus sensibiliter etiam in ecclesia fieri, ignique tradi, quaecunque remanere contigerint inconsumta, non omnino ea, quae una die, vel duabus aut multis servata sunt.* II) Exinde patescere, ecclesiae Hierosolymitanae itemque aliis quibusdam, quae eiusdem exemplum olim sunt secutae, non fuisse consuetudinem, sacram eucharistiam de die altero in alterum reservandi; nec denique III) christianos veteres, a quibus ecclesia Romana ritum istum olim accepit, in ea stetisse sententia, symbola eucharistica panem ac vinum per consecrationem in corpus sanguinemque Christi essentialiter mutari, aut extra sacramenti usum in unionis statu permanere. Quod si enim haec eorum fuisset doctrina, nunquam eo audaciae fuissent progressuri, verum vivumque Christi corpus igne comburere. *Quantum enim offendiculum* (ut recte iudicat CLAUDIUS ALBERTINUS) *iudaeis & ethnicis fuisset, si christianos resciviscent Christi Dei sui corpus animatum & gloriosum ignibus tradere? sed quid urgeo scandalum iudaeorum & paganorum? Simplices certe chri-*

tradi, quaecunque remanere contigerit inconsumta. Bellarminus excipit, *id consumi debere, quod vel ob temporis diuturnitatem vel alia de causa per manducationem consumi nequit.* Resp. sit sane, interim tamen ex eo intelligitur, finem repositionis in primitiva ecclesia fuisse manducationem, non autem circumgestationem, ostentationem, adorationem (*), & huic consuetudini igne absumendi reliquias male convenit transsubstantiationis dogma. Nicephorus libr. XVII. histor. eccles. cap. 25. & ante eum Evagrius libr. IV. histor. cap. 35. referunt, consuetudinem fuisse in ecclesia Constantinopolitana, *ut cum post communionem plusculum de partibus immaculati divinique corporis reliquum esset, non reservaretur, sed ex ludo literario delecti quidam pueri accerserentur, qui reliquias illas ederent.* Concilium Matisconense II. (**) can. 6. *Quaecunque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant* (***). Bellarminus regerit, hoc intelligendum *de reliquiis, quae nimium superabundabant, non autem de iis, quae pro aegrotorum necessitatibus requiruntur.* At unde probatur haec distinctio? Beda libr. IV. histor. eccles. cap. 14. de puero aegrotante loquens, quem apostoli in visione adloqui narrantur: *Exspectare habes*, (inquiunt) *donec missae celebrantur, ac viatico dominici corporis & sanguinis accepto, sic infirmitate ac morte simul absolutus ad aeterna in caelis gaudia subleveris.* Si exspectare jubetur hic puer, utique pro aegrotis ne eo quidem tempore sexto post Christum seculo adservata fuit eucharistia. Quod feria quarta vel sexta demum reliquiae a pueris participari jubentur, in eo discessum fuit paululum ab antiquiori consuetudine, quam exponit Clemens epist. II. ubi dicit, reliquias illas eodem die a clericis consumendas esse. Humbertus episcopus Sylvae candidae contra Nicetam monachum, referente Cassandro, reprehendit ritum τῶν προηγιασμένων, hoc est, praesanctificatorum, apud Graecos non vetustissimos usitatum, nam in quadragesima reliquis quinque diebus excepto sabbato & dominico non fit consecratio, sed sola ex praesanctificatis, hoc est, ex illis, quae dominico die consecrata sunt, distributio & sumtio. Contra hunc morem inter cetera sic scribit Humbertus: *Ipsum Dominum legimus non imperfectam sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse pane benedicto & mox fracto & distributo. Non enim benedixit tantum, & reservavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum, & reposuit, sed fractum statim distribuit. Unde Alexander martyr & papa quintus ab apostolo Petro passionem Domini inferens canoni missae, ait: Hoc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in memoriam Domini facietis, quia si quodlibet horum trium sine reliquis fiat, si aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distri-*

christiani id tanquam horrendum abominati fuissent. Vid. eiusdem *libr.* II. *de sacramento eucharistiae, fol. 853. a.* & PETRUM MOLINAEUM in opere de *novitate papismi* gallice primum edito, deinceps vero in varias linguas, anglicam inprimis & germanicam conversо, *libr.* VII. *controv. XI. cap. XIX.*

(*) Non possumus, quin huic adscribamus verissima JOSEPHI BINGHAMI verba, quae *vol. VI. orig. ecclesiast. libr. XV. cap. VII. §. V.* sub finem leguntur, *p. 504.* ubi ita infit: *Qua fronte ethnicis obiectare potuissent veteres christiani, quod colerent res ejusmodi, quae comburi possent (quod commune* ARNOBII, LACTANTII, ATHANASII *& plerorumque aliorum argumentum est) si ipsi idem fecissent?*

(**) Habitum fuit hocce concilium in Gallia anno DLXXXV.

(***) Idem, quod in *Gallia* olim, durante adhuc communione infantium, factum, *Constantinopoli* etiam fieri consuevisse, EVAGRIUS auctor est, *libr. IV. cap. XXXVI.* ubi haec leguntur verba: *vetus consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati corporis Christi, Dei nostri, magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent.*

stributione, perfectam memoriam Christi non repraesentat, sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Bellarminus dicit, *non adservationem sacramenti, sed quod Graeci sacrificium missae ex illis praesanctificatis celebrarent, ab Humberto reprehendi.* Atqui argumenta ab institutione Christi & conjunctione actuum sacramentalium petita sunt generalia, ut evidens verborum sonus demonstrat. Huc etiam pertinet dictum Bielis, qui lect. XXXVI. in can. adlegans Paschasii sententiam, inquit: *Manducatio & potio hujus sacramenti est usus. Hinc & volens discipulos suos Christus fructus hujus sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione, neque dedit discipulis, ut honorifice ipsum conservarent, sed dedit in sui usum, dicens:* Accipite & manducate, *& quia per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis, quoties vellent, consecrandi potestatem, dum addit:* Hoc facite in mei commemorationem. Bellarminus regerit, *Bielem tribus sermonibus celebrare circumgestationem corporis Domini, defendere etiam transsubstantiationem, sacrificium & adorationem eucharistiae &c.* Resp. sufficit nobis, quod Gabr. Biel agnoscit, adservationem eucharistiae pugnare cum verbis institutionis, quamvis autem eam ut & dogmata complura alia in honorem ecclesiae Romanae defendat, id ipsum tamen veritati minime omnium praejudicat.

Adversariorum de repositione sacramenti sententia.

§. CXCIV. Ostendimus igitur, adservationem eucharistiae non solum destitui exemplo Christi & apostolorum, sed etiam unanimi primitivae ecclesiae consuetudine, ex quo colligitur, ecclesias nostras injuste accusari & damnari propter non observatam eucharistiae reservationem. Videamus quid adversarii pro ea adferant. Concilium Trid. sess. XIII. can. 6. statuit, *retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem.* Can. 7. anathema pronunciat, *si quis dixerit, non licere eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam.* Bellarminus concilii decretum adserturus libr. IV. de euchar. c. 1. contradictionem quandam primum nobis tribuit. *Illyricus* (inquit) *& alii contendunt, tunc solum panem & vinum esse sacramentum, dum comeditur & bibitur, sicut aqua baptismi tunc solum est sacramentum, cum abluit: at Chemnitius ut eludat testimonia patrum, docet in tota actione coenae Domini sacramentum & corpus Domini manere, id est, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur, & etiam dum ex ipsa coena immediate defertur ad aegrotos vel absentes, ut illum comedant, non ut servent. Quidam etiam eo usque progressi sunt, ut dicerent, toto triduo posse servari eucharistiam propter aegrotos, & toto illo spatio temporis esse sacramentum, & in ea re ipsa manere corpus Domini, ut ex Lindano refert Claudius Sanctes repet. IV. de eucharist. cap. 12.* Resp. principalis quaestio est, an panis eucharistiae, quando recitatione verborum institutionis benedictus, sanctificatus aut consecratus est, statim sit distribuendus, sumendus & manducandus in commemorationem Christi? an vero post benedictionem, omissa distributione, sumtione & manducatione sit reponendus, includendus, adservandus, circumgestandus, ostentandus, & ad alios usus adcommodandus, ita ut post aliquot vel dies, septimanas, menses, vel annos demum sequatur ejus sumtio & manducatio, vel etiam plane omittatur? Ab hac principali quaestione, ad quam ex verbis institutionis expedita est responsio, non patiamur peregrinis disputationibus de momento temporis, quo corpus Christi sub pane esse incipiat vel desinat, & quamdiu ibi permaneat, nos dimoveri. Interim quia Pontificii ad stabiliendam repositionem & reliquos hujus sacramenti abusus, disputant, panem esse corpus Domini etiam extra usum illum, ad quem divinitus eucharistia instituta est, quando scilicet non distribuitur, non manducatur, sed Deo pro delendis vivorum & mortuorum peccatis certis gestibus & precibus offerri fingitur, quando adservatur, includitur, circumgestatur &c. ideo opponimus illis regulam illam verissimam ex ipsis institutionis verbis deductam: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum divinitus*

tus

tus institutum. Usus autem ille rectissime definitur tota seu integra illa actione, quæ in verbis institutionis præscribitur & mandatur. Tota enim actio eucharistica est connexa, & ad totam illam actionem pertinent hæc verba: *Hoc est corpus meum.* De illo igitur pane, qui benedicitur, qui frangitur, seu distribuitur, qui accipitur & manducatur, de illo inquam pane Christus dicit: *Hoc est corpus meum*: Et Paulus fracto pani tribuit, quod sit *communicatio corporis Domini.* 1 Cor. X. 16. Actus sacramentales, videlicet consecratio, fractio sive distributio; & sumtio, videlicet manducatio & bibitio sunt invicem subordinati & in administratione sacræ cœnæ vi divinæ institutionis essentialiter connexi, iidemque simul sumti constituunt actionem a Christo in eucharistiæ celebratione præscriptam, requisitam & mandatam, quare si aliquis horum actuum desit, vel illius loco substituatur alius a Christo non requisitus, tum non observatur Christi institutio, ac proinde non fit legitima sacræ cœnæ administratio. Præsentiam igitur corporis & sanguinis Christi in sacra cœna non initio, nec medio, nec fini actionis sacramentalis, multo minus soli pronunciationi verborum: *Hoc est corpus meum*, omnium minime prolationi solius ultimæ literæ *um*, (ut quidam ex Scholasticis nugantur) sed toti actioni a Christo institutæ, vel ut rectius loquar, ipsi institutioni & ordinationi Christi, quæ per actionem ab ipso præscriptam, id est, consecrationem, distributionem, manducationem ac bibitionem observatur, repetitur & quasi renovatur, acceptam ferendam esse dicimus. Quamvis proinde administratio sacræ cœnæ diversis actibus sive actionibus constet, videlicet benedictione, distributione, manducatione & sumtione, quæ simul peragi non possunt, nec in uno momento fieri: illæ tamen nequaquam in hac quæstione de præsentia corporis & sanguinis Christi sunt divellendæ, cum omnes simul ad actionem genere unam, hoc est, legitimam sacræ cœnæ administrationem a Christo præscriptam concurrant: atque ut Filius Dei in prima cœnæ administratione nexu indissolubili & immediato eas conjunxit, ita quoque a nobis sine longiori temporis intercapedine in administratione cœnæ conjungendæ sunt ac simul peragendæ. Hac de re sic scribit Lutherus in epistola ad Wolfferinum past. Isleb. qui reliquum vini ac panis eucharistici miscuerat cum vino ac pane priore, tom. IV. Jenens. latin. fol. 586. *Sane Philippus recte scripsit, sacramentum nullum esse extra actionem sacramentalem, sed vos nimis praecipitanter & abrupte definitis actionem sacramentalem, quare efficietis, ut nullum prorsus videamini habere sacramentum. Nam stet illa festinata praecisio actionis, sequetur, quod post prolationem verborum, quae est potissima & principalis actio in sacramento, nullus percipit corpus & sanguinem Christi, eo quod defierit actio. Hoc certe non vult Philippus, & generaret ista definitio actionis infinitos scrupulos conscientiarum & interminabiles quaestiones, sicut apud papistas disputabatur, an sub primis, mediis, vel ultimis syllabis adesset corpus & sanguis Christi, spectandus est ergo non tantum motus ipse actionis instantis vel praesentis, sed tempus quoque non mathematica sed physica latitudine, hoc est, danda mora actioni huic & mora in justa latitudine, ut dicunt ἐν πλάτει. Sic ergo definimus tempus vel actionem sacramentalem, ut incipiat ab initio orationis dominicae, & duret donec omnes communicaverint, calicem ebiberint, particulas comederint, populus dimissus & ab altari discessum sit. Ita tuti & liberi erimus a scrupulis ac scandalis quaestionum interminabilium. Philippus actionem sacramentalem definit relative ad extra, hoc est, contra inclusionem & circumgestationem sacramenti, non dividit eam contra se ipsum, nec definit contra se ipsam, &c.* Idem in refutat. argument. Carolstad. tom. IV. Jen. germ. fol. 385 *Quaestiones de instante consecrationis excludimus, nec Deo τὸ νῦν vel tempus praescribimus, sed simpliciter adquiescimus in hac fide, quod certo fiat, quidquid Christus futurum promisit. Non disceptamus, in quo temporis momento leprosus sit mundatus, ad quem Christus dixit:* volo mundus esto: Matth. VIII. *sed sufficit nos credere, ipsum juxta Christi verbum esse mundatum. Ita quoque credimus filium reguli* Joh. IV. *sanatum esse juxta verbum Christi:*

Christi: Abi, filius tuus vivit; *nequaquam vero soliciti sumus, cui quasi verborum syllabae sanitas accepta sit ferenda. Lazarum verbis Christi resuscitatum credimus, otiosis rixatoribus relicta quaestione, an vi nominis* Lazari, *aut verbi* veni *aut adverbii* foras, *miraculum illud factum sit: ita quoque de praesentia corporis & sanguinis Christi certi sumus ex verbis ejusdem:* Hoc est corpus meum, *de momento praesentiae parum soliciti sumus.* Haec Lutherus. Proinde in regula illa: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum divinitus institutum*, nomine *usus* intelligitur tota actio sacramentalis a Christo praescripta videlicet consecratio, distributio, manducatio & bibitio, hi enim actus omnes & singuli constituunt & absolvunt usum illum sacramentalem, de quo regula agit, a qua sententia nequaquam discedunt, qui manducationem tantum & bibitionem requirere videntur, cum enim manducatio & bibitio sint ultimus essentialis actu, ad quem reliqui priores, consecratio scilicet & distributio, certa ratione referuntur, ideo per manducationem & bibitionem priores illos actus sacramentales non excludunt, sed potius includunt, atque ut Lutheri verbis rem explicemus, usum sacramentalem definiunt relative *ad extra*, hoc est, contra inclusionem, circumgestationem & alios peregrinos usus, quorum in verbis institutionis nulla fit mentio, non autem dividunt eum contra se ipsum, nec definiunt *ad intra*, hoc est, non opponunt eum reliquis actibus sacramentalibus in ipsa institutione expressis, & sacramentalem manducationem ac bibitionem necessario antecedentibus.

Argumenta pro repositione eucharistiae.

§. CXCV. Videamus ergo, quomodo Bellarminus probet, *eucharistiae sacramentum esse rem permanentem, & in eo corpus Domini permanenter existere*, hoc est, panem, super quem pronunciata sunt a sacerdote consecrante illa verba: *Hoc est corpus meum*, esse Christi corpus, si vel maxime non distribuatur ad manducationem, sed adservetur, reponatur, includatur, circumgestetur, & quacunque ratione tractetur, hic enim est quaestionis sensus & disputationis scopus. Cap. 2. libr. IV. de euchar. provocat ad dominicam institutionem: *Verba Domini*: (inquit) Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus, *prius dicta sunt, quam fieret actio manducandi & bibendi, ergo ante illam actionem fuit corpus Domini praesens in coena, & proinde etiam sacramentum eucharistiae confectum.* Consequentiam probat dupliciter: *Primo, quia juxta Augustinum tractat. LXXX. in Joh. accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, sed ante actionem comedendi & bibendi verbum ad elementum accessit. Ergo ante actionem comedendi & bibendi factum est sacramentum. Secundo, verba Domini mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt. Sed prolata sunt ante illam actionem manducandi & bibendi. Ergo ante illam actionem* &c. Resp. 1.) Quemadmodum Carolstadius referente Luthero tom. IV. Jenens. germ. fol. 384. disputabat, Christum prius dedisse discipulis manducandum panem, ac discipulos etiam prius manducasse, quam a Christo audirent: *Hoc est corpus meum*, ut obtineret, corpus Christi non fuisse mediante benedicto pane discipulis datum: ita Bellarminus disputat, Christum prius dixisse: *Hoc est corpus meum*, antequam discipulis cibum eucharisticum manducandum daret, ut obtineat, etiam non accedente manducatione panem esse Christi corpus. Sed repetimus verba Lutheri Carolstadio opposita, quae etiam Bellarmino opponi possunt: *In verbis coenae* (scribit l. d.) *quaedam sunt verba evangelistarum, quibus historica narratio continetur, utpote haec:* Accepit panem, benedixit, fregit ac dedit discipulis dicens; *quaedam vero sunt Christi verba, quae scilicet ipse in institutione & administratione coenae protulit, videlicet haec:* Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite in mei commemorationem. *Ex verbis evangelistarum manifeste colligitur, Christum dicendo dedisse & dando dixisse:* Hoc est corpus meum, *ita ut distributio panis eucharistici facta sit una cum prolatione verborum:* Hoc est corpus meum. *Christus enim panem*

primo in manus suas accipit, benedicit & gratias agit, postea frangit, ac tum demum distribuit dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. *Ergo in ipsa distributione panis se corpus suum manducandum ipsis dare dixit, si quidem per participium* dicens *distributio panis & adpellatio corporis simul connectuntur.* 2.) Regerit Bellarminus, *ipsum sensum verborum postulare, ut dicamus, prius fuisse a Domino prolata illa verba:* Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus, *quam dederit discipulis cibum illum & potum. Nam illa verba:* Hoc est corpus meum, *continent rationem, cur debuerit comedi ille cibus, & similiter illa verba:* Hic est sanguis meus, *continent rationem, cur debuerit bibi ille potus; unde* Matth. XXVI. *ponitur particula causalis* enim, *prius autem debuit ratio illa a Domino explicari & etiam percipi ab audientibus, quam eis daretur panis ille comedendus, nimirum ut scirent, quid acciperent. Praeterea si invitantur ad bibendum, quia est sanguis, ergo prius fuit sanguis, quam illi biberent. Ad haec Lucas* cap. XXII. *& Paulus* 1 Cor. XI. *scribunt:* Hic est calix novi testamenti in meo sanguine; *ergo in calice fuit sanguis & non solum in ore sumentium, & sane prius in calice, quam in ore sumentium, nam ex calice ad os pervenit, non contra. Adde verba Pauli* 1 Cor. X. Panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Domini? Et calix, cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Domini? *hic enim aperte Paulus indicat panem prius consecrari & mutari in corpus Domini, quam frangatur & distribuatur, dicit enim id, quod frangitur, non esse futurum, sed jam esse corpus Domini. Denique in omnibus liturgiis verba dominica:* Hoc est corpus; Hic est sanguis, *multo ante pronunciantur, quam panis sanctificatus distribuatur & manducetur.* Resp. haec omnia eo referuntur, *vel* ut probent Dominum prius dixisse: *Hoc est corpus meum,* antequam panem manducandum daret, *vel* ut probent, corpus Domini in eucharistia esse praesens, si vel maxime non accedat manducatio. Si *priorem* scopum in his praefixum sibi habuerit Bellarminus, dicimus, nos non morose adversari, si quis statuere velit, verba Christi: *Accipite, comedite, &c.* esse paulo ante prolata, antequam accederet discipulorum manducatio; (illud enim, ut ex sequentibus adparebit, nostrae sententiae non refragatur) interim haec Bellarmini disputatio apodictice id non probat, quamvis enim in verbis: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* exprimatur ratio, cur debeant apostoli cibum illum comedere, & potum illum bibere, id tamen minime impedit, quo minus in ipsa distributione cibi & potus eucharistici causam illam Christus expresserit, cum natura actionis & enarratio historica eo nos ducant, quod dare & dicere fuerint coniuncta, quod panem dederit & simul dixerit: *Hoc est corpus meum; dedit dicens* (scribunt Evangelistae) hoc est dando dixit & dicendo dedit, ita quoque in aliis dationibus comparatum esse solet, ut in ipsa datione simul exprimatur, quid detur & quid ab altero accipiatur. Sic qui alteri in marsupio dat centum florenos, in ipsa datione dicit: accipe, hi sunt centum floreni. Si vero *posteriorem* scopum in hac disputatione propositum sibi habuit Bellarminus, dicimus, necessario distinguendum esse inter illam consecrationem, quam statim & immediate sequitur distributio, manducatio & bibitio: ac inter illam consecrationem, a qua distributio, manducatio ac bibitio longissimo temporis intervallo sunt sejuncta, vel etiam nunquam eam sequuntur. Si quaeritur de consecratione, quam statim & immediate sequitur distributio, manducatio & bibitio, dicimus, panem hoc modo consecratum, distributum & manducatum vere esse κοινωνίαν corporis Christi, quia scilicet actus sacramentales a Christo requisiti juxta ejusdem institutionem conjunguntur, ubi vero observatur Christi institutio, ibi juxta ordinationem, institutionem & promissionem suam Christus vere adest, & corpus ac sanguinem suum nobis communicat. Sed ex eo non est colligendum, quod per illam consecrationem, ad quam non accedit distributio, manducatio & bibitio, panis sit corpus Christi, si loco distributionis, manducationis & bibitionis adhibeatur ejusdem repositio, inclusio, circumgestatio,

quia

quia enim non servatur institutio Christi, & quia institutione Christi sacramentum sanctificatur, inde manifestum & certum est, quod ibi non sit sacramentum, ubi non servatur Christi institutio. Concedimus igitur, discipulos ex calice sanguinem Christi bibisse, atque ordine naturæ prius in calice quam in ore sumentium sanguinem Christi fuisse, id enim requirit relatio inter δόσιν & λῆψιν, nimirum quia discipuli mandato Christi obedientes ex calice consecrato biberunt; sed ex eo non potest inferri, quod in calice consecrato sit sanguis Christi, si non accedat bibitio. Actio eucharistica est genere una & quoddam totum, partes essentiales hujus actionis sunt consecratio, distributio, & sumtio in manducatione & bibitione consistens, qui vocantur actus sacramentales. Quemadmodum igitur, quando pars est a toto separata, non licet ex una parte inferre totum: ita quoque ex uno actu sacramentali a tota actione separato non est colligenda eucharistiæ essentia & corporis & sanguinis Christi præsentia, sed ex actibus omnibus, tanquam partibus simul sumtis & invicem conjunctis. Verba apostoli: 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus, nonne est communicatio corporis Domini?* tantum abest, ut nostram oppugnent sententiam, ut eam validissime potius confirment, quia de pane eucharistico fracto seu distributo adserit, quod sit κοινωνία corporis Domini, loquitur ergo de pane non ratione essentiæ, sed usus sacramentalis, evidenter adserens, panem eucharisticum non ratione essentiæ in corpus Christi converti, sed in usu sacramentali, quando scilicet distribuitur & manducatur, esse corporis Christi κοινωνίαν. Idem judicium est de regula Augustini: *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Cum enim hæc sit generalis regula ad omnia sacramenta pertinens, quod ne ipse quidem Bellarminus negat, alterutrum horum sequetur, aut omnia sacramenta & sic ipsum etiam baptismum extra actionem esse sacramenta, quod cap. seq. Bellarminus negat, aut in ipso etiam cœnæ dominicæ sacramento præter verbum requiri actionem a Christo institutam, quod certe est verissimum, siquidem ipsum verbum institutionis requirit actionem, videlicet manducationem & bibitionem. *Accipite, manducate, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* 3.) Sed demus, verba illa: *Hoc est corpus meum*, a Christo fuisse prolata paulo ante, quam panem eucharisticum discipuli manducarent, quid inde contra nos inferre poterit Bellarminus? *Verba Dei*, inquit, *mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt, ergo etiam ante actionem manducandi & bibendi vera fuerunt, ergo fuit vere corpus Domini, & proinde sacramentum ante illam actionem.* Resp. Christus non dicit absolute & simpliciter: *Hoc est corpus meum*, sive accedat manducatio, sive minus: sive includatis, sive reponatis, seu quacunque ratione panem eucharisticum tractetis, erit corpus meum; sed notanter & diserte dicit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum.* Ergo tunc demum panis eucharisticus est κοινωνία corporis Christi, quando juxta ordinationem & mandatum Christi benedicitur, distribuitur & manducatur. Ut in omnibus sacramentis verbum ordinationis ac institutionis divinæ requirit certam actionem, absque qua non sunt sacramenta; ita quoque verbum ordinationis & institutionis in eucharistia requirit certam actionem, videlicet consecrationem, distributionem & manducationem; si ab hac actione discedatur, vel omissa ea peregrinus usus accedat, non amplius observatur institutio, & per consequens non amplius locum habet sacramentum. Quo pertinet, quod summa Angelica de euchar. memb. 1. ex Bonaventura & aliis Scholasticis recte disputat, *sacerdotem virtute verborum:* Hoc est corpus meum, *panem non consecrare, si eo velit ad veneficia abuti, addita hac ratione, quod præter intentionem consecrantis requiratur etiam intentio ejus, qui hoc sacramentum instituit.* Atqui quando panis eucharisticus non distribuitur, non manducatur, sed reponitur, ostenditur, circumgestatur &c. tunc itidem non observatur intentio Christi, siquidem verba institutionis testantur, contrariam plane fuisse intentionem Christi, videlicet quod panis eucharisticus non debeat reponi & circumgestari, sed distribui & manducari. Si aliam Christus de usu hujus sacramenti habuisset intentionem,

utique eam in verbis institutionis manifestasset, vel certe apostolo Paulo post adscensionem ad cœlos revelasset. Quidquid ergo sit de intentione consecrantis, quando panis eucharisticus non distribuitur nec manducatur, tunc non observatur intentio Christi instituentis. Ergo non adest corpus Christi. Neque tamen hinc inferendum, *sacramentum eucharistiae non confici verbis Christi, sed nostra manducatione*, siquidem institutioni, ordinationi & efficaciæ Christi unice & in solidum causam præsentiæ corporis & sanguinis ipsius, nequaquam vero ulla ratione nostræ manducationi & bibitioni tribuimus; interim tamen si non accedit distributio & manducatio, non observatur Christi institutio, extra quam & sine qua non habet locum sacramentum. Christus enim non dixit, accipite, reponite & circumgestate, hoc est corpus meum, sed *accipite, comedite, hoc est corpus meum.* In hac simplicitate pius animus adquievit & quidem necessario, etenim si panis statuatur esse corpus Christi etiam extra usum a Christo institutum, aperitur porta infinitis quæstionum labyrinthis, utpote quo momento incipiat ibi adesse corpus Christi? an mures rodant Christi corpus? an muscæ generentur ex sanguine, & quarum quæstionum non inutilium modo, sed & blasphemarum chaos quoddam in scriptoribus scholasticis transsubstantiationis patronis occurrit. Neque est quod obvertant, *adparatum epularum ipsum convivium ordine temporis antesedere, ac proinde idem in cibo eucharistico locum habere.* Est enim magna diversitas hujus cœlestis & terreni convivii. Cibi corporis, ut creaturæ reliquæ suum εἶναι habent ex creatione etiam extra usum, sed sacramentum eucharistiæ æstimandum est ex Christi institutione, ubi scilicet tota & integra illa modo a Christo ordinato & præscripto observatur. Ergo quando discreditur ab institutione, non amplius locum habet promissio de vera corporis & sanguinis præsentia. 4.) Bellarminus regerit, *verba illa:* Hoc est corpus meum, *non continere promissionem, cum non exprimantur per verbum futuri temporis, & quia hac ratione præsentia corporis esset posterior manducatione.* Resp. ostendimus supe-

rius. §. 277. memb. 8. & §. 286. memb. 3. quo sensu & respectu verba Christi: *Edite, hoc est corpus meum*, possint dici verba promissionis. Hoc loco nobis sufficit, quod verba illa contineant talem quandam ordinationem & institutionem Christi, in qua certa actio nobis præscribatur: *Accipite, edite, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* Quando igitur omittitur illud, quod ordinatio & institutio Christi requirit, quomodo eidem sua constabit integritas? Nisi in circumcisione fiat abscissio præputii, in agno paschali carnium mactatarum & assatarum certis ritibus facta manducatio & sanguinis adspersio: in baptismo aquæ in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti adfusio, non potest dici, quod circumcisio, agnus paschalis ac baptismus administrentur, quia discreditur ab ordinatione & institutione divina. Eadem ratio est sacramenti eucharistici; promissiones omnes, præsertim eas, quæ rectius dicuntur ordinationes divinæ, semper futuri temporis verbis exprimi, nunquam probabit Bellarminus & sacramentorum institutiones testantur contrarium. Nec sequitur ex nostra sententia, quod præsentia corporis Christi sit manducatione posterior, sed præsentiam corporis & manducationem panis eucharistici propter institutionem Christi & mutuam relationem inter communicatum & communicans dicimus esse simul. Si de ordine naturæ quæritur, præsentiam priorem statuimus manducatione, quia nisi corpus Christi in pane præsens adesset, non posset a nobis sacramentaliter manducari. 5.) Quæ ex patribus Bellarminus adfert, ut probet *etiam in altari & vasis sacris præsens agnoscendum esse corpus Domini*, nostræ sententiæ non adversantur, loquuntur enim illa omnia de usu sacramentali, id est, de illa actione, in qua juxta Christi institutionem panis benedicitur, distribuitur, manducatur, ubi corpus Christi vere præsens adesse statuimus, ex eo autem non potest inferri, quod extra usum divinitus institutum, quando panis consecratus non distribuitur, nec manducatur, sit præsens. 6.) Quæ contra Chemnitium Bellarminus adfert, ex superioribus facilem habent explicationem. *Si in omnibus* (inquit) *actionibus*

bus simul sumtis (benedictione scilicet, distributione & manducatione) *consistit hoc sacramentum, tunc non erit perfectum & integrum sacramentum, nisi peracta manducatione, atque ita falsum erit, quod dicit Chemnitius, ante manducationem esse corpus Domini in mensa. Si in singulis seorsim, ergo quinque erunt sacramenta eucharistiae eaque diversissima. Praeterea vel ita est in singulis, ut sit formaliter quaelibet illarum actionum, aut ut tantum coëxistat singulis. Sed prius dici nequit, quia nec actio accipiendi, quae est prima, nec actio manducandi, quae est ultima, nec actiones intermediae possunt esse formaliter hoc sacramentum.* Item: *Si sacramentum eucharistiae permanet tempore illo, quod est inter has actiones, interjecto, manet etiam actione cessante, & est res permanens.* His & similibus argutiis simplicitas christiana opponit institutionem Christi, quae requirit benedictionem, distributionem & manducationem, ac certo statuit, hos actus sacramentales simul sumtos & conjunctos constituere legitimam sacrae coenae administrationem, in qua Christus vere praesens suo corpore & sanguine nos cibet ac potet, de momento, in quo incipiat vel desinat corpus Christi esse praesens, non est sollicita, sed ut modus praesentiae est inperveſtigabilis, ita quoque quaestiones illas de momento praesentiae statuit esse inexplicabiles. Christus ut in coena praesens est *illocaliter*, ita quoque *intemporaliter*, (ut sic loquar) hoc est, sine mensura temporis in hoc mysterio operatur. Qui ab hac simplicitate christiana discedit, curiositati rationis humanae nunquam satisfieri posse intelligit.

Num eucharistia in eo differat a baptismo, quod sit res permanens?

§. CXCVI. Cap. 3. probare conatur Bellarminus, *esse dissimilitudinem inter sacramentum eucharistiae & baptismi, illud esse rem permanentem, hoc vero actionem.* 1.) *Quia nemo unquam vocavit eucharistiam vel corpus Domini fractionem vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatum.* Justinus in apol. II. *Cibus a nobis vocatur eucharistia.* Irenaeus libr. IV. cap. 34. *Panis post benedictionem est eucharistia constans duabus rebus, terrena & caelesti.* Tertullianus de resur. carn. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur.* Resp. verissima ac certissima est illa collatio baptismi & eucharistiae, quae ostendit utrumque sacramentum in actione consistere (*). Quemadmodum enim ex eo, quod institutio baptismi utitur verbo actionem significante *baptizare*, immote colligitur, baptismi formam consistere in actione a Christo instituta & praescripta, ac proinde extra illum usum & actionem non esse sacramentum baptismi, etiamsi verba institutionis millies super aquam quavis intentione pronuncientur; ita quoque pari ratione ex eo, quod institutio eucharistiae utitur verbis actionem significantibus, *accipite, manducate, bibite*, immote colligitur, eucharistiae formam consistere in actione a Christo instituta & praescripta, ac proinde extra illum usum & actionem non esse sacramentum eucharistiae, si vel maxime verba consecratoria, ut vocant, super panem pronuncientur. Si in institutione eucharistiae (quae sunt

 verba

(*) Argumentamur: 1.) Quodcunque propter usum institutum est, illud in actione consistit. Nam usus est operatio seu actio circa rem utendam. At coena Domini est propter usum institutu. Ergo. *Adsumtum* probatur, quia actus sacramentales, qui sunt benedictio, distributio, manducatio, bibitio, ostendunt objectum, circa quod versantur, id est, corpus & sanguinem Christi in actione consistere, ab his enim actibus copulate sumtis, ut a forma, coena Domini formaliter actio dicitur. Sicut igitur sublata forma formatum non est: ita cessantibus actibus sacramentalibus objectum, qua tale, desinit esse objectum. 2.) Si partes formales coenae dominicae in actione sunt. Ergo & ipsum sacramentum logicorum in regula: quod est partis, qua pars, id etiam totius secundum illam partem. At partes formales coenae dominicae sunt in actione, fatente Bellarmino libr. IV. de eucharist. cap. XVI. 3. Jo. Hosthusius, scriptor pontificius, libr. de modo examinandi candidat. f. 83. coenam ita definit, ut genus statuat *consecrationem corporis & sanguinis Christi*. GERHARDUS.

verba Chemnitii part. II. exam. cap. de excel. sacram. cœnæ) tantum hæc verba exstarent: *Accepit panem, gratias egit & dixit: Hoc est corpus meum*, tunc aliquid dicerent Pontificii. Sed institutio inquit, *fregit, distribuit & dedit discipulis* & jussit, ut acciperent, ut comederent & biberent. Hæc verba citra omnem controversiam actionem significant, & quidem expresse utitur verbo *faciendi*, inquit enim: *Hoc facite*, quod scilicet in prima cœna factum est. Si igitur juxta institutionem judicandum est, erit sacramentum eucharistiæ certa quædam actio, & consistet in usu non minus, quam baptismus. Imo consideret & hoc lector, in institutione baptismi unicum tantum est verbum significans actionem *Baptizate*, & tamen fortiter demonstrat & convincit, baptismum extra usum divinitus institutum non esse sacramentum. In eucharistiæ vero institutione non unum aliquod verbum tale est, sed aliquot ordine ponuntur, quæ manifestissime actionem significant: *Accepit, gratias egit, fregit, dedit discipulis, dixit: Accipite, comedite, bibite. Hoc facite &c.* Breviter: quæcunque argumenta probant, baptismum consistere in actione, nec locum habere sacramentum baptismi extra usum illum divinitus institutum, ea omnia & singula probant, eucharistiam etiam in actione consistere, nec locum habere sacramentum eucharistiæ extra usum divinitus institutum. Quod veterum adpellationes attiner, quibus panem sanctificatum vocant corpus Domini, illæ nostræ sententiæ minime omnium adversantur, loquuntur enim de pane eucharistico in usu sacramentali, ut ipse verborum sonus & circumstantiæ locorum manifeste ostendunt, ex eo vero non debet inferri, quod panem sanctificatum quacunque ratione tractatum, etiam extra usum a Christo institutum, velint esse corpus Domini. Act. II. 42. eucharistia vocatur *fractio panis*, juxta sententiam Bellarmini libr. IV. de eucharist. cap. 24. §. *Tertia ratio*: id quomodo convenit cum eo, quod Bellarminus h. l. scribit: *Si agamus de modo loquendi, nemo unquam vocavit eucharistiam vel corpus Domini fractionem.* 1 Cor. X. 16. *Panis, quem frangimus*, (hoc est, panis fractus ac distributus, sive quod idem est, panis fractio ac distributio) est κοινωνία corporis Christi, id quomodo convenit cum eo, quod Bellarminus hic negat, *eucharistiam vel corpus Domini vocari fractionem vel distributionem.* Quanto rectius Cassander in consult. cap. de cœna Domini p. 70. *Quamvis sacramentum eucharistiæ, ratione præsentiæ corporis & sanguinis Christi, ex ipsa consecratione verum sacramentum corporis & sanguinis Christi efficiatur, tamen si virtutem & efficaciam spectes, qua Christo unimur & incorporamur, hoc sacramentum ut reliqua sacramenta in ipso usu & actione, quæ est sumtio seu manducatio & potio, perficitur, quæ externa sumtio sacramentum est internæ & spiritualis manducationis & potionis corporis & sanguinis Christi, qua fit, ut Christo uniamur & incorporemur. Hoc idem a theologis quibusdam scholasticis adseritur*, (in margine citatur Henric. de Gorgham de effectu missæ prop. V.) *atque hac ratione a veteribus quoque hoc sacramentum nominibus actionem significantibus adpellatur, ut sunt synaxis, communicatio, perceptio corporis & sanguinis Christi.* II.) *Nulla est actio*, (inquit Bellarminus) *cui conveniat tota ratio sacramenti. Præcipua actio juxta adversarios est manducatio. At hæc nullo modo est sacramentum. Nam ista est actio solius suscipientis, non Dei, aut ministri, nec enim Deus aut minister manducat, sed suscipiens manducat. At sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra, unde in baptismo sacramentum est ablutio, ut a Deo per ministrum datur.* Resp. præstigias hasce collatio eucharistiæ & baptismi facile evertit. Quemadmodum sacramentum baptismi consistit in actione, videlicet in effusione aquæ, facta in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, quæ non solum est actio baptizantis, sed etiam receptio baptizati, ita quoque sacramentum eucharistiæ consistit in actione a Christo præscripta, videlicet in externorum symbolorum consecratione, distributione & sumtione, qui actus non solum sunt ministri ratione consecrationis & distributionis, sed etiam communicantium ratione sumtionis, hoc est, manducationis & bibitionis.

Quem-

Quemadmodum vero ex eo, quod baptismus in actione consistit, nequaquam inferri potest, quod hoc sacramentum mutuetur virtutem suam ab usu eorum, qui baptizantur, ita quoque ex eo, quod sacramentum eucharistiæ in actione a Christo præscripta consistere dicimus, nequaquam inferri potest, nostrum usum efficere sacramentum eucharistiæ. Diximus superius, nec unam nec plures actiones nostras efficere, ut corpus Christi sit in sacra cœna præsens, sed in solidum illud efficaciæ & voluntati Christi est acceptum ferendum, Christus autem in institutione voluntatem suam hoc modo patefecit, quod debeamus hoc facere, quod ipse fecit, scilicet benedicere, distribuere, manducare & bibere. Si una harum actionum omittitur, non servatur institutio Christi, ubi vero non servatur Christi institutio, ibi etiam non est sacramentum. Quamvis ergo Bellarminus polypi instar se formas vertat in omnes, nunquam tamen vim argumenti ex similitudine baptismi & eucharistiæ effugere poterit. *In eucharistia* (inquit) *nulla est actio, cui tota ratio sacramenti conveniat*, atqui dicimus non unam, sed plures, videlicet tres distinctas actiones ad legitimam eucharistiæ administrationem requiri, consecrationem scilicet, distributionem & sumtionem, sive manducationem ac bibitionem, proinde ratio sacramenti non consistit in una tantum actione, sed in omnibus actionibus, a Christo institutis & præscriptis. Consecratio sine distributione & sumtione non est eucharistia, sed tres illi actus sacramentales, consecratio, distributio, & sumtio eadem ratione ad essentiam & integritatem eucharistiæ concurrunt. *Manducatio* (inquit Bellarminus) *nullo modo potest esse sacramentum, nam ista est actio solius suscipientis, non Dei aut ministri. At sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioquin essent opera nostra.* Resp. manducatio eucharistiæ est quidem actio manducantis, interim quia objectum hujus manducationis est panis consecratus, cujus distributionem ex natura relatorum præsupponit, ideo est talis actio, quæ una cum reliquis ad essentiam & integritatem hujus sacramenti concurrit; neque enim est opus quoddam nostrum proprie & accurate loquendo, sed receptio illius doni, cujus communicationem Christus in sacra cœna hoc modo instituit & promisit, id est, corporis Christi. Tales actiones in reliquis etiam sacramentis concurrunt, videlicet amputatio præputii in circumcisione, manducatio in agno paschali, ablutio in baptismo, quæ sunt actiones respectu ministri agentis, receptiones autem respectu eorum, qui sacramentis utuntur. Invertimus igitur argumentum. Quemadmodum ad essentiam baptismi requiritur, ut adsit, qui baptismum suscipiat: ita quoque ad essentiam eucharistiæ requiritur, ut sit, qui manducet ac bibat, id est, panem & vinum consecratum ore recipiat; interim ut baptismi susceptio non proinde sit causa hujus sacramenti, ita quoque cibi ac potus eucharistici per manducationem ac bibitionem receptio non sit ejusdem causa, sed utrobique satisfit institutioni Christi. III.) *Verba sacramentalia, sine quibus sacramentum non fit, non dicuntur a manducante, neque ad manducantem, sed a ministro super panem, illa enim verba:* Hoc est corpus meum, *ad panem, non ad manducantem pertinent.* Resp. Christus in prima cœnæ institutione & administratione, quæ est reliquarum norma ac forma, non ad panem sed ad discipulos dixit: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* Repetitio institutionis dominicæ in nostra cœna separat quidem externa elementa ab usu vulgari & communi, interim tamen non propter panem, sed propter communicantes instituitur, neque propter panem, sed propter communicantes Christus suo corpore in sacra cœna adest. Invertimus igitur argumentum. Verba sacramentalia in baptismo non dicuntur a suscipiente baptismum, sed a baptizante, interim baptismi susceptio necessario requiritur, ut sit sacramentum: ita quoque verba sacramentalia in cœna non dicuntur a manducante, sed a distribuente, interim manducatio & bibitio necessario requiritur, ut sit eucharistia. Breviter: nec consecratio nec distributio, nec manducatio, quatenus sunt actiones nostræ, efficiunt eucharistiam, sed Christi institutio, Christi voluntas, Christi efficacia.

Inte-

Interim quia Christus in verbis institutionis ordinavit, ut faciamus, quod ipse fecit, ideo non solum consecratio, sed etiam distributio & sumtio ad legitimam eucharistiæ administrationem requiruntur. IV.) *Pani consecrato tota definitio sacramenti convenit, est enim signum sensibile & causa internae nutritionis spiritualis, fit a Deo per ministrum ritu & ceremonia a Deo instituta, denique elementum & verbum concurrunt ad hoc sacramentum, ut ad omnia alia.* Resp. hæc omnia tum demum locum habent, quando observatur Christi institutio; panis consecratus est signum & causa spiritualis nutritionis, nimirum si manducetur, non autem nude adspiciatur: ad ceremoniam a Christo institutam pertinet non solum benedictio, sed etiam distributio, manducatio & bibitio. Verbum, quod ad elementum accedens efficit sacramentum, non est aliud quam hoc: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum: Bibite, hoc est sanguis meus.* Ut ergo ex eo, quod verbum baptismi requirit actionem, necessario infertur, quod baptismus in actione consistat: ita quoque idem dicendum de verbo eucharistiæ.

Ritus primitivæ ecclesiæ pro stabilienda repositione.

§. CXCVII. Cap. 4. adfert Bellarminus pro stabilienda hujus sacramenti repositione varios primitivæ ecclesiæ ritus, de quibus sigillatim agere non est operæ pretium, sed in genere monemus. I.) In ipso jure canonico dist. 8. multos recenseri canones ex veteribus, qui adferunt, *consuetudinem sine veritate esse vetustatem erroris. Dominum in evangelio non dixisse: ego sum consuetudo, sed* ego sum veritas: *consuetudinem quantumvis vetustam, quantumvis vulgatam veritati omnino postponendam: non hominis consuetudinem, sed Dei veritatem sequendam: non attendendum, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid prius, qui ante omnes est, Christus fecerit &c.* Jam vero ex verbis institutionis manifestum est, Christum panem consecratum nec reposuisse, nec reponendum apostoli dedisse, sed ad manducandum iisdem exhibuisse, addito generali mandato: *Hoc facite.* Adversarii igitur non debent nec possunt nobis hoc nomine succensere, quod Christi institutionem consuetudini, licet antiquæ, præferimus. Nunquam enim nobis probari poterit, quod Bellarminus adferit libr. III. de sacram. in genere cap. 26. §. ex quo intelligimus: *clariorem esse consuetudinem quam ipsum verbum, & ex consuetudine verbum Dei interpretandum, non ob verbum Dei obscurum & ambiguum consuetudinem abolendam.* II.) Praxis ecclesiæ apostolicæ omnino præferenda est consuetudini sequentium temporum, ut alibi confirmatum dedimus. Jam vero in ecclesia apostolica non fuit usitata repositio vel adservatio hujus sacramenti, sed ut ex historia evangelica, actis apostolicis & epistola ad Corinthios colligitur, apostoli & apostolorum discipuli eo modo administrarunt sacram cœnam, ut panem consecratum distribuerent & manducarent. III.) Nec tamen omnes veteres ecclesias, in quibus repositio & adservatio in usu fuit, simpliciter damnamus, sed repetimus regulam Cypriani libr. II. epist. 3. *Si quis de antecessoribus vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti & instructi sumus, ut ubique lex evangelica & traditio dominica servetur, & ab eo, quod Christus & docuit & fecit, non recedatur. Ignosci potest simpliciter erranti, post inspirationem vero & revelationem veritatis factam, qui in eo, quo erraverat, perseverat prudens & sciens, jam non in venia ignorantiae peccat, praesumtione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Bellarminus regerit, *Cyprianum loqui de paucis quibusdam sacerdotibus, qui ex simplicitate contrarium morem servabant in sacrificio celebrando ab eo, qui in tota servatur ecclesia: consuetudinem vero adservandae eucharistiae non a paucis, nec pauco tempore, sed a patribus omnium aetatum & ab omni ecclesia servatam.* Resp. verba Cypriani sunt generalia, de omni enim consuetudine, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, ex institutione & traditione dominica judican-

dicandum esse adserit, ut cap. *consuetudo*, & cap. *Si solus*. dist. 8. ex Cypriano manifeste probant. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. I. de sacram. in gen. cap. 26. §. ex quo: *Vetus ecclesia ex consuetudine ducentorum vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia, quae Cyprianus cum suis adferebat.* Et paulo ante: *Vincentius Lirinensis dicit, tantum valuisse apud ecclesiam catholicam argumentum ductum a traditione & consuetudine ecclesiae, ut hoc uno superata fuerit causa Cypriani, qui summa eloquentia & frequentissimo sanctorum episcoporum concilio & multis divinae scripturae testimoniis contra veritatem pugnabat.* Ex quo intelligitur, Cyprianum contra consuetudinem non paucorum, sed multorum regulam illam protulisse. Becanus in disp. de judice controv. *Cyprianus in epist. ad Jubajanum persuasus se ex scripturis demonstrasse, quod haereticorum baptisma non sit validum, hac occasione incipiebat traditionem contemnere, qua firmius oppugnabatur, quam a scriptura.* Quod autem consuetudo adservandi eucharistiam non fuerit universalis, ex superioribus intelligi potest. IV.) Exempla adservationis eucharistiae ex veteribus adducta sunt dissimilia, quædam enim propius ad institutionem accedunt, quædam vero sunt remotiora. Justinus apolog. II. commemorat, *per diaconos eucharistiam ad absentes deferri solitam.* Factum id est immediate post consecrationem & reliquorum communicationem in coetu ecclesiastico antegressam. Eodem modo accipiendum est illud Irenæi in epist. ad Victorem papam apud Eusebium libr. V. hist. cap. 24. *quod eucharistia episcopis peregrinis Romam venientibus in testimonium unitatis & concordiae fuerit missa.* Quotidiana tunc in ecclesiis celebratur communio, ut ex antiquitate notum est, peracta igitur in coetu publico communione, per diaconos ad ægrotos vel peregrinos fuit delata, nequaquam vero per aliquot dies reservata, vel ad pompam & spectaculum circumgestata. Frustra igitur propugnat Bellarminus hisce exemplis adservationem, ostentationem & circumgestationem in ecclesiis pontificiis usitatam. Nam in coetu ecclesiastico, in quo eucharistia celebratur, ad ægrotos, peregrinos atque alios, qui aliqua de causa impediti fuerunt, ne interessent celebrationi mysteriorum, panem & vinum, in quo gratiæ actæ sunt, transmittere, longissime distat a repositione solius panis per dies aliquot, non manducationis, sed theatricæ circumgestationis causa. *At* (inquit Bellarminus) *si non est sacramentum, nisi dum fit, quod Christus fecit aut fieri jussit, quomodo erit sacramentum in illa delatione ad absentes?* Item: *Certum est, illos, qui deferebant, non consuevisse in domibus eorum ritum cœnae celebrare, & eo modo eucharistiam consecrare, erant enim diaconi. Ergo fatendum, quod non sit opus repetere consecrationem eucharistiae in domibus eorum, ad quos defertur.* Resp. delatio illa ad ægrotos & absentes non separavit tanto temporis intervallo consecrationem & distributionem, sicut in ecclesiis pontificiis fieri hodie consuevit, in quibus vel nunquam, vel non nisi post aliquot dies distributio succedit, propius igitur ad institutionem dominicam delatio illa veterum accedit, interim tamen magis consentaneum institutioni & exemplo Christi pronunciamus, verba cœnæ recitare & illis benedicere eucharistiam in loco communionis & tempore communionis in præsentia communicandorum, quam alio & loco & tempore illis absentibus, ut postea ostendemus. V.) Quædam exempla adservationis ab institutione dominica sunt remotiora, cum non immediate conjunctam habeant manducationem ab ipso Christo in institutione præscriptam & requisitam. Cyprianus serm. de lapsis commemorat, *mulierculas quasdam eucharistiam in arculis & strophiolis domi adservare solitas.* De hac privata reservatione eucharistiæ (in qua vel utrumque corporis & sanguinis antitypum ex coetu ecclesiæ domum secum deferebant, vel ex calice Domini in ecclesia bibebant, panem vero dominicum secum portabant domum, ibique & ante cibum, vel in periculis, vel inchoaturi aliquid, eum manducabant) loquuntur etiam Tertullianus libr. II. ad uxorem, Basilius in epist. ad Cæsariam, Nazianzenus orat. in Gorgon. Ambrosius de obitu fratris Satyri, cap. 7. Hieronymus in apol. pro libris adv. Jovinianum. Sed

postea mutata, abrogata & prohibita fuit consuetudo illa privatæ reservationis, quantumvis antiqua & late patens in concilio Toletano I. can. XIV. & Cæsareo Augustano can. III. Decretum prius Toletanum sic habet: *Si quis acceptam a sacerdote eucharistiam non sumserit, veluti sacrilegus propellatur.* Decretum Cæsar. Augustanum tale est: *Eucharistiae gratiam si quis probatur non consumsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum.* Sic ergo patres illius concilii ipso facto ostenderunt, consuetudinem ecclesiæ non sufficere dominica institutione abrogari jure posse. Bellarminus regerit, *non adservationem in ecclesia, sed privatam tantummodo abrogatam esse, ne videlicet aliqui abutantur tanto sacramento ad veneficia & alia hujusmodi scelera.* Resp. eadem est ratio privatæ & ecclesiasticæ adservationis, neutra gaudet Christi instituto vel mandato; contra vero utraque parit abusus & superstitiones, utraque conjuncta est cum periculo abusus ad veneficia & alia hujusmodi scelera, nisi forte statuamus, inter sacerdotes & templi custodes nullos esse magos, nec perfringi posse cibarium, in quo panis consecratus adservatur. Referunt historici, omnes pontifices a Sylvestro II. usque ad Gregorium VII. inclusive fuisse magos, & de hoc Gregorio VII. scribit Benno cardinalis, *quod ex pane consecrato responsa quaesierit contra imperatorem, quae cum aliquando non redderentur, in ignem eum conjecerit.* Si pontifices sanctissimi adservata eucharistia ad magiam abusi sunt, quid non audebunt minorum gentium dii? At (inquit Bellarminus) *si extra usum cænae non esset sacramentum nec corpus Domini, posset permitti cuicunque panis ille sanctificatus, neque enim periculum esset ullius sacrilegii, si extra usum cænae nihil esset nisi merus panis. Concilia igitur, quae tam severe propter pericula sacrilegiorum prohibent sacramenti adservationem, manifeste indicant, etiam extra usum cænae verissimum permanere tum corpus Domini, tum etiam sacramentum.* Resp. aquam baptismi extra usum a Christo institutum non esse sacramentum, ipse Bellarminus concedit, atqui num homines sacrilegi non abutuntur sacri baptismatis aqua ad gravia scelera? praxis ostendit contrarium. Ergo ut abusus aquæ baptisticæ & prohibitio aquæ ad tales abusus adservandæ nequaquam probat, aquam baptismi esse sacramentum extra usum a Christo institutum, ita quoque de eucharistia idem omnino dicendum. VI.) Quædam exempla plane sunt contraria divinæ institutioni, ideoque nec probari, nec excusari possunt aut debent. Ambrosius in orat. de obitu Satyr. testatur, *Satyrum sacramento ad collum adpenso usum esse ad naufragium evitandum.* In libro Amphilochii de Basilio refertur, *quod ea hora, qua e vivis excesserit, illam partem hostiae acceperit, quam secum tumulare decreverat.* Alia quædam legenda de Basilio fingunt, quod *panem consecratum in tres partes diviserit, quarum unam communicarit, alteram in columba aurea, quae super altare pependit, reposuerit, tertiam secum consepeliendam reservarit.* Augustinus lib. XXII. de civ. Dei cap. 8. scribit, *a quibusdam presbyteris oblatum fuisse Deo sacrificium dominici corporis ad curandam domum quandam a daemonum vexatione.* Gregorius lib. II. dialogorum cap. 24. de Benedicto refert, quod, *cum defunctus quidam monachus sepeliri nequiret, miserit aliquos, qui eucharistiam super pectus mortui ponerent.* In majoribus Basilicis sacramentum quotidie cum lampadibus accensis inclusum proponitur adorandum, & effertur ad incendia restinguenda & ad similes casus averruncandos. Plures hujusmodi abusus enumeravimus superius §. 60. membr. 2. Atqui illos omnes defendere cogitur Bellarminus, & ipso facto etiam defendit in cap. 5. §. *ad quartam:* cum semel discesserit a regula illa verissima & certissima, quippe ex ipsis institutionis verbis deducta: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* Concedere ergo cogitur, panem consecratum esse verum Christi corpus, quocunque modo tractetur, & quocunque fine usurpetur. *Falsum est,* (scribit) *apud veteres non fuisse alium sacramenti usum, quam ad manducandum. Nam Gorgonia soror Nazianzeni ipso Nazianzeno teste in orat. de obitu Gorgon. sacramento eucharistiae usa est ad impetrandam a Deo sanitatem, Christi corpus in*

in sacramento adorando, invocando, oculis adplicando; Satyrus Ambrosii frater eodem ad collum adpenso usus est ad naufragium evitandum. Cyrillus Hierosolym. catech. V. mystag. monet communicantes, ut post communionem digito tangant labia sanctificata contactu corporis & sanguinis Domini, & deinde eodem digito sanctificent per contactum oculos, frontem & alia membra &c. At si illi usus eucharistiæ defenduntur, defendendi etiam reliqui omnes, longissime etiam ab institutione dominica recedentes, cum omnium sit par ratio. Brentius in apol. confess. Würtenb. cap. de satisfactione pag. 559. refert quandam fabulam, quam de majoribus audierat: „Quædam mulier, *(inquit)* „ molitoris uxor, cum magna rerum penuria „ laboraret, cogitavit, quibus rationibus egestatem suam sustentare posset. Vidit enim, „ vicini molitoris uxorem non solum lautam „ supellectilem habere, & pretiosa veste incedere, verum etiam magnam vim pecuniæ „ possidere. Doluit igitur se, cum in eadem „ esset professione seu artificio, non etiam in „ eadem esse fortuna. Ac diu quidem circumferens oculos, quo rebus suis consuleret, tandem visum fuit optimum esse, ut cum sumeret in die paschæ panem eucharistiæ, clam „ ex ore subtraheret & lapidi molari subjiceret. „ Sic enim futurum sperabat, ut Christus, qui „ hoc pane contineretur, omnem benedictionem suam in domum præsens effunderet. „ Postquam ergo cogitata perfecisset, ecce tibi „ rem mirandam. Noctu ad hunc molarem „ lapidem, sub quo panis eucharistiæ jacebat, „ auditur suavissimus concentus. Itaque & familiares & vicini tanta vocis suavitate excitati „ concurunt undique, nec possunt aliud judicare, quam hunc esse cœlestium angelorum „ concentum. Sed cum diu attoniti dubitarent, „ quæ hujus novæ rei causa esset, vident tandem „ hostiam sub molari paululum prominentem, „ & quo propius ad eam aures admovent, eo „ jucundior & clarior auditur sonus. Itaque „ judicant non esse hostiam vulgarem, sed consecratam, & ibi Christum ipsum una cum „ corpore & sanguine, imo & cum cruce, „ imo & cum universa humanitate & divinitate „ præsto adesse. Mulier autem horrore propter miraculum correpta, significabat trepidatione ipsa se, quid de hac hostia factum „ sit, haud ignaram esse, quare comprehendi„ tur a magistratu, fatetur rem gestam, & „ ut rea tanti mysterii profanati traditur igni „ exurenda. „ Atqui si licet sacramento uti ad corporalem sanitatem impetrandam oculis adplicando, cur non etiam liceret uti ad divitias & benedictionem adquirendam molari subjiciendo? *In hac causa* (scribit Brentius) *nihil videtur miserae mulierculae defuisse praeter Sotum* (vel Bellarminum) *patronum. Quid enim dicat accusator, mulierem profanasse eucharistiam? sed respondisset patronus, mulierem non solum nihil detraxisse virtuti eucharistiae, verum etiam plurimum tribuisse, & gratiam Christi in eucharistia illustrasse, dum non solum petierit ab eo juvari in corde & ore suo, sed etiam in molari & universa domo sua. An enim non est hoc honorare corpus Christi, & de majestate ejus praeclare sentire, ut exspectes ab ipso gratiam & benedictionem non tantum, cum ore sumitur & in humanum ventrem tam fœtidum trajicitur, verum etiam cum molari lapidi tam nitido & utili imponitur? Si enim utilitatem molaris expendas, nulla gemma ei anteferenda est, & quid etiam utilius corpore Christi? quare si hae duae res utilissimae convenirent, quid non benedictionis ex ipsis sequeretur? Haec & multa alia potuisset patronus commemorare.* VII.) Quemadmodum privata eucharistiæ reservatio non solum cessavit, sed etiam in conciliis abrogata est, cum causæ, propter quas cœperat, desiissent: ita quoque, cum causæ publicæ sive ecclesiasticæ reservationis itidem desierint, iisdemque abusus in circumgestatione, ostentatione &c. successerint, utique etiam publica illa reservatio merito cessare & abrogari debet. Causa privatæ reservationis Chemnitio potissima videtur hæc fuisse, quod tempore persecutionis non poterant, quoties vellent, ad celebrandam cœnam dominicam convenire. Cum igitur nec ubique nec semper copiam communionis habere possent, ne tamen incidentes periculo aliquo

penitus privarentur communione, particulas quasdam in cœtu ecclesiastico acceptas reservarunt, sed postea judicatum fuit, rectissimum esse præscriptum institutionis servare & sequi. Causas publicæ sive ecclesiasticæ adservationis idem Chemnitius hasce commemorat. Novatiani contendebant, lapsos & præcipue in persecutione non esse recipiendos, & ad communionem ecclesiæ admittendos, etiamsi pœnitentiam agerent. Ecclesia vero pœnitentibus non negabat reconciliationem & communionem, sed tamen ut in lapsis statueretur exemplum deterrens reliquos a simili peccato, utque exploraretur, an vera esset pœnitentia, disciplina severiori usi sunt. Non enim statim ad communionem admiserunt pœnitentes, sed prius per certum temporis intervallum certa disciplina probabant ipsorum pœnitentiam. Ne tamen quisquam pœnitentium tempore illo canonico nondum expleto sine reconciliatione & communione decederet, statutum fuit, ut in periculo mortis privata absolutione & communione reconciliarentur, & in communionem ecclesiæ reciperentur, utque receptio illa & communio, licet fieret privatim, non coram tota ecclesia, tamen testimonium esset publicæ receptionis & admissionis ad communionem totius veræ ecclesiæ, ideo de illo ipso pane, qui in cœtu ecclesiæ benedictus erat, ex quo reliqui credentes participarant, particulam dandam esse censuerunt, ut eo minus dubitarent lapsi, se recipi in communionem mystici corporis, *unus enim panis; unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* 1 Cor. X. 7. Cumque, sicut Cyprianus queritur lib. III. epist. 14. sacerdotes quidam lapsos privatim sine episcopi & ecclesiæ consensu absolverent & communicarent, magis placuit hic mos, ut ad communionem pœnitentium in periculo mortis usurparentur particulæ illæ, ex quibus antea ecclesia in cœtu communicarat, ut ita infirmus, licet in loco privato a solo presbytero, tamen quasi publice communi testimonio a tota ecclesia ad communionem recipi judicaretur. Item cum hæreses & schismata varie turbarent ecclesiam, ita ut peculiares suos cœtus cogerent, ubi communionem suam celebrabant hæretici, ut ostendit hist. tripart. libr. III. c. 11. ne igitur infirmi hæretica communione macularentur, utque morituri disjungerent se ab omnibus hæreticis, & testarentur se esse & perseverare velle in communione veræ ecclesiæ, placuit ex illo ipso pane & vino, cujus partem ecclesia in publico cœtu sumserat, communionem præbere ægrotantibus, utque illis diebus & horis, quando publice in ecclesia non celebraretur ministerium eucharistiæ, succurri posset illis, qui in periculo mortis versarentur, aliquid reservari placuit ab uno die publicæ celebrationis eucharistiæ usque ad proxime sequentem, quæ reservatio fuit simpliciter sine superstitione & sine peculiari cultu extra usum. Hæc Chemnitius, quæ ne verbo quidem Bellarminus attingit. VIII.) Concilium Trident. sess. XIII. cap. 6. consuetudinem adservandi eucharistiam in sacrario Nicæni Concilii auctoritate potissimum defendit. Id Bellarminus sic explicat: can. 14. (alias 18. alias 20.) *Jubet synodus, ut in absentia presbyterorum diaconi eucharistiam porrigant, jam vero sine presbyteris non potest celebrari cœna, nec diaconis data fuit auctoritas offerendi, ergo eucharistia reservata fuit in ecclesia, ut quovis tempore distribui posset.* Item can. 13. *Jubetur, ut secundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegaretur sacra communio, jam vero ægroti non potuerunt ad ecclesiam venire, nec potuit tota actio celebrari in cubiculis ægrotantium, præsertim secundum opinionem adversariorum, qui damnant missas privatas, ergo necesse fuit, ut eucharistia servaretur consecrata pro ægrotis.* Resp. concilium Nicænum celebratum fuit anno Christi 325. seculum igitur Nicænæ synodi non est vetustissimum tempus ecclesiæ. Præterea qui & quot sint illi canones, quos patres illius concilii præter expositionem fidei ediderunt, valde ambiguæ sunt opiniones (*). Gratianus distinct. 16. numerat 70. ca-

(*) Conferenda, quæ de canonibus concilii Nicæni adnotarunt THOM. ITTIGIUS in *hist. concilii Nic. §. LXI. p. 63. & p. 107. seqq.* JO. ALB. FABRICIUS *libr. VI. biblioth. græc. cap.*

canones, ex quibus tantum 30. postea in Romana ecclesia relicti sunt. Theodoretus libr. I. histor. eccles. cap. 8. viginti canones agnoscit de ecclesiastica disciplina, non plures (*). Et Bellarminus ipse fatetur hoc loco, illam partem canonis non haberi in omnibus editionibus. De illo vero canone, ex quo reservationem probare conantur, res non tantum dubia, sed etiam suspecta est. Posterior enim sententia adludens ad reservationem, ut scilicet ipsi diaconi in absentia presbyterorum proferant & edant, in canone illo nec græce legitur, nec in decretis dist. 93. cap. *pervenit*, nec in priori editione conciliorum. Sed secunda editio, sicut ex canone 14. facit 18. ita etiam adludit ad sententiam illam. Apud Rufinum libr. I. cap. 6. legitur in illo canone talis quædam additio, sed non eo modo, sicut in tomis conciliorum. Nihil enim habet de proferendo, quasi reservatum fuerit, sed simpliciter dicit: *Diaconi praesentibus presbyteris eucharistiam non dividant, sed illis agentibus solum ministrent. Si vero presbyter nullus sit in praesenti, tunc demum etiam ipsis licite dividere.* Cum ergo de sententia illa canonis adludente ad reservationem res sic se habeat, & in sexta Carthaginensi synodo (**) convicti fuerint Romani de falsatis canonibus Nicænis, cumque adsumentum illud non de circumgestatione & ostentatione, sed de distributione loquatur, manifestum est, qualis sit hæc probatio. Monuerat isthæc totidem verbis Chemnitius, sed Bellarminus sicco pede ea præterit, tantum dicit, *hunc canonem exstare apud Rufinum, qui teste Cyrillo in epist. ad conc. Carth. veros & authenticos canones habeat.* Canon 13. nullius plane reservationis mentionem facit. *Nemini pœnitentium in mortis articulo sacram communionem denegandam esse statuitur*, ex eo vero sacramenti adservatio minime probatur. Cum enim in primitiva ecclesia plerumque quotidiana celebrata fuerit communio, ut ex historia antiquitatis notum est, ideo propter pœnitentium communionem privatam nulla opus divina sacramenti adservatione. *Negari non potest*, (scribit Bellarminus libr. II. de missa c. 9.) *quin olim singulis diebus in multis locis missae celebrarentur*, id quod ex Augustino epist. XXIII Hieronymo in cap. I. ad Titum, Chrysostomo homil. III. ad Ephes. II. ibidem probat. Insigniter autem fallitur Bellarminus, quod scribit, nos privatam ægrotorum communionem improbare, praxis enim ecclesiarum nostrarum contrarium demonstrat.

Quid statuendum de adservatione eucharistiæ propter communionem ægrotorum.

§. CXCVIII. Cæterum cum pro defendenda adservatione sacramenti potissimum urgeantur exempla veteris ecclesiæ, in qua pro ægrotis adservata fuit eucharistia, ideo monemus hoc loco: I.) Pontificios non illam solummodo repositionem, quæ fit propter communionem ægrotorum, sed omnem omnino repositionem, quæ fit propter circumgestationem, ostentationem, venerationem &c. quanquam nulla sequitur manducatio, contra nos propugnare, a qua reservatio pro communione ægrotorum in veteri ecclesia usitata toto cœlo distat. Sic enim scribit Bellarminus libr. IV. de eucharistia cap. 2. in fine: *Si quis faciat sedem, cujus sedendi*

cap. IV. p. 364. seqq. & C. W. F. WALCHIUS in *dem Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchenversammlungen, p. 136.*

(*) Non plures, quam viginti canones in concilio Nicæno conditos esse, præter THEODORETUM, ad quem supra provocat GERHARDUS, testantur quoque GELASIUS, *libr. II. cap. XXXI.* HINCMARUS REMENSIS in *epistola ad Hincmarum Laudunensem, tom. II. oper. p. 462. seqq.* BERTHOLDUS sive BERNALDUS, scriptor seculi undecimi, *epistola ad Gebehardum p. 261.* in scriptoribus a TEGNAGELIO editis, atque alii. Equidem RUFINUS *libr. I cap. VI.* viginti duo recenset; verum hæc diversitas ex eo tantum orta, quod & sextum & octavum canonem in duos diviserit.

(**) De synodo Carthaginensi sexta *A. CCCCXIX.* celebrata, legi merentur EDMUNDUS RICHERIUS, in *histor. concil. general. tom. I. cap. VI. p. 103. seqq.* & TILLEMONTIUS in *mémoires pour servir à l'histoire ecclesiast. tom. XIII. art. CCXCIII. p. 778. seqq.*

dendo est usus, & tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinit esse sedes &c. Sic etiam sacrosanctum sacramentum non desinit esse sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum. Et cap. 5. in fine: *Primarius finis servandi eucharistiam semper fuit & est manducatio, servatur enim potissimum ob viaticum infirmorum, interim autem dum non consumitur, nihil prohibet sumere ex eo alias utilitates.* Et postea: *Ad quaestionem, utrum extra usum manducationis eucharistia sit sacramentum & corpus Domini, impertinens est, in quem usum hoc sacramentum conservetur.* II.) Justinus & Irenæus testantur, eucharistiam in cœtu ecclesiastico benedictam statim ex illo ad communionem absentium, ægrotorum scilicet & peregrinorum fuisse delatam, sic ergo inter consecrationem & communionem ægrotorum non interceßit mora temporis longior. Innocentius de divin. officiis, citante Cassandro, dicit, *sacerdotem solitum fuisse, dominicum corpus consecratum in tres partes dividere, quarum unam calici immittat, aliam diaconus communicet, tertiam ad viaticum, si opus fuerit, in patina usque ad finem reservet, si autem opus non fuerit, eam sacerdos aut unus ministrorum in communione accipiat;* ex quo adparet, quod nihil fuerit olim reservatum vel repositum, quando nulli ægroti communicandi. Sed pontificii per aliquot non solum dies, sed etiam per annum integrum hostiam consecratam in usum ægrotorum reponunt. Et quamvis quotidie missas celebrent, tamen pro infirmis ex paschali vel alia solenni communione per totum fere annum particulas reservant. III.) De reservata eucharistia ad communionem infirmorum unicum Serapionis exemplum apud Eusebium libr. VI. cap. 43. in vera & veteri antiquitate occurrit, ibi enim ex epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium commemoratur, *quod Serapion in extremis agens miserit puerum ad presbyterum, ut ad se veniret cum sacramento eucharistiae. Presbyterum autem tunc forte aegrotantem non potuisse ipsummet accedere, sed misisse eucharistiam per puerum Serapioni deferendam.* Sed hoc exemplum non est vetustissimum. Factum enim est tempore Novatiani schismatis. Nec fuit reservatio illa consuetudo quædam universalis & perpetua, sicut etiam ea non fuit opus, cum quotidie illis temporibus celebraretur communio, nec solum ante meridiem, sed etiam circa horam tertiam & nonam ad vesperam, præcipue in sabbatis paschæ & pentecostes, ut Cassander ex veteribus probat. IV.) Causæ reservationis, quas veteres habuerunt, hodie cessarunt, quin imo graves abusus iisdem successerunt, ergo ut privata reservatio a veteribus fuit abrogata, ita quoque publica & ecclesiastica illa reservatio cessare deberet, cum privata illa reservatio & antiquior sit, & plura antiquitatis exempla habeat, atque latius usurpata fuerit. V.) Utraque olim species ad ægrotos & absentes fuit delata, ut ex Justino apol. II. & ex historia Serapionis apud Eusebium libr. VI. cap. 43. manifeste adparet. Utraque species fuit in privatas ædes deportata, ut ex historia Exuperii apud Hieronymum in epist. ad Rufin. & ex Nazianzeno in oratione de funere Gorgoniæ adparet. Apud Chrysostomum in epist. I. ad Innocentium fuit in sacrario sanguis Christi a militibus effusus. Sed Pontificii unam tantum panis speciem reponunt, & ad ægrotos deferunt. VI.) Veterum reservatio & deportatio ad ægrotos sine ulla superstitione & peculiari cultu extra usum usurpata fuit, quia presbyter apud Eusebium l. d. dat puero eucharistiam Serapioni deferendam. Exuperius apud Hieronymum l. d. corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro: Satyrus apud Ambrosium in orat. de obitu Satyri particulam eucharistiæ orario involutam a fidelibus in periculo naufragii accipit. Sed apud Pontificios Innocentius III. primus mandavit, ut eucharistia in ecclesia sub custodia, clavibus & seris adhibitis conservetur (*). Bellar-

(*) Cum iis, quæ in toto hoc capite de adservatione eucharistiæ ex historiæ sacræ monumentis passim adnotavit GERHARDUS, conferri omnino meretur JO. DALLÆVS in eruditissimo *de cultibus religiosis latinorum* opere, qui *libr. VI.* errori huic pontificio vetustatis a synо-

larminus cap. 4. §. 3. dicit, *illud fieri propter abusus, qui paulatim sunt exorti*, atqui præstaret propter illos abusus ad institutionem dominicam recurrere, & reservationem publicam intermittere, sicut ex iisdem causis privata reservatio fuit abrogata. Honorius III. statuit, ut quando reservata eucharistia defertur ad infirmum, plebs se reverenter inclinet, voluit etiam luminaria semper deferri. Sequentes pontifices certum numerum indulgentiarum addiderunt, ducentorum scilicet dierum, pro reverentia, quando ad infirmum cum luminaribus portatur, centum vero, quando sine luminaribus portatur. Hæc certe toti antiquitati sunt ignota. Bellarminus l. d. respondet, *quod creverit honor externus sanctissimi sacramenti, præsertim devotione interna decrescente, nemini displicere potest, nisi hostibus Christi & religionis.* Atqui præstaret internam illam devotionem prædicatione beneficiorum, quæ ex legitima hujus sacramenti administratione & fideli ejusdem communicatione ad nos promanant, excitare, quam de externo ejusdem honore, omisso usu a Christo instituto, cogitare. VII.) Pontificia reservatio pro ægrotis nititur hac falsa hypothesi, quod benedictio panis non valeat nisi consecratio fiat in templo & altari pontificaliter consecrato, quodque eucharistia ad communionem non recte consecretur extra actum sacrificii missæ, inde adservationem propter usum ægrotorum judicant necessariam, sed verus ecclesia morem suæ reservationis non judicavit esse necessarium, ac privatis etiam in ædibus olim consecratum fuisse, multa exempla testantur. Christus ipse eucharistiam instituit & administravit in domo privata: apostoli in ædibus privatis communicabant. Id ipsum adductis aliquot veterum testimoniis, probat Bellarminus libr. II. de missa c. 9. §. *igitur primo.* VIII.) Quare cum exempla reservationis in veteri ecclesia usitatæ sint dissimilia, cumque privata adservatio decretis conciliorum propter abusus fuerit abrogata, ideo simplicissimum, tutissimum ac rectissimum est, ad institutionem dominicam tanquam normam & regulam respicere, cui magis conforme est & consonum, in communione infirmorum verba cœnæ, quæ sunt ipsa consecratio in præsentia ægroti recitare, quam ex particulis, per plures non solum dies, sed etiam menses, reservatis infirmos communicare, quod Chemnitius probat hisce fundamentis: *Primo* quia Christus verbis suis, quæ voluit ad elementum accedere, ut fieret sacramentum, usus est illo loco & illo tempore, ubi & quando distributurus erat communionem & in præsentia eorum, quibus volebat communicare corpus & sanguinem suum. Magis igitur consentaneum est descriptioni institutionis & exemplo Christi, verba cœnæ recitare, & illis benedicere eucharistiam in loco communionis & tempore communionis in præsentia communicandorum, quam alio loco & tempore absentibus illis, quibus exhibenda est. *Secundo* verba illa cœnæ: *dixit*, *accipite*, *comedite*, *bibite*, *hoc facite*, non diriguntur ad elementa, sed ad communicaturos. Non igitur consentaneum est institutioni, verba illa tantum ad panem & vinum dirigere, & quidem in absentia communicandorum. *Tertio* Christus communionem non voluit esse mutam actionem, sicut medicus pharmacum alio loco & tempore præparatum propinat & adplicat, sed quando panem fractum & poculum benedictum discipulis dabat, dixit & addidit mandatum: *Hoc facite in mei commemorationem*, quod Paulus interpretatur, ut fiat adnunciatio mortis Christi, non tantum in benedictione, sed etiam sumtione. *Quarto* consolatio de usu & fructu eucharistiæ inprimis necessaria est ægrotis, illam vero verbis Christi, quibus sacramentum hoc conficitur, comprehendi & proponi, non est dubium,

nodo Tridentina iactatæ larvam detrahit. Et *capite* quidem X. luculenter ostendit, sex prioribus post Christum natum seculis nullas plane cœnæ dominicæ particulas fuisse reservatas. *Capite* vero XIII. docet, post sextum seculum inductam quidem fuisse particularum apud Græcos reservationem ad sacra ex præsanctificatis: at apud Latinos claram disertamque reservationis mentionem non occurrere ante BVRCHARDVM, hominem seculi XI. in tribus quibusdam ab eo relatis canonibus.

um, & fides eam in verbo quærit & adprehendit, recte igitur & utiliter fit, quod verba cœnæ, quibus panis & vinum eucharistiæ benedicitur, recitantur præsente & auscultante ægroto. *Quinto* illa ratione multæ quæstiones & disputationes de particulis extra usum reservatis turbantes simplicitatem doctrinæ & fidei de eucharistia præcaventur & præciduntur. *Denique* quia morem reservationis necessarium faciunt, exemplo ostendenda est libertas christiana, ne veritas eucharistiæ ex loco, ubi benedicitur, pendere existimetur, aut quasi actio sacrificii papistici necessaria sit ad veritatem eucharistiæ. Hæc omnia Chemnitius, ad quæ cum Bellarmino respondere *δύνατον* fuerit, sicco pede ea transilire voluit.

CAPUT XVIII.

DE CIRCUMGESTATIONE SACRAMENTI.

Circumgestatio panis consecrati.

§. CXCIX. Pontificia consecrati panis adservatio & repositio non tam infirmorum communionem, quam ejusdem *circumgestationem*, ostentationem & cultum extra usum a Christo institutum sibi propositum habet. I.) Quando panis consecratus ad infirmum defertur, præferuntur luminaria, campanulæ sonus auditur, & plebs reverenter se inclinare jubetur; quin & pontifices certum numerum indulgentiarum pro reverentia illa constituerunt. Honorius III. libr. III. decretalium tit. 41. cap. 10. *Sacerdos frequenter doceat plebem suam, ut se reverenter inclinet, cum hostiam salutarem presbyter defert ad infirmum. Quam in decenti habitu suppositio mundo velamine ferat & referat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia & timore semper lumine praecedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur.* Anno 1220. Gregorius IX. hujus Honorii successor *tintinnabuli seu squillae pulsum*, quo populus ad genu flectendum admoneatur, addidit (*). Concilium Colon. sub imperatore Rudolpho Habspurgensi circa annum 1280. *Statuimus ut pixis, in qua corpus Domini ad infirmos defertur, sit aurea, argentea, eburnea vel ad minus cuprea bene elimata. Ad communicandum infirmum corpus Domini adlaturus eat sacerdos dicendo septem psalmos, & si via fuerit longior, addat litaniam & alias cantiones. Incedat autem ad communicandum infirmum cum campanula & lucerna. Quilibet autem fidelis si devote fecerit hanc processionem, decem dies indulgentiae pro eundo & redeundo habeat. Equitantes vero non dedignentur descendere de equis suis ad adorandum eum, qui pro eis descendit de cœlis &c.* II.) Urbanus IV. circa annum 1264. (quidam scribunt anno 1260. sed minus recte, quia ex bulla papæ intelligitur, quod anno pontificatus III. institutum sit hoc festum, jam vero Urbanus anno 1261. ad sedem papalem evectus est) *festum corporis Christi* instituit, & quidem ex revelatione Leodiensis cujusdam mulieris, cui nomen *Eva* (**), cum qua ante pontificatum familiarem conversatio-

(*) In chronicis Colonienſibus exſtat, *ſacramentum cœnæ primum anno 1431. Coloniæ circumgeſtatum, & papam Martinum V. primum addidiſſe indulgentias.* GERHARDUS.

(**) Non ab EVA tantum, ſed & JULIANA, mulierculis Leodienſibus, quæ URBANO IV. P. R. familiares fuerant, quum adhuc eſſet Leodienſis archidiaconus, feſti huius originem repetunt plerique cœtus Romani doctores. Occaſio illius inſtituendi in annalibus publicis, auctoritatem in eccleſia Romana habentibus, inſtar traditionis bonæ mercis, ſequentem in modum edifſeritur: „ Vidit virgo quædam Leodienſis, JULIANA nomine, „ ſemper ſuo adſpectui inter orandum ingeri „ mirabile ſignum, ſcilicet lunam, quaſi in „ ſuo ſplendore, cum aliquanta tamen ſui or„ bicularis corporis fractione, & videns mi„ rabatur, & timebat, neſciens, quid hoc ſigni-

sationem habuerat, quæque in monasterium recluſa erat, ut referunt Joh. Balæus in actis Romanorum pontificum ex Arnoldo Boſio & Petro Præmonſtratenſi in vita Urbani IV. & Polydor. Virgilius libr. VI. de rerum invent. cap. 8. Exſtat etiamnum bulla ad Evam illam data apud urbem

„ gnificaret; tum didicit divino reſponſo, „ ſignificari in luna præſentem eccleſiam, & in „ fractione defectum unius ſolemnitatis, quam „ Deus in eccleſia ad augmentum ſacræ fidei „ voluit „. Additur porro, „ revelatum deinceps alteri cuidam religioſæ virgini, EVÆ „ nomine, fuiſſe inter preces, ſolemnitatem „ iſtam deficientem eſſe *feſtum corporis Chriſti*, „ quod ſemper definitum fuerit in ſecreto „ trinitatis, angelis & beatis deſiderantibus, „ ut hoc myſterium publice celebretur „. Exſtat *bulla Urbani IV. ad Evam* exarata in *actis concil. tom. VII. p. 547. ſeqq.* ex edit. HARDUINI, quam ſupra exhibet GERHARDUS noſter. Legitur quoque in *actis* iſtis modo *excitatis* alia epiſtola URBANI IV. ad *omnes prælatos*, eadem de cauſſa exarata. Conf. *acta ſanctorum tom. I. April. ſ. p. 903. ſeqq.* & *p. 459. ſeqq.*

Hanc tamen cauſſam vel occaſionem huius feſti haud admittit ONUPHRIUS in *notis ad Platinam*, aliamque in medium adfert a miraculo, quod ſeculo XIII. Vulſiniis in diœceſi ac ditione Urbeverana in eccleſia S. Chriſtinæ accidiſſe dicitur, deſumtam. „ Nam ſacrificulus quiſpiam, cum ſacra miſſarum ſolemnia celebraret, „ ſacramento iam confecto de panis & vini „ transſubſtantiatione & Chriſti corpore dubitavit: unde ſtatim (dictu & auditu mirum) „ ex ſanctiſſima, quam in manu tenebat, hoſtia vivus ſanguis manare cœpit, & totam „ mappam, quam corporale vocant, tinxit; „ quo miraculo attonitus pontifex URBANUS „ IV. corporale primum ad ſe ab epiſcopo „ loci cum proceſſione in urbem veterem transferri voluit, & illud ſolemnitate inſtituta „ in eccleſia Urbevetana recondidit; quæ „ omnia ex eiusdem pontificis bulla, quæ adhuc exſtat, intelliguntur. Quanquam non „ me lateat, quosdam eſſe, qui, neſcio quid, „ de quadam muliere ſancta, moniali recluſa, „ nomine EVA fabulentur „. Hucusque ONUPHRIUS *loc. cit.* Sunt tamen alii, qui binas haſce narrationes ita coniungunt, ut dicant, URBANUM IV. viſionis, qua JULIANA admonita fuerat, probe conſcium inſimulque rogatum, ut feſtivitatem corporis Chriſti, quam in Belgio, antequam creatus eſſet pontifex, iam adprobaverat, ad univerſalem eccleſiam extenderet, cauſam hanc arduam cunctando protraxiſſe, donec miraculi Volſinienſis, cuius modo fecimus mentionem, fama permotus, conſtitutionem ediderit, quæ in *bullario* primum inter URBANI IV. bullas obtinet locum, qua ad hæreticos, transſubſtantiationis doctrinam negantes & exaltandam fidem catholicam ſingulis annis feſtivitatem hanc in univerſali eccleſia celebrari iuſſit. Ita, poſt alios, rem edidit PROSPER cardinalis LAMBERTINUS, poſtea BENEDICTUS XIV. eccleſiæ Romanæ præſul, in *comment. de Jeſu Chriſti matrisque eius feſtis part. I. §. DXXXI. ſeqq. p. m. 201. ſeqq.*

Inſtitutum vero fuit ſolemne hoc feſtum ſacramenti euchariſtici ab URBANO IV. quem ſæpe iam nominavimus, anno ſeculi XIII. ſexageſimo quarto, ac ſingulari religione in univerſa eccleſia Romana hodienum celebrari ſolet feria quinta poſt primam dominicam pentecoſtes. Adpellari ſolet *feſtum Dei*, nec non *venerabilis ſacramenti*, germanice *Fron-Leichnam*, quod plerique idem eſſe volunt ac *ſanctum corpus*. Contendunt enim, vocem *Fron* ſignificare *ſanctum*, *Leichnam* vero non denotare cadaver, ſed corpus carnoſum, eoque ſenſu adhiberi in hymno vernaculo: *Herr, dein heiliger Leichnam, der von deiner Mutter Mariæ kam, und dein heiliges Blut, laß uns kommen doch zu gut.* Alii tamen voculam *Fron* ita exponere malunt, ut idem ſignificet ac *dominum*. Vid. JO. GEORG. WACHTERI *gloſſar. german. p. 456.* & CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI *poëcilen I. p. 651.* Ut alios taceamus.

Copioſe de hoc feſto differunt RUDOLPH. HOSPINIANUS *de orig. feſt. chriſt. fol. 88-112.* JAC. GRETSERUS, celebris Jeſuita, in *auctario ad libros de feſtis chriſtianorum*; JO. ZWINGERUS in peculiari libro *de feſto corporis Chriſti*, aliique auctores a FABRICIO in *bibliograph. antiquar. p. 474. ſeqq. edit. novæ* excitati, quibus tamen præter LAMBERTINUM, patrem purpuratum, quem iam adlegavimus, CHRISTIANUS LUPUS *tom. II. oper. p. 340.* PAGIUS in *breviar. Rom. pontific. tom. III. p. 366.* UGHELLIUS in *addit. ad* CIACONIUM in *vita Urbani IV.* THOMASSINUS *de dierum feſtor. celebrat. libr. II. cap. XIX.* atque AN-

urbem veterem sexto Idus Septemb. anno pontificatus tertio, quæ sic habet: „ Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectæ in Christo filiæ Evæ salutem & apostolicam benedictionem! Scimus, o filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum corporis Domini nostri Jesu Christi instituerentur in ecclesia Dei a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei dignum duximus statuendum, ut de tam mirabili sacramento præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur, certum ad hoc designantes diem, ut ipsa feria quinta (post octavam pentecostes) devotæ turbæ fidelium propter hoc ad ecclesias adfectuose concurrant, sitque dies illa universis christianis nova festivitate jucundus & ampla jucunditate festivus, prout in literis apostolicis, quas per universum mundum super hoc direximus, id plenius continetur, & scias, quod nos hujusmodi festum cum omnibus nostris fratribus, Romanæ scilicet ecclesiæ cardinalibus, nec non cum omnibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque ecclesiarum prælatis tum apud sedem apostolicam commorantibus ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti festi celebritate præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exsultet spiritus tuus in Deo salutari tuo, quia viderunt oculi tui salutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Dominus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum non fraudavit te cælestis gratiæ plenitudo. Et quia quaternum, in quo totum ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus & per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illum petentibus exhibeas liberaliter, & libenter instes devotis supplicationibus apud illum, qui memoriale tam salutiferum de se ipso reliquit in terris, ut nobis tribuat ex alto gratiam commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter ad laudem & gloriam sui nominis & salubriter gubernandam.„ Datum &c. Porro officium ipsum, cujus mentionem facit bulla, Naucl erus volum. II. generat. 43. & alii complures a Thoma Aquinate compositum esse (*) scribunt, qui propterea columbam argenteam a pontifice dono accepit, unde columba ad humerum dextrum ejus imagini adpingitur. Quamvis autem Urbanus novum illud festum ubique celebrandum mandaret, tamen, ut est in glossa decretalium extr. de reliquis & veneratione sanctorum, illa constitutio tanquam novitas a multis spreta fuit per quinquaginta ferme annos usque ad Clementem V. qui anno 1311. in concilio Viennensi constitutionem illam Urbani denuo repetiit, & ab omnibus districte servari præcepit (**), quam postea Johannes XXII. una cum reliquis Clementinis publicavit libr. III. Cle-

ANDREAS PENNAZIVS, qui *de Volsiniensi miraculo* historiam ann. *MDCCXXXI.* edidit; itemque ex scriptoribus protestantibus JO. HENR. HOTTINGERVS in *hist. ecclesiast. nov. test. part. III. p. 448. seqq.* JAC. BASNAGIVS in *hist. de l' église, tom. II. libr. XVII. cap. X. p. 1002. seqq.* & JO. FOES, theologus Stadensis, anno huius seculi duodecimo denatus, in peculiari tractatu de hoc argumento edito, addi possunt.

(*) Exstat hocce officium inter THOMÆ AQVINATIS *opuscula num. LVII.* Vid. peculiarem dissertationem, quam de hoc argumento conscripsit NATALIS ALEXANDER, & conf. *propylæum* ad *acta sanctorum mens. Maji* in PAPEBROCHII *conatu historico-chronic. part. II. p. 51. seqq.* itemque cardinalem LAMBERTINVM *loc. excit.* §. *DXL. p. 214.*

(**) Vid. LAVRENTII CHERVBINI *bullarium tom. I. p. 146. seqq.* & HARDVINI *act. concil. tom. VII. p. 547. seqq.* Add. *relationes inuoctas*, germanico sermone editas, ann. *MDCCV. p. 321. seqq.* ubi exhibetur *breve* CLEMENTIS V. ad Merseburgensem & Citizensem episcopos anno *MCCCXII.* idib. Octobr. exaratum, quo iisdem serio iniunxit, ut festum

Clement. tit. 16. de reliquiis & veneratione sanctorum, ubi legatur, cum sit prolixior, nec commode huc referri possit. Causæ institutionis hujus festi ibidem exponuntur *quatuor*: primo *ad confundendam specialiter haereticorum perfidiam & insaniam.* (atqui hæreses convincuntur & confunduntur ex verbo Dei, non ex ceremoniis ab hominibus excogitatis) Secundo, *quia in die cœnae dominicae, quo ipse Christus hoc sacramentum instituit, universalis ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum & aliis quamplurimum occupata plene vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti.* (digna hujus sacramenti celebratio consistit in eo, ut Christi institutio ecclesiæ proponatur, explicetur, corruptelis opponatur &c. ac juxta eandem hoc sacramentum administretur) Tertio, *quia ecclesia certum statuit diem, in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur: ideo multo magis exsequendum erga sacramentum corporis & sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria & corona, ut festivitate ac celebritate praefulgeat speciali, quatenus in eo, quod in aliis missarum officiis circa solennitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur.* (Is honor & cultus Deo placet, quem ipse in verbo præscripsit.) Denique, *quia pontifex* (Urbanus IV.) *in minori officio constitutus olim intellexerat, quod fuerit quibusdam catholicis divinitus revelatum, festum hujusmodi generaliter in ecclesia celebrandum.* (Suspecta est omnis revelatio, ait Gerson, quam non probat lex cum evangelio.) Nec tamen in Clementina illa panis consecratus præcipitur circumgestari, & in adorationem populo per plateas proponi, sed finis hujus instituti ita explicatur: jubentur prælati in dominica dictam feriam quintam præcedente subditos suos solicite exhortari, *ut per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter se studeant praeparare, quod hujus pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentum gratiarum consequi.* Ergo non fuit Urbano & Clementi propositum, ut eucharistia circumgestaretur, ostentaretur & spectaretur extra usum distributionis & sumtionis, sicut hodie fit in celebratione illius festi, sed propter usum, participationem seu communionem solenniorem primo institutum fuit, & in illo usu, in quo debita reverentia & devotio requiritur, gratiæ Christo agi jubentur pro immenso hoc beneficio, quod corpus suum in cibum & sanguinem in potum nobis dederit. Anno autem circiter 1360. cœptum papæ, processiones & tabernacula in hujus festi celebratione usurpare, adeo recens est spectaculum ejus, prout hodie in papatu usurpatur. Notandum etiam, in hujus festi officio utriusque speciei mentionem fieri, vocatur enim festivitas corporis & sanguinis Christi, & in responsorio illius festi canitur: *Omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus*, sed hodie vocatur *festum corporis Christi*, quia solus panis consecratur, circumgestatur, ostentatur, adoratur &c. cujus consuetudinis origo ad tempus concilii Constantiensis referenda videtur, in quo mutilatio hujus sacramenti definita. Denique ut fideles ad hujus celebrationem eo magis invitarentur, indulgentiæ fuerunt additæ ab Urbano & Clemente. *Nos* (inquiunt) *Christi fideles ad colendum tantum festum & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in ecclesia, in qua idem celebrabitur interfuerint, centum; qui vero missae, totidem; qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; illis vero, qui primae, tertiae & sextae, nonae ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum quadraginta; illis autem, qui per octa-*

stum corporis Jesu Christi, quod hactenus haud celebraverant, *iuxta ritum ecclesiæ Romano-catholicæ undecima die post pentecosten iucundissime peragant*, ut ipsis pontificis Romani verbis utamur.

octavas illius festi matutinalibus vespertinis missae ac praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confisi, de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Sed indulgentiæ illæ per Martinum V. & Eugenium VI. in immensum postea auctæ sunt, ita ut juxta supputationem Juliani Palmerii ad 44000. dies veræ peccatorum remissionis adsurgant, quibus non minus participet qui spectat, quam qui communicat. Sed recte monet glossa in Clement. de reliquiis & venerat. sanct. *quod remissiones illas, quibus pauci participant, interpretari velle nec deceat, nec expediat.* Tandem etiam progressu temporis pompæ Romani pontificis circumgestatio sacramenti fuit adhibita. Sic enim habetur in pontificali Romano de processione ad Lateranum f. 48. & in cerem. Rom. libr. III. cap. 19. *Ducitur per familiarem sacristiae rubro etiam indutum & baculum in sinistra habentem equus albus, mansuetus, ornatus, portans sacramentum, quod ipsi in pulvino ornato capsa inclusum sacristia imposuit. Equus habet ad collum tintinabulum bene tinniens & supra portatur baldachinum cum insignibus papae & sacramenti. Equum praecedunt duodecim familiares papae rubra veste induti portantes duodecim intortitia accensa ante sacramentum corporis Christi pedites; inde duo familiares sacristae equestres etiam rubro induti, portantes laternas argenteas cum lumine ante sacramentum.* Quin imo quando pontifex alio profecturus, tunc cum impedimentis, lixis & calonibus sacramentum præmittitur. Vide pontificale & ceremoniale loc. prox. citat. & alibi passim, & intelliges, panem consecratum in pompa pontificis non aliter tractari, quam sicut olim in pompa Persicorum regum sacrum ignem, quem *orimasda* adpellabant, equo vectum regi præferebant. Nicolaus Vignerius in historia eccles. sub annum 1408. ex Theodorico a Niem, qui pluribus pontificibus a secretis fuit, recenset, Benedictum XIII. anno circiter 1408. cum multorum principum odium in se concitasset, ut vitæ suæ incolumitati consuleret, hostiam primum ante se gestari jussisse, quæ ei satellitii loco esset.

§. CC. Circumgestationi illi theatricæ eadem fundamenta opponimus, quæ repositioni fuerunt oppositæ, utpote: 1.) quod repugnet institutioni Christi, qui panem consecratum discipulis manducandum præbuit & dixit: *Hoc facite.* 2.) Quod repugnet exemplo apostolorum, qui panem consecratum nusquam leguntur circumgestasse & ostentasse, sed juxta Christi mandatum manducasse. Theophylactus in cap. XXVI. Matth. refert ex traditione, *quod Judas acceptum panem occultarit, & Judaeis non sine irrisione magistri sui monstraverit*, sed de reliquis discipulis evangelistæ testantur, *quod ex calice omnes biberint*, ac proinde etiam panem manducarint. 3.) Quod repugnet praxi ecclesiæ apostolicæ & primitivæ, fatetur enim concilium Tridentinum sess. XIII. cap. 5. *quod inductus sit ille mos in ecclesiam, ut in processionibus reverenter & honorifice sacramentum per vias & loca publica circumferatur.* Ergo non habet auctorem Christum, nec apostolos, nec apostolicam ecclesiam. Apud Justinum apol. II. ex publica synaxi eucharistia sine ulla pompa defertur ad absentes. Apud Eusebium lib. V. cap. 24. testatur Irenæus, Romanos episcopos hospitibus ex Asia venientibus simpliciter misisse eucharistiam. Apud eundem lib. VI. cap. 43. presbyter puero dat eucharistiam Serapioni seni deferendam. Apud Hieronymum in epist. ad Rustic. Excuperius corpus Domini portat canistro vimineo, sanguinem in vitro. Apud Cyprianum serm. de lapsi. Tertullianum libr. II. ad uxor. mulierculis datur eucharistia domum deferenda. In quibus exemplis nec de luminaribus, nec de campanulis, nec de reliqua pompa in circumgestatione pontificia usitata ullum reperitur verbum. 4.) Quod occasionem præbeat artolatriæ, mutilationi calicis & variis superstitionibus. 5.) Quod pugnet cum regula ex ipsis dominicæ institutionis verbis deducta: *nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum.* 6.) Quod sine longe

Argumenta contra circumgestationem.

ge alio ac diverso panis consecratus in circumgestatione usurpetur, videlicet ad incendia restinguenda, ad tempestates prohibendas, ad beneficia alia corporalia impetranda &c. quam est a Christo institutum.

Festum corporis Christi.

§. CCI. Festum corporis Christi quod attinet, nequaquam nobis improbatur, quod certo quodam die singulis annis ecclesia frequentius convenit, & in illo conventu doctrina de cœna Domini populo explicatur, corruptelæ puritatem illius doctrinæ contaminantes refutantur, explicantur beneficia, quæ Christus in testamento suo nobis legavit, ac homines admonentur, ut pro institutione eucharistiæ Christo gratias agant, & prægressa seria pœnitentia sæpius vera fide hoc sacramento utantur, (id quod die viridium in nostris ecclesiis fieri consuevit) sed celebrationem hujus festi, prout in ecclesiis pontificiis hodie instituitur, nequaquam probare possumus. I.) Ecclesia per annos mille ducentos ac plures hoc festo caruit, nihilo tamen minus debitum honorem ac reverentiam sanctissimo eucharistiæ sacramento detulit. Ergo & nostræ ecclesiæ propter omissionem hujus festi non possunt nec debent accusari. Claudius Espencæus lib. II. de ador. cap. 8. paulo ante finem huic argumento occurrere voluit: *Non obstat*, (inquit) *quod circumgestatio eucharistiae videtur res esse nova, quia valet ad devotionem excitandam. Sed Christus, ajunt adversarii, in hoc sacramento cibus est, ut sumatur, non ut ostentetur, & circumferatur: sed non sunt audiendi, qui circa Dei & sacramentorum cultum omnia reduci volunt ad vetustum morem, non enim semper melius, quod antiquius.* Sic ergo antiquitatem pro libitu conculcant, qui alibi nil nisi antiquitatem in ore habent. II.) Cum tamen serio in ecclesiam celebratio hujus festi & theatrica panis consecrati circumgestatio sit introducta, ideo pro traditione apostolica haberi vel acceptari nequit. Azorius libr. VIII. instit. moral. cap. 6. inter traditiones circumgestationem illam refert. *Traditiones nostrae ecclesiasticae* (scribit) *sunt hujusmodi: vota dissolvere, juramentum relaxare, canonizatio sanctorum, asservatio eucharistiae, circumgestatio.* Atqui si hæc esset traditio apostolica, non potuisset esse tot seculis occulta, cum concernat publicam & solennem festi celebrationem. III.) Celebratio hujus festi, prout in papatu usitata est, confirmat ποτηριοκλεψίαν, altera enim tantum species, videlicet panis consecratus, contra institutionem Christi proponitur. IV.) Theatrica illa panis consecrati circumgestatio & ostentatio in hoc festo usitata transfert Sacramentum ex usu divinitus instituto in actionem plane diversam a Christi institutione; panis enim consecratus non distribuitur, non manducatur, sed circumgestatur, ostentatur & ad cultum adorationis proponitur. V.) Celebratio huius festi nititur unice hac hypothesi, quod Christus in pane illo, quando circumgestatur, ostentatur & adoratur, non minus vere adsit, quam in usu divinitus instituto, jam vero nullum exstat verbum, nulla promissio, quod Christus in tali actione suo corpore & sanguine adesse velit, sicut in usu sacræ cœnæ se adfuturum promisit. Fides nititur verbo promissionis, institutionis & ordinationis divinæ. Jam vero de præsentia Christi in pane circumgestato & ostentato nullum exstat verbum promissionis ac institutionis. Ergo talis actio non procedit ex fide, *quod autem non fit ex fide, Deo placere non potest.* (VI.) Per illud festum abducuntur homines a crebriori & vero usu cœnæ dominicæ ab ipso Christo instituto, persuadentur enim, sumtionem cum magno periculo esse conjunctam, cultum vero hujus festi sine periculo esse magis meritorium. Et probe notandum, quod in bulla hujus festi tantundem indulgentiarum promittatur spectatori, quantum ei qui communicat. VII.) Celebratio hujus festi est mera ἐθελοθρησκεία, proponit enim Christum in eucharistia colendum alia ratione & aliis modis, quam ipse in verbo suo præscripsit, ac persuadentur homines, cultum illum, ab hominibus excogitatum & extra usum divinitus institutum introductum, esse multo præstantiorem & Deo gratiorem, quam si eucharistia juxta Christi institutionem distribueretur, acciperetur, manducaretur & biberetur. VIII.) Meri-

tum remissionis peccatorum transfertur in celebratione hujus festi ad actionem a Deo nec mandatam nec præscriptam. Pontifex namque in bulla prælatis ecclesiarum in remissionem peccantium se injungere adserit, ut tam excelsum & tam glorioſum festum singulis annis devote ac solenniter celebretur. Id Pomerius in suis sermonibus sic explicat. Quando homo contritus in illo festo interest missæ & processioni, & exhibet solennem reverentiam sacramento circumgestato, tunc illo cultu & opere meretur & consequitur plurima bona; scilicet acceptationem Dei, benedictionem, conversionem a peccato, defensionem ab omnibus periculis & malis, fructificationem meritorum & exauditionem, quod tunc magis exauditur oratio, quando sacramentum præsens circumgestatur, ut in incendiis. Et quam præposterum est, quod Bellarminus disputat lib. IV. de euch. c. 18. *Sacramentum eucharistiae, quando juxta Christi institutionem vera fide accipitur, manducatur ac bibitur, non conferre remissionem peccatorum mortalium*, cum tamen hoc celebrationi festi ab hominibus excogitatæ tribuant. IX.) Cum theatrica circumgestatio & ostentatio panis consecrati destituatur mandato Dei, ideo non immerito confertur cum μοχολατρεία Israëlitarum Exod. XXXII. per quam vero Deo Israëlis, qui ex Ægypto eos eduxerat, servire voluerunt; sed quia hic cultus divino mandato carebat, ideo fuit idololatria, & ad iram Deum provocavit. Item cum historia 1 Sam. IV. ubi arcam Domini præter verbum & mandatum intentione non mala & consequentia admodum probabili Israëlitæ adducunt, ut subsidium sit adversus hostium impetus, sed Deo id minime placuit, ac male ipsis cessit. X.) Recte igitur scribit Georg. Cassander (qui Ferdinando & Maximiliano II. imperatoribus carus & gratus fuit) in consultat. cap. de circumgestat. p. 174. *Consuetudo, qua panis eucharistiae in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, praeter veterum morem & mentem haud ita longo tempore inducta & recepta videtur, illi enim hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut ne ad inspectionem quidem ejus admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarent. Quare ante consecrationem catechumeni, evergumeni, pœnitentes, denique non communicantes diaconi voce & ostiariorum ministerio secludebantur. Quare videtur hic circumgestationis usus citra grave ecclesiae damnum, imo cum ipsius lucro, si modo* (NB.) *id prudenter fiat, omitti posse, cum & recens sit & diu sine ea circumgestatione sacramento suus honos constiterit, & hodie constare possit. Deinde cum hodie plerumque non devotioni populi, sed pompae magis & ostentationi serviat, itaque vir summi judicii Albertus Cranzius in sua metropoli Nicolaum Cusanum legatum per Germaniam laudat, qui abusum sacramenti eucharistiae in nimis frequenti ejus per singulas ferias circumgestatione sustulerit, & constituerit, ut nisi inter octavas festi sacramento dedicati in publicum non deferretur, additque idem Albertus memorabilem causam, quia, inquit, ejus sacramenti usus a cœlesti magistro institutus est ad usum, non ostentationem,* (NB.) *de ipso vero festo certum est, illud ab Urbano non ad circumgestationem institutum, sed ad celebriorem conventum, & ut homines per pietatis opera ita se praeparent, quo hujus pretiosi sacramenti eo die participes fieri atque ipsum reverenter suscipere mereantur. Ita enim habent verba decreti, ad quod institutum si redeatur, nil puto fore absurdi.* Hæc Cassander & vere & moderate.

Argumenta Pontificiorum pro stabilienda circumgestatione.

§ CCII. Concilii Trident. de hoc festo tale exstat decretum sess. XIII. cap. 5. *Declarat sancta synodus pie hunc morem & religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse, ut singulis annis peculiari quodam & festo die praecelsum hoc & venerabile sacramentum singulari veneratione ac solennitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur.* Bellarminus libr. IV. de euch. c. 30. fatetur, Urbanum IV. instituisse primum festum corporis Christi, & solennem illam

lam processionem, cujus decretum confirmarum sit a Clemente V. in concilio Viennensi, sed addit, *institutionem illam nullo modo reprehendi posse. Nam aut reprehendenda esset, quia nova & sine mandato Dei, vel quia sine justa causa introducta. Novitas non potest reprehendi, omnia enim festa fuerunt nova, nec ulla in nov. test. inveniuntur ab ipso Christo instituta vel imperata, exstant etiam exempla vet. test. quae probant licere ecclesiae nova festa instituere.* Resp. quid in genere de institutione festorum statuendum sit, erudite exponit Chemnitius part. IV. exam. conc. Trid. cap. de diebus festis, quid vero in festo corporis Christi, prout in papatu hodie celebratur, desideremus, expositum est superius. Non absolute nec tantum propter novitatem festum illud improbamus, sed quia tanquam novus cultus a pontificiis ecclesiae obtruditur. Disputat enim Bellarminus libr. III. de cultu sanct. cap. 10. *festa christianorum esse partem quandam divini cultus*, inter quae festa numerat etiam *festum corporis Christi*, libr. ejusdem cap. 15. sicque partem quandam divini cultus illud constituit. Nec novum solum, sed & idololatricum est istud festum, ut ex superioribus constare potest. At probat Bellarminus, optimas rationes fuisse ejus festi introducendi, quarum duae sunt praecipuae: 1.) *ut populus christianus Deo gratias ageret ob tantum & tam singulare beneficium nobis impensum; 2.) ut populus instruatur circa mysteria fidei nostrae & eorum adsidue recordetur, praesertim, quando ea mysteria ab haereticis oppugnantur.* Resp. Si in festo corporis Christi haec tantummodo fierent, nemo nostrum ejus celebrationem improbaret „ Sicut ordinis gratia (*inquit Chemnitius*) totus annus distributus est in certa „ quaedam festa, quae utiliter ad aedificationem „ populi apud nos servantur, ut scilicet praecipui articuli fidei ordine aliquo populo per annum proponi, repeti & contra quasvis corruptelas retineri possint, utque fideles moneantur, & excitentur ad considerandа Dei beneficia, de quibus articuli illi fidei concionantur, & Deo pro illis beneficiis in ecclesia magnae gratiae agantur: ita nulli piorum improbaretur, si praeterquam quod semper omnibus diebus illud fieri debet, ordinis gratia certo anni tempore ecclesia frequentius conveniret, & in illo conventu doctrina de coena Domini justa tractatione simpliciter & clare proponeretur, omnes corruptelae puritatem illius doctrinae contaminantes refutarentur, & admonerentur homines, quantum thesaurum ecclesiae Christus in testamento suo legarit, pro beneficiis illis, quae coena dominica exhibet & confert, Christo salvatori gratiae in ecclesia agerentur, taxata negligentia invitarentur homines ad crebriorem eucharistiae usum per totum annum &c. Hoc modo vera ecclesia, tanquam victrix de mendacio & haeresi, publicum quasi triumphum ageret. Et si haec esset ratio hujus festi, petulantia quaedam esset, celebrationem ejus odiose exagitare.„ Haec omnia Chemnitius prævidens quasi, quid Bellarminus pro defensione hujus festi adlaturus esset. Nemo nostrum improbat conciones ex verbo Dei de excellentia hujus sacramenti, invitationem ad gratiarum actionem pro illius institutione, & ad frequentem ejusdem usum, refutationem corruptelarum, sed quid sanctis hujusmodi actionibus commune est cum circumgestatione, ostentatione & adoratione panis consecrati, ad quam non accedit usus a Christo institutus. Ad praetextum de recolenda & celebranda memoria Christi in eucharistia jam olim respondit Chemnitius, quod sit persuasio pugnans contra institutionem Christi. Christus enim in eucharistia memoriam sui instituit, non quomodo liber, sed certa ratione celebrandam. Illa vero ratio non est, ut panis circumgestetur, populo proponatur & ostentetur, sed Christus *accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens, accipite, comedite, hoc est corpus meum, hoc facite in mei commemorationem.* Et Paulus interpretans hanc commemorationem diserte dicit: *Quotiescunque manducaveritis & biberitis* &c. In festo vero isto ea, quae Christus instituit & mandavit, distributio scilicet & sumtio, praetermittuntur, & alius usus recens ab hominibus institutus, imo a mulierculis profectus supponitur. Et qualiscunque sit praetex-

textus bonæ intentionis de honoranda eucharistia, semper cogitandum est, *frustra colunt me mandatis hominum.* At inquit Bellarminus, *facilius discunt rudiores & retinent mysteria incarnationis Domini, passionis, resurrectionis, adscensionis & similia ex celebratione festorum, quae singulis annis recurrunt, quam ex libris, vel concionibus: pari ratione melius discunt rudiores in eucharistiae sacramento, vere esse Christum praesentem, & proinde falsam esse haereticorum doctrinam, ex publica adoratione totius ecclesiae & honore illo eximio, qui huic sacramento exhibetur, quam ex multis concionibus.* Resp. hoc vero est os in cœlum ponere, & ἐθελοθρησκείας ac ludicras ceremonias prædicationi verbi, medio divinitus constituto, anteferre. Quando Bellarminus hoc loco adserit, ex celebratione festorum, quæ singulis annis recurrunt, facilius rudiores discere & retinere mysteria incarnationis Domini, passionis, resurrectionis, adscensionis & similia, quam ex libris, vel concionibus, tum non potest per celebrationem festorum intelligere conciones ex verbo Dei, quæ in festis illis solemnioribus ad populum habentur, quo fine in nostris ecclesiis festa illa celebrantur, id enim non ferret oppositio, quam constituit inter celebrationem festorum & conciones, intelligit igitur externas tantum & plerumque ludicras illas ceremonias in papatu in celebratione festorum illorum usitatas & cuivis ex publica praxi notas, ex quibus facilius disci & firmius retineri existimat mysteria incarnationis, passionis, resurrectionis, adscensionis, quam ex libris, vel concionibus. Item veram corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præsentiam ex theatrica circumgestatione post aliquot secula demum in ecclesia introducta & ab usu a Christo instituto plane diversa melius disci, & hæreticorum corruptelas fortius profligari putat, quam ex concionibus juxta normam verbi divini more apostolicæ & primitivæ ecclesiæ de hoc doctrinæ cœlestis capite institutis, id vero quam sit præposterum & absurdum, quilibet vere pius intelligit. Fatetur Bellarminus libr. IV. de euchar. sacram. cap. 30. *nulla inveniri festa in nov. test. a Christo instituta vel imperata;* fateri igitur cogetur, ex re quapiam a Christo nec instituta nec imperata melius percipi divina mysteria, quam ex Dei verbo.

§. CCIII. Historiæ de arca fœderis in castra ab Israëlitis bona intentione præter mandatum Dei delata, quam collationis gratia Chemnitius adduxerat, hoc obvertit Bellarminus: *Causam malorum non fuisse adductionem arcae ad castra, sed praeterita Israëlitarum peccata, & praecipue sacerdotum Ophni & Phineas filiorum Eli;* 1 Reg. II. & III. *nam alioquin arca fuit in castris, quando insignem victoriam retulit Saul,* 1 Reg. XIV. *& quando Joab superavit filios Amon,* 2 Reg. XI. *& cum Israëlitae victi sunt ab Amalecitis, scriptura monendum putavit, arcam Dei non fuisse cum illis, qui praeliabantur. Placuisse autem Deo honorem arcae impensum in solenni processione & circumgestatione, sive ipse id mandasset, sive non, probare conatur ex Josua VI. 2 Reg. VI. & VII. ac 3 Reg. VIII.* Resp. generalis regula est aliquoties in scripturis sacris proposita, quod ἐθελοθρησκείαι sine verbo ac mandato Dei susceptæ ipsi non placeant. Deut. IV. 2. XII. 32. Num. XV. 39. Esai. I. 12. XXIX. 13. Ezech. XX. 19. Matth. XV. 9. Rom. XIV. 23. Col. II. 18. &c. Hanc regulam declarat Chemnitius exemplo arcæ, in castra ab Israëlitis sine verbo & mandato Dei infelici successu adductæ. 1 Sam. IV. Quamvis vero non solum temerarium illud & stolidum consilium, quod præter mandatum ac promissionem arcam Domini in castra adducunt, sed etiam priora scelera, de quibus nullam agebant pœnitentiam, cladi isti causam dederint, tamen inclusio unius non est exclusio alterius, atque Israëlitæ duplici nomine stulte egerunt, quod nullam faciunt mentionem de vera respiscentia ab idololatria ac sceleribus, atque interim sibi persuadent, cum arcam in castra adduxerint, se habituros Deum ad auxilium præsentissimum. Circumgestationem arcæ sine verbo susceptam Deo placuisse, non concedimus. Jos. VI. extat dictum mandatum de arca circumgestanda.

Exceptiones Bellarmini adversus nostra argumenta.

Quod

Quod David, 2 Sam. VI. & Salomon, 1 Reg. VIII. arcam Domini Hierosolymam deportari curarunt, id itidem non fecerunt sine verbo & mandato Dei. Nam 1.) uterque fuit Spiritu prophetico insignis. 2.) Uterque in rebus etiam minoris momenti os Domini consuluit. 3.) Utrique notum erat, cultus sine verbo susceptos Deo non placere. 4.) Uterque sibi a latere adjunctos habebat sacerdotes Nathanem, Abjathar, Zadocum &c. per quos voluntatem Dei explorare potuerunt. 5.) Uterque noverat Hierosolymam a Deo electam, ut arca fœderis ibidem collocaretur, Deut. XII 5. Psalm. CXXXII. 13. 6.) Quod in specie attinet deportationem arcæ a Davide susceptam, ea sic describitur: 1 Paral. XIII. 1. *Iniit David consilium cum tribunis & centurionibus, & universis principibus Israëlitarum*, v. 2. *& dixit ad omnem cœtum Israel, si placet vobis & est a Jehova Deo nostro, mittamus ad fratres reliquos & ad sacerdotes & Levitas &c. ut reducamus arcam Dei.* Ex quo adparet, Davidem consilio non solum totius populi, sed etiam ipsius Dei in hac deportatione usum. Ac probe notandum, cum David prætermitteret ordinationem divinam Num IV. 5. & seqq. de arca involuta Levitarum humeris portanda, eamque plaustro imponeret, quod Deus hanc incogitantiam gravi casu Ociæ puniverit, inde postea David cautior factus dixit: 1 Paral. XV. 2. *Non est fas, ut portetur arca Dei a quoquam nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam & ad ministrandum sibi.* v. 11. *Vocavit itaque David Sadoc & Abiathar & Levitas*, v. 12. *dixitque eis: Vos estis capita familiarum Leviticarum. Sanctificamini cum fratribus vestris, & adferte arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est, ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, quia non quæsivimus eum juxta judicium.* Conjunge Psalm. CXXXII. 13. 7.) Salomonem sine verbo & mandato Dei arcam transtulisse in Jerusalem, dici nulla specie potest, cum de structura templi expressum a Deo mandatum acceperit, unde etiam *gloria Domini* replevit domum illam in nube. 1 Reg. VIII. 11. Magna igitur dissimilitudo inter circumgestationem arcæ a piis in vet. testam. divino auspicio susceptam, & inter circumgestationem panis eucharistici humanitus excogitatam. Arcæ usus non solum licitus, sed etiam divino mandato comprobatus fuit, ut deportaretur: eucharistiæ usus a Christo institutus est, non ut circumgestetur, sed ut manducetur ac bibatur. Idem respondendum est Gretsero, qui in dissertatione de festo corporis Christi prolixe urget exemplum Davidis, *quod constituerit stata lege cantores in organis musicorum lyris & cymbalis, ut coram arca Domini recordarentur operum ejus, glorificarent & laudarent Dominum &c.* Atqui distinguendum inter *essentialia* & *circumstantialia* cultus divini. Ordinatio cantorum & instrumentorum musicorum non pertinet ad substantiam cultus divini, sed ad externam εὐχημοσύνην & ornamentum atque incitamentum cultus divini. Jam vero in festo corporis Christi non solum circumstantialia, sed etiam substantialia cultus præter, imo contra Dei mandatum, instituta sunt, videlicet panis eucharistici inclusio, circumgestatio, adoratio &c. Adde, quod David ne quidem externum illud cultus divini ornamentum sine mandato divino instituerit, ut colligitur ex 2 Paral. XXIX. 25. Sed tali mandato in festo corporis Christi instituendo ac celebrando destituuntur Pontificii. Vide papatum acatholicum Heilbrunneri articulo X. cap. 3.

CAPUT XIX.

DE VENERATIONE SACRAMENTI.

Status quæstionis de veneratione eucharistiæ.

§. CCIV. Quando cum Pontificiis de *veneratione* sacramenti disputatur, non est proprie quæstio: 1.) *An Christus Deus & homo* in actione sacræ cœnæ vere præsens & corpus & sanguinem suum mediante pane & vino nobis distribuens, *adoran-*

adorandus sit? id enim non solum haud inviti concedimus, sed etiam urgemus & inculcamus, cum ἀνάμνησις & adnunciatio mortis Christi ad salutarem sacræ cœnæ usum pertinens sine adoratione illa, quæ fit in spiritu & veritate, locum non habeat. 2.) Neque hoc proprie quæritur, an huic sacramento *interior reverentia* juxta normam verbi divini exhibenda sit? ipsimet namque dicimus, corpus & sanguinem Christi, quæ in hoc sanctissimo sacramento mediantibus externis symbolis nobis exhibentur, a vulgari potu ac cibo discernenda, 1 Cor. XI. 29. verbis Christi dicentis: *hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus*, fide firma contra omnes obstreperæ rationis insultus innitendum; (qua ratione Christo, hujus sacramenti auctori, honor sapientiæ, veritatis, & omnipotentiæ tribuitur:) grato corde agnoscenda & prædicanda cœlestia beneficia, quæ per κοινωνίαν sacramentalem corporis & sanguinis Christi ad nos promanant; dignam præparationem usui hujus sanctissimi sacramenti præmittendam; adnunciationem mortis Christi, gratiarum actionem, pœnitentiam, fidem ac melioris vitæ propositum in usu sacræ cœnæ adhibendum. 3.) Sed nec *de externa reverentia*, quæ in distributione & sumtione eucharistiæ adhibetur, proprie hoc loco quæritur, ipsimet namque dicimus, externis gestibus interiorem reverentiam esse declarandam. Qui vere & ex animo credit, Christum ipsum in actione eucharistiæ vere præsentem suo corpore & sanguine nos pascere, is genuflexione & reverentia externa interiorem fidem ac devotionem suam testabitur. Lutherus in cap. XLVII. Gen. *Nos non tantum orantes, sed & baptizantes, absolventes & absoluti, & accedentes ad sacram synaxin, quin etiam ad recitationem promissionis aut textus evangelii genua flectere vel saltem stare debemus in signum adorationis sive reverentiae & gratitudinis. Et si in cœna dominica nihil aliud porrigeretur praeter panem & vinum, sicut sacramentarii blasphemant, tamen est ibi promissio, & vox dominica & Spiritus sanctus per verbum in cœna, ideoque decebat nos cum reverentia accedere, quanto magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus & verum sanguinem cum verbo.* De his igitur inter nos & Pontificios non est quæstio, sed monente Chemnitio tria potissimum sunt hujus controversiæ capita. 1.) Pontificii statuunt, ipsum *sacramentum eucharistiae*, seu totum illud, quod a Domino, ut sumatur, institutum est, *esse cultu latriae adorandum.* Nos contra, cum eucharistia constet duabus rebus, terrena & cœlesti, ideo adorationem dicimus non esse dirigendam ad terrena elementa panis & vini, ne præter creatorem etiam creaturam colamus, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione vere præsens suum corpus & sanguinem nobis distribuit. 2.) Pontificii, quando de cultu, adoratione & veneratione sacramenti disputant, non principaliter huc respiciunt, ut in actione cœnæ dominicæ sive in usu ejus divinitus instituto Christus Deus & homo adoretur, sed laborant stabilire adorationem panis extra usum a Christo institutum & mandatum (*), quando scili-

(*) Synodus Tridentina *sess. XIII. cap. V.* mentem suam hisce verbis exponit: *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento exhibeant.* Sacramenti autem nomine a coetus Romani doctoribus corpus Christi cum speciebus panis & vini intelligi, nemo est, qui ignorer. Dum ergo præcipiunt adorare sacramentum, eo ipso iubent quoque adorare species panis & vini cum corpore Christi, ac speciatim rem istam visibilem, quam nos panem esse credimus, adversarii vero ipsum Christum esse contendunt. Nec in hoc subsistunt synodi Tridentinæ patres, sed eo usque progrediuntur, ut secus sentientes, veluti Christi ecclesiæque hostes, horrendo anathematis fulmine feriant. Ita enim pronunciant *can. 6. Si quis dixerit, in sancto eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae etiam externo adorandum, atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundum laudabilem & universalem ecclesiae sanctae ritum & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.* Equidem videri posset, canonem hunc duntaxat agere de adoratione Christi in sacramento, non de adoratione ipsius

scilicet panis in processionibus circumgestatur. Nos autem statuimus, panem extra usum a Christo institutum non esse corpus Christi, ideoque committi ἀρτολατρίαν, quando panis in solennibus

ipsius sacramenti. Verum hic ipse canon non alio sensu intelligendus est, quam ex ea declaratione, quæ *cap. V.* legitur. Ex hac vero luculenter patet, patres Tridentinos, quando dicunt, Christum adorandum esse in eucharistia, nihil aliud innuere, quam hoc, ipsam eucharistiam, ac speciatim panem in corpus Christi, ut falso creditur, transmutatum, cultus religiosi obiectum esse.

Atque hanc fœdam panis consecrati, tanquam ipsius Christi adorationem a patribus Tridentinis stabilitam, reliqui quoque ecclesiæ Rom. doctores in scriptis publicis acriter propugnarunt. Scripsit Jo. Gropperus, archidiaconus Colonien sis, ecclesiæque Romanæ cardinalis designatus, libellum *de Christo in eucharistia adorando*, quem in latinum idioma conversum edidit Laurentius Surius, ordinis Carthusiani monachus, ann. *MDLX.* Prostant quoque Claudii Espencæi, theologi Sorbonici, *libri V. de eucharistia eiusque adoratione*, qui Parisiis *MDLXXIII.* 8. lucem adspexerunt publicam. Post Espencæum Claudius Sanctesius, episcopus Ebroicensis in Gallia, qui academiæ Parisiensis nomine concilio Tridentino, itemque colloquio Possiaceno interfuerat, in *repetitionibus* sive libris X. *de rebus eucharistiæ controversis* Parisiis *MDLXXV.* editis, & quidem *libro IX.* argumentum *de adoratione eucharistiæ* denuo pertractavit. Huius vestigia præter cardinalem Bellarminum, quem supra refutavit Gerhardus noster, secutus est Jac. Dav. Perronius, princeps ecclesiæ Romanæ purpuratus, vastissimæ eruditionis magnique vir ingenii. Exstant varia eius opera, in quibus ecclesiæ Romanæ de eucharistia placita, ac speciatim doctrinam quoque de panis eucharistici adoratione, defensum ivit. Refutarunt vero eundem ex ecclesiæ Reformatæ doctoribus Michael le Faveure, Jo. Mestrezat, & vel maxime Edmundus Albertinus, sæpius iam a nobis laudatus. Opera Perronii annis *MDCXX.* & *MDCXXII.* Parisiis typis descripta sunt. Qui luculentiorem rerum notitiam hic anhelaverit, adeat du Pinium in *bibliotheque des autheurs ecclesiastiques tom. XVII.* in titulo: *le cardinal du Perron*, *p. 27. seqq.* Nec prætermittendus hic est Jac. Gretserus, societatis Jesu theologus, quem fidei suæ socii *malleolum hæreticorum* vocarunt. Exstat eiusdem dissertatio *pro corporis Christi solemnitate & festi eucharistiæ cultu*, quæ Ingolstadii *MDCXII.* prodiit, atque Hospiniano præcipue est opposita. Cumprimis vero commemorandus nobis heic est Jacobus Boileau, ordinis theologorum Parisiensium, quem *Sorbonam* vocant, decanus & canonicus sancti sacelli palatii Parisiensis. Edidit is luculentum tractatum *de adoratione eucharistiæ* duobus libris constantem. Lutetiæ Parisiorum *MDCLXXXV.* 8. in quo rem præcipue ex historiæ ecclesiasticæ monumentis illustrandam suscepit, & Jo. inprimis Dallæum confutandum sibi sumsit. Vid. de eo Bælii *nouvelles de la republique des lettres MDCLXXXV. mens. April. p. 458.* Boilavio adiungimus Rich. Simonium, qui in *lettres choisies*, *lettr. XXVIII. p. 200. seqq.* de hocce argumento disseruit. Agmen vel tandem claudat Juveninus, qui *dissert. IV. de eucharist. quæst. IV. cap. III. art. 1.* de latriæ cultu eucharistiæ debito, iudice cardinale Lambertino *de sacrificio missæ num. CLXVIII.*, adcuratissime egit.

Iam vero & eorum heic facienda est mentio, qui doctrinam pontificiorum de adoratione eucharistiæ editis hanc in rem scriptis confutare adgressi sunt. Eminent ex his Thomas Cranmerus libro *contra adorationem panis eucharistici*; Walkerus, qui celebratur auctor libri anglico idiomate scripti, cui titulus: *two discourses concerning the adoration of our B. Saviour in the holy eucharist*, Oxford *MDCCLXXXVII.* 4. Eduardus Stillingfleetus, in libro anglice edito *de idololatria, quæ in ecclesia Romana obtinet* &c. Exstat hicce tractatus in *operum* eius, iunctim editorum, *tom. V.* Jo. Dallæus, theologus Reformatus Gallus, in opere erudito *de obiecto cultus religiosi adversus latinorum traditiones*, *libr. II. p. 216. seqq.* itemque *de cultibus latinorum libr. VII.* qui de eucharistia *quintus* est, *p. 815. seqq.* quem vero ex Romanensibus Jac. Boileau refellere adnisus est; Daniel Whitby in libello ann. *MDCCXVII.* anglice edito *de eucharistia non adoranda*, scriptor anonymus, isque Gallus, in *memoires literaires p. 450. seqq.* itemque ex scriptoribus Germanis Jo. Guil. de Lith, theologus quondam Onoldinus, isque eruditissimus, in *dem Beweis, daß das Niederknien vor denen Hostien*

nibus illis processionibus adoratur. 3.) Pontificii de externo potissimum eucharistiæ cultu sunt soliciti, ut splendida repositione, sumtuosa circumgestatione, auro, argento, serico, inclinatione, genuflexione, prostratione corporis, elevatione manuum, tunsione pectoris, luminaribus, instrumentis musicis, bombardarum strepitu & similibus externis pompis honoretur. Nos autem in usu eucharistiæ a Christo instituto de interiori & spirituali cultu potissimum soliciti sumus, ad quem veræ significationes externæ interioris reverentiæ sponte subsequuntur.

Contra papisticam eucharistiæ veneration-em.

§. CCV. Religiosæ adorationis cultum non esse externis symbolis hujus sacramenti deferendum, confirmamus sequentibus argumentis: 1.) Deus nusquam præcepit panis consecrati adorationem, est igitur ἐθελοθρησκεία, quæ ipsi non probatur. 2.) Panis post consecrationem eucharisticam manet verus panis, ut superius demonstratum fuit, est igitur creatura Dei. Quisquis proinde adorationem dirigit non solum ad Christum, sed etiam ad panem, is *præter creatorem* adorat etiam creaturam. Rom. I. 25. 3.) Discipuli Christi in prima sacræ cœnæ institutione audientes a magistro suo: *Accipite, edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus*, non leguntur externa symbola panis & vini adorasse, sed juxta mandatum Christi manducarunt ac biberunt. Marc. XIV. 23. 4.) Corpus Christi non est *localiter* in pane, neque est unio *personalis* inter panem & corpus Christi, sed Christus in actione illa eucharistiæ præsentiam suam peculiari modo gratiæ instituit ac promisit. Ergo ut Israëlitæ non lignum, non aurum, non cherubin arcæ fœderis, sed Deum ipsum tantum, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant; ita quoque adoratio nostra in usu eucharistiæ non ad externa elementa, sed ad Christum Deum & hominem, peculiari modo gratiæ præsentem, dirigenda est. 5.) De pane consecrato extra usum a Christo institutum non habemus verbum aut promissionem, quod sit corpus Christi, quia verba sacramentalia: *Hoc est corpus meum*, divina institutione & præceptione adligata sunt ad actionem in verbis institutionis præscriptam, quod scilicet panis sit accipiendus, benedicendus, distribuendus & manducandus. Ergo panem consecratum extra usum a Christo institutum adorandum proponere est ἀρτολατρείας occasionem præbere. 6.) Ipsimet Pontificii fateri coguntur, in panis consecrati adoratione magnum subesse idololatriæ periculum. Gabr. Biel lect. XLIX. in can. *Quia non potest esse evidens certitudo, neque celebranti neque populo circumstanti de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impedientem & contingere potentem, ut quod forte celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire se fore* (esse) *baptizatum aut legitime ordinatum. Similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitæ intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia, & multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt, sub hostia fore Christum, ideo adoratio fieri debet*

stien in der Messe denen Gewohnheiten und Satzungen der alten christlichen Kirche zuwider &c. Suobac. *MDCCXX.* 8. & rursus *MDXLIII.* 8. Huncce librum lecto dignissimum, post obitum auctoris, latine vertit multisque accessionibus locupleratum edidit eiusdem filius, CAROLUS DE LITH, qui eidem sequentem titulum præfixit: *disquisitio theologica & historica de adoratione panis consecrati & interdictione sacri calicis in eucharistia* &c. Suobaci *MDCCLIII.* 8. Hisce iungi merentur ex ecclesiæ reformatæ doctoribus JO. HENR. HEIDEGGERUS, in *tumulo concilii Tridentini, tom. I. p. 858. seqq.* PETRUS MOLINÆUS in *thesib. de eucharistiæ sacramento, eiusque consecratione, adoratione* &c. *vol. I. thesauri disputat. sedanens.* insertis, *p. 847. seqq.* itemque ex nostris MART. CHEMNITIUS in *examine concilii Tridentini, part. II. cap. V. p. 82. seqq.* GERHARDUS in *confess. cathol. libr. II. part. II. art. XIV. cap. VIII. p. 1196. seqq.* & SALOMON DEYLINGIUS in *observat. miscellaneis, exercit. V. qua novitas errorum pontif. circa sacr. eucharistiam ostenditur, observ. XI. p. 396. seqq.* Ut alios auctores, maxime systematicos, iam taceamus.

bet sub conditione habituali tacita vel actuali expressa, tali scilicet, si servata sint omnia ad consecrationem necessaria. Idem repetit Thomas Salisburiensis de arte prædicandi c. 25. *Nullus* (inquit) *quantumcunque sit simplex vel quantumcunque sit discretus, debet praecise credere, hoc esse corpus Domini, sed cum hac conditione, si in consecratione rite sint acta omnia, aliter enim adseret de creatura, quod ipsa sit creator, & ita esset idololatria.* Nondum ipsi conveniunt in necessariis ad transsubstantiationem requisitis, & facile contingere potest, ut aliquod istorum requisitorum desit, quomodo igitur consecratum panem sine idololatriæ periculo adorandum proponunt? Bonaventura in breviloq. part. VI. cap. 9. præter animum sive intentionem consecrantis requirit, ut eriam institutentis Christi mens atque intentio attendatur. *Et intentio* (inquit) *requiritur & intentionis regulatio per fidem.* Johannes de Burgo varios casus enumerat, in quibus transsubstantiatio impeditur, utpote *quando per negligentiam ministri aqua non ponitur in calice, quando sola aqua sine vino in eo ponitur, cum panis ex alia quam triticea farina confectus, cum aquae copia vini naturam vincit aut mutat, cum vinum acuit, cum tredecim panes in altari ponuntur, sacerdos autem tantum de duodecim consecrandis cogitavit, quo casu nullus omnino consecratus censetur, cum verba consecrationis aut dissimulantur aut praetermittuntur, &c.* Summa Angelica in verbo *eucharistia* membro 1. plurima omnino consecrationis requisita recenset, quorum uno deficiente non fiat transsubstantiatio. At quis spectatores reddit certos, illa omnia præsto esse, præsertim vero intentionem consecrantis?

Bellarmini de veneratione eucharistiæ disputatio.

§ CCVI. Bellarminus libr. IV. de eucharistia c. 29. §. *sed haec* &c. ἀρτολατρείας adculationem sibi fuisque intentatam depulsurus, sic disputat: *Catholici* (Romanenses) *cum negent panem in sacramento remanere, quomodo possent adserere* ἀρτολατρείαν, *hoc est, panis adorationem. Neque ullus catholicorum est, qui doceat ipsa symbola externa per se & proprie esse adoranda cultu latriae; sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus sacramentis convenit; cultu autem latriae dicimus per se & proprie Christum esse adorandum, & eam adorationem ad symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo, quem continent. Quemadmodum qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant, neque enim jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo & cogitatione separabant a vestibus, cum adorarent; sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat, adorabant, tametsi ratio adorandi non erant vestes, imo nec ipsa humanitas, sed sola divinitas. De modo loquendi fatemur, sacramentum ipsum dici adorandum, ut concilium Tridentinum loquitur; sed hoc exponitur dupliciter. Qui enim sentiunt, sacramentum eucharistiae formaliter esse corpus Christi, ut est sub illis speciebus, concedunt etiam formaliter sacramentum dici adorandum. Quia docent, sacramentum eucharistiae esse formaliter species panis & vini, ut Christum continent,* (in quorum numero est Bellarminus ipse libr. IV. de euch. c. 6. propos. 5.) *illi docent, consequenter sacramentum eucharistiae materialiter adorandum. Sed quidquid sit de modo loquendi, status quaestionis non est, nisi an Christus in eucharistia sit adorandus cultu latriae.* Resp. 1.) Quis sit verus quæstionis status, paulo superius exposuimus. Nemo nostrum negat, Christum verum Deum & hominem in eucharistia cultu latriæ adorandum esse. Bellarminus apud Chemnitium expresse legerat hæc verba: *Constat, adorationem non esse adligatam vel loco, vel tempori, semper igitur & ubique adorandus est Christus. Si ergo credimus, Christum Deum & hominem in actione cænae suae peculiari modo praesentiae & gratiae adesse, ac vere & substantialiter exhibere vescentibus corpus & sanguinem suum, fieri nequit, quin fides Christum in illa actione praesentem veneretur & adoret.* Hæc, inquam, Bellarminus apud Chemnitium legerat, cur igitur statum quæstionis hunc esse

scribit, an Christus in eucharistia sit adorandus cultu latriæ? 2.) Ad depulsionem ἀρτολατρείας invalidum est scutum, quod Bellarminus opponit, videlicet *negari a Pontificiis, panem in sacramento remanere.* Atqui adfirmatur illud a Christo & Paulo, ut vidimus suo loco, unde complures ex ipsis Pontificiis concedunt, transsubstantiationem ex scriptura sacra probari minime posse. Quare cum eucharistia constet duabus rebus, terrena & cœlesti, quisquis sacramentum integrum cultu latriæ adorandum dicit, rem terrenam adorat, & ἀρτολατρείας crimen incurrit. 3.) Cum Bellarminus alibi operose disputet, *substantiam panis & vini interire per consecrationem*, cur hoc loco rem terrenam vocat symbola externa? Certe nuda accidentia ac nudæ species non sunt symbola hujus sacramenti externa, sed ipsa panis & vini substantia, quam in sua proprietate naturæ permanere Gelasius asserit. 4.) Contradictoria sunt, quod *symbola externa solum veneranda sint cultu minore quodam, qui omnibus sacramentis convenit, & quod ad symbola illa etiam adoratio latriae pertineat, quatenus adprehenduntur ut quid unum cum Christo, quem continent.* Quæro enim, quo cultu symbola externa hujus sacramenti, quatenus talia, hoc est, quatenus sunt organa corporis & sanguinis Christi nobis exhibendi, sint honoranda? Si cultu quodam minore quam latriæ, utique non ipso religiosæ λατρείας cultu. Si Bellarminus velit obvertere, quod *in se ac per se minore quodam cultu veneranda sint, ipso autem latriae cultu adoranda, quatenus adprehenduntur ut quid unum cum Christo;* respondeo, hoc loco non quæri de symbolis externis, in se ac per se, id est, quatenus sunt substantiæ, sed quatenus sunt symbola sacramentalia, sive ut Bellarminus loquitur, *quatenus Christum continent*, ubi Bellarminus quidem dicit, quod hoc respectu sint cultu latriæ adoranda, qua ratione, velit nolit, ἀρτολατρείαν stabilit, & cultum latria minorem, qui symbolis illis in se & per se debeatur, evertit. Nos autem strenue negamus, symbola illa sive per se, sive quatenus sunt rerum cœlestium organa, esse religiose adoranda. 5.) Etenim cum in ipso usu sacramentali symbola externa a corpore & sanguine Christi sint & maneant distincta, nec fiat personalis unio inter panem & corpus, vinum & sanguinem Christi, ideo ne in ipso quidem usu sacramentali, nedum in processionibus theatricis, extra usum a Christo institutum, symbolis externis cultus latrias debet deferri, sed Christus suo corpore & sanguine vere & substantialiter nos pascens adorandus est, symbola autem externa reverenter ut organa rerum cœlestium sunt tractanda 6.) Quis vero ex imperitis in adoratione panis consecrati has subtilitates consectatur, ut symbolum externum per se & proprie non adoret cultu latriæ, sed solum veneretur cultu quodam inferiore ac minore, qui omnibus sacramentis convenit, vicissim tamen cultum latriæ, qua Christum adorat, etiam ad externa symbola referat, quatenus ea adprehendit ut quid unum cum Christo, quem continent? Ecquis ita distinguit, ut sacramentum, id est, species panis & vini, ut Christum continent, *materialiter* tantum, non etiam *formaliter* adoret? Disputat Bellarminus, ideo statuendam esse trransubstantiationem, quia *absque ea periculum sit, ne simpliciores adorent panem.* lib. III. de eucharistia cap. 22. At bone Deus an non etiam periculum est, ne accidentia panis adorent? Si panem adorare ipsius Bellarmini judicio est idololatria; cur hoc loco disputat, adorationem ad symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus adprehenduntur ut quid unum cum Christo? 7.) Idem Bellarminus lib. II. de imagin. sanctor. cap. 24. disputat, *esse de essentia latriae exhiberi propter se, cum latria dicatur summus cultus, qui debetur vero Deo ut primo principio omnium rerum. Implicat autem contradictionem*, (inquit) *exhiberi summum cultum primo principio & propter aliud, nam si primo principio, non ergo propter aliud, si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exhibetur cultus latriae propter se, & haec est vera idololatria; vel non exhibetur propter se, & tum ille non est cultus veræ latriae. Praeterea vel ista latria, quae exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo, qui exhibetur Deo, vel alius minor. Si idem, ergo aeque colitur creatura atque ipse Deus, quae*

quæ certe est idololatria, nam idololatria non solum est, eum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo. Si est cultus minor, non ergo est latria, nam latria est summus cultus. Hæc omnia Bellarminus, contra quem eodem modo argumentamur: Est de essentia latriæ exhiberi propter se. Ergo vel symbolis panis & vini exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, & tum ille non est cultus veræ latriæ. Præterea ista latria, quæ exhibetur symbolis panis & vini propter aliud, (quatenus sunt unum cum Christo, quem continent) est idem cultus cum eo, qui exhibetur Christo, vel alius minor. Si idem, ergo æque colitur creatura, si est cultus minor, non ergo est latria. 8.) Symbola panis & vini esse unum cum Christo, ambigue dicitur. Bellarminus cap. sequente respons. ad quartam, unionem illam sic explicat: *Longe* (inquit) *aliter est Christus in eucharistia & aliis rebus Deus. Nam in eucharistia unum tantum suppositum est idque divinum, cætera omnia ad illud pertinent, & cum illo unum quid faciunt, licet non eodem modo, ideo recte totum illud simul adoratur, ut ante diximus de Christo vestito. At in aliis rebus Deus quidem est, sed non est unum suppositum cum illis, neque dici possunt unum quid Deus & creatura, in qua est Deus.* Statuit igitur Bellarminus, Christum esse unum suppositum cum symbolis sacramenti externis, at hoc adseri non debet, divina & humana natura in Christo constituunt unum ὑφιστάμενον sive suppositum, sed panis & corpus, vinum & sanguis Christi non constituunt unum suppositum, sed unum sacramentum, unde etiam unio non dicitur *personalis*, sed *sacramentalis*. Natura humana, quia in ὑπόστασιν τῦ λόγυ est adsumta, ideo una adoratione Christus Deus & homo secundum utramque naturam adoratur, sed in sacramento eucharistiæ panis non est unum cum corpore Christi suppositum, ideo etiam cultus latriæ non debet deferri pani. 9.) Bellarminus eodem modo adsumtam carnem Filio Dei & panem consecratum Christo unitum esse statuit, quod est vehementer absurdum. Hoc loco sic scribit: *Quemadmodum, qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant &c.* hæc comparatio si debet habere locum, procedat oportet ex hac hypothesi, quod panis unitus sit corpori Christi eo modo, quo vestes in diebus carnis ipsi erant unitæ; at hac similitudine etiam unionem humanæ naturæ cum divina in persona Christi declarat. Sic enim scribit lib. III. de Christo cap. 15. §. quæ cum ita sint: *Ad declarandum unionis personalis mysterium adposita est similitudo de purpura regis. Cum enim rex induit purpuram, & sedet in solio suo, evehit purpuram ad illud solium, non sic, ut purpura dicatur sedere aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis aut regnantis, & etiam ut dicatur purpuratus rex sedere aut regnare.* Ecquis vero ipsi concedet, eodem modo unitam esse adsumtam naturam λόγῳ & panem consecratum corpori Christi, videlicet quo modo purpura unita est regi, cum unio humanæ & divinæ naturæ in Christo sit *personalis*, unio panis & corporis Christi in eucharistia *sacramentalis*, unio purpuræ & regis mere extrinseca & *accidentalis*. Quare cum hypothesis hujus comparationis sit lubrica, ipsam etiam comparationem corruere est necesse. 10.) Idem Bellarminus libr. I. de Christo c. 8. §. *Respondent*; sic scribit contra Arianos: *Quod in Christo Deus habitat, non sufficit, ut ille possit adorari, alioquin totus mundus posset adorari, & præcipue sancti angeli & homines, in quibus singulariter Deus habitat.* Aut hæc responsio Arianis opposita est infirma, aut concedendum est, peculiarem corporis Christi in pane præsentiam non inferre, ut panis cultu latriæ adoretur. 11.) Eos, qui Christum in terris vestitum adorabant, Christi vestes adorasse, nulla veritatis specie dici potest, alias sequeretur, magos, qui adorarunt ipsum jacentem in præsepi, etiam præsepe adorasse. Distinguendum inter adorationis *objectum*, quod est Christus Deus & homo, & inter objecti *adjunctum* extrinsecum, quod fuerunt vestes. Ergo si panis consecratus non est alio modo adorandus, quam quo adoratæ fuerunt vestes, quibus Christus fuit indutus, nullo modo cultu latriæ

triæ adorandus erit. Qui Christum vestitum adorabant, non quidem jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent; interim tamen objectum adorationis non constituebant vestes, sed Christum Deum & hominem. 12.) Denique quod nondum convenit inter scriptores pontificios, *an formaliter, an materialiter sacramentum eucharistiæ adorandum sit*, id argumentum præbet consensus toties deprædicati.

Argumentum pontificium pro adoratione panis eucharistici.

§. CVII. Ex his facile intelligi potest, quid respondendum sit ad argumentum Bellarmini: *Deo vero debetur adoratio latriæ. Christus, ut est in eucharistia, sive in usu, sive extra, est Deus verus. Ergo adorandus est cultu latriæ.* Resp. Christum in sacra cœna vere præsentem corpore & sanguine suo nos pascere statuimus; Christum esse verum Deum & cultu latriæ honorandum adserimus; sed ex eo nondum sequitur, quod totum sacramentum, constans non solum re cœlesti, corpore & sanguine Christi, sed etiam re terrena, pane scilicet & vino, sit adorandum, multo minus ex eo sequitur, quod panis consecratus extra usum a Christo institutum in processionibus adorandus sit, siquidem 1.) Christus sacramentalem panis & corporis, vini & sanguinis in eucharistia unionem instituit, interim tamen differo mandato usum hujus sanctissimi sacramenti exposuit, quod videlicet panem consecratum manducare, & ex calice benedicto debeamus bibere, proinde quando hæ actiones a Christo institutæ, videlicet distributio, sumtio, manducatio & bibitio omittuntur, inque earum locum aliæ, videlicet circumgestatio & ostentatio adhibentur, non potest dici cœna dominica administrari, cum omittantur ea, quæ sunt hujus sacramenti essentialia. 2.) Inter panem & corpus Christi non est unio *personalis*, propter quam non minus cultu latriæ adorandus foret panis, quam adsumta natura humana adoratur, sed unio *sacramentalis*, in eo consistens, ut mediante benedicto pane corpus Christi manducetur, mediante benedicto vino sanguis Christi bibatur. 3.) Quemadmodum igitur Israëlitæ non adorabant arcam fœderis aut columnam nubis & ignis in deserto, licet essent externa symbola & signa peculiaris præsentiæ Dei *habitantis in medio cherubim super arcam fœderis*, Exod. XXV. 22. *& præcedentis Israelitas in columna nubis & ignis*, Exod. XIII. 21. sed preces & invocationem direxerunt ad Deum in externis hisce symbolis peculiari modo gratiose præsentem: sic Christus in eucharistia adorandus est, sed honor & cultus adorationis non deferendus externis symbolis panis & vini, unde recte scribit Cassander in consult. cap. de adoratione euchar. pag. 173. „ De adoratione sacrosancti hujus sacra„ menti ita ex veterum mente statuendum pu„ to. Cum in hoc sacramento Christus, Deus „ & homo, & corpore & sanguine suo præ„ sentem se exhibeat, consequens est, ut in hoc „ quoque mysterio adoretur, quæ adoratio non „ ad ipsum signum, quod exterius videtur, sed „ ad ipsam rem & veritatem, quæ interius cre„ ditur, referenda sit, quamvis & ipsi signo, „ cujus jam virtus intelligitur, tanquam religio„ so & sacro sua veneratio debeatur„. Idem dicat Bellarminus, & controversia omnis in hoc capite erit sopita. 4.) Si liceret hoc modo inferre: Christus in eucharistia est vere præsens; ergo sacramentum ipsum est adorandum; posset eodem modo inferri: Christi corpus jacuit in præsepio. Luc. II. 16. in gremio matris Mariæ, Matth. II. 11. est in cœlo; ergo præsepe adoratum fuit a pastoribus Bethlehemiticis, gremium matris a magis orientalibus, cœlum adoratur a nobis. Inanem igitur operam Bellarminus sumit, Christum in eucharistia adorandum esse probans, quod nemo nostrum negat; sed panem consecratum adorandum esse, probandum erat, & quidem etiam extra usum a Christo institutum.

Dicta patrum de adoratione eucharistiæ.

§. CCVIII. Idem judicium de dictis patrum, ad quæ Bellarminus nos remittit. Dionys. Areopagita de hierarch. c. 3. *O divinissima & sacra ceremonia* τελετὴ, *ostende nobis perspicue obducta tibi per signa obscuritatum,* τὰ προκείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφίσματα τῶν

τῶν αἰνιγμάτων, & *singulari lumine mentis noſtrae oculos imple.* Pachymeres in illum locum: *Ceremoniam hanc adloquitur, ac ſi animata ſit,* αὐτῇ ὡς ἐμψύχῳ διαλέγεται, & *non abs re* εἰκότως, *ut Gregorius theologus: O ſanctum & magnum paſcha! & ejusmodi ſacra ceremonia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ad quem ſermonem habet.* Dionyſius ipſe ibidem: *Multi ſane in ſola divina ſymbola intuentur, at ipſe antiſtes divino Spiritu in ipſa principia eorum, quae celebrantur, perpetuo fertur.* Eadem προσφωνήσει rhetorica utitur Ambroſius circa baptiſm. lib. X. in Luc. XXII. *O aqua, quae humano adſperſum ſanguine ut praeſentium lavacrorum figura praecederet, orbem terrarum lavaſti! O aqua, quae ſacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quae lavas omnia, nec lavaris.* At num propterea aquam adoravit, aut aquam in Chriſti ſanguinem transſubſtantiatam credidit? Gregorius Nazianz. in paſcha orat. II. in fine: *O paſcha, magnum, inquam, & ſacroſanctum paſcha, totiusque mundi piaculum, te enim quaſi vita praeditum adloquor,* ὡς ἐμψύχῳ: in quem locum ſic commentatur Nicetas Scholiaſtes: *Haec verba:* O paſcha magnum, *ad feſtum ipſum perinde ac vita praeditum refert. Illa autem:* o verbum Dei, & *quae deinceps ſequuntur, ad Chriſtum ſpirituale paſcha per adclamationem dirigit.* Eodem modo Dionyſius ab externis ſymbolis ad Chriſtum ipſum vere praeſentem tandem animo & ſpiritu ſubvehitur, atque illum religioſa adoratione honorat. Origenes homil. V. in diverſ. loc. evang. p. 441. *Quando ſanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitae pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temet ipſum imitare hunc centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Non panem conſecratum, ſed Chriſtum adorat. Duos modos ibidem proponit, quibus Chriſtus ad nos ingrediatur: *Nunc,* inquit, *quando ſancti & Deo acceptabiles eccleſiarum antiſtites ſub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos Dominus ingreditur. Et tu ſic exiſtimes tanquam Dominum ſuſcipiens. Et aliud quando ſanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum &c.* Si voluiſſet ſacramentum adorari, adorandi etiam eſſent eccleſiarum antiſtites. Idem hom. I. in diverſ. *Per evangeliſtarum & apoſtolorum praedicationem, per ſui ſancti corporis & ſanguinis ſacramentum nobiſcum Deus & ad nos atque in nobis.* Si propterea adorandum eſſet ſacramentum, quia per illud Chriſtus ad nos venit, adoranda etiam foret praedicatio verbi, per quam itidem ad nos venire adſeritur. Cyrillus catech. V. myſtag. jubet, *ut flexo genu & adorantium in morem accedant ad euchariſtiam;* nec internam adorationem ad Chriſtum directam, nec externam reverentiam improbamus, ut ex ſuperioribus patere poteſt. Ambroſius libr. III. de S. S. cap. 12. *Adorate ſcabellum pedum ejus. Scabellum caro Chriſti, quam hodieque in myſteriis adoramus, & quam apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt.* Huic conſonat illud Auguſtini in Pſalm. XCVIII. „ Converto „ me ad Chriſtum & invenio, quomodo ſine „ impietate adoretur terra ſcabellum pedum Do„ mini: ſuſcepit enim de terra terram, quia „ caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem „ accepit. Et quia in ipſa carne hic ambula„ vit, & ipſam carnem nobis manducandam „ ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem „ manducat, niſi prius adoraverit, inventum eſt, „ quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Do„ mini, & non ſolum non peccemus adorando, „ ſed etiam peccemus non adorando. „ At quis negat carnem Chriſti adorandam? adoramus eam in ſacramento, ſed externa ſacramenti ſymbola non adoramus. Apud Chryſoſtomum in Marc. hom. XIII. *adoratur Chriſtus in baptiſmo.* Apud Hieronymum epiſt. X. *Paula cum magis Deum puerum in praeſepio adorat,* num vero propterea baptiſmus vel praeſepe adoratur? Euſebius Emiſſenus hom. V. de paſch. *Cum reverendum altare cibis ſpiritualibus ſatiandus adſcendis, ſacrum Dei tui corpus & ſanguinem fide reſpice, honora, mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & maxime toto hauſtu interioris hominis adſume.* Quis hoc negat? at num idem eſt ſacrum Chriſti corpus &

sanguinem fide respicere, honorare, mente contingere &c. ac panem consecratum etiam extra usum a Christo institutum adorare? Chrysostomus hom. XXIV. in 1 Cor. *Cum timore & summa puritate ad ipsum accedamus. Et quando ipsum videris propositum, dic ei: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis, non sum amplius captivus, sed liber, propter hoc spero me accepturum cœlos.* In Græco est λέγε πρὸς ἑαυτὸν, quod Gentianus Hervetus perperam vertit: *dic ei*, in margine notans *corpori Christi proposito, quid dicendum*, rectius vero Franciscus Aretinus reddidit, *dic tecum*, ostendit enim Chrysostomus, ad cœnam accessuri quid meditari debeamus, videlicet Christum pro peccatis nostris mortuum, & in sacra cœna hoc ipsum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, manducandum, & hunc ipsum sanguinem, quem pro peccatis nostris effudit, bibendum nobis exhibentem. Theodoretus dial. II. *Intelliguntur signa ea esse, quae facta sunt, & creduntur & adorantur, ut quae illa sint, quae creduntur.* Theodoretus ibidem expresse adserit, *symbola externa manere in priore substantia, figura & forma, non recedere a sua natura &c.* quomodo igitur cultum latriæ illis deferendum esse doceret? adorantur igitur, προσκυνεῖται non λατρεύεται, ita ut adorare nihil aliud sit, quam honorare, venerari, reverenter suscipere, id quod subjecta αἰτιολογία & similitudo comprobat. Adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur, videlicet externa symbola κοινωνίας corporis & sanguinis Christi. *Confer ergo*, inquit, *imaginem cum exemplari, videbis similitudinem, oportet enim figuram esse veritati similem &c. Si ergo divina mysteria corpus, quod vere est, repraesentant &c.* at Bellarminus ipse disputat libr. II. de imagin. sanct. cap. 24. *imaginibus ne quidem ratione relationis per se & proprie deberi cultum latriae.* Eodem modo voce *adorationis* utitur Tertullianus adv. Hermog. cap. 22. *Adoro scripturae plenitudinem.* Augustinus epist. CXLVI. *Baptismum Christi, ubicunque sit, veneramur.* De catech. rudib. cap. 26. *De sacramento, quod accepit catechumenus, dicendum ei, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum in usu quolibet.* Libr. de doctr. christ. cap. 9. *Qui aut operatur aut veneratur utile aliquod signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt.*

§. CCIX. Argumenta, quæ pro confirmatione nostræ sententiæ superius adduximus, Bellarminus non attingit, ad illud, quod de idololatriæ periculo diximus, regerit: „ Si argumentum hoc valeret, omittendam esse non solum adorationem, sed etiam „ communionem, quæ itidem exposita sit periculo accipiendi merum panem pro corpore „ Christi; sed nullum (*inquit*) est periculum „ idololatriæ in eo, qui simpliciter & bona fide „ sacramentum adorat, adoratio enim ex intentione potissimum pendet. Quare sicut is, „ qui panem non consecratum injuria adficeret, „ putans consecratum esse, gravissime peccaret in Christum: sic etiam contra, qui panem „ eundem adorat, propterea quod certo credat non esse panem, sed Christum, is proprie „ & formaliter Christum adorat, non panem.„ *Resp.* 1.) Ex hypothesibus pontificiis non solum adoratio, sed etiam communio exposita est periculo accipiendi merum panem pro corpore Christi, siquidem ad consecrationem & transsubstantiationem requirunt spiritualem potestatem sacerdotis, quam dicunt *esse occultam & potius egere fide, ut credatur inesse, quam ut ipsa fidem aliis rebus faciat.* Bellarminus libr. IV. de euch. c. 16. §. secund. libr. I. de grat. & lib. arbit. cap. 14. §. *Sed facilis*: requirunt *intentionem ministri non solum in genere faciendi, quod facit ecclesia, sed etiam in specie conficiendi eucharistiam.* Bellarminus libr. I. de sacram. cap. 27. requirunt alia complura, de quibus cum nemo certus esse possit, an omnia & singula in consecratione adsint, ideo etiam nemo certus esse poterit, consecrationem revera esse factam. Nos

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta.

contra

contra non a spirituali quadam ministri potestate, vel ejusdem intentione, sed a Christi ordinatione & institutione præsentiam corporis & sanguinis ipsius in vero & legitimo usu dependere asserimus, ideoque nostra communio periculo illi minime subjacet. 2.) Inter adorationem & manducationem panis consecrati est magna differentia. Illam Christus non instituit nec præcepit, hanc vero instituit ac præcepit, addita promissione, quod panis benedictus, distributus ac manducatus sit κοινωνία corporis sui; fides igitur certo statuere potest ac debet, manducato benedicto pane manducari corpus Christi, sed de adoratione panis consecrati cum nullum extet verbum, ideo nec fides de illa adoratione potest statuere, quod sit cultus Deo placens. 3.) Adoratio non solum ex intentione æstimanda, sed etiam ex verbo Dei. Israelitæ vitulum aureum adorantes potuissent hoc schemate & prætextu idololatriam suam defendere, quod haberent intentionem ipsi Deo præstandi hunc cultum, imo gentiles non creaturas, sed Deum in creaturis se adorare prætenderunt. Ergone dicemus ipsas *proprie* & *formaliter* Deum adorasse? 4.) Nullum extat verbum, quod jubeat nos credere, panem eucharistiæ non esse panem, sed Christum, etiam extra usum divinitus institutum. Ergo adoratio panis, quæ hac hypothesi unice nititur, non potest proficisci ex fide, ac proinde Deo non placet. 5.) Frustra bona fides & bona intentio huic adorationi prætexuntur, cum fides & verbum sint relata, proinde quod de sacramento bona fide adorando Bellarminus scribit, *daß man auff Traw und Glauben hierinnen handeln soll*, id aliis occinat, non nobis, qui fidem certum aliquod verbum & promissionem requirere didicimus.

CAPUT XX.

DE FINE ET FRUCTU SACRÆ COENÆ.

Transitio ad doctrinam de fructu sacræ cœnæ.

§. CCX. Egimus hactenus de causa efficiente, materia & forma hujus sacramenti, restat, ut de *fine*, propter quem Christus id ipsum instituerit, porro agamus, ex eo enim promtum erit colligere, quos fructus ex salutari hujus sacramenti usu vere credentes percipiant, sibique polliceri possint (*). Notanter vero nos diximus, fructus illos ex salutari hujus mysterii usu a vere credentibus percipi, neque enim omnes, qui quoquo modo atque animo ad hoc sacramentum accedunt, beneficiorum illorum cœlestium participes fiunt, sed tantummodo vere credentes, hoc est, illi, qui peccata sua ex lege divina agnoscunt, serio de illis dolent, vera fide Chri-

(*) Photiniani negant, *finem eucharistiæ esse fidei confirmationem.* Vid. Socinum in libr. quod evang. &c. Adsurgunt ipsis quidam ex Calvinianis, vel Arminianis potius. Arminius ipse in art. perpend. pag. 38. *Perpendendum, an proximus, & maxime proprius, ideoque immediatus finis cœnæ dominicæ tum qua institutus, tum qua usurpatus non sit memoria seu commemoratio vel adnunciatio mortis Domini, & quidem cum gratiarum actione pro eo, quod Deus Filium suum pro nobis in mortem dedit.* Venator theolog. veræ & meræ, p. 16. *Cœna Domini est exercitium ad significandam communionem sanctorum, hoc est, ad commemorationem dilectionis Jesu erga omnes fideles atque ad præstationem officii debiti & caritatis mutuæ.* Ibidem: *Est ritus ad significandam & commemorandam dilectionem Christi erga omnes fideles & ad debitum dilectionis officium erga nos mutuo præstandum.* Sim. Episcopius disp. privat. de cœna Dom. th. X. *Finis celebrationis cœnæ est sola tantum repræsentatio & significatio mortis ac beneficii illius ingentis, quod per mortem nobis partum atque comparatum est, per quam fides etiam ipsa nobis excitari & confirmari solet, animusque noster veluti cibo atque potu quodam nutriri & educari, spe vitæ æternæ.* GERHARDUS.

Contra eos, qui negant, *finem eucharistiæ esse fidei confirmationem*, infra §. 220. disputat GERHARDUS. Nos quæ huic adiici a nobis possent, in alium locum reservamus.

ſtum & ejus beneficia amplectuntur, ac firmum habent propoſitum, Deo in ſanctitate & juſtitia conſtanter ſerviendi; contra vero a peccatis contra conſcientiam ſedulo cavendi, cum veræ fidei anteambulo ſit contritio, pediſſequa vero nova obedientia, ut ſuo loco plenius docuimus. Sane Chriſtus cœleſtis hujus convivii hoſpes obviis, ut ita loquar, ulnis cœleſtium illorum beneficiorum theſauros omnibus offert, quod vero minus ab omnibus convivis percipiantur, obſtat ipſorum impœnitentia, incredulitas, impietas, &, ut verbo dicam, indigna manducatio ac bibitio. Ut verbum, ita & ſacramenta ſunt manus Dei offerens, ſiquidem per ea cœleſtium bonorum theſauri ex parte Dei nobis offeruntur, ſed vera fides ex parte noſtra eſt manus accipiens & adprehendens, per quam beneficia in verbo & ſacramentis oblata acceptamus, qua de re inferius in capite de ſalutari ac debita præparatione uberius agetur.

Dicta veterum de fructu hujus ſacramenti.

§. CCXI. *Fines & fructus* ſacræ cœnæ ſunt numero plurimi, utilitate maximi, pondere graviſſimi. Cum enim ipſius Filii Dei proprium corpus in mortem pro nobis traditum, & ipſius proprium ſanguinem in ara crucis pro peccatis noſtris effuſum in ſacra cœna accipiamus, ex eo facile adparet, omnia, quæcunque Chriſtus traditione ſui corporis & effuſione ſui ſanguinis promeruit, in ſalutari hujus ſacramenti uſu nobis adplicari, conferri & obſignari. Unde Chryſoſtomus hom. LXXXIII. in Matth. ſacram cœnam vocat, *caput bonorum omnium.* Ambroſius in 1 Cor. XI. adpellat *ſpiritualem medicinam.* Cyprianus ſerm. de cœna non longe a principio: *Panis & calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque profuit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.* Damaſcenus ἐν συναξεοισμῷ congerie quadam multiplicem euchariſtiæ fructum deſcribit, *quod ad noſtram ſubſtantiam & conſervationem tendat, incommodum quodvis propulſet, eamque vim exerceat, ut immunditiem omnem abſtergat, omnem labem exurat, omnes morbos & calamitates tollat, nosque Chriſto, hoc eſt, Spiritui & corpori ipſius arctiſſime uniat, imo nos nobis ipſis etiam majore nexu ſociet, unde & μετάληψις, quod participes reddamur divinitatis Jeſu, & κοινωνία ob illam fidelium inter ſe & cum Chriſto unionem rectiſſime adpelletur, & ſit delibatio vel ἀπαρχὴ initium futuri panis, qui in altero ſeculo nobis adponetur.* Chemnitius part. II. exam. Trident. cap. de inſtit. ſacram. cœnæ pag. 124. *Quia in euchariſtia accipimus illud Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, & ſanguinem nov. teſt. qui in remiſſionem peccatorum effuſus eſt, quis neget, credentes ibi percipere theſaurum omnium beneficiorum Chriſti? Accipiunt enim illud, in quo peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis communicatur, quo nos ſibi Chriſtus tanquam membra adjungit.* Cæterum fructus illos omnes & ſingulos miranda brevitate Chriſtus in verbis inſtitutionis complectitur, quando adſerit, illud ipſum corpus ſuum nobis manducandum præberi, quod eſt pro nobis traditum; illum ipſum ſanguinem ſuum nobis bibendum dari, qui eſt ſanguis nov. teſt. effuſus in remiſſionem peccatorum, & quando jubet nos hoc facere in ſui commemorationem, ſed hæc brevitas latius eſt evolvenda & explicanda. Menzerus fines euchariſtiæ recenſet hoc ordine, ut eos conſiderandos dicat vel reſpectu *Dei*, vel reſpectu *hominum.* Reſpectu *Dei* ſacra cœna eſt gratiarum actio pro acceptis a Deo beneficiis, unde fluxit nomen euchariſtiæ, quæ gratiarum actio conſiſtit tum in confeſſione noſtræ miſeriæ, tum in prædicatione divinæ gratiæ, inſuper etiam in noſtra obedientia, dum teſtamur uſu ſacræ cœnæ 1.) nos obedire Deo mandanti ſacramentum illud venerari & uſurpare, 2.) & velle patienter ferre exemplo Chriſti noſtram crucem, 3.) & conſervare publicos cœtus chriſtianorum, quorum vinculum & nervus eſt ſacræ cœnæ celebratio, unde manavit adpellatio συνάξεως, 4.) & ornare noſtram profeſſionem vitæ integritate. Reſpectu *hominum* fines ſunt duplices, aut enim referuntur ad *nos ipſos*, aut ad *proximum.* Reſpectu *noſtri* 1.) eſt adplicatio omnium beneficiorum Chriſti, 2.) obſignatio & confirma-

firmatio fidei, 3.) insitio in corpus Christi, 4.) inhabitatio Christi in nobis, 5.) tessera resurrectionis ad vitam æternam. Respectu *proximi* finis est tum in *confessione*, tum in *operibus caritatis*. In *confessione*, dum usu eucharistiæ fatemur, 1.) nos peccatis agnitis agere pœnitentiam, & in Christo quærere remissionem peccatorum, 2.) sumtio cœnæ est etiam symbolum adprobatæ a nobis doctrinæ. In *operibus caritatis* hi sunt fines, 1.) testamur nos proximo condonare delicta, 2.) & juvare velle pro virili egenos, 3.) eosque agnoscere pro fratribus & membris mystici corporis, cujus caput est Christus, hinc profluxit adpellatio ἀγάπης (*).

Fines cœnæ principales sunt duo: 1.) Obsignatio promissionis evangelicæ & fidei nostræ confirmatio.

§. CCXII. Docendi causa fines eucharistiæ constituemus duplices, *principales* & *minus principales*. *Principales* sunt 1.) obsignatio promissionis evangelicæ de remissione peccatorum, & fidei nostræ confirmatio, 2.) insitio in Christum & spiritualis nutritio ad vitam æternam. Ad hos fines principales accedunt *minus principales* complures, quos expositis prius *principalibus* ordine postea percensebimus. *Primo* dicimus eucharistiam hoc fine a Christo institutam, & a vere credentibus hoc fine usurpari, ut evangelica de remissione peccatorum promissio ipsis obsignetur, & hac ratione fides ipsorum confirmetur, qui est prior finis eucharistiæ principalis, ad quem pertinent sequentes considerationes. 1.) Sacræ literæ passim testantur, quod Christus corpus suum in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus in mortem tradiderit, & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effuderit. Hoc summum redemtionis nostræ pretium, hoc est, verum suum corpus propter nostram redemtionem in mortem traditum, & verum suum sanguinem propter nostram redemtionem in ara crucis effusum Christus in sacra cœna mediante benedicto pane & vino nobis offert, exhibet & distribuit, ut fides nostra de remissione peccatorum gratuita confirmetur. Quia enim illud ipsum Christi corpus pro nobis in mortem traditum mediante benedicto pane manducamus, & illum ipsum Christi sanguinem, qui pro peccatis nostris effusus est, mediante vino bibimus, inde certi reddimur, quod ex gratia per fidem nobis donentur, quæcunque traditione sui corporis & effusione sui sanguinis Christus in ara crucis promeruit, quæ sunt remissio peccatorum, gratia Dei, & vita æterna. Hæc summa consolatio proponitur in ipsis verbis institutionis, quando Christus notanter dicit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur & frangitur; Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ambrosius id ipsum colligit ex verbis apostoli 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat*; sic enim scribit libr. IV. de sacramentis cap. 6. tom. IV. pag. 440. *Quotiescunque accipimus, mortem Domini adnunciamus. Si mortem adnunciamus, adnunciamus remissionem peccatorum. Si, quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.* Libr. V. de sacram. c. 3. p. 442. *Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris Spiritu sancto* (**). Gregorius in hom. paschali & citatur cap. *Quid sit*

(*) Breviter: fructus cœnæ dominicæ *principales* sunt: 1.) mortis Domini adnunciatio, 2.) peccatorum condonatio, 3.) fidei obsignatio, 4.) spiritualis cum Christo copulatio. *Minus principales*: 1.) fœderis in baptismo initi renovatio, 2.) ad dilectionem Dei & proximi excitatio, 3.) patientiæ & spei confirmatio, 4.) resurrectionis nostræ testificatio, 5.) seria vitæ emendatio, 6.) confessionis publicatio. GERHARDUS.

(**) Idem Ambrosius libr. IV. de sacram. c. 5. *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* De pœnit. c. 2. *Quotiescunque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.* Haymo in Psalm. XXII. *Non solum Dominico corpore a vitiis munamur, virtutibus replemur, sed etiam contra omnem persecutionem sustentamur.* Ivo epist.

sanguis. dist. 2. de consecrat. *Providens Dominus dedit nobis hoc sacramentum salutis, ut, quia nos quotidie peccamus, & ille jam mori non potest, per istud sacramentum peccatorum remissionem consequamur.* Quas vero præstigias circa hunc principalem eucharistiæ finem de applicatione remissionis peccatorum, & fidei confirmatione, Bellarminus veritati offundat, videbimus inferius. 2.) Promissio evangelii, *quod omnis, qui in Christum credit, non pereat, sed habeat vitam aeternam,* est quidem universalis, interim tamen, quia anxiæ & peccati, iræ divinæ, & propriæ indignitatis sensu territæ conscientiæ sæpius dubitant, an ad se quoque in *individuo* hæc promissio pertineat, ut vera fide coram Dei judicio eadem niti, seque contra accusationem legis, peccati & satanæ ea erigere queant, ideo Christus ipsis in individuo corpus & sanguinem suum distribuit, ut tanquam ὁ μάρτυρ ὁ πιστὸς Apoc. I. 5. contra omnes variarum tentationum insultus ipsos confirmet, quod vere ad ipsos quoque evangelii promissio & bona in eadem oblata pertineant, cum corpore Christi in mortem tradito, & sanguine ejus pro peccatis effuso (quæ sunt evangelicæ promissionis fons & fundamentum) in sacra cœna cibentur ac potentur: hæc consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Accipite, manducate, bibite.* Quia enim singulos Christus jubet manducare suum corpus, & bibere suum sanguinem, ideo ad omnes beneficia evangelii sua passione ac morte parta pertinere testatur. Inde Philippus in exam. recte dicit, quod cœna Domini *sit testimonium exhibitae & ad singulos adplicatae promissionis evangelicae.* 3.) Corpus nostrum est νεκρὸν *morti obnoxium propter peccatum,* Rom. VIII. 10. *quod in nobis, hoc est, in carne nostra adhuc habitat,* Rom. VII. 17. *& legi mentis nostrae repugnat,* v. 23. adeo ut nos etiam feriat illa sententia: 1 Cor. XV. 50. *Caro & sanguis non haereditabunt regnum Dei.* Ne igitur propter peccatum in carne nostra adhuc habitans, & propter hanc extremam nostram miseriam animo nimis dejiciamur, ideo Christus sanctum suum corpus, ab omni fermento peccati liberum, & impollutum suum sanguinem (per quæ in ara crucis remissionem peccatorum & salutem æternam nobis peperit) manducandum ac bibendum in sacra cœna nobis offert, ne cogitatio de infirmitate, indignitate & impuritate nostræ carnis fidem evertat aut labefactet, sed ut certi simus, impuritatem nostræ carnis umbraculo sanctissimæ carnis & purissimi sanguinis Christi coram Dei judicio tegi & abscondi. Hæc consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus.* Inde Basilius in oratione ante cœnæ sumtionem dicenda monet, fideles hæc accipere εἰς εὐπρόσδεκτον ἀπολογίαν ἐπὶ τῦ φοβερῦ βήματος τῦ θεῦ. Chrysostomus hom. XXIV. in 1 Corinth. *Quando ipsum videris propositum, dic tecum: propter hoc corpus non sum amplius terra vel cinis, non sum amplius captivus, sed liber: propter hoc spero me accepturum coelos.* 4.) Per sacramentum baptismi recipimur quidem in Dei fœdus, 1 Petr. III. 21. regeneramur & renovamur, Tit III. 5 a peccatis mundamur, Eph. V. 26. & hæredes vitæ æternæ scribimur; 1 Petr. III. 21. sed quia per peccata ex hoc fœdere iterum excidimus, inde dubitare incipimus, an per veram pœnitentiam ad primævum illud fœdus in baptismo nobiscum initum redire, & peccatorum nostrorum remissionem fide impetrare possimus. Ut ergo huic dubitationi occurreretur, ne ex dubitatione in diffidentiam, ex diffidentia in desperationem, ex desperatione in mortem æternam prolaberemur, ideo Christus sanctissimum hoc sacramentum instituit, in quo illum ipsum sanguinem suum, quo novum testamentum sanctum & confirmatum est, Zach. IX. 11. bibendum nobis offert & exhibet, ut inde certi reddamur, per veram pœnitentiam in fœdus illud nos iterum

epist. XLIII. *Corpus & sanguis Domini sunt nostrae reconciliationis sacramenta, & vulnerum nostrorum medicamenta ad edendum, bibendum, in sui commemorationem faciendam discipulis commendata.* GERHARDUS.

rum recipi, & peccatorum remissionem per fidem consequi, cum ad beneficia nov. test. cumprimis etiam hæc promissio pertineat, quod Deus *peccatorum nostrorum non sit in posterum recordaturus*, Jer. XXXI. 34. Hæc consolatio proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Bibite, hoc est sanguis nov. test. hic calix est novi testamenti in meo sanguine.* Proprium est omnium fœderum, ut utraque pars confœderatorum de eadem victima fœderali participet. Sic dimidium sanguinis fœderalis super altare effusum Deo offerebatur, alterum dimidium crateri inferebatur, & populus eodem adspergebatur; Exod. XXIV. ex carne victimarum instituebantur solennes epulæ. Christus igitur inter Deum & nos fœdus sanciens, corpus & sanguinem suum non solum Deo Patri in ara crucis obtulit, sed etiam in cœna manducandum ac bibendum nobis præbet, ut de receptione in fœdus illud gratiæ certi reddamur. Quemadmodum etiam homo liber in testamento servum hæredem suum instituens libertate eum donat, ut sit capax hæreditatis, sic Christus per hoc suum testamentum ejusque adplicationem per fidem hæredes suos a servitute peccati, iræ Dei ac mortis æternæ liberat. Joh. VIII. 36. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* 5.) Ut beneficiorum morte Christi partorum reddamur participes, vera & firma fide ea adprehendere oportet, sed quia peccati onere & carnis infirmitate pressi ad ipsum in cœlum adscendere non possumus, nec cœlestem ipsius gloriam ac claritatem ferre, ideo ipse ad nos descendit, & in sacra cœna corpus suum manducandum & sanguinem suum bibendum exhibet, idque mediantibus externis symbolis panis ac vini, ut hac ratione ipse nos *comprehendat*, Philip. III. 12. neque cogamur dicere: *Quis adscendet in cœlum?* Rom. X. 6. sed certi simus, ipsum in sacra cœna nobis præsentem adesse, atque in ea a nobis inveniri & adprehendi. Hæc consolatio itidem proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus.* 6.) Quia cum nuda divinitate in hac peccatricis carnis infirmitate & mortalitate non possumus agere, sumus enim ad eam comparati, sicut stipulæ ad ignem; Deut. IV. 24. Hebr. XII. 29. ideo Christus carnem de carne nostra & os ex ossibus nostris, hoc est, veram humanam naturam nostræ carni ὁμοούσιον adsumsit, Eph. V. 30. ut in ea ac per eam mediatoris officio fungens, sub unum caput redigeret omnia, quæ sunt in cœlo & super terram. Quia vero Christus adscendit in cœlum, nosque inde cogitare possumus, cum nuda divinitate nobis agendum, nosque stipularum instar ab ea consumendos esse, ideo Christus suo corpore & sanguine in sacra cœna nos pascit, hoc ipso contestans, adsumtam ipsius carnem esse nostræ cum Deo unionis & conjunctionis medium, *nemo enim venit ad Patrem nisi per ipsum*, Joh. XIV. 6. ut Christi humanitas sit nobis via & ingressus ad divinitatem. Hæc consolatio ibidem proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Manducate, hoc est corpus meum, bibite, hoc est sanguis meus.* 7.) Quia fides nostra in hac carnis imbecillitate sæpius infirmatur, nosque Christi & beneficiorum ipsius facile capit oblivio; ideo Christus hoc sacramentum in sui ἀνάμνησιν & commemorationem instituere voluit, ut per communicationem sui corporis & sanguinis vivam illam & efficacem mortis suæ recordationem in nobis operando fidem nostram augeret & confirmaret; quæ enim potuit esse magis viva & efficax mortis Christi recordatio, quam ea, quæ κοινωνία corporis in mortem pro nobis traditi & sanguinis pro nobis effusi in nobis efficitur? Hic finis sacramenti eucharistici proponitur in illis verbis institutionis, quando Christus dicit: *Hoc facite in mei commemorationem*, Luc. XXII. 19. quod apostolus sic exponit 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis hunc panem, & bibetis ex hoc calice, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* Basilius in asceticis dicit: *proprium esse eorum, qui sumunt eucharistiam, ut memoriam continuam servent ejus, qui pro nobis mortuus est & resurrexit* (*). 8.) Quia

(*) Haymo in comm. 1 Cor. XI. fol. 64. *Relinquens Dominus hoc sacramentum salutiferum omnibus*

8.) Quia primus Adam esu fructuum arboris veritæ thesaurum cœlestium bonorum sibi concreditorum amisit, quin & mortem temporalem ac æternam sibi & posteris omnibus attraxit; Genes. III. ideo Christus *secundus & cælestis Adamus* 1 Cor. XV. 47. vivifici corporis sui cibo, & pretioso sanguinis sui potu amissa bona iterum nobis restituit, & vitam cœlestem nobis confert, ut certi reddamur, quæcunque in primo Adamo nobis perierunt, ea in Christo esse restituta. Hæc consolatio itidem proponitur in verbis illis institutionis, quando Christus dicit: *Edite, hoc est corpus meum.* Ambrosius de iis, qui initiantur myster. cap. 8. *Ista esca, quam accipis, vitae aeternae substantiam administrat.* Ex quibus omnibus luculenter adparet, quomodo usu sacræ cœnæ fides nostra confirmetur, & promissio evangelii de gratuita peccatorum remissione obsignetur.

2.) *Nostra in Christum insitio & spiritualis ad vitam æternam nutritio.*

§. CCXIII. *Posterior* principalis eucharistiæ finis est nostra in Christum insitio & spiritualis ad vitam æternam nutritio. Ad hunc finem pertinent sequentes considerationes. 1.) Filio Dei nihil propius atque arctius est conjunctum, quam adsumta natura humana, quippe quam personali fœdere sibi univit, vicissim nobis nihil propius conjungitur, quam quod manducamus ac bibimus; quippe quod in carnis nostræ substantiam convertitur. Christus igitur arctissime sese nobiscum & nos sibi unire desiderans, instituit hoc sacramentum, in quo mediante benedicto pane corpus ipsius manducemus, & mediante benedicto vino sanguinem ejus bibamus, quæ est Tauleri observatio. Joh. VI. 56. *Qui manducat carnem meum, & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in ipso.* Hilarius libr. VIII. de Trinit. *Haec sumta & hausta faciunt, ut nos in Christo & Christus in nobis maneat.* Cyrillus Alexand. libr. VI. in Joh. XVII. *Perinde ac si quis liquefactae cerae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commiscet, ita necesse est, si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso conjungi, ut Christus in eo, & ipse in Christo inveniatur.* Cyrillus Hieros. catech. mystag. IV. pag. 530. *Sic Christophori* (Christum ferentes) *erimus, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque divinae naturae consortes efficiemur* (*). Damascenus orat. III. imagin. Ἄνθρωποι μετέχωσι, ἢ κοινωνοὶ τῆς θείας

bus fidelibus, ut illud infigeret cordibus & memoriæ eorum, more cujuscunque hominis egit, qui adpropinquans morti aliquod munus pretiosum dimittit alicui amico dicens: habe hoc cum omni diligentia penes te in memoriam mei: & ut quotiescunque illud videris, recorderis mei. Qui amicus admittens munus illud amici sui carissimi, si eum toto corde dilexit, non potest non condolere ei & tristari de morte amici, quotiescunque munus sibi dimissum conspicit. Similiter nos, quotiescunque accedimus ad consecrandum vel percipiendum sacramentum muneris æterni, quod nobis Dominus passurus in memoriam sui dimisit tenendum, cum timore & compunctione cordis omnique reverentia debemus accedere recolentes, quanto amore dilexit nos, qui pro nobis se ipsum obtulit, ut nos redimeret. Hoc facite in mei commemorationem, *hoc est, merita & beneficia mea fiducialiter adprehendite. Nam* meminisse *etiam fidere significat Psalm. XX. 8.* Hi in curribus & in equis, nos autem nominis Domini nostri recordabimur. GERHARDUS.

(*) Cyprianus de cœna Domini: *Natura & ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed adfectus consociat & confoederat voluntates.* Chrysostomus hom. LX. ad pop. Antioch. *Exhibuit, & ut teneremus & ut manducaremus, quod maximum dilectionis signum est. Quos enim amamus, nonnunquam etiam morsu petimus. Quare Job ut servorum in se amorem ostenderet, dicebat, illos saepenumero ex nimio amore in se dixisse:* Quis det de carnibus ejus, ut saturemur? *Ita Christus suam carnem dedit nobis, ut ea saturemur, quo nos in plurimum sui amorem illexit.* Bernhardus serm. LXXI. in Cant. *Pascens Christus pascitur ipse & quidem escis, quibus libenter vescitur profectibus nostris. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur a nobis, quo arctius illi obstringamur. Non sane aliis perfecte unimur illi. Nam si manduco, & non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem, nec manduco, me in se habet ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta unitio in*

uno.

θείας Φύσεως γίνονται, ὅσοι μεταλαμβάνουσι τὸ σῶμα τὸ χριστὸ ἅγιον, καὶ πίνουσι τὸ αἷμα, ἡ μὲν γὰρ φύσις ἡμῶν εὐθοκίᾳ καὶ συναφείᾳ θεοῦ γέγονεν ἀγγέλων μείζων. Cap. *firmiter.* extr. de Summ. Trinit. *Christi corpus & sanguis in sacramento altaris veraciter continentur &c. ut ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro.* Ex hac unione cum Christo provenit, ut novas vires tanquam palmites ex vite consequamur pugnandi contra satanam, resistendi desideriis carnis, proficiendi in gratia &c. Chrysostomus homil. XLV. in Joh. *ut leones flammam spirantes, sic ab hac mensa discedamus terribiles effecti diabolo.* Monendum tamen, quod differentia sit inter cibum *naturalem* corporis, & inter hunc *spiritualem* interioris hominis cibum. Cibus *naturalis* per alterationem & transmutationem in corporis substantiam convertitur, sed hic *spiritualis* cibus non alteratur, nec transmutatur in nobis, sed nos potius transmutat & alterat, ut divinæ naturæ consortes, 2 Petr. I. 4. & membra corporis mystici, cujus caput est Christus, efficiamur. Eph. V. 30. 2.) Caro Christi est vivifica, cum sit *verbi omnia vivificare valentis propria caro*, ut loquitur concilium Ephesinum can. XI. hoc est, Filius Dei, qui est ipsa vita, carnem in unitatem personæ suæ adsumsit, eamque cœlestium bonorum thesauro implevit. Ut ergo ad nos, *qui in peccatis sumus mortui*, Col. II. 13. Eph. II. 1. ex hoc fonte vitæ, cœlestis & spiritualis vita promanaret, hoc fine Christus vivificam suam carnem in sacra cœna manducandam, & sanguinem suum bibendum nobis offert. Joh. V. 26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso.* v. 27. *Quia Filius hominis est.* Joh. VI. 33. *Panis Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.* v. 35. *Ego sum panis vitae; qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* v. 48. *Ego sum panis vitae.* v. 50. *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur &c.* (*) Huc etiam pertinet: quod Christus se ipsum viti, credentes autem palmitibus confert. Joh. XV. 4. Quemadmodum enim palmites ex vite succum vitalem & vim fructificandi trahunt, sic ex vivifica Christi carne Spiritus vitæ ad nos descendit. Sicut corpus nostrum vivit propter animam inhabitantem, sic spiritus noster vivit propter Christum in nobis habitantem. Sicut medicus lethaliter decumbentem periculoso morbo liberans salutarem illi præscribit diætam, ne in pristinam ægritudinem recidat: sic Christus animarum nostrarum medicus nos ex morte in vitam revocatos saluberrima corporis & sanguinis sui alimonia pascit. 3.) Deus *Christum dedit caput super omnia ipsi ecclesiae*, Eph. I. 22. *ex quo totum corpus compactum & connexum, συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον* Eph. IV. 16. Ut ergo membra hujus mystici corporis redderemur, derivata ex Christo capite in nos spirituali vita, sensu & motu, ideo Christus κοινωνίαν sui corporis & sanguinis in sacra cœna instituit, ut ad mystici corporis societatem nos perduceret. 1 Cor. XII. 13. *In uno Spiritu omnes, in unum corpus baptizati sumus, & omnes in unum Spiritum potati sumus*, hoc est, ideo ex uno calice eucharistico bibimus, ut unum Spiritum accipiamus, sicut uno baptismate tingimur, ut unum corpus mysticum reddamur (**). 4.) Christus per verbum evangelii confert nobis Spiritum sanctum, Gal. III. 2. ut ex eo agnoscamus, *nos manere in ipso & ipsum in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis*

unoquovis horum, si enim manducet me, ut habeat me in se, & vicissim a me manducetur, ut sit in me, quatenus integra firmaque sit connexio, tum ego in eo & nihilominus ipse in me erit. GERHARDUS.

(*) Cyrillus libr. X. in Joh. XIII. *Communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura ad incorruptibilitatem & vitam reduci, nisi naturalis vitæ corpus ei constringeretur.* GERHARDUS.

(**) Augustinus serm. XXVIII. ad fratr. in eremo: *Hoc sacramentum ideo nobis datum est, ut corpus ecclesiæ Christi in his terris cum capite, quod est in cœlis, coaduniretur.* GERHARDUS.

nobis. 1 Joh. IV. 13. Sed quia hi motus & impulsus Spiritus sancti non sentiuntur a nobis in tentationibus, contra vero experimur veritatem illius pronunciati: *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma*; Matth. XXVI. 41. ideo Christus mediator noster, cui secundum humanam naturam Spiritus *datus est sine mensura*, Joh. III. 34. *& super quem requiescit Spiritus Domini*, Esai. LXI. 1. corpus suum manducandum & sanguinem suum bibendum in sacra cœna nobis exhibet, *ut ex ipsius plenitudine accipiamus*; 1 Joh. I. 16. & dona Spiritus sancti in nobis augeantur. Inde apostolus pronunciat, *nos omnes una potione potari in unum Spiritum*, 1 Cor. XII. 13. Joh. VI. 56. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, manet in me, & ego in ipso*. Jam vero qui manet in Christo & Christus in ipso, is adfert fructus copiosos, Joh. XV. 5. nimirum per Spiritum sanctum, *qui enim Domino adhaeret, est unus Spiritus cum eo*, 1 Cor. VI. 17. Unde etiam bona opera dicuntur *fructus spiritus* in nobis habitantis. Gal. V. 22. 5.) Corpus nostrum *propter peccatum inhabitans morti est subjectum*, Rom. VIII. 10 quod peccatum, quia per carnalem generationem ex primis parentibus in nos propagatur, ideo *in Adamo omnes mori* dicimur. 1 Cor. XV. 22. Ut ergo de resurrectione corporis ad vitam æternam certi redderemur, ideo Christus vivifico suo corpore in sacra cœna nos pascit, efficaciter confirmans fidem & spem nostram, quod illud ipsum corpus nostrum, in quo peccatum & mors in hac vita habitant, ex pulvere terræ ad vitam æternam sit suscitandum, quia vivifico Christi corpore est nutritum. Joh. VI. 54. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in die novissimo*. Inde in canone Nicæno cibus & potus eucharisticus vocantur σύμβολα τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως in actis concilii Nicæni. fol. 43. Ignatius epist. XI. ad Eph. p. 65. ἵνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Irenæus libr. IV. cap. 34. pag. 263. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quae a corpore Domini & sanguine alitur? Quemadmodum qui est e terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans terrena & cœlesti, sic & corpora nostra, percipientia eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia*. Libr. V. cap. 2. pag. 319. *Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & dissolutum multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quae deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei eucharistia fiunt, quod est corpus & sanguis Christi: sic & corpora nostra ex ea nutrita & reposita in terram & resoluta in ea resurgent in suo tempore, verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circumdat*. Athanasius in apol. pro Dionysio Alexandr. citante Theodoreto dial. I. cap. 22. ἡμεῖς ὁμογενῆ σώματα ἔχοντες τῷ σώματι τοῦ κυρίου ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ λαμβάνομεν, κἀκεῖνο ῥίζαν ἔχομεν εἰς τὴν ἀνάστασιν καὶ εἰς τὴν σωτηρίαν. *Nos habentes corpora cognata corpori Domini, ex plenitudine ejus accipimus. Et hoc ipsum corpus Domini habemus tanquam radicem resurrectionis & salutis*. Item ad Serapionem de Spiritu sancto: *Corpus & sanguis Christi fit nobis tutamen ac praeservatio ad resurrectionem vitae aeternae* (*). Cyrillus libr. IV. in Joh. XIV. 20. *Quando carnem Christi in mystica benedictione fide manducamus, hinc vitam habemus in nobis, illi carni conjuncti, quae vita effecta est, ut non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam adscendat, verum*

(*) Chrysostomus in 1 Cor. X. hom. XXIV. *Ipsa namque mensa animae nostrae vis est, nervi mentis fiduciae vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima, cum fiducia sanctum adscendimus vestibulum, tanquam [aureis quibusdam vestibus undique contecti. Et quid futura commemoro? nam dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium*. GERHARDUS.

verum etiam rude & terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu & cibo ad immortalitatem traducatur. Inde canit eccleſia: *O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, memoria paſſionis ejus recolitur, mens impletur gratia, & futurae gloriae pignus nobis datur.* 6.) Deus in medio paradiſi collocaverat *arborem vitae*, Gen. II. 9. cujus fructus in perpetuo juventutis vigore ad immortalitatem primos homines conſervaſſent, niſi per peccatum a Deo voluntarie averſi fuiſſent. Ut ergo vita ſpiritualis, *quae eſt ex Deo*, Eph. IV. 18. iterum nobis reſtitueretur, ideo Chriſtus, vera arbor vitæ, per illam typicam præſignificata, corpus ſuum, quod eſt panis vitæ, in ſacra cœna manducandum, & ſanguinem ſuum bibendum nobis exhibet. Joh. VI. 35. 48. 58. *Ego ſum panis vitae, qui de cœlo deſcendit.* Apoc. XXII. 2. *Ex utraque parte fluminis erat lignum vitae adferens fructus duodecim, per ſingulos menſes reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Auguſtinus tract. XXVI. in Joh. *Quemadmodum integra refectio ſeu nutritio corporum cibo, qui eſt alimentum ſiccum, & potu, qui eſt alimentum humidum, conſtat, ita in euchariſtia proponitur nobis Chriſtus ut eſca & ut potus, ne deeſſe nobis quidquam putemus ad integram alimoniam noſtram ſive nutritionem ſpiritualem.* 7.) Non ſolum externa hujus ſacramenti ſymbola, panis & vinum, utiles præbent commonefactiones de mutua & fraterna dilectione, quas expoſuimus ſuperius §. 20. membro 4. Sed quia inſuper Chriſtus mediante hoc pane ſuum corpus & mediante hoc vino ſuum ſanguinem nobiſcum communicat, adeoque juxta eam naturam, ſecundum quam eſt nobis ὁμοούσιος & frater noſter, nobiſcum ſeſe unit, ideo per hanc adſumtam nobisque cognatam humanam naturam hanc dilectionem in cordibus credentium operatur, auget & obſignat, ut velut unius myſtici corporis membra ſub uno capite Chriſto in nobis per fidem habitante vere & ſincere nos invicem diligamus. 1 Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, quia de uno pane participamus.* 1 Cor. XII. 13. *Omnes in unum Spiritum potati ſumus.*

Fines ſacrae coenae minus principales.

§. CCXIV. Atque hi ſunt principales ſacræ cœnæ fines & effectus, quos ex ſalutari hujus ſacramenti uſu percipimus. Fines *minus principales* enumerari poſſunt complures: 1.) Ut excitemur ad gratias Chriſto agendas pro opere redemtionis 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque panem hunc manducaveritis, & ex hoc calice biberitis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* Cyprianus ſerm. de cœna: *Pietas dividens ſe inter data & condonata agit gratias tam uberis beneficii largitori.* Hac de re plura diximus ſuperius §. 7. memb. 1. 2.) Ut noſtram erga Chriſti inſtitutionem & ordinationem teſtemur obedientiam. Neque enim liberum & arbitrarium nobis reliquit hujus ſacramenti uſum, ſed expreſſo mandato eum nobis injunxit dicens: *Hoc facite.* Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. 3.) Ut teſtemur, nos Chriſti exemplo velle patienter ferre crucem, & paratos eſſe ad ſundendum noſtrum pro Chriſti gloria ſanguinem, cum in ſacra cœna bibamus ſanguinem illius, qui pro nobis in ara crucis mortuus eſt. Luc. XIV. 27. *Qui non ſuſtollit crucem ſuam & ſequitur me, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Vide Cyprianum libr. I. epiſt. 2. 4.) Ut conſervemus publicos cœtus chriſtianorum, quorum nervus & vinculum eſt ſacræ cœnæ celebratio, unde etiam in publicis eccleſiæ conventibus euchariſtia adminiſtratur. 1 Cor. XI. 20. 5.) Ut ipſo facto comprobemus, nos peccatis agnitis ſeriam agere pœnitentiam, & in Chriſto quærere peccatorum remiſſionem, hæc enim præparatio ad ſalutarem euchariſtiæ uſum requiritur. 1 Cor. XI. 28. *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat.* 6.) Ut teſtemur, nos adprobare doctrinam, quæ ſonat in eccleſia illa, in qua una cum aliis eundem panem euchariſticum manducamus, & ex uno calice bibimus. 1 Cor. X. 17. *Unus panis, unum corpus multi ſumus, quia de uno pane participamus.* v. 21. *Non poteſtis ſimul menſae Domini & menſae daemoniorum participes eſſe.* 7.) Ut publice profiteamur, nos velle proximo condonare ſuos nævos, pro virili eidem inſervire, ac pro fratre & membro unius corporis myſtici cum agnoſcere: Matth. V. 24.

Relinque munus tuum ad altare, & recon ilire prius fratri. Lutherus in serm. de cœna anno 1526. habito monet, *dilectionem, qui est fructus hujus sacramenti, notari non solum figura panis & vini, sed etiam ipsius Christi exemplo.* In serm. anno 1534. dicit, *per usum sacræ cœnæ interiorem omnium christianorum æqualitatem conservari, cum in exteriori conversatione sint varii status atque ordines* (*).

Tridentinorum patrum de fructu cœnæ dissertatio.

§. CCXV. De *fructu* sacræ cœnæ sic loquitur concilium Trident. sess. XIII. cap. 2. „ Salvator noster, discessurus ex hoc „ mundo ad Patrem, sacramen„ tum hoc instituit, in quo divi„ tias divini sui erga homines amoris velut effu„ dit, memoriam faciens mirabilium suorum, „ & in illius sumtione colere nos sui memori„ am præcepit, suamque adnunciare mortem, „ donec ipse ad judicandum mundum veniat. „ Sumi autem voluit hoc sacramentum tanquam „ spiritualem animarum cibum, quo alantur „ & confortentur viventes vita illius, qui dixit: „ *Qui manducat me, & ipse vivet propter me;* „ & tanquam antidotum, quo liberemur a cul„ pis quotidianis, & a peccatis mortalibus præ„ servemur. Pignus præterea id esse voluit fu„ turæ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis, „ adeoque symbolum unius illius corporis, cu„ jus ipse caput existit, cuique nos tanquam „ membra arctissima fidei, spei & caritatis „ connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum „ omnes diceremus, neque essent in nobis schis„ mata. „ Hæc quidem tolerabiliter dicerentur, & ad fidei analogiam reduci possent, nisi τὸ πταλόν τι lateret in illis verbis, quod eucharistia sit antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, id est, venialibus, a mortalibus vero non liberemur per hoc antidotum, sed tantum præservemur, id quod Colonienses in sua censura sic explicant: *eucharistiam delere quidem levia & minora peccata, aliquando etiam gravia quaedam, illa scilicet, quorum memoria confitentibus exciderit, tunc enim sacramenti virtutem supplere, quod ignorantia desiderabat, mortalia autem peccata vero usu eucharistiae non deleri.* Postea can. 5. anathema dicunt illis, qui statuunt, *vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire.* Atqui num nostra sententia est, in eucharistia remissionem peccatorum accipere eos, qui hærent adhuc in peccatis mortalibus, hoc est, qui scientes perseverant in delictis contra conscientiam, retinent propositum malefaciendi, nec adferunt secum timorem Dei, pœnitentiam & fidem? Minime vero, sed disertis verbis docemus, impœnitentes, & in delictis contra conscientiam perseverantes judicium sibi manducare ac bibere, imo reos fieri corporis & sanguinis Christi. Num nostra hæc est sententia, ex salutari usu eucharistiæ non provenire alios effectus, quam remissionem peccatorum? Minime vero, statuimus enim in salutari eucharistiæ usu fieri in credentibus adplicationem & obsignationem omnium beneficiorum Christi, ut ex illis, quæ antea dicta sunt, cuivis liquido adparet. Quid ergo est, quod Tridentini damnant, & in quo demum verus controversiæ status consistit? *Resp.* Chemnitius part. II. exam. c. de instit. sacram. cœnæ p. 126. insidias secundi capituli, & quinti canonis hisce verbis patefecit: Nos docemus, Christum in eucharistia dato suo corpore & sanguine tanquam pignore & sigillo certissimo ac præstantissimo testari, se singulis fide hoc sacramento utentibus communicare, adplicare & obsignare beneficia sua, quæ traditione sui corporis & effusione

(*) Falsus finis est, si quis eucharistia utatur ad innocentiæ suæ confirmationem, vel alteri eam exhibeat ad criminis alicujus manifestationem, quod tamen adprobatur in iure canonico. cap. *Saepe contingit.* 2. quæst. 5. ex concilio Wormat. *Saepe contingit, ut in monasteriis monachorum furta perpetrentur, idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus expurgare se debent, missa ab altare celebretur, vel ab aliquo ex praesentibus fratribus, & sic expleta missa omnes communicentur in haec verba: corpus Domini sit tibi hodie ad probationem.* GERHARDUS.

fione sui sanguinis ecclesiæ adquisivit, & inter illa beneficia dicimus præcipuum & primarium locum obtinere remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, receptionem in gratiam & acceptationem ad salutem & vitam æternam; non quod reliqua Christi beneficia ab eucharistiæ fructu excludamus, sed quia hæc sunt quasi fundamenta omnium reliquorum Christi beneficiorum, quæ nobis conferenda sunt. Pontificii vero, 1.) ut satisfactiones suas & reliquas indulgentiarum nundinationes retineant, remissionem peccatorum in novo testamento, de quo verba cœnæ diserte loquuntur, restringunt tantum ad levia & minora peccata, quasi sanguis Christi in eucharistia vera fide acceptus non habeat vim delendi peccata mortalia & graviora, sed illa dignitas & virtus tribuenda sit nostris satisfactionibus, indulgentiis papalibus, sacrificio missæ & reliquis veniarum negotiationibus. 2.) Ut dogma de dubitatione retineant, negant obsignationem remissionis peccatorum fieri in eucharistia, ac damnant nostram doctrinam, quod credentes, qui in vera pœnitentia & fide hoc sacramento utuntur, ejus sumtione confirmentur, & certi reddantur de reconciliatione cum Deo & de remissione peccatorum. 3.) Ut homines a crebriori usu eucharistiæ abstractos ad quotidianas missarum nundinationes cupidius invitent, docent multos quidem eosque insignes esse eucharistiæ fructus, eos vero illis tantum contingere, qui ab omnibus gravioribus peccatis ante liberi, immunes & sancti sunt, secus dispositos judicium sibi manducare: contra vero missam esse sacrificium propitiatorium ad delenda quævis peccata mortalia & gravissima, idque ex opere operato sine aliquo peccatoris vel negotio vel periculo. Huc nimirum spectant, quæ Tridentini Areopagitæ de fine & fructu eucharistiæ contra nos decernunt.

Bellarmini disputatio, quod fructus eucharistiæ non sit remissio peccatorum.

§. CCXVI. Bellarminus libr. IV. de eucharist. cap. 17. de effectu eucharistiæ disputans I.) ex Luthero probare conatur, quod docuerit, *effectum primarium eucharistiae esse remissionem peccatorum mortalium, ac proinde non requiri ad dignam praeparationem eucharistiae panitentiam, & propositum non peccandi.* Atqui contrarium plus centies in scriptis Lutheri occurrit. Quando vero *optimam dispositionem non nisi eam esse* dicit, *qua quis pessime est dispositus; & e contrario tunc pessime aliquem esse dispositum, quando optime est dispositus &c.* tunc improbat vanam illam fiduciam, quam hypocritæ in suas dispositiones, præparationes & satisfactiones collocant: ac consolatur anxias & peccati sensu territas conscientias, quæ agnoscunt, se non satis digne dispositas accedere. Negat remissionem peccatorum in perfectione nostræ contritionis, in plenaria enumeratione peccatorum, & in propria satisfactione quærendam: improbat errorem scholasticorum, quod quædam peccata sint sua natura venialia, quæ inter alia remedia usu cœnæ deleantur, pro mortalibus autem per propria opera & passiones satisfaciendum esse. Hic scopus si in verbis Lutheri observetur, corruunt illa omnia, quæ contra illa male detorta & intellecta Bellarminus disputat. II.) Contra Chemnitium disputat, quod *nullo modo ista cohaerere possint, ut eucharistia accipiatur ad remissionem peccatorum mortalium, & tamen nemo accedere permittatur, nisi prius a peccatis fuerit absolutus.* Sed huic cavillo Andradii jamdudum satisfecit Chemnitius sic scribens: unicum est fundamentum reconciliationis cum Deo & remissionis peccatorum, Christus scilicet mediator cum sua obedientia & merito. Illum vero Deus nobis proponit fide adprehendendum & accipiendum ad remissionem peccatorum & in verbo & in sacramentis. Est autem reconciliatio cum Deo & remissio peccatorum non sicut color seu qualitas hærens immobiliter, indivulse & inseparabiliter, in *subjecto*, ut semel accepta non opus sit amplius de ea cogitare; sed fidei perpetua actio & quotidianum exercitium in hac vita est, Christum magis magisque & firmius adprehendere, in eo manere & perseverare, ne remissio peccatorum amittatur, sed ut firmius & certius retineatur, imo in hac carnis nostræ depravatione inter tam varias diaboli insidias & mundi scandala nullum momentum est, in quo non opus sit

nobis quærere, adprehendere & complecti gratiam Dei, reconciliationem & remissionem peccatorum. Præterea in tentationibus mens potissimum de eo angitur, cum promissio loquatur in genere, an ad nos in specie pertineat? Christus igitur in eucharistia pretiosissimo & certissimo pignore, videlicet exhibitione corporis & sanguinis sui, testatur, se singulis fide hoc sacramento utentibus remissionem peccatorum & reliqua beneficia traditione sui corporis & effusione sui sanguinis parta certo communicare, adplicare & obsignare. III.) *Chemnitium immerito de concilio Trident. conqueri* dicit, *quod nobis tribuat hanc sententiam, nullum esse alium effectum communionis, quam remissionem peccatorum, cum Lutheranos nos nominet, & sub distinctione loquatur.* Resp. quos ergo damnant Tridentini Areopagitæ in isto canone? Nominent illos, nobis cum illa opinione nihil est commune, neque enim de remissione peccatorum in eucharistia ita disputamus, ut reliquos ejus effectus plane negemus. Res ipsa ostendit, nobis hunc canonem oppositum esse, qui remissionem peccatorum, quæ est fundamentum reliquorum beneficiorum Christi omnium, præcipuum eucharistiæ fructum esse dicimus, nos igitur hac invidia prægravare voluerunt Tridentini, quod solum & unicum illum fructum exclusis reliquis urgeamus. IV.) *Impudentissimum mendacium* vocat, quod Chemnitius scripserat, *Romanenses ita dividere gratiam justificationis inter missae sacrificium & sumtionem eucharistiae, ut missae sacrificio tribuant ex opere operato remissionem peccatorum mortalium, & sumtioni eucharistiae solum remissionem venialium, etiam non sine periculo sumentis.* Resp. recognoscat Bellarminus sua verba: *Sacrificium missae non solum propitiatorium est pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus atque adeo mortalibus, id enim significat concilium Tridentinum, cum ait: crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* lib. II. de missa cap. 1. §. contrarium: *Sacrificium missae vim habet præcipue ex opere operato.* Lib. eodem cap. 4. §. *His notatis;* de sumtione eucharistiæ contra sic scribit: *Catholica ecclesia in concilio Tridentino docet, effectum eucharistiae praecipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animae & praeservationem a peccatis.* Libr. IV. de eucharist. cap. 17. §. *Jam vero.* Nec est, quod Bellarminus regerat, missæ sacrificium non justificare immediate, sed impetrare donum pœnitentiæ, per quod homo ad sacramentum accedere velit, & per illud justificetur. lib. II. de missa cap. 4. Ex eo enim multo magis confirmatur perversa illa opinio, quod satius sit & minori cum periculo conjunctum interesse missæ, quippe quæ prosit etiam non recte disposito, quam uti cœna dominica, quippe quæ in judicium sumitur, nisi purus & recte dispositus quis accesserit. Quod Bellarminus addit, *nullum esse in ecclesia usum petendi, nedum emendi missas pro remissione peccatorum*, id de vera Christi ecclesia rectissime asseritur, sed de ecclesia pontificia asseri nequit. Ipse Bellarminus diserte scribit lib. II. de missa cap. 4. §. Atque hinc: *Missae sacrificium dicitur impetratorium, quia impetrat remissionem culpae: satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnae: meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita adquirendi.* Lib. I. de missa cap. 25. dicit: *per sacrificium missae adplicari pretium redemtionis a Christo adquisitum.*

§. CCXVII. Hisce præmissis Bellarminus probare conatur cap. 18. effectum eucharistiæ præcipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animæ & præservationem a peccatis, adfert autem hæc argumenta. I.) *Christus* Joh. VI. *nusquam docet, eucharistiam institutam esse ad peccata remittenda, sed tantum ad vitam spiritualem conservandam & augendam.* Resp. inclusio unius non est exclusio alterius. In ipsis verbis cœnæ dicit Christus: *Bibite, hoc est sanguis nov. test.* jam vero novum testamentum etiam hoc complectitur: *Propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* Jer. XXXI. 34. Præterea Christus noranter dicit, illum nos in sacra cœna bibere sanguinem, qui pro peccatis nostris in a- *Argumenta Bellarmini.*

ra

ra crucis est effusus. Ergo ipsa institutio dominica, quæ est propria hujus doctrinæ sedes, manifeste ostendit, bibitione sanguinis in sacra cœna nos confirmari, quod ad nos quoque in specie pertineant beneficia nov. test. inter quæ præcipuum est remissio peccatorum. De fructu sacræ cœnæ non ex solo capite VI. Joh. sed etiam & cumprimis ex ipsis verbis institutionis faciendum est judicium. Si quidquam roboris Bellarmini argumento inesset, sequeretur, per eucharistiam ne quidem a culpis quotidianis nos liberari, quod tamen concilium Tridentinum adserit, cum nullius remissionis peccatorum Joh. VI. fiat mentio ex Bellarmini hypothesi. II.) *Propria ratio hujus sacramenti est, ut sit cibus spiritualis.* Joh. VI. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, *quod testatur etiam tum externa species panis & vini, tum actio manducandi & bibendi. At absurdissimum est, cibum & potum dare mortuis, cum inde non possint nutriri.* Resp. caro & sanguis Christi non solum sunt spiritualis animæ cibus & potus, sed etiam pretium nostræ redemtionis. Christus igitur exhibitione sui corporis & sanguinis promissionem de remissione peccatorum suo corpore & sanguine parta credentibus in sacra cœna adplicat, confirmat & obsignat, cum qua adplicatione & obsignatione nutritio ad vitam spiritualem minime omnium pugnat. Nec tamen mortuis, id est, qui in peccatis contra conscientiam adhuc hærent, & spiritualiter coram Deo mortui sunt, remissionem peccatorum usu cœnæ contingere dicimus, sed requirimus veram pœnitentiam & fidem. III.) *Agnus paschalis, panes propositionis, caro sacrificiorum non dabatur nisi mundis. Christus lavat discipulorum pedes, antequam sacramentum eis porrigeret. Filius prodigus annulo & vestimentis prius ornatur, antequam ad vitulum saginatum admitteretur.* Resp. hæc omnia probant, debitam præparationem usui eucharistiæ præmittendam, & in vera pœnitentia & fide accedendum esse, nequaquam vero probant, usu eucharistiæ non obsignari & confirmari in credentibus remissionem peccatorum. IV.) 1 Cor. X. *Unus panis, unum corpus multi sumus; qui de uno pane participamus, id est, hoc sacramentum non prodest nisi membris unitis cum capite & aliis membris. Jam vero, qui sunt in peccato mortali, illi non sunt viva Christi membra.* Resp. apostolus αἰτιολογικῶς pronunciat, *unus panis, unum corpus multi sumus, quia de uno pane participamus.* Ergo hoc sacramentum constituit non solum signum, sed & medium conjunctionis nostræ cum Christo capite & aliis corporis mystici membris, quod & superius confirmatum fuit. Non negamus, illis, qui in peccatis mortalibus constituti sine vera pœnitentia accedunt, hoc sacramentum non solum non prodesse, sed etiam nocere; interim ex eo inferri nequit, quod fructus sacramenti non possit nec debeat constitui remissio peccatorum. Quemadmodum enim nihilo minus fructus hujus sacramenti constituitur insitio in Christum, conjunctio cum Christo, inhabitatio Christi in nobis, licet salutaris ejus usus prærequirat fidem, per quam Christo inserimur, cum Christo conjungimur, & per quam Christus in nobis habitat, nimirum quia conjunctio illa per hoc sacramentum obsignatur, confirmatur atque arctior redditur: ita quoque inter fructus hujus sacramenti recte numeratur remissio peccatorum, licet salutaris ejus usus prærequirat fidem, per quam peccatorum remissionem consequimur, nimirum, quia promissio de remissione peccatorum per hoc sacramentum obsignatur, confirmatur, & in specie ad quemvis fide hoc sacramento utentem pertinere ostenditur. V.) *Paulus* 1 Cor. XI. *requirit sui probationem, & indignos judicium manducare ac bibere docet, id est, monet, ne quis cum conscientia peccati accedat.* Resp. probationem debitam ante usum sacræ cœnæ requiri, & indignos judicium sibi manducare ac bibere, nemo nostrum negat, ex eo vero inferri nequit, quod promissio de remissione peccatorum in usu hujus sacramenti non confirmetur & obsignetur. Cum conscientia peccati accedere dupliciter intelligi potest, *vel* de iis, qui in peccatis contra conscientiam & in proposito peccandi adhuc hærentes sine vera pœnitentia & fide accedunt, *vel* de iis, qui peccatorum sibi conscii serio de illis dolent, & remissionem eorum

fide

fide in Christo quærunt, firmum habentes propositum de vita in melius emendanda, & fugiendis serio peccatis. Illi judicium, hi vero vitam & salutem ex usu hujus sacramenti reportant.

Dicta veterum a Bellarmino adducta.

§. CCXVIII. Quæ ex patribus Bellarminus profert, nostræ sententiæ ne minima quidem ex parte adversantur, id enim solum probant, quod nemo nostrum negat, videlicet pœnitentiam & absolutionem usui sacræ cœnæ salutari præmittendam, finemque eucharistiæ esse spiritualem nutritionem &c. qua vero specie ex eo inferri potest, finem eucharistiæ non esse obsignationem & confirmationem promissionis de remissione peccatorum? Certe omnes veterum liturgiæ mentionem faciunt remissionis peccatorum, ea igitur a salutari hujus sacramenti usu non est secludenda. Denique has rationes profert. I.) *Sacramentum eucharistiae a baptismo & reliquis sacramentis est distinctum, ergo finem proprium habet diversum a fine baptismi & aliorum sacramentorum.* Resp. sicut omnia sacramenta conveniunt auctore, sive causa efficiente; ita etiam conveniunt fine generali, qui est confirmatio & obsignatio fidei de remissione peccatorum, ut ostendimus suo loco. Ergo hic finis sacramento eucharistiæ non est denegandus. II.) *Consuetudine ecclesiae antiquissima sacramentum eucharistiae datur neophytis immediate post baptismum. Atqui per baptismum homines ita abluuntur a peccatis omnibus, ut sint sancti & immaculati. Ergo eucharistia immediate superveniens post baptismum non invenit peccata, quae tollat.* Resp. ex eodem medio termino inferri posset, etiam baptismi finem non esse remissionem peccatorum, cum catechumeni vera fide eam jamdum fuerint consecuti. Rem ipsam quod attinet, ostendimus suo loco, remissionem peccatorum & eorum absolutionem per baptismum ita comparatam esse, ut reatu peccati soluto & vitiosa ejus qualitate mortificata, nihilominus aliquid in nobis perpetuo mortificandum & crucifigendum restet; ac fides in promissionem de remissione peccatorum eget confirmatione, obsignatione & augmento, etiam post baptismi usum. III.) *Catechumeni, energumeni & pœnitentes, id est, illi, qui pœnitentiam agunt, sed nondum absoluti & reconciliati sunt, usu ecclesiae antiquissimo a communione arcentur. At si effectus cœnae primarius esset, peccata remittere, catechumeni & pœnitentes isto pharmaco non essent defraudandi.* Resp. catechumeni, qui in fide christiana nondum plene instituti sunt, merito ab usu eucharistiæ arcentur, cum non adferant probationem illam sui, quam apostolus tam serio requirit: idem judicium de energumenis. Pœnitentes quod attinet, notum est ex veteris ecclesiæ historia, in articulo mortis ad communionem admissos esse eos, qui nondum expleverant constituta pœnitentiæ tempora. Spectacula ergo illa publicæ pœnitentiæ fuerunt exercitia disciplinæ ecclesiasticæ, propter quæ neutiquam salutari hujus sacramenti pharmaco vere pœnitentes fuerunt privati, sed ad signa veræ pœnitentiæ edenda & ad præstandam ecclesiæ satisfactionem prius compulsi. IV.) *Omnes adversarii fatentur, ante communionem requiri fidem, & aliqui eorum requirunt etiam pœnitentiam & absolutionem. Jam vero fides etiam sola justificat apud Lutheranos, & multo magis pœnitentia cum fide, & maxime omnium absolutio cum fide & pœnitentia, quia tunc adnunciatur remissio peccatorum ex verbo Dei, & fide adprehenditur. Quid igitur facit eucharistia? certe peccata invenit sublata & purgata.* Resp. hæc omnia facile explicantur, modo verus quæstionis status constituatur. Nequaquam finem eucharistiæ constituimus peccatorum remissionem hoc sensu: 1.) quasi negemus finem eucharistiæ esse spiritualem nutritionem, hæc enim sunt subordinata. 2.) Vel quasi statuamus, etiam impœnitentibus & in peccatis contra conscientiam hærentibus, adeoque sine fide accedentibus, per usum eucharistiæ contingere remissionem peccatorum. 3.) Vel quasi negemus veram & seriam probationem sui ante usum sacræ cœnæ præmittendam, sed huc respicimus: 1.) quod eucharistiæ usus in credentibus peccatorum remissionem confirmet & obsignet. Qui enim prægressa seria contritione fidem habet in hæc verba, quod corpus, cujus in sacra cœna sit particeps, sit in mortem pro nobis traditum,

&

& quod sanguis, quem in sacra cœna bibit, pro peccatis nostris in ara crucis sit effusus, illi certe promissio de gratuita peccatorum remissione obsignatur & confirmatur. Nequaquam dicimus, bibitionem sanguinis Christi in eucharistia esse causam meritoriam remissionis peccatorum, hoc enim pertinet ad effusionem sanguinis in cruce, sed hoc volumus, quod sanguis Christi in sacra cœna sumtus sit medium remissionem peccatorum obsignans, & actu exhibitam esse confirmans omnibus cum fide accedentibus. Quemadmodum igitur Bellarminus disputat lib. I. de missa c. 25. *sacrificium missae ideo remittere peccata, quia adplicat pretium redemtionis & remissionis peccatorum*; ita quoque a pari argumentari possumus, usum cœnæ dominicæ remittere peccata, quia adplicat & obsignat credentibus remissionem peccatorum obedientia & passione Christi adquisitam. 2.) Quod usus sacræ cœnæ fidem nostram confirmet, generalem evangelii promissionem de remissione peccatorum etiam ad nos in specie pertinere, atque ad fœdus illud novi testamenti, quod complectitur remissionem peccatorum, per veram pœnitentiam & fidem iterum nobis patere aditum, nosque in illud fideli sanguinis Christi bibitione recipi, siquidem bibamus illum sanguinem, quo novum testamentum sanctum est & confirmatum. 3.) Quod fides promissionem de remissione peccatorum amplectens non nitatur perfectione nostræ contritionis aut opinione propriarum satisfactionum, sed unice respiciat Christum, qui & merito & efficacia est salvator noster, siquidem non solum in ara crucis corpus suum pro nobis in mortem tradidit, & sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effudit, sed etiam illud ipsum redemtionis & remissionis pretium, id est, corpus & sanguinem suum in sacra cœna nobis exhibet, & manducandum ac bibendum præbet, ut hac corporis & sanguinis sui exhibitione nos confirmet & certos reddat, quod omnia beneficia sua traditione corporis & effusione sanguinis parta, inter quæ eminet remissio peccatorum, nobis donare, exhibere & adplicare velit. 4.) Quod fides piorum in hac vita perpetuo conflictetur cum infirmitate & variis tentationibus. Quamvis igitur verbum evangelii in absolutione testetur, vere nobis propter Christum remissa esse peccata, tamen fides grata mente etiam in sacramento eucharistiæ confirmationem & obsignationem tanti beneficii quærit, etenim cum in hoc sacramento, ex institutione & ordinatione Christi, corpus ipsius pro nobis in mortem traditum manducemus, & sanguinem ipsius pro peccatis nostris effusum bibamus: ideo in eo de remissione peccatorum firmam consolationis, fiduciæ & certitudinis anchoram, adeoque efficax antidotum ad erigendam & sustentandam languidam fidem in luctu & tentationibus habemus. 5.) Quod Filius Dei in vero & salutari eucharistiæ usu testetur, se credentes sibi ut membra inserere, impuritatem carnis peccatricis suo corpore & sanguine velut umbraculo coram Dei judicio tegere, eosque gestare, sustentare & vivificare, ut magis magisque ipsi conjungantur, & beneficia fide accepta firmius retineant. Sic ergo conjunctio nostra cum Christo, quæ fit per sacramentum eucharistiæ, nequaquam opponitur peccatorum remissioni, sed eam potius includit.

Exceptiones Bellarmini ad nostra argumenta.

§. CCXIX. Hæc omnia si probe expendantur, facile adparet, quid roboris insit Bellarmini responsionibus, quas Chemnitio opponere voluit. Ex ipsis institutionis verbis hoc modo argumentatur Chemnitius: Ipse Filius Dei eucharistiam nominat nov. test. & Jeremias affirmat in nov. test. comprehendi hoc pactum: *Propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* Et quidem in ipsa institutione Christus expressis verbis nominat remissionem peccatorum, dicens: *Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Bellarminus autem varia quærit effugia: 1) dicit: *testamentum novum variis modis accipi. Primo pro voluntate testatoris, quo modo eucharistia non sit testamentum. Secundo pro haereditate seu bonis a testatore legatis, quo modo eucharistia itidem non sit testamentum. Tertio pro instrumento publico, quod simul sit & signum voluntatis testatoris & causa instrumentalis adplican-*

plicandae hæreditatis, quo modo eucharistia dici possit testamentum novum. Resp. quo sensu eucharistia sit & dicatur nov. test. expositum superius §. 4. Quando testamentum dicitur *voluntas testatoris*, non intelligitur interior eius cogitatio, sed expressio voluntatis exterior verbis testamenti facta, sive ut Modestinus loquitur, *voluntatis justa sententia.* Hoc sensu eucharistiæ institutio dici potest Christi testamentum, quia Christus in hujus sacramenti institutione paulo ante mortem suam facta voluntatis suæ sententiam nobis exposuit. Nec altera significatio testamenti plane aliena est ab hoc sacramento, quia Christus testator discipulis suis & omnibus vere credentibus velut hæredibus suis in hoc testamento legavit pretiosissima bona, remissionem scilicet peccatorum, gratiam Dei, donationem Spiritus sancti & vitam æternam. Sed demus, eucharistiam tertio tantum modo testamentum dici, videlicet quia simul est signum voluntatis testatoris & causa instrumentalis adplicandæ hæreditatis; ex eo certe immote colligitur, remissionem peccatorum non posse ab hoc testamento excludi, cum ad hæreditatem illam pertineat, cujus adplicandæ instrumentum eucharistiam esse Bellarminus concedit, unde sic colligimus: Quod est causa instrumentalis adplicandæ hæreditatis a Christo nobis adquisitæ, illud est etiam causa instrumentalis adplicandi remissionem peccatorum, *ratio* est, quia ad hæreditatem a Christo nobis adquisitam pertinet remissio peccatorum. Atqui sacramentum eucharistiæ est causa instrumentalis adplicandæ hæreditatis a Christo nobis adquisitæ. Ergo est etiam causa instrumentalis adplicandi remissionem peccatorum. II.) Sed videamus, quomodo vim hujus argumenti infringere conetur: *Si eucharistia dicatur nov. test. quia est signum voluntatis testatoris, tamen nulla est difficultas. Quia enim eucharistia est signum & repræsentatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis testatoris & omnium bonorum nobis promissorum, atque adeo etiam remissionis peccatorum. Sic ergo in eucharistia continetur remissio peccatorum, quatenus per eam repræsentatur effusio sanguinis Domini, per quam omnia peccata remittuntur, non autem ex eo inferendum, quod bibatur sanguis in remissionem peccatorum.* Resp. finis institutionis eucharistiæ non est repræsentatio passionis, sed communicatio corporis & sanguinis Christi, ut suo loco plenius docuimus. Quia ergo per calicem eucharisticum non repræsentatur effusio sanguinis Christi in cruce, (alias enim calix esset effundendus) sed bibitur ex eo Christi sanguis in remissionem peccatorum effusus, ergo bibitio illa sanguinis ex calice confirmat & obsignat in credentibus remissionem peccatorum. Pertinet huc pulcerrima gradatio Lutheri: *Calix eucharisticus continet vinum. Vinum exhibet Christi sanguinem. Sanguis Christi complectitur nov. test. quia est novi testamenti sanguis. Novum testamentum continet remissionem peccatorum. Ergo bibitio ex calice eucharistico adplicat, obsignat & confirmat credentibus promissionem de remissione peccatorum.* Sacramentum illud ipsum, quod signat, etiam confert & exhibet. Sacramentum eucharistiæ est signum remissionis peccatorum. Ergo eandem confert & exhibet. Utraque propositio est Bellarmini. Prior quidem libr. I. de sacramentis, c. 9. memb. 6. Posterior vero hoc loco. III.) *Si dicatur eucharistia testamentum ut causa instrumentalis adplicandae hæreditatis, tum respondemus*, (inquit Bellarminus) *esse quidem eucharistiam etiam hoc modo testamentum, sed adplicari per eam hæreditatem alio modo quam per alia sacramenta.* Resp. quis vero hoc negat? Promissio de remissione peccatorum in sacramento baptismi adplicatur, obsignatur & confirmatur adfusione aquæ facta in nomine sanctæ Trinitatis: in eucharistia adplicatur manducatione corporis & bibitione sanguinis Christi; interim tamen est & manet eadem promissio, eadem hæreditas, idem beneficium, licet medium adplicationis & obsignationis sit diversum. Pergit Bellarminus, *per eucharistiam adplicari Christi merita & gratiam Dei, quae est hæreditas, non proprie ad peccata remittenda, sed ad animam nutriendam & praeservandam a peccatis.* Resp. imo vero in usu eucharistiæ statuendum est, fieri in credentibus adplicationem & obsignationem omnium beneficiorum Christi mediatoris. Quia

enim

enim in eucharistia accipimus illud Christi corpus, quod pro nobis traditum est, & sanguinem illum nov. test. qui in remissionem peccatorum effusus est, quis neget, credentes ibi percipere thesaurum omnium beneficiorum Christi? Accipiunt enim illud, *in quo peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis communicatur*, quæ sunt verba Chemnitii. Quomodo ergo probat Bellarminus, hæreditatem in eucharistia non adplicari nobis integram? *In baptismo*, inquit, *adplicantur nobis Christi merita per modum lavacri ad abluendas maculas; in sacramento pœnitentiæ adplicantur per modum emplastri vel pharmaci ad curanda vulnera. In eucharistia autem adplicantur per modum cibi & potus ad reficiendum & nutriendum & præservandum a morbis.* Resp. tam in eucharistia, quam in baptismo, credentibus adplicantur & obsignantur omnia Christi beneficia, cum fidei confirmatio, augmentum & obsignatio sit finis generalis omnium sacramentorum. Relinquimus quidem & tribuimus cuique sacramento, quod cujusquam proprium est, (inquit Chemnitius) per baptismum in Christo renascimur, renati verbo & eucharistia alimur. Lapsi per pœnitentiam & fidem ad promissionem gratiæ revertimur, & ejus fide propter mediatorem Deo rursus reconciliamur. Et tamen ab hoc etiam usu eucharistiæ, quæ continet fundamentum remissionis peccatorum, corpus scilicet & sanguinem Christi, non excludimur. Filius Dei enim in eucharistia præstantissimo & certissimo pignore, exhibitione scilicet corporis & sanguinis sui testatur, se singulis fide hoc sacramento utentibus certo communicare, adplicare & obsignare remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo & reliqua sua beneficia, quæ traditione sui corporis & effusione sui sanguinis ecclesiæ ita adquisivit, ut verbo & sacramentis offerrentur & fide acciperentur. IV.) Tandem igitur concedit Bellarminus, eucharistiam etiam adplicare hæreditatem, quantum ad remissionem peccatorum. *Posset etiam dici*, inquit, *eucharistiam adplicare haereditatem etiam quantum ad remissionem peccatorum;* Cur ergo toties id negatum ivit? Audi vero limitationem: *sed tamen solum, cum ea est necessaria.* Atqui credentibus quotidie est necessaria peccatorum remissio, cum ex institutione magistri sui quotidie orent: *Remitte nobis peccata nostra.* Quando vero Bellarminus judicat peccatorum remissionem esse necessariam? *cum ii*, (inquit) *qui non indigne accedunt, habent aliqua peccata mortalia, quorum tamen conscientiam non habent.* Concedit ergo Bellarminus etiam mortalium peccatorum remissionem per eucharistiam adplicari, eorum scilicet quorum conscientiam non habent, qui in vera pœnitentia & fide accedunt, idem vero & nos dicimus, qui enim in peccatis contra conscientiam adhuc hærent, ac sine pœnitentia, sine fide, sine proposito melioris vitæ accedunt, illis tantum abest, ut remissionem peccatorum mortalium usu eucharistiæ adplicari statuamus, ut judicium potius illos manducare ac bibere sonora voce profiteamur. Ex his de reliquis, quæ contra Chemnitium disputantur, facile potest fieri judicium.

§. CCXX. Neo-Photiniani(*) itidem negant fidem nostram usu sacræ cœnæ confirmari, catechismus Racov. p. 217. (**) quod in fanaticis illis mirum non est, cum ipsum fidei fundamentum, Christi scilicet meritum & satisfactionem, negent, cumque Christi corpus vere & realiter in cœna præsens esse totis viribus inficientur, contra autem statuant, sacram cœnam non esse sacramentum aliquod, in quo Deus cœlestia beneficia

(*) De neo-photinianis atque iis, qui eorum vestigia heic sequuntur, in *adpendice* uberius differemus.

(**) Smalcius in refut. thes. D. Frantz. p. 332. *Non est dissimulandum, quam graviter errent omnes Lutherani, dum id, quod morti Christi tribuere debebant, ceremoniæ huic externæ,* (cœnæ Domini) *quæ est commemoratio istius mortis, tribuunt. Mors enim Christi est, quæ nos omnes & singulos certos reddit de divina benignitate &c. hoc ergo dum cœnæ dominicæ adscribit Frantzius, non procul abest ab aliqua idololatriæ specie.* GERHARDUS.

neficia nobis dispenset, sed nostrum opus, quo Deo aliquid damus, honorem scilicet & obedientiam nostram ipsi probantes. Utuntur autem hisce potissimum rationibus, si modo rationes sint dicendæ: 1.) *Manducatio & bibitio in mente hominis nihil efficere ac procurare potest.* Resp. confunditur manducatio *naturalis* cum *sacramentali*. Per symbola externa in verbo & sacramentis dispensat nobis Deus bona cœlestia, nec per immediatos adflatus, sed mediate per ministerium verbi & sacramentorum regenerationem ac renovationem in animis nostris operari ipsi placuit, qua de re plura suo loco. 2.) *Ne minimum quidem vocabulum hac de re in sacris literis exstat.* Resp. imo vero Christi institutio diserte testatur, exhiberi nobis illud ipsum corpus, quod in mortem pro nobis traditum, & ipsum illum sanguinem, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus, quo pretiosissimo pignore fides nostra de gratia Dei, Christi morte parta, mirifice confirmatur. Repetantur hoc loco ea, quæ de fidei confirmatione per usum sacræ cœnæ ex scripturis superius fuerunt prolata. 3.) *Remissio peccatorum non contingit nobis propter recordationem mortis Domini, sed propter mortem ipsam.* Resp. turpissime confunduntur & meritum & adplicatio meriti. Negant Photiniani ipsum Christi meritum, quid mirum, quod de adplicatione illius meriti gravissime errent?

CAPUT XXI.

DE CONVIVIS, QUI AD HOC COELESTE EPULUM ADMITTENDI SUNT.

Quibus instituta sit sacra cœna.

§. CCXXI. Egimus hactenus de omnibus causis, videlicet de efficiente, materia, forma & fine hujus mysterii, consequens est, ut de *objecto* ejusdem, hoc est, de convivis, quibus cœleste illud epulum a Christo institutum, quique ad illud admittendi sint, in posterum disseramus, ubi dicimus, solis christianis, hoc est illis, qui doctrinam Christi amplectuntur, qui baptismi sacramentum susceperunt, & ecclesiæ christianæ inserti sunt, eucharistiam esse institutam ac proinde illos solos ad eam esse admittendos. 1.) Quia Christo in prima sacræ cœnæ institutione & administratione res fuit cum suis discipulis, teste evangeliorum ternione. Jam vero ut in vet. test. duodecim filii patriarchæ Jacobi repræsentarunt totum populum Israëliticum; Exod. XXVIII. 10. Jos. III. 12. IV. 2. Apoc XXI. 12. ita quoque duodecim apostoli in nov. testam. repræsentarunt totum populum christianum & omnes Christi discipulos, siquidem ut ex duodecim filiis Jacobi patriarchæ, Israëlis a Deo adpellati, omnes Israelitæ per carnalem generationem descendunt: sic per verbum apostolorum tota ecclesia christiana spirituali generatione in nov. testam. est prosemi-

1.) Christianis.

nata. Joh. XVII. 20. *Non pro illis tantum rogo, sed etiam pro iis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* 2.) Quia sacramenta sunt bona ecclesiæ propria, proinde qui sunt extra ecclesiæ pomeria constituti, ad eorum usum non sunt admittendi. 1 Cor. V. 12. *Quid mihi de illis, qui foris sunt, judicare? nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.* 3.) Quia Christus diserte prohibet, *sanctum dare canibus, & margaritas projicere porcis;* Matth. VII. 6. jam vero qui sunt extra cœlestem Hierosolymam constituti, vocantur canes Apoc. XXII. 15. quo etiam referri potest aliquo modo dictum Christi Matth. XV. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & projicere canibus.* 4.) Quia Ephesii & sub persona eorum reliqui omnes ex gentilitate ad Christum conversi ante suam vocationem dicuntur ξένοι τῶν διαθήκων τῆς ἐπαγγελίας, Eph. II. 12. jam vero Christus eucharistiam vocat *novum testamentum*, Luc. XXII. 20. unde sic colligimus: qui sunt alienati a politia Israelis, hoc est, extra ecclesiæ pomeria constituti, illi etiam sun-

sunt alienati ac peregrini a testamentis promissionis. Qui sunt alieni a testamentis promissionis, illi etiam ad sacramenta testamenti & promissionis sigilla non sunt admittendi. 5.) Quia ad sacramentale epulum agni paschalis non fuerunt admissi, nisi qui per circumcisionis sacramentum in consortium ecclesiæ Israeliticæ prius fuere recepti. Exod. XII. 43. *Haec est religio Phase. Omnis alienigena non comedet ex eo.* v. 44. *Omnis autem servus emtitius circumcidetur, & sic comedet.* v. 48. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terrae. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.* Jam vero sacramentum agni paschalis fuit typus eucharistiæ, sicut circumcisio baptismi, ut ostendimus superius §. 32. Ergo ad eucharistiam admittendi non sunt, nisi qui baptizati prius fuerint. 6.) Quemadmodum prius est nasci quam pasci in vita naturali; ita quoque per baptismum ex aqua & Spiritu prius oportet nos renasci, antequam Christi corpore & sanguine ad vitam æternam alamur. Joh. VI. 54. Quo pertinet praxis veteris ecclesiæ, in qua catechumeni a baptismo demum ad mensam dominicam sunt adducti, ut monuimus statim in principio hujus tractatus. Quotquot igitur sunt extra ecclesiam, hoc est, pagani, Turcæ & Judæi, ad eucharistiam admittendi non sunt, priusquam Christo dent nomen & in Christum baptizentur.

§. CCXXII. Neque vero promiscue omnes christiani ad sacram cœnam admittendi sunt, sed juxta regulam Paulinam illi solum, *qui sese probant*, 1 Cor. XI. 28. hoc est, *qui se ipsos dijudicant*, v. 31, corpus Domini a reliquis vulgaribus cibis *distinguunt*, v. 29. *& mortem Domini adnunciant.* v. 26. Excluduntur igitur omnes illi, qui se probare vel nolunt, vel non possunt, utpote 1.) imbuti hæresi, hoc est, qui in errore contra fundamentum fidei, neglectis admonitionum gradibus pertinaciter & præfracte perseverant, illi enim cum per hæresin a consortio veræ ecclesiæ se ipsos segregent, ideo etiam ad sacramenta, quæ sunt bona ecclesiæ propria, neutiquam admittendi erunt, quo in specie pertinent illi, qui veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in sacra cœna pertinaciter negant. Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus*, jam vero hæretici vocantur *canes*. Phil. III. 2. 1 Cor. XI. 29. *Qui indigne manducat & bibit, judicium sibi ipsi manducat & bibit, eo quod non discernit corpus Domini*, hoc est, non credit corpus Christi in hoc sacramento vere adesse, & mediante benedicto pane distribui. Tit. III. 10. *Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita.* 2 Joh. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* v. 11. *Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Distinguendum tamen inter errores fundamentum fidei & salutis evertentes, atque inter dissensiones circa quæstiones quasdam non concernentes ipsum fidei fundamentum, per quas unitas in Christo minime evertitur. Distinguendum etiam inter eos, qui ex ignorantia vel infirmitate errores quosdam amplectuntur, & inter eos, qui neglectis omnibus informationibus & admonitionibus in erroribus perseverant. Qui retento fidei fundamento erroneas opiniones quidem fovent, interim tamen paratos se profitentur informationem suscipere, & meliora docenti credere, illi spiritu lenitatis & mansuetudinis ferendi, informandi & instaurandi sunt, Gal. VI. 1. neque ex consortio ecclesiæ, vel ab usu eucharistiæ morose statim arcendi. Hac de re in constitut. eccles. electorali articul. generali 8. pag. 314. sic statuitur: *Die im Glauben vom H. Abendmahl irrig worden, sollen die Pfarrer mit dem Geist der Sanftmut aus Gottes Wort grundlich berichten, und die gradus admonitionum mit denselben, wie auch andern, halten, wenn sie aus Gottes Wort nothürftiglich unterwiesen worden.*

2.) *Qui se probare possunt.*

Excluduntur igitur 1.) haeretici.

§. CCXXIII. II.) Notorii peccatores, qui obstinate in publicis delictis & sceleribus contra conscientiam perseverant, neque ullam veræ pœnitentiæ significationem edunt. Tales ad sacram cœnam admittendi non sunt, tum propter dignitatem hujus sacramenti. Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas projicere porcis.* Jam vero impœnitentes & in luto peccatorum pertinaciter hærentes dicuntur canes & porci. Prov. XXVI. 11. 2 Pet. II. 20. 22. Tum propter præsentissimum periculum, quod ex indigna manducatione ad ipsos redundat. 1 Cor. XI. 27. *Qui manducat & bibit indigne, reus est corporis & sanguinis Domini*, v. 29. ac *judicium sibi ipsi manducat & bibit.* Tum denique propter communicationem peccati alieni, cujus sese participem reddit minister ecclesiæ notorios & impœnitentes peccatores ad hoc cœleste convivium admittendo. 1 Tim. V. 22. *Ne communices peccatis alienis.* Constit. eccles. electoral. art. gener. VII. p. 311. *Das Sacrament unehren nicht allein, die es unwürdig empfahen, sondern auch, die es mit Unfleis unwürdig geben.* Unde graviter pronunciat Chrysostomus homil. LXXXIII. in Matth. *malle se sanguinem & vitam suam profundere, quam cum vulnere conscientiæ indignos ad sacram cœnam admittere.* Immundi ab usu agni paschalis arcebantur, Num. IX. 6. quanto magis illi, qui in immunditie peccatorum graviorum sine vera pœnitentia pertinaciter hærent, a communione sacræ cœnæ arcendi fuerint? *Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idololatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum tali non cibum sumite*, præcipit apostolus; 1 Cor. V. 11. quanto minus tales ad cœleste hoc epulum cum reliquis admittendi erunt? Huc in specie pertinent illi, qui cum proximo, quem offenderunt, nondum reconciliati sunt, sed ferventes iræ atque odii flammas in corde circumgestant, quibus inculcandum illud Christi: Matth. V. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversum te;* v. 24. *relinque ibi munus tuum ante altare & vade, prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Distinguendum tamen inter peccata *notoria* & *occulta*, quæ soli ministro ecclesiæ vel paucis quibusdam nota sunt. Itemque inter peccatores impœnitentes, & inter eos, qui aliquam veræ pœnitentiæ significationem edunt. Certe Christus Judam una cum reliquis ad usum eucharistiæ admisit, ut colligitur ex Luc. XXII. 20. Quanquam enim Judas jam tum in corde constitutum habebat Christum prodere, quin imo mercedem iniquitatis jam tum acceperat, interim tamen gravissimum illud peccatum soli Christo, nequaquam vero ulli ex apostolis eo tempore notum erat, quærunt enim invicem Luc. XXII. 23. *Quisnam sit proditor ille futurus?* ideo Christus, prægressa gravi & seria præmonitione, ut a peccato illo desistat, Judam una cum reliquis ad sacram cœnam admittit. Exemplo igitur Christi minister ecclesiæ illos, quorum peccata adhuc occulta sunt, ab usu sacræ cœnæ non excludat, sed graviter & serio de exitiali manducatione indignorum ipsos præmoneat, & ad veram pœnitentiam hortetur. Illos etiam, qui lapsu aliquo præoccupati sunt, interim tamen peccata sua agnoscunt, serio deplorant & emendationem pollicentur, quin etiam peccata sua notoria & graviora in facie ecclesiæ deprecantur, illos, inquam, minister ecclesiæ nequaquam ab usu cœnæ arceat, sed promto animo recipiat, & cum ecclesia prius reconciliatos ad sacram cœnam admittat. Notorios vero & impœnitentes peccatores qua moderatione tractare debeat, exponit constit. eccl. elector. artic. generali 7. p. 312. hisce verbis: *Die in ihren Sünden unbußfertig verharren, und sich nicht bessern wollen, sollen zur Communion nicht zugelassen werden, doch mit ihnen nicht geeilet, sondern die gradus admonitionum vorgenommen, und also niemand allein auf eigen Erkentniß der Pfarrherrn vom H. Abendmahl abgehalten werden.* Et postea artic. gener. X. pag. 320. *Es soll niemand vom heiligen Abendmahl abgehalten werden, viel weniger öffentlich in Bann gethan werden, er sey denn impœnitens, das ist, er erzeige sich denn also, daß er alle Vermahnung verachte, und gäntz-*

2.) *Peccatores notorii.*

gäntzlich keine Besserung zu hoffen sey. Welches doch weder auf die erste oder andere Vermahnung geschehen soll, sondern wenn gegen ihme, vermöge der Lehr Christi, die gradus admonitionum, das ist, die ordentliche Vermahnungen, nacheinander gehalten und keine Besserung erfolget, für die Kirchen, das ist, für die Verordneten des Consistorii gestellet, und also zum letzten mal ernstlich zur Besserung vermahnet werden, und da er sich noch unbussfertig erweisen, und die Obrigkeit gebührende Straffe nicht gegen ihme vorgenommen, dadurch zur Erkäntnüß seiner Mißhandelung gebracht werden möchte, alsdenn erst auf Erkänntnuß des Synodi und zuvor nicht, solcher Ernst gegen ihm vorgenommen werden soll. p. 321. *Da sich ein unversehener Casus zutrüge, daß ein Pfarrherr Bedencknüß hätte, deßwegen jemand aus seinen Pfarrkindern zum H. Abendmal zuzulassen, soll er, da es Verzug zu leiden mag, solches alsbald an seinen ordentlichen Visitatorn gelangen lassen, und seines Bescheides erwarten, damit kein Pfarrherr etwas in solchen Sachen unbedächtig oder unordentlich aus seinem eigenen Kopff vornehme oder handele, &c.* Monendum etiam hoc loco eos, qui controversias habent coram magistratu non esse ab usu cœnæ temere arcendos, si controversias magistratui & juri permittant, nec exerceant odium erga personas, sed jus suum postulent, & urgeant justis modis, quia jus civile est ordinatio divina.

3.) *Excommunicati.*

§. CCXXIV. III.) Excommunicati ante publicam cum ecclesia reconciliationem, quia tam minor quam major excommunicatio suspensionem ab usu sacramentorum complectitur. Matth. XVIII. 17. *Si quis ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Interim tamen si excommunicati morbo lethali oppressi communionem a ministro ecclesiæ petant, ad eam omnino admittendi sunt, ubi prius testati fuerint, se ex animo dolere de admissis peccatis, & polliciti fuerint reconciliationem cum ecclesia post impetratam a Deo sanitatem. Constat enim ex historia veteris ecclesiæ, quod ante expleta pœnitentiæ tempora moribundis absolutionem & sacræ cœnæ communionem impertiverint. Sic in concilio Nicæno can. XIII statuitur, *nemini pœnitentium in mortis articulo sacram communionem denegandam esse.* Idem ostendit historia Serapionis, quam Eusebius lib. VI. hist. eccles. c. 43. ex epistola Dionysii Alexandri, episcopi, commemorat: *Serapion quidem erat fidelis senex, qui diu quidem inculpate vixerat, in persecutione vero ecciderat. Hic saepe numero recipi petierat, verum nemo illi attenderat, sacrificaverat enim. In morbo autem constitutus totum triduum mutus & sensuum facultate destitutus mansit. Post ubi quarto die nonnihil convaluisset, nepoti ex filia ad se vocato dixit: quousque o fili, detinetis me? obsecro properate & velociter absolvite, voca ad me aliquem ex presbyteris, quibus dictis iterum obmutuit. Currit puer ad presbyterum, erat autem nox, presbyter aegrotabat, adeoque ire cum puero non poterat. Quoniam vero mandaveram morituros, si petant & maxime si etiam ante suppliciter petierant, admitti debere, ut spe bona fulti migrent, parum eucharistiae puero dedit, jussitque ut id infunderet, & in os senis instillaret. Puer redit adferens eucharistiam. Cum autem e vicino esset, antequam ingrederetur rursus Serapion, venis, inquit, fili? Presbyter quidem venire non potest, tu vero confestim facito, quod ille praecepit, meque dimitte: Infudit puer, ac simul ori senis instillavit. Qui cum parum gustasset, mox spiritum reddidit. An non perspicue hic senex tantisper detentus fuit, donec absolveretur, & a peccato liberatus coram multis, quae fecerat, confiteri posset.*

4.) *Obsessi, furiosi, dementes.*

§. CCXXV. IV.) Obsessi, furiosi, & rationis usu destituti; illi enim nec se ipsos probare, nec corpus Domini discernere possunt, quod tamen ab omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus, tam graviter & serio apostolus requirit. 1 Cor. XI. 28. & 29. Si qui tamen lucida amentiæ vel furoris habent intervalla, illos ab usu sacræ cœnæ excludi fas non

non erit, si debitam sui probationem indiciis minime dubiis reddiderint manifestam. V.) Personæ infames, hoc est, illi, qui talibus artibus dant operam, quibus sine peccato mortali incumbere nequeunt, quales sunt magi, necromantici, lenones, manifesti usurarii, gladiatores, qui ad mortem usque invicem depugnant, & similes, illi ad sacram communionem admittendi non sunt, priusquam damnabilium istorum artificiorum omissione veram & seriam suam pœnitentiam demonstrent. Neque tamen carnifices, lictores & facinorosi supplicio adjudicati, licet pro infamibus personis passim censeantur, ab usu sacræ cœnæ excludendi sunt. Officium enim lictorum & carnificum in se ac per se nec illicitum est, nec infame, sed justitiæ ministerium magistratui politico debitum & publicæ tranquillitati serviens. Facinorosi supplicio adjudicati, si vere & serio de admissis peccatis doleant, vera fide Christi beneficia adprehendant, & meritas peccatorum pœnas patienter sustineant, tam non possunt ab usu cœnæ exclusi, quam pœnitens latro in cruce ex paradiso non est a Christo exclusus. Luc. XXIII. 43.

5.) Personæ infames.

§. CCXXVI. Quæritur hoc loco I.) *Quid statuendum sit de mutis, an illi ad eucharistiam admittendi sint, nec ne?* Resp. si non potest ex gestibus externis sciri, num debitam sui probationem adferant, arcendi sunt. Si vero indiciis & gestibus externis pœnitentiam, fidem ac devotionem suam testentur, admittendi. Lutherus in serm. de nov. test. circa finem tom. I. Jen. germ. f. 318. & tom. VII. Witteberg. p. 38. *Es haben etliche gefraget, ob man den Stummen auch soll das Sacrament reichen. Etliche meynen sie freundlich zu betriegen, und achten, man soll ihnen ungesegnete Hostien geben. Der Schimpff ist nicht gut, wird Gott auch nicht gefallen, der sie so wol zu Christen gemacht hat als uns, und ihnen eben das gebührt, das uns. Darum so sie vernünfftig sind, und man aus gewissen Zeichen mercken kan, daß sie es aus rechter christlicher Andacht begehren, wie ich offt gesehen habe, soll man dem H. Geist sein Werk lassen, und ihm nicht versagen was er fordert, es mag seyn, daß sie inwendig höhern Verstand und Glauben haben denn wir, welchem niemand soll frevel widerstreben. Christus lies die Kinder zu ihm kommen, wollte nicht leiden, daß ihnen jemand wehret, so hat er auch seine Wolthat weder Stummen, noch Blinden, noch Lahmen versaget, warum sollte denn sein Sacrament nicht auch denen werden, die sein hertzlich und christlich begehren.* Eberus pastor ecclesiæ Witteberg. in literis ad quendam ministrum ecclesiæ datis 12. Junii anno 1561. sic scribit: *Reverende Domine pastor, ego quoque sum in ea sententia tecum, ut putem sacrosanctam cœnam Domini cum summa reverentia & judicio tractandam, & non facile admittendos esse, qui vel per aetatem vel alium defectum prorsus non intelligunt verum usum sacramenti, cum Paulus diserte praecipiat,* probet se ipsum homo &c. *Sed quia scribis, hunc mutum & surdum, de quo consultus es, longo tempore adsiduum fuisse spectatorem ceremoniarum, & talia signa edere, ex quibus conjectura capi potest, eum aliquid tamen ratiocinari de re, quae ibi exhibetur, & de fine, cur sumatur, ego sane ita cupide expetentem usum cœnae, nescio, an quem arcere a sacra synaxi, si mihi talis casus in hac ecclesia objiceretur. Experimur in ejusmodi imbecillibus ut in pueris & aliis interdum lucem & operationem Spiritus sancti mirabiliter efficacis, aliquando per picturas non aliter, quam per vivam vocem auribus haustam. Vellem tamen si adhibitis picturis posset ejus captus & intellectus de praecipuis partibus catecheseos explorari, ut ad sequentem modum examinaretur: 1.) An agnoscat se peccatorem esse? 2.) Quis pro peccatis satisfecerit? 3.) Quem Deum invocet? 4.) Quot sint personae divinitatis? 5.) An credat se baptizatum? 6.) An expetat absolvi a peccatis per ministerium? 7.) An corde & mente invocet Deum? 8.) An serio expetat eucharistiam? 9.) An velit pie vivere & peccata vitare. Et si quid tale monstratione picturarum & gestibus confessionis loco ederet, atque sic conspiceretur signa mentis*

Quæritur 1.) An mutus ad eucharistiam admittendus sit?

tis non prorsus alienae a doctrina fundamenti, vellem eum in nomine Domini ad cœnam Domini admittere. Et audivi talia exempla, ubi tales muti & surdi ab aliis quoque admissi sunt ad communionem. Christus certe ad se admisit, & sanavit surdum & mutum. Marc VII. *Et antiquitas, ut Augustinus refert, etiam infantes voluit fieri participes corporis & sanguinis Christi. Puto igitur in tali casu adhibita prudentia & reverentia debita posse muto & surdo concedi usum sacratissimae cœnae Domini.* Hæc Eberus. Johan. Gallus, professor Erfordiensis, in methodo doctrinæ de cœna, edita Erford. anno 1578. q. 6. sic scribit: *Mutis omnino porrigendum est sacramentum, si tamen ex evidentibus signis animadvertitur, quod se peccatores, Christum vero suum salvatorem agnoscant, & toto corde hoc sacramentum adpetant, sicut ego hic Erfordiae aliquoties cuidam muto, eique simul surdo cœnam exhibui, qui eam desiderans oculis sursum ad cœlum sublatis, manibusque complicatis alte suspirabat, & deinde mensam cum Christo adstante & discipulis adsidentibus panem & calicem distribuente in scamnum sive parietem pingebat, ac postea accepta absolutione devotissime ad altare corpus & sanguinem redemtoris sumturus accedebat.* Hæc ille. Cum in aula principis laudatissimi Johannis Casimiri Saxoniæ ducis anno 1613. sacris confessionibus audiendis vacante aulici concionatoris munere præficerer, accedebat inter reliquos quidam mutus & surdus ex principis famulitio, qui non solum mirabilibus gestibus peccatorum suorum agnitionem & fidem in Christum testabatur, sed etiam confessionem peccatorum manu sua scriptam exhibebat, quem una cum reliquis ad usum sacræ cœnæ admittere non verebar.

§. CCXXVII. II.) Quæritur, *quid cum abstemiis agendum?* Resp. Pontificii propter abstemios unius tantum speciei usum introducere satagunt, ut ex Bellarmino, Becano & aliis adparet, sed cum rarissimi sint tales abstemii, qui ita abhorrent a vino, ut non possint guttulas aliquot exhaurire, ideo præposterum, iniquum & temerarium est, propter unum itemque alterum, qui forte non utitur vino, totam ecclesiam usu sacri calicis privare, ut monuimus superius §. 67. memb. 3. Si qui plane aversantur vinum, ut nec guttulas aliquot sine præsentissimo vomitionis periculo adsumere possint, illis quidam suadent panem solummodo consecratum exhibere; sed cum calix sit pars essentialis eucharistiæ, ideo præstat tales ab usu cœnæ abstinere, quam contrarium aliquid divinæ institutioni suscipere. Docendi sunt tales abstemii, quorum tamen paucissimi inveniuntur, non privationem, sed contemtum sacramenti damnare, monendi, ut crebro & devote administrationi sacræ cœnæ intersint, atque una cum reliquis ad sacram cœnam accedentibus spiritualem corporis & sanguinis Christi communicationem seriis precibus & gemitibus experant. Johan. Gallus in libro proxime citato quæst. 2. *Abstemii, quorum natura ita fugit & reformidat usum vini, ut ne primis quidem labris illud gustare possint, omnino a mensa Domini sunt removendi, & de spirituali manducatione bene erudiendi, de qua Augustinus inquit: Crede & manducasti. Quanquam enim abstemii non possunt uti sacramento propter naturalem ἀδυναμίαν, tamen vim sacramenti fide percipiunt, qua statuunt, iram Dei placatam esse passione & morte filii corpus suum offerentis pro nobis, & sanguinem suum fundentis in remissionem peccatorum.* Schepperus in disput. de cœna thes. LXXIV. *Quidam statuunt, abstemios sub una specie communicare posse, cui sententiae & meus libellus de cœna ante hoc tempus editus adstipulatur, sed institutioni Christi minus derogare videtur, si abstemius ne guttulam quidem vini (meri) ferre possit, quae sumta in sacra cœna sufficeret, ut pauxillo vino consecrato admisceatur aqua ac id exhauriatur, juxta Agend. Norinberg.* (*)

Q. 2.) Quid cum abstemiis agendum.

§. CCXXVIII.

(*) Chamierus tom. IV. panstrat. lib. VIII. c. 11. n. 9. *Sciunt ipsi papistae, a nobis tolerari usum uniu speciei in iis, qui penitus vini gustum ferre non possint.* GERHARDUS.

Q. 3.) *An etiam mortuis eucharistia instituta?*

§. CCXXVIII. Quæritur III.) *an etiam mortuis eucharistia instituta?* Resp. ex concilio Carthagin. III. can. IX. itemque VI. synodo universali in Trullo can. LXXXIV. colligitur, eucharistiam mortuorum ori olim impositam fuisse. Gregorius lib. II. dial. c. 24. refert, Benedictum eucharistiam pectori cujusdam monachi demortui imposuisse, quod in concilio Altisiodor. can. XII. prohibitum. In libello Amphilochii refertur de Basilio, quod adservatam habuerit hostiam, quam etiam secum contumulari decreverat. Pontificii missas celebrant pro defunctis. Sed his & similibus eucharistiæ abusibus opponimus institutionem Christi. Christus in verbis institutionis jussit mediante benedicto pane corpus suum manducare, mediante benedicto vino sanguinem suum bibere, & mortem suam adnunciare. Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 26. Jam vero mortui nec manducationem nec bibitionem, nec mortis dominicæ adnunciationem præstare possunt. Psalm. CXV. 17. Nec sacrificium quoddam pro mortuis, sed sacramentum pro vivis a Christo in eucharistia institutum esse, alibi ostenditur.

Q. 4.) *An infantibus eucharistia danda?*

§. CXXIX. Quæritur IV.) *an infantibus eucharistia exhibenda?* Resp. constat ex Dionysio, Cypriano, Augustino atque aliis patribus, eucharistiam etiam infantibus fuisse olim exhibitam propter locum Joh. VI. 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis* (*). Innocentius papa in sua summa cap. 9. *Quia eucharistia augmentum dat gratiae, ideo dixerunt quidam, quod parvulis danda esset eucharistia in forma liquida sanguinis dominici, vel in forma panis comminuta & contrita in aqua, quia si aliquid eis subtraheretur, de gratia aliquid deminueretur, & ita minus haberent in cœlo praemium, unde peccare dicunt, qui eis eucharistiam subtrahunt. Alii dixerunt, quod non esset parvulis danda eucharistia propter periculum ejectionis, & quia nihil eis valeret, nisi deglutirent, sed ad hoc dixerant quidam magni viri, quod non exigitur in eucharistiae sumtione, nisi quod gustus invitetur, & sapor sentiatur, sicut fit, cum dicitur baptizando: accipite salem sapientiae. Conflat enim, quod non deglutiat sal, & tamen ex solo gustu salis habet effectum exorcismus in parvulo, unde pium esset, dare eucharistiam omni parvulo cum tali cautela, quod si post gustum parvulus ejiceret, colligeretur illa rejectio, & igne comburetur, sicut dicitur in Exodo, si quid residuum fuerit, igne comburetur.* Hæc Innocentius, sed praxis ecclesiæ pontificiæ id hodie non observat. Sic enim scribit Maldonatus in VI. Johan. *Missam ego faciam Augustini & Innocentii primi sententiam, eucharistiam etiam infantibus necessariam, quae circiter sexcentos annos viguit in ecclesia, multorum seculorum usu tunquam non necessariam, sed ne decentem quidem omissam.* Et Bellarminus libr. I. de baptismo cap. 9. resp. ad nonum argumentum Anabaptistarum: *Eucharistia instituta est, ut vitam spiritualem in baptismo adquisitam conservet ac nutriat, quod facit in rebus corporalibus cibus corporalis, qui vitam animalem conservat. Sicut igitur sine cibo potest aliquandiu vivi, nimirum donec naturalis calor non cœperit humorem vitalem consumere: sic quoque sine eucharistia potest conservari vita spiritualis, donec concupiscentiae calor non cœperit humorem gratiae & virtutum depasci, quod certe non accidit in infantia, sed in adulta demum aetate. Quare ipsi etiam Dominus, ut indicaret, eucharistiam non esse pro infantibus institutam, noluit eam in lacte instituere, quod est unicum infantium alimentum, sed in pane & vino, quae ad solos adultos proprie pertinent.* (Sed hæ rationes plus subtili-

(*) Augustinus epist. XCIII. & CVI. itemque lib. V. hypognost. Maldonatus in comm. Joh. VI. 53. v. 111. & 116. refutatur, *hunc errorem sexcentos circiter annos viguisse in ecclesia.* Moscovitæ etiam pueros ad cœnam admittunt, ut constat ex opere de variis rerum Moscovitic. auctoribus, pag. 29. GERHARDUS.

subtilitatis, quam veritatis habent, inverti enim possunt, cum concupiscentiæ calor etiam in pueru-lis se exserat, cum vita animalis sine cibo diu conservari nequeat, cum infantes paululum ætate progressi etiam ante usum rationis & pane & vino utantur.) Idem lib. IV. de euchar. cap. 23. propos. 3. *Parvulis eucharistia gratiam conferret, & tamen, quia non indigent ea necessario, nec sine irreverentia eis dari posset, non eis datur, neque a catholicis, neque ab haereticis.* Oblitus autem est Bellarminus Hussitarum, quos hæreticis adnumerat, qui non solum administratione cœnæ sub utraque, sed etiam communione parvulorum a pontificiis dissident, neque enim pueris tantum, sed etiam sex septimanarum infantibus præbent eucharistiam diebus purgationis puerperæ absolutis. Opinionem illam, quod parvulis exhibenda sit eucharistia, *molliter accipiendam esse*, dicunt patres Tridentini sess. XXI. c. 4. Quod etiam facit Cotterus part. III. apol. pag. 286. Quia vero & Bellarminus lib. I. de eucharist. cap. 6. & alii scriptores pontificii statuunt, Christum Joh. VI. de sacramentali manducatione loqui, ideo mature dispiciant, quid Augustino locum illum vehementer urgenti respondere velint. Wolffgangus Musculus, etsi non vult esse ἔξαρχον hujus moris, admittendi scilicet infantes in communionem cœnæ, tamen eundem non improbat in loc. comm. p. 371. Sed enim cum parvuli usu rationis destituti se ipsos probare, & corpus Domini discernere per ætatem nequeant, quod tamen ab omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus apostolus requirit, 1 Cor. XI. 26, 28, 29. ideo ab usu sacræ cœnæ merito arcentur. Dictum Joh. VI. 53. non de sacramentali, sed spirituali corporis & sanguinis Christi manducatione & bibitione tractat, quæ omnibus ad salutem necessaria est, & cujus in baptismo infantes participes facti sunt. Sacramentalis vero manducatio ac bibitio non est absolute ad salutem necessaria, ut ostendit exemplum latronis Luc. XXIII. 43. Atque hæc dicta sint de personis ab usu sacræ cœnæ arcendis, quarum præcipuas canonistæ hoc versiculo complectuntur:

Ebrius, infamis, erroneus, atque furentes
Cum pueris Domini non debent sumere corpus.

§. CCXXX. Quæritur V.) *an Christus ipse eucharistia cum discipulis usus fuerit?* Resp. Augustinus libr. II. de doctr. christ. c. 9. & Chrysostomus hom. LXXXIII. in Matth. id colligunt ex verbis Christi Luc. XXII. 18. *Non bibam amplius de germine vitis, donec regnum Dei veniat* (*). Sed Hieronymus in cap. XVI. Matth. de alio calice, quam de eucharistico ea intelligenda esse admonet, quæ ante verba institutionis apud Lucam habentur, Christus enim antequam sacram cœnam instituëret, ex vetere ritu Judæorum calicem profanum suis porrigebat, ac ut inter se illum dividerent, jubebat. Solent enim Judæi, ut & hodie, maxime in majoribus solennitatibus, id observare, ut paterfamilias aut alius, qui ad mensam consedit dignior, panem in manibus sumtum, ac deinde per partes fractum distribuat convivis, quo ritu deinde circumferunt & poculum in concordiæ symbolum. Hanc interpretationem amplectitur etiam Bel-

Q. 5.) An Christus ipse eucharistia cum discipulis fuerit usus?

(*) Thomas part. III. q. 81. art. 1. Suarez tom. III. disp. 75. sect. 2. Ludovicus a Ponte in cap. V. Cant. p. 305. itidem adfirmant. *Qui manducavit agnum typicum legis veteris, multo magis debuit manducare agnum mysticum novæ legis, ut legem impleret veterem, & novam suo exemplo inchoaret, unde multo magis de hoc quam de illo dixit:* Desiderio desideravi, hoc pascha manducare vobiscum; ut Hieronymus in c. XXVI. Matth. Tertullianus libr. IV. cont. Marc. XL. & Eusebius Emiss. a Thoma citatus testantur. Præterea accepisse poculum, satis insinuat, cum ait: *Non bibam de hoc genimine vitis*, ut Augustinus libr. V. de cons. evang. c. 1. & alii deducunt. *Qui autem accepit poculum, utique & panem*, ut Euthymius ac Theophylactus in Matth. XXVI. inferunt. *Quod*, inquit Chrysostomus hom. LXXXIII. in Matth. *oportebat facere, ne apostoli auditis illis verbis:* Accipite, comedite, *perturbarentur dicentes, quomodo carnem comedimus & sanguinem bibimus?* GERHARDUS.

Bellarminus libr. I. de eucharist. cap. 11. ubi dicit: *Verba illa:* non bibam amplius de germine vitis *&c. non pertinere ad calicem eucharisticum, sed ad calicem, qui datus fuit post agni paschalis manducationem.* Jansenius vero in harm. evang. c. 131. secutus Augustinum & Euthymium, existimat, idem esse poculum, cujus ante panem sacrum & post eum Lucas meminit, qua de re in harmonia evangelica uberius disputabitur. Incertum igitur est, nec ex verbis evangelistarum evidenter colligi potest, quod Christus una cum discipulis suis eucharistia fuerit usus (*). Roffensis libr. V. contra Oecolampadium colligit illud ex historia Luc. XXIV. sed nec illum locum de eucharistiæ celebratione commode accipi posse ostendimus superius. Probabilius illud colligi posset ex eo, quod Christus baptismum communem nobiscum susceperit & agno paschali eucharistiæ typo usus fuerit. Vorstius in anti-Bellarm. contracto pag. 390. argumentum ex hac opinione ducit contra veram, realem & substantialem corporis Christi in sacra cœna præsentiam (**). Sed ubi de re obscurissima quæritur, non adjuvantibus certis & perspicuis verbi oraculis, cohibere se debet humana præsumtio temere in alterutram partem aliquid definiendo. Selneccerus part. IV. exam. in resp. ad argumentum 35. cap. 11. pag. 369. *Singulares opiniones patrum non constituunt articulum fidei, & cum evangelistae contrarium dicant, credendum est illis & non aliis. Testantur autem evangelistae, Christum ipsum non comedisse panem benedictum cœnae, sed discipulis dedisse.*

CAPUT XXII.

DE MANDUCATIONE INDIGNORUM.

Cur de indignorum manducatione agatur?

§. CCXXXI. Quamvis sedulo providere debeat ecclesiæ minister, ne quis indigne, hoc est, sine vera pœnitentia & fide hoc sacramento utatur, *qui enim edit ac bibit indigne, judicium sibi ipsi manducat & bibit, eo quod non discernit corpus Domini.* 1 Cor. XI. 29. Interim tamen cum in externa societate ecclesiæ (quæ societas in auditu verbi, professione doctrinæ & usu sacramentorum consistit)

(*) Bergius in disp. de cœna quæst. 2. *& Christum & apostolos ex calice eucharistico bibisse* statuit. Idem adserunt Paræus, Piscator, Naum, Vorstius, ex Matth. XXVI. 29. At non de calice eucharistico, sed de alio illa verba accipienda, quod probatur: 1.) ex Lucæ relatione cap. XXII. 18. qui non solum res gestas ut Matthæus & Marcus descripsit, sed earum etiam ordinem adcurate observavit. Is igitur Christum hæc verba protulisse dicit in ipsa celebratione agni paschalis, antequam corporis sui sacramentum institueret. 2.) Ex rei ipsius collatione. De calice enim eucharistico dicitur, quod *Christus ipsum acceperit & discipulis dederit,* μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 25. (quo προσδιορισμῷ Lucam voluisse constituere discrimen inter poculum paschale & sacramentale, dubium nullum) alter vero calix distributus est in ipsa cœna, ut constat ex collatione vers. 14, 17, 18. cap. XXII. Luc. 3.) Ex *causalis* particulæ additione. Addita enim apud Lucam particula γὰρ v. 18. verba illa indubitanter connectit cum priori illo esu agni paschalis. 4.) Ex Judæorum consuetudine. GERHARDUS.

(**) Thomas part. III. q. 81. art. 1. *Quidam dixerunt, quod Christus in cœna corpus & sanguinem suum discipulis tradidit, non tamen ipse sumsit. Sed hoc non videtur convenienter dici, quia Christus ea, quæ ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit. Unde & ipse prius baptizari voluit, quam aliis baptismum imponeret: secundum illud Act. I.* Cœpit Jesus facere & docere. *Unde & primo ipse corpus suum & sanguinem sumsit, & postea discipulis sumendum tradidit.* Bonaventura libr. IV. sent. dist. 9. q. 4. art. 1. *Quidam dicunt, quod Christus nullo modo sumsit, quia sic non competebat. Verum tamen nunc communiter dicunt, quod manducavit sacramentaliter.* Vasquez in illum Thomæ locum: *Concluso est affirmans, in qua omnes catholici, quos*

sistic) vere piis & sanctis intermixti sint hypocritæ, qui sine vera pœnitentia & fide ad sacratissimum hoc mysterium accedunt, inde nata est quæstio *de manducatione indignorum*, quid scilicet in sacra cœna manducent ac bibant, an nudum panem & vinum, an vero mediante pane corpus & mediante vino sanguinem Christi? Porro quæstio hæc de manducatione indignorum multis visa est indigna cœtu dignorum sive fidelium, cum hoc sacratissimum mysterium a Christo institutum sit, non ut ab indignis profanetur, sed ut a credentibus digne accipiatur: cumque videatur satius esse in id incumbere, ut digni simus cœlestis hujus convivii hospites, quam ut de eo temere quæramus, quidnam indigni in eo accipiant? denique hac ratione indignis patrocinari videamur, si obtinere velimus, eos non minus quam dignos verum Christi corpus & sanguinem accipere. Alb. Hardenbergius de cœna propos. XI. *Cum Christus sacrosanctam hanc cœnam discipulis suis in se credentibus instituerit, atque in christianitate, id est, in ecclesia sua haec institutio valeat, manducationem impii, cum nihil aedificet, nec ad Christi gloriam faciat, praestiterit coram plebe silentio tegere, quam sancta & margaritas porcis projicere.* Sed quæstionem de manducatione indignorum non esse silentio involvendam, sequentia fundamenta probant. 1.) Apostolus disertis verbis docet, indignos manducando ac bibendo corporis & sanguinis Christi reos fieri. 1 Cor. XI. 27. Quæstio igitur illa de manducatione indignorum ex verbis apostoli orta non potest judicari otiosa ac supervacanea. 2.) Adversarii, substantialem corporis Christi in sacra cœna præsentiam ejusque oralem manducationem negantes, utuntur inter cætera hoc prætextu, quod indigni non manducent Christi corpus. Invertendum igitur hoc argumentum, & ex manducatione indignorum ab apostolo adserta substantialis corporis Christi præsentia, velut antecedens ex suo consequente demonstranda. 3.) Explicatio hujus quæstionis securos & impœnitentes excitat, imo quasi fulmine quodam comminationis ferit, ne indigna sumtione iram & judicium Dei sibi cumulent. 4.) Hac ratione torpor negligentiæ, qui etiam piis quandoque obrepere solet, iisdem magis excutitur, ut in seria ac debita præparatione sint attentiores, siquidem intelligunt, cum tam gravi ac præsenti periculo indignam manducationem esse conjunctam.

Quæstio de manducatione indignorum explicatur.

§. CCXXXII. Nostra sententia est, indignos in sacra cœna non solum panem & vinum, sed etiam mediante pane Christi corpus & mediante vino Christi sanguinem *sacramentaliter* accipere, manducare ac bibere. Id vero ut rectius intelligatur: termini quæstionis prius explicandi sunt, antequam ejusdem fundamenta proferantur. I.) Indignorum nomine intelligimus eos, qui non probant se ipsos, hoc est, qui non agnoscunt sua peccata, nec serio de illis dolent, ut hac ratione se ipsos judicent; qui non credunt, verum Christi corpus & sanguinem in sacra cœna manducandum ac bibendum nobis dari, ad confirmandam & obsignandam promissionem evangelii de gratuita remissione peccatorum; qui non habent serium propositum vitam emendandi & juxta normam legis instituendi; qui non reconciliantur proximo ante usum sacræ cœnæ &c. atque ut verbo dicam, qui non discernunt corpus Domini a vulgaribus cibis, sed accedunt sine pœnitentia & fide, ut in sequenti capite latius expositum dabitur (*). Martin. Bucerus post concordiam anno 1536. Wittebergæ cum

Cc 3

quos ego legerim, plane conveniunt. Et quamvis doctor dicat, aliquos oppositum sensisse, tamen qui illi fuerint, non memorat. Vide in eundem locum Gregorium de Valentia & Suarem, item Dominicum Soto in IV. sent. dist. 12. q. 2. art. 1. item Johannem de Turrecremata in cap. *Non Moses*, dist. 1. de consecrat. Ex patribus idem conatur probare Chamierus tom. IV. panstrat. libr. XI. cap. 17. v. 3. GERHARDVS.

(*) Indignos eo modo describunt Beza resp. I. ad coll. Momp. p. 61, Piscator in 1 Cor. XI. In apo-

cum nostris initam, in qua manducatio indignorum diserte statuitur, ut Helveticis ministris gratificaretur, disputare cœpit, per indignos in textu apostolico 1 Cor. XI. 27. & seqq. intelligendos esse *infirmos in fide, qui magnitudinem hujus mysterii non satis digne perpendunt, & quorum fides multis adhuc laborat infirmitatibus*, idque probare conatus est ex eo, quod apostolus de illis pronunciet, *quosdam ipsorum dormire* v. 30. quæ phrasis solis piis & credentibus in Domino mortuis convenire videtur. Sic enim scribit in epist. ad Comandrum anno 1538. Argent. *Intuens solum locum* Joh. VI. *aliquando non nisi vivificam Christi manducationem admittebam, rebarque, Christum, cum sit cibus vivificus, etiam non posse non ad vitam manducari. Sed verbum ipsum Dei etiam in se vivificum est, & tamen in judicium & condemnationem auditur & intelligitur ab indignis, resque ipsa testatur, tria esse genera eucharistiam sumentium. Unum eorum, qui instituto & promissioni Domini plane nihil credunt, & sacra symbola non pro symbolis Domini, sed tantum pro pane & vino habent. Hi sicut nec mente plus quam elementa agnoscunt, ita nec amplius aliquid percipiunt. Alterum genus eorum est, qui persuasi divinitus sunt, sibi hisce symbolis ipsa Dei bona offerri, nec tamen ea digna religione excipiunt. Isti sicut ea mente & voluntate sacris symbolis participant, ut etiam ipsis donis Dei, quae agnoscunt, communicent: ita nequaquam sola symbola, sed ipsa quoque dona Dei amplectuntur & percipiunt, quanquam non juste ipsis perfruantur. Sed hi bifariam habent, alii enim nunquam justam fidem senserunt, dignamque donorum hujusmodi existimationem fecerunt fide modo temporaria instructi; alii donati sunt fide Christi solida, sed eam, id quod evenit Corinthiis, pravis praepediti cupiditatibus modo non exercent. Tertii generis sunt, qui fide plena & etiam vigente donaque Dei digne aestimante sacramentis communicant.* Eandem sententiam amplectitur Piscator in observat. in 1 Cor. XI. *Errant*, (inquit) *qui putant, Paulum loqui de infidelibus. Is vero loquitur de fidelibus, sed qui indigne, hoc est, irreverenter cœnam Domini percipiunt, ἀναξίως*, hoc est, *secus ac dignum est tam sancto mysterio* (*). Resp. 1.) Hanc interpretationem non admiserunt Helvetii, nec agnoscunt reliqui sectatores Calvini, disputant enim, indignos reos fieri corporis & sanguinis Christi, non manducando & bibendo, sed repudiando & spernendo, abutendo scilicet signis sacramentalibus, sicut in regem ipsum peccat, qui sigilla ejus laedit. Atqui infirmi in fide non repudiant corpus Christi, nec abutuntur sacris symbolis. Ergo illi per indignos non possunt intelligi. Joach. Curæus in spongia contra confessionem Eberi de cœna editam Heidelbergæ anno 1575. commentum de duobus indignorum generibus vocat *inauditam chimaeram.* Pag. 272. in 1 Cor. XI. indignos definit, *qui non probant se ipsos, qua fide erga Christum accedant ad hoc mysterium celebrandum, quorum animus adhuc aestuat absurdis cupiditatibus pecuniarum, irae, odii & similium. Nam fides ex indignis facit dignos.* Petrus Martyr: *Probatio haec tota in fide & pœni-*

apolog. contra Rödern p. 565. Bucanus in loc. p. 252. Beumlerus *im Gegenbericht* f. 296. 297. Casselenses in antiq. fid. Cattorum p. 34, 35. Embdenses *im Bericht* p. 157. ubi triplicem faciunt indignitatem: 1.) *Nuuræ, quæ tamen pœnitentes & fideles non arcet a gratia Dei & communicatione corporis & sanguinis Christi.* 2.) *Incredulitatis, per quam Christus cum suo merito repudiatur, ideo etiam participatio corporis & sanguinis Christi cum ea non potest consistere.* 3.) *Vocationis, quæ est in infirmis, qui fidem suam per pœnitentiam & dilectionem non tam efficaciter demonstrant, quam fieri oportebat, nec mysterium cœnæ & debitum suæ vocationis satis digne expendunt.* Hanc postremam indignitatem dicunt ab apostolo in Corinth. argui. GERHARDUS.

(*) Pelargus in antith. apolog. contra Balduin. th. CXVI. *Quid si vero indignos vocasset apostolus non incredulos, sed non satis digne paratos & probatos, nunquid & illi omni carebunt fide, nunquid & illi non edant ac bibant spiritualiter?* GERHARDUS.

pœnitentia consistit. Andr. Hyperius: *Indigne edit, qui non commemorat mortem Domini, qui fidem non habet in promissionem divinam.* 2.) Cum Christus non rejiciat infirmos in fide, sed recipiat & recipi eos jubeat, Rom. XIV. 3. cum *infirmos medico egere* pronunciet, Matth. IX. 12. cum *virtutem suam in infirmitate perficiat*, 2 Cor. XII. 9. cum oneratis refectionem spondeat, Matth. XI. 28. denique cum hoc fine instituta sit sacra cœna, ut infirmitas fidei nostræ hoc sigillo confirmetur & obsignetur, quomodo severum illud apostolicæ comminationis fulmen contra infirmos in fide vibrari poterit (*)? 3.) De illis indignis apostolus agit, qui judicium, hoc est, iram Dei, temporales & æternas pœnas sibi ipsis indigne manducando ac bibendo accersunt atque cumulant v. 29. Jam vero, *qui credit*, fide etiam languida, quæ itidem est fides, *non venit in judicium.* Joh. III. 18. 4.) De illis indignis apostolus agit, *qui rei fiunt corporis & sanguinis Christi* v. 27. Jam vero qui credit, etiamsi adhuc infirmus sit in fide, salutariter & spiritualiter corpus Christi manducat, & sanguinem ejus bibit. Joh. VI. 54. 5.) Si per indignos intelliguntur infirmi in fide, piis semper erit dubitandum, an ad hoc convivium satis magnum fidei robur adferant, an horribile illud fulmen apostoli ipsis metuendum sit, sicque judicabunt esse satius propter infirmitatem fidei ab hac salutari ejusdem medicina abstinere. 6.) Quin potius infirmis in fide hoc proponendum, quod etiam infirma & exigua fides adprehendat Christum & in Christo gratiam Dei, remissionem peccatorum ac vitam æternam, quo pertinet simile Lutheri de annulo, qui adprehenditur & a puero & a gigante, licet ab hoc fortius, ab illo infirmius. *Credo Domine, sed opem fer incredulitati meæ*, dicit pater lunatici Marc. IX. *Invoco te Domine fide languida, sed tamen fide*, dicebat Cruciger senior moriturus. Fides etiam infirma *montes* tentationum transponere potest. Matth. XVII. 20. 7.) Per infirmos v. 30. apostolus non intelligit eos, qui in fide sunt infirmi, sed qui corporalibus infirmitatibus laborant, ut ex verbis sequentibus manifestum, habet enim pro æquipollentibus ἀσθενεῖς ἢ ἀῤῥώστους, atque illas infirmitates in quibusdam mortem consecutam esse addit. 8.) Quod ex indignis illis quidam *dormire* dicuntur, accipi potest de iis, qui morbis admoniti de indigno sacræ cœnæ usu seriam egerunt pœnitentiam, antequam ex hac vita discederent, atque hac ratione beato vitæ exitu in Domino obierunt, id quod colligi potest ex v. 31. & 32. *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur, dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* 9.) Adde, quod de impiorum etiam morte scriptura pronunciat, quod dormiant, 1 Reg XIV. 20. & 31. XVI. 6. XXII. 40. Dan. XII. 2. & alibi passim; ideo notanter de piis dicitur, quod dormiant *in Christo.* 1 Cor. XV. 18. (**).

§. CCXXXIII.

(*) *Non exstinguit linum fumigans, nec conterit arundinem conquassatam*, Esai. XLII. 3. Illi sunt gratissimi Christi hospites, quorum corda esuriunt & sitiunt justitiam, ac propter illos sacra cœna a Christo instituta est, ut in fide confirmentur. GERHARDUS.

(**) De illis indignis in textu apostolico agitur, propter quos universales quædam calamitates Corinthiis immissæ. Quare cum ad participationem cœnæ accesserint non solum infirmi in fide, sed etiam hypocritæ vera pœnitentia & fide destituti, ecquis credet, calamitates illas propter infirmos in fide & non potius propter hypocritas impœnitentes Corinthiis immissas? Quis patietur sibi persuaderi, apostolum in hac adeurata tractatione, in qua ad debitam præparationem hortatur, solos in fide infirmos hac concione terrere voluisse, silentio prætermissis illis, qui sine vera pœnitentia ad sacram cœnam accedunt, eaque vel maxime indigne utuntur. Apostolus eos sic describit, quod non probaverint se ipsos, quod non discreverint corpus Domini, quod mensæ dæmoniorum & mensæ dominicæ simul participes esse voluerint, quod actionem eucharistiæ in convivium vulgare transmutarint, quod ebrii ad usum sacræ cœnæ accesserint. Atqui tales profanatores non fuere tantum in fide infirmi. Digni ea ratione ac modo digni sunt, qua ratione justi censentur, justi videlicet fide. Ergo etiam indigni non alia ratione ac modo judicandi sunt indigni, quam

§. CCXXXIII. II.) Quando dicimus indignos manducare corpus Christi & bibere ipsius sanguinem, id intelligimus non de *spirituali* manducatione, quæ fit per fidem ad vitam æternam, ac solis vere piis convenit, sed de *sacramentali* manducatione, quæ omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus communis est, & indignis in judicium cedit. Monuimus autem superius, per sacramentalem manducationem nequaquam hoc intelligi, quod solus panis signum corporis Christi absentis ore percipiatur, sed quod mediante benedicto pane præsens Christi corpus manducetur, & mediante benedicto vino præsens Christi sanguis bibatur, a piis & fidelibus ad salutem, ab impiis & infidelibus ad judicium. Rationi humanæ hoc perquam absonum & absurdum videtur, unde etiam illi, qui rationis tenebras relicta verbi luce sequuntur, varia argumenta contra hanc adsertionem nostram proferunt ab absurdo & non necessario petita. Quærunt, *si indigni corpus Christi percipiant, quorsum veniat? an in ipsis maneat, & ita cum ipsis damnetur, an vero otiose ingeratur & egeratur?* Considerator commonef. c. 2. p. 99. Sed in mysteriis fidei *captivandus est intellectus sub obsequium verbi.* Quamuis indigni τὰ ἁγιώδη sacræ cœnæ percipiant, tamen res cœlestis salubriter & salutariter nec ab illis participatur, nec in illis manet, carent enim fide, per quam *Christus habitat in cordibus nostris*, Eph. III. 17. & *in nobis vivit.* Gal. II. 20. *In indignis tantae gratiae puritas sibi non facit mansionem*, ait Cyprianus serm. de cœna. Quod vero de otiosa ingestione & egestione ex penu suæ rationis proferunt, idem etiam de Spiritu sancto cogitari posset, quem per peccata contra conscientiam ex habitaculo cordis nostri expelli & per veram pœnitentiam iterum recipi, sacræ literæ testantur.

Fundamenta nostræ sententiæ.

§. CCXXXIV. Proferamus sententiæ nostræ fundamenta. I.) Quicunque percipiunt integrum sacramentum eucharisticum, illi non solum panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi percipiunt. *Ratio* est, quia sacramentum cœnæ constat non solum pane & vino, sed etiam corpore & sanguine Christi, ita ut sacramentalis unio intercedat pani & vino, corpori & sanguini Christi, sive ut Irenæus loquitur libr. IV. cap. 34. *Eucharistia constat* (non una, sed) *duabus rebus, terrena & cælesti*, qua de re suo loco uberius actum fuit. Jam vero indigni percipiunt integrum sacramentum eucharisticum, alias sequeretur, 1.) indignis in ecclesia partem solum sacramenti dispensari, sicque totum non constare suis partibus. 2.) Fidem utentis constituere sacramenti substantiam. 3.) Unionem sacramentalem non pendere a virtute institutionis divinæ, sed fidei nostræ. 4.) Manducationem indignorum non esse sacramentalem. 5.) Indignos contrahere reatum æterni judicii solius elementaris panis manducatione, quæ omnia sunt absurda. Ergo indigni percipiunt non solum panem, sed & corpus Christi sacramentaliter eidem unitum, non solum vinum, sed & sanguinem Christi itidem sacramentaliter ei unitum. Omnia sacramenta quoad essentiam ipsam sunt communia vere piis & hypocritis externo cœtui ecclesiæ sese adsociantibus, sed quoad salutarem fructum solis piis conveniunt, ut docet apostolus 1 Cor. X. 1. & seqq. Quemadmodum hypocritæ non audiunt aliud verbum, quam pii, effectu tamen dissimili, piis enim est *odor vitae ad vitam*, hypocritis vero *odor mortis ad mortem*; 2 Cor. II. 16. ita quoque non habent alia sacramenta. Atqui sacramentalis manducatio corporis & bibitio sanguinis Christi pertinet ad ipsam eucharistiæ substantiam. Ergo communis est piis & hypocritis, sed salutaris ejusdem fructus solis piis convenit.

tiæ de manducatione indignorum. 1.) Indignis percipiunt integrum sacramentum.

Panis

quam injusti censentur injusti, videlicet non fidei infirmitate, sed incredulitate. Accedit testimonium piorum veterum, qui per indignos intelligunt *impœnitentes & incredulos.* Basilius libr. II. de bapt. Chrysostomus hom. XXV. in Joh. ad pop. Antioch. homil. LXI. in Cor. hom. XXIV. Ambrosius in 1 Cor. XI. GERHARDUS.

Panis fractus est communicatio corporis Christi, poculum benedictum est communicatio sanguinis Christi. 1 Cor. X. 16. Jam vero panis fractus & poculum benedictum communia sunt dignis & indignis. Ergo. Sanguis fœderis in testamento veteri adspergebatur non solum piis, sed etiam hypocritis. Exod. XXIV. 8. Idem ergo de sanguine novi testamenti statuendum, ut antitypus suo typo respondeat. Hypocritæ integrum percipiunt baptisma, quamvis salutares ejusdem fructus non percipiant. Ergo etiam integram percipiunt eucharistiam. *Judas proditor bonum corpus, & Simon magus bonum baptisma percepit, sed quia bono bene usi non sunt, mali male utendo deleti sunt.* Si hypocritæ non perciperent integrum baptisma, post conversionem suam ad Deum essent rebaptizandi. Quid contra hoc fundamentum adversarii proferant, ex argumentis ipsorum paulo post enumerandis & excutiendis manifestum erit.

2.) *Judas una cum reliquis apostolis eucharistia usus est.*

§. CCXXXV. II.) Judas proditor una cum reliquis apostolis interfuit administrationi primæ cœnæ, nec minus, quam reliqui, benedictum panem accepit, & ex benedicto poculo bibit. Jam vero Christus non instituit vel administravit aliam cœnam Judæ proditori, sed omnibus apostolis, inter quos etiam erat Judas proditor, eandem sacram cœnam administravit, atque omnibus dixit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus.* Ergo Judas non minus, quam reliqui apostoli, mediante benedicto pane Christi corpus accepit, & mediante benedicto vino Christi sanguinem bibit; interim non ad salutem, sed ad judicium. Quod si Judas proditor non obstante sua incredulitate & impietate sacramentaliter manducavit Christi corpus, & sanguinem ejus bibit, utique de reliquis indignis & incredulis, externo ecclesiæ cœtui & sacramenti eucharistici administrationi sese adsociantibus idem omnino erit judicium. Quidam ex adversariis negant, Judam proditorem interfuisse primæ cœnæ, cum Joh. XIII 30. dicatur *post acceptam buccellam εὐθέως continuo exiisse.*

Jam vero ex Matthæo XXVI. 23. & Marco XIV. 21. colligitur, quod ante institutionem sacræ cœnæ buccella illa Judæ proditori fuerit tradita. *Resp.* pii veteres magno consensu adserunt, Judam interfuisse primæ cœnæ. Theophylactus quidem in cap. XXVI. Matth. refert, *quosdam statuere, quod Judas panem eucharisticum acceperit, non autem comederit, sed occultarit, ut monstraret Judaeis, quod Jesus panem corpus suum diceret. Poculum autem invitus biberit, cum non posset occultare, ac propterea a Christo dictum esse: Bibite ex hoc omnes.* Ipse etiam in verbis paulo ante præcedentibus in medio relinquit, an Judas interfuerit sacræ cœnæ? *Adposuit*, inquit, *vescentibus, ut ostenderet crudelitatem Judae, quia in mensa & communione ciborum illius, quando si & fera fuisset, mansuetiorem se exhibuisset, tunc neque, cum argueretur, intellexit, sed & corpus illius gustans, non pœnituit. Quidam autem dicunt, quod egresso Juda tradidit sacramentum aliis discipulis.* Idem repetit in cap. XIV. Marci; sed scriptores vetustiores Judam una cum reliquis discipulis in administratione sacræ cœnæ præsentem fuisse referunt. Cyprianus serm. de ablut. pedum in princ. *Jam sacramenta corporis suis apostolis Dominus distribuerat, jam exierat Judas.* Hieronymus libr. II. adv. Jovinianum: *Nunquid Judas, quia de eodem calice bibit, de quo & cæteri biberunt, unius cum cæteris erat meriti?* Augustinus epist. CLXII. circa finem: *Tolerat Dominus Judam diabolum, furem & venditorem suum, finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt pretium nostrum.* Libr. II. contra literas Petiliani cap. 40. *Ex una re sancta Judas sibi sumebat judicium, Petrus salutem.* Contra Fulgentium Donatistam ante med. *Et Judas proditor bonum corpus, & Simon magus bonum baptisma percepit, sed quia bono bene usi non sunt, mali male utendo deleti sunt.* Tract. VI. in Johan. in med. *Non mala erat buccella, quae tradita est Judae a Domino: absit, medicus non daret venenum, salutem medicus dedit, sed indigne accipiendo ad perniciem accepit, quia non vacatus accepit.* Tract. L. in Joh. *Judas cum sanctis discipulis*

ad ipsam dominicam cœnam pariter accessit. Chrysostomus in 1 Cor. XI. *Christus Judam proditorem a cœna non depulit, quin potius illi cibos detulit, & divinorum munerum participem fecit.* In homil. de prodit. Judæ: *Præsens erat Judas quoque Christo dicente: Hoc est sanguis meus. Adfuit Judas, & ejusdem sacrificii communicationem meruit.* Theodoretus in 1 Cor. XI. *Non solum undecim apostolis, sed & Judæ proditori pretiosum corpus & sanguinem impertiit.* Convenit etiam hæc sententia cum descriptione evangelistarum, siquidem Lucas, qui a diligenti ordinis observatione historiam evangelicam a se conscriptam commendat cap. I. 3. diserte testatur, post administrationem sacræ cœnæ Christum dixisse: *Ecce manus tradentis mecum est in mensa.* cap. XXII. 21. Nec Matthæus vel Marcus mentionem ullam faciunt discessus Judæ post esum agni paschalis, sed institutionem cœnæ cum esu agni paschalis continua narrationis serie conjungunt, adserunt enim, vespera facta, Christum cum duodecim discipulis discubuisse, atque illis cœnantibus sacrum hoc mysterium celebrasse. Proinde adverbium εὐθέως apud Johannem ita explicandum, ut includat moram quandam, licet forte non longam, sicut usurpatur Marc. I. 12. Subjungitur enim, *quod fuerit nox, cum egrederetur Judas*, jam vero institutio & administratio sacræ cœnæ facta est *vesperi ipsis cœnantibus.* Ergo Judas ei adhuc interfuit. Syrus vocem εὐθέως reddidit: *eadem hora*, & talem habet textus distinctionem: *Ipse Judas accepit panem eadem hora, & egressus est foras; nox autem facta est, cum egressus esset.* Relinquitur igitur, ex Johanne non posse evidenter colligi, quod Judas discesserit ante institutionem sacræ cœnæ, præsertim cum Lucas evidenter testetur, ipsum adhuc præsentem fuisse, quod agnoscit etiam Calvinus libr. IV. instit. cap. 17. §. 34. adlegans & probans dictum Augustini homil. LIX. in Johan. *Reliquos discipulos manducasse panem Dominum, Judam vero panem Domini.* Witakerus in tract. de scriptura quæst. VI. cap. 12. librum Clementis de constitutionibus apostolicis inter alia reprobat ex hoc fundamento, quod libr. V. cap. 16. adserat, Judam abfuisse, cum Christus cœnam celebraret. *Hoc* (inquit) *palam non modo scripturis, verum etiam patribus ipsis refragatur. Scripturis quidem repugnare, ex* Luc. XXII. 13. 14. & 15. *patet, si hi tres versus inter se comparentur. Patribus etiam adversari non minus exploratum est. Dionysius enim cap. 3. eccles. hierarch. adfirmat adfuisse; sic Cyprianus serm. de ablut. pedum; sic Augustinus, sic Chrysostomus, sic denique Thomas Aquinas in part. III. summæ q. 81. art. 2. Etsi Pachymeres in Dionysium Areopagitam cap. 3. eccles. hierarch. abfuisse Judam arbitratur, sed conjecturam suam opinionemque secutus, non scripturæ auctoritatem, ista scripsit.* Hæc omnia Witakerus.

§. CCXXXVI. III.) Apostolus 1 Cor. XI. indignorum manducationem diserte adstruit. Postquam enim taxaverat abusus circa administrationem cœnæ in ecclesiam Corinthiacam receptos, & verba institutionis dominicæ tanquam normam & regulam legitimæ administrationis reperierat, subjungit v. 27. *Itaque qui manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* v. 28. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, v. 29. *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* v. 30. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* v. 31. *Quod si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* v. 32. *Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* In his apostoli verbis notandum: 1.) Quod adsertionem de gravi illo reatu, quem indigni contrahunt, deducat ex verbis institutionis, ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ. *Quisquis ergo manducaverit*, inquit, quo dicitur: quia Christus Dominus noster in verbis institutionis diserte testatur, non solum panem & vinum, sed mediante benedicto pane corpus suum, & mediante benedicto vino sanguinem suum in sacra cœna communicantibus distribui, inde

3.) *Paulus 1 Cor. XI. indignorum manducationem adstruit.*

inde fit, ut indigni hujus cœlestis convivii hospites rei fiant corporis & sanguinis Domini, ac judicium sibi ipsis manducent ac bibant. 2.) Quod non simpliciter pronunciet, quisquis manducaverit & biberit calicem indigne, sed notanter addat pronomen ὁεικτικὸν, quisquis manducaverit panem *hunc*, vel biberit calicem *Domini* indigne, ut remittat nos denuo ad verba institutionis, ex quibus discimus panem, quem in administratione eucharistiæ frangimus, esse κοινωνίαν corporis Christi, & poculum, cui in administratione eucharistiæ benedicimus, esse κοινωνίαν sanguinis Christi. 1 Cor. X. 16. Inde adeo fit, ut indigne manducantes ac bibentes rei fiant corporis & sanguinis Christi, nimirum quia juxta adsertionem Christi, quæ est æternæ & immotæ veritatis, panis eucharisticus est communicatio corporis Christi, & vinum eucharisticum est communicatio sanguinis Christi. 3.) Quod differre pronunciat, indignos fieri reos non symbolorum externorum, sed ipsius *corporis & sanguinis Christi*, quibus verbis exprimitur *objectum* reatus, hoc est, res illa, cujus violatione & indigna tractatione obligatio ad judicium contrahitur. Deut. XIX. 6. *Constitues civitates refugii, ad quas sese conferat, qui causale & involuntarium homicidium admisit. ne forsan proximus ejus, cujus sanguis est effusus, dolore stimulatus persequatur, & adprehendat eum, & percutiat animam ejus, qui non est reus mortis, quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur.* v. 7. *Ideo praecipio tibi, ut tres civitates aequalis inter se spatii dividas.* v. 10. *ut non effundatur sanguis innoxius, in medio terrae &c. ne sis sanguinis reus.* Hebraice: *& sint super te sanguinei*, hoc est, ne contrahas reatum sanguinis innocenter a persecutore in ira effusi. Jac. II. 10. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus,* γέγονε πάντων ἔνοχος, hoc est, contraxit reatum transgressionis omnium præceptorum. Eodem loquendi modo apostolus pronunciat, *indignos fieri reos corporis & sanguinis Christi*, proinde non externa tantum symbola, sed corpus & sanguis Christi, sacramentaliter iisdem unita, sunt *objectum* & res illa, cujus indigna tractatione judicium sibi adtrahunt indigni. Oecumenius in 1 Cor. XI. pag. 454. τὸ ἔνοχον τῦ σώματος καὶ τῦ αἵματος, τῦτο δηλοῖ, ὅτι καθάπερ παρέδοκε μὲν αὐτὸν ὁ Ἰούδας, παρώνησαν δὲ εἰς αὐτὸν Ἰουδαῖοι, ὕτως ἀτιμάζουσιν αὐτὸν οἱ τὸ πανάγιον αὐτῦ σῶμα χερσὶν ἀκαθάρτοις δεχόμενοι, ὡς Ἰουδαῖοι κρατήντες αὐτὸν τότε καὶ ἐγαγεῖ προσφέροντες σώματι. *Quod ait, reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc indicat, ut cum Judas tradidit, grassati vero in eum ac debacchati fuere Judaei; ita ipsum contumeliis adficiunt, qui sanctissimum illius corpus impuris manibus, uti tunc tenuere Judaei, suscipiunt & exsecrando nefandoque offerunt ori.* Chemnitius libr. de cœna cap. IX. pag. 262. Quando vocabulo ἔνοχος aliquid in constructione additur, illud vel *genus* supplicii exprimit, ut: *reus est mortis*, Deut. XIX. 6. *reus judicio, concilio, gehennae*, Matth. V. 22. *reus aeterni judicii, supplicii*; Marc. III. 29. vel *rem* illam, cujus violatione obligatio ad pœnam contrahatur, ut *reus sanguinis*, Exod. XXII. 2. *reus voti*, Num. XXX. 5. *reus caedis.* Deut. XXI. 1. &c. Ita quoque usurpatur apud profanos scriptores vocabulum ἔνοχος. Aristoteles libr. II. œconom. ἔνοχος ἱεροσολίας. Quando igitur Paulus inquit: *reus erit corporis & sanguinis Domini*, non proprie pœnam seu genus supplicii describit, illud enim postea facit, cum inquit: *manducat sibi judicium*; sed causam seu crimen, unde pœna judicii contrahatur, describit, ita ut differte nominet rem illam, cujus abusu & violatione judicium contrahatur. Certe in quo objecto peccat actio, in eo ipsam actionem versari necesse est. Jam vero reatus corporis & sanguinis Christi contrahitur, non quomodocunque, sed indigne manducando & bibendo. Consequens ergo est, ipsum Christi corpus & sanguinem ab indignis in usu sacræ cœnæ percipi. 4.) Quod exprimat etiam modum reatus, qua scilicet ratione indigni rei fiant corporis & sanguinis Christi, nimirum indigne manducando ac bibendo: *Quicunque manducaverit panem hunc indigne, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis*

Christi. v. 29. *Qui indigne manducat & bibit, judicium sibi ipsi manducat & bibit.* Quia ergo indigni *manducando & bibendo* rei fiunt corporis & sanguinis Christi, ex eo immote sequitur, quod manducent in sacra cœna corpus, & bibant sanguinem Christi. 5.) Quod peculiari & in scripturis sacris raro loquendi modo pronunciet, *indignos judicium sibi manducare & bibere*, ut liquido ostendat, indignam manducationem ac bibitionem esse ipsum illud medium, per quod indigni rei fiant corporis & sanguinis Christi, ac judicium sibi adtrahant. 6.) Quod causam & modum exprimat, quare indigni judicium sibi manducent, nimirum *quia non discernunt corpus Domini*, ὁ διακρίνασι τὸ σῶμα τῦ κυρίε, id est, non alio animo, nec majori reverentia ad cœnam dominicam accedunt, quam sicut in privatis ædibus cibos communes tractant, non cogitant præsens adesse ipsum corpus Christi, atque illud mediante benedicto pane manducantibus exhiberi. Ostendit igitur indignos in sacra cœna indigne manducare non solum panem, sed ipsum etiam corpus Christi, quod a vulgaribus cibis discernere, & debita reverentia tractare debebant. 7.) Quod distincte pronunciet, *indignos fieri reos corporis & sanguinis Christi*, & quidem *indigne manducando & indigne bibendo.* Item indignos *judicium sibi manducare & bibere*, ostendit igitur se loqui de tali indigna sumtione, quæ non fertur uno actu in unum objectum, sed distincte manducat corpus Christi indigne, & bibit sanguinem ejus indigne, ac de tali reatu, qui secundum distinctas eucharistiæ partes distinguitur, ita scilicet, ut indigna manducatione benedicti panis reatus corporis, & indigna bibitione benedicti vini reatus sanguinis contrahatur. Hæc omnia si probe observentur, in fumum abeunt nebulæ, quas luci textus apostolici offundunt adversarii. *Etsi* (inquiunt) *indigni fiunt rei corporis & sanguinis Domini, inde tamen non sequitur, quod manducent & bibant corpus & sanguinem Domini, reatus enim ille contrahitur per abusum sacrorum symbolorum, sicut in ipsum regem peccat, qui sigilla ejus irreverenter tractat* (*). *Exceptiones adversariorum.*

Edita sunt biblia latina Francofurti anno 1591. in quibus hæc glossa ipsi textui biblico, minoribus tamen characteribus est inserta, sic enim redditur textus apostolicus: *Qui manducant indigne, rei fiunt spreti corporis &c.* Ut significaretur, indignos reatum illum contrahere non manducando, sed spernendo corpus Christi. Sed observentur modo ea, quæ paulo ante in medium adduximus, & de hoc inani effugio facile judicari poterit. Reatus ille corporis & sanguinis Christi, quomodo contrahatur ab indignis, non ex nostro cerebro, sed ex apostoli verbis definiendum est; qui & *modum* reatus & *objectum* manducationis expressit. Non simplici-

(*) Tossanus in notis margin. ad 1 Cor. XI. 29. *Reus erit corporis & sanguinis Christi, non quidem ideo, quod corpus Christi comederit & sanguinem ejus biberit, hoc enim qui facit, habet vitam æternam,* Joh. VI. 54. *Sed quia ab ju suo sacra & divina signa corporis & sanguinis Christi inhonoravit. Qui itaque illa inhonorat, is simul inhonorat cœlestia dona, quæ per illa significantur & confirmantur, quemadmodum si quis literas & sigilla cæsaris irreverenter habet, & pedibus conculcat, is irreverenter habet cæsarem ipsum, & contemnit bona, quæ ipse per testimonium sigilli exhibentur.* Atqui 1.) si indigne manducantes edendo rei fiunt corporis Christi, utique etiam illud comedunt. 2.) Non potest dari exemplum, quod quis reus fiat casu gignendi apud Græcos rei alicujus violatæ, quam nunquam indigne tractavit. 2.) Qui violat diploma cæsaris, non dicitur proprie reus fieri cæsaris, sed criminis læsæ majestatis. 4.) Si quæras, an conculcans pedibus diploma cæsaris reus fiat criminis læsæ majestatis, respondetur, non quia cæsarem pedibus conculcavit, sed quia diploma cæsaris pedibus conculcavit, Rursus si quæras, cur indigne manducantes rei fiant corporis Christi, respondet Paulus, *quia non dijudicavit corpus Domini.* Contra Tossanus, *quia sacra signa irreverenter habuit.* Idem Tossanus arbitratur, *apostolum loqui proprie de pœnis temporalibus credentibus inflictis ob irreverentiam & negligentem cœnæ tractationem.* Atqui apostolus proponit severam comminationem pœnarum temporalium & æternarum adversus profanatores cœnæ. Nisi Corinthii illi fuissent morbis emendati, cum impio mundo damnationem incurrissent. GERHARDUS.

pliciter dicit apostolus, causam illius reatus esse indignam manducationem, sed notanter exprimit, quidnam illud sit, quod indigne manducent, & hac ratione reatum illum contrahant indigni, cum per particulam *illativam* ὥστε ex verbis institutionis dependere ostendit, quæ de reatu indignorum adstruit; cum notanter adserit, indignos manducare de pane illo, quem paulo ante dixerat esse communicationem corporis Christi, & bibere ex calice Domini, quem paulo ante dixerat esse communicationem sanguinis Christi; cum causam addit, quare indigni judicium sibi manducent ac bibant, nimirum quia non dijudicant corpus Domini &c. Sic ergo plene effertur argumentum ex textu apostolico petitum. Qui manducando & bibendo rei fiunt corporis & sanguinis, & sibi ipsis judicium manducant & bibunt, inde & ideo, quia in illa manducatione & bibitione non dijudicant corpus & sanguinem Domini, illi certe manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini. Sed de indignis testatur apostolus, quod manducando ac bibendo rei fiant corporis & sanguinis Domini, ac sibi ipsis judicium manducent ac bibant, inde atque ideo, quia in illa manducatione & bibitione non dijudicant corpus & sanguinem Domini. Ergo indigni manducant & bibunt corpus & sanguinem Domini. Si quis ergo dicat, indignos quidem reos fieri corporis & sanguinis Christi, ex eo tamen non sequi, quod manducent corpus, & bibant sanguinem Christi, cum variis modis reatus ille contrahi possit, illi occurrit apostolus, notanter adserens, indigna manducatione panis hujus, de quo Christus testatur, quod sit suum corpus, reatum illum contrahi. Si quis dicat, reatum illum contrahi, quod injuria symbolis illata redundet ad res ipsas, illi occurrit apostolus, notanter adserens, indignos ideo judicium sibi manducare, quia non dijudicant corpus Domini. Si quis dicat, indignos reos fieri corporis Christi non accepti, sed repudiati ac spreti, illi occurrit apostolus, notanter adserens, non repudiando, sed manducando panem illum, de quo Christus dicit, esse suum corpus, reatum contrahi. Denique monemus, hanc exceptionem adversariorum cum propriis ipsorum hypothesibus pugnare. Statuunt enim, reprobis non exhiberi Christi corpus & sanguinem, quippe quod pro illis non sit in mortem traditum, & qui pro illis non sit effusus. Si ergo corpus & sanguis Christi non offeruntur animo communicandi reprobis, (quales multi sunt inter indigne manducantes ac bibentes) quomodo possunt corpus & sanguinem Christi a se rejicere & spernere, ac propter hanc rejectionem iram Dei & æternam damnationem sibi attrahere? ecquis potest adcusari rejecti doni, quod serio & animo communicandi non fuit ei unquam oblatum.

§. CCXXXVII. IV.) Fides non pertinet ad substantiam eucharistiæ, ergo propter fidem accedentium panis non est communicatio corporis Christi, nec propter incredulitatem accedentis panis definit esse communicatio corporis Christi. *Antecedens* in loco de sacramentis late confirmatum dedimus, hoc loco breviter monemus: 1.) Sacramentorum veritas atque integritas pendet in solidum ex institutione divina, quæ per nostram incredulitatem non redditur irrita. Rom. III. 3. 2.) Sacramenti essentia tota absolvitur re terrena & cœlesti, ejusdemque legitima administratione in ipsis verbis institutionis præscripta. 3.) Fides ad salutarem usum sacramenti spectat, ergo non ad essentiam. 4.) Si fides pertineret ad substantiam eucharistiæ, idem de baptismo dicendum foret, ac proinde hypocrita adultus, si baptizaretur, post conversionem esset rebaptizandus. 5.) Fides sacramento confirmatur & obsignatur. Ergo ad ejus essentiam non pertinet. 6.) Illa est essentia & forma cujusque rei, per quam est id, quod est, & ab aliis omnibus distinguitur. Per fidem sacramentum non est sacramentum, neque unum sacramentum ab alio distinguitur. 7.) Par est ratio, quantum ad constitutionem essentialem sacramenti, inter intentionem seu fidem dantis & inter intentionem seu fidem accipientis. Jam vero intentio seu fides dantis non est pars essentialis sacramenti. Ergo nec intentio seu fides

4.) Fides non pertinet ad substantiam eucharistiæ.

accipientis. Recte igitur Augustinus libr. III. contra Donatist. cap. 14. *Non interest, cum de sacramenti integritate quaeritur atque sanctitate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit, qui accipit sacramentum; interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quaestionem nihil interest, fieri enim potest, ut homo integrum habeat sacramentum & perversam fidem.*

Dicta veterum de indignorum manducatione.

§. CCXXXVIII. Nec destituitur haec adsertio de manducatione indignorum testimoniis veterum. Cyprianus serm. V. de lapsis p. 222. *A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt; mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus & contagia funesta redolentibus Domini corpus invadunt, cum occurrat scriptura divina & clamet & dicat:* Omnis mundus manducabit carnem; *&* anima quaecunque manducaverit ex carne salutaris sacrificii, quod est Domini, & immunditia ejus super ipsum, & peribit anima illa de populo suo; *Apostolus item testetur & dicat:* Non potestis calicem Domini bibere & calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini communicare & mensae daemoniorum. *Idem contumacibus & pervicacibus comminetur & denunciet, dicens:* Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. *Spretis his omnibus atque contemtis vis infertur corpori ejus & sanguini, plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Origenes in Psalm. XXXVII. hom. II. tom. I. pag. 471. *Cum anima tua aegrotet, & peccatorum languoribus urgeatur, securus es, contemnis gehennam &c. communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam quasi mundus & purus, quasi nihil in te sit indignum & in his omnibus putas, quod effugias Dei judicium?* Hilarius enarr. in Psalm. CXXVI. pag. 555. *Obtinemus panem vivum, panem caelestem ab eo, qui dixit:* Ego sum panis vivus de coelo, *quem qui indigne secundum mandatum apostoli acceperit, judicium sibi adquirit.* Basilius in serm. quod qui per baptismum regeneratus est, participatione deinceps mysteriorum divinorum nutriri debeat, tom. I. p. 467. circa finem: *Si quis fratrem contristat per cibum, a caritate excidit, sine qua magna quoque charismata & justificationes quoque operanti nihil prosunt, quid de eo dicendum est, qui otiose & inutiliter audet edere corpus & bibere sanguinem Domini nostri Jesu Christi &c.* Serm. II. de bapt. cap. 3. tom. eod. pag. 469. quaerit: *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis & spiritus edat corpus Domini & bibat sanguinem ejus?* Respondet autem: *si in lege veteri tales minae adversum eos positae sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quae ab hominibus sanctificantur, quid dicendum de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid est templo secundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius est in animae impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel tauros dicente apostolo: Itaque* qui edit panem, aut bibit poculum indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini, *imo vehementius ac terribilius judicium per repetitionem exprimitur, cum dicit:* Qui manducat, indigne, judicium sibi manducat. Augustinus tom. VI. libr. contra Donatist. post collationem cap. 20. non longe a princ. *Boni a malis corde ac moribus sese separant simul manducantes & bibentes corpus & sanguinem Domini, sed cum magna distinctione, quia isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est, fidelissimam sponsi caritatem, ac per hoc etiamsi in uno eodemque convivio isti misericordiam manducant, illi judicium.* Libr. V. contra Donatist. c. 8. circa finem: *Sicut Judas, cui buccellam tradit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se diabolo praebuit, sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum fit, aut quia non ad salutem accipit, nihil* (alias malum) *acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, de quibus dicebat apostolus:* Qui manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit. Tract. XXVI. in Joh. circa finem:

sacra-

sacramentum de mensa dominica sumitur quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res vero ipsa, cujus est sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit. Recte notat Lombardus libr. IV. sent. dist. 8. lit. D. & dist. 9. lit. C. rem sacramenti in duplici significatione a veteribus accipi, quandoque enim per eam intelligunt *rem cœlestem, partem essentialem sacramenti alteram*, quandoque vero *salutarem sacramenti fructum.* Augustinus quoniam hoc loco negat rem sacramenti ad exitium sumi posse, intelligit hoc de spirituali fructu, sic enim habent verba antecedentia: *Aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti: quam multi de altari accipiunt, & moriuntur & accipiendo moriuntur! unde dicit apostolus:* Judicium sibi manducat & bibit *&c. Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate.* Serm. II. de verb. apost. in princ. *Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si, quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.* Ubi τὸ *quod* refertur ad corpus Christi, quia panis spiritualiter non potest manducari: ideo autem de corpore Christi pronunciat Augustinus, quod visibiliter accipiatur, quia cum visibili pane in sacramento accipitur. Idem vult etiam in ipsa veritate spiritualiter manducari, ubi τὸ *in veritate* nudæ sacramentali manducationi opponitur, & ad spiritualem refertur. Sic lib. XXI. de civ. Dei c. 20. *quia non solum sacramento, sed re ipsa manducarunt corpus Christi.* Chrysostomus homil. LX. ad pop. Antioch. in princ. *Non parva pœna proponitur indigne sumentibus, considera quantum adversus proditorem indignaris, contra eos, qui crucifixerunt eum. Itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus jugularunt, tu vero polluta suscipis anima post tot beneficia.* In 1 Cor. XI. super verba: Quicunque comederit indigne, reus erit corporis &c. *Quamobrem? quia! effundit sanguinem, & non sacrificium, sed jugulationem prae se fert, quemadmodum enim hi, qui eo tempore Christum punxere, non ut biberent ejus sanguinem, sed ut effunderent, idem sane facit, qui Christi sanguinem bibit indigne, & nullum ex ejus potione fructum recipit.* Serm. III. in cap. I. Eph. *Multos video temere quomodocunque & ex consuetudine magis quam legitime aut consideratione ac mente de corpore Christi participantes.* Theodoretus 1 Cor. XI. *Non solum apostolis, sed & Judae proditori pretiosum corpus & sanguinem suum impertiit Dominus.* Gregorius libr. IV. dial. *Est quidem in peccatoribus & indigne sumentibus vera Christi caro & verus sanguis, sed essentia non salubri efficientia.* Bernhardus de modo bene viv. serm. XXVIII. *Alius carnem Christi spiritualiter manducat & sanguinem bibit, alius vero non, sed tantum sacramentum, hoc est, corpus Christi sub sacramento & non rem sacramenti. Qui cum Juda tradit, ore corpus Christi accipit, cum Juda condemnatur.* Serm. de cœna: *Comestio sacramentalis quantum ad visibilem speciem & ad corporis Christi veritatem convenit bonis & malis communiter* (*). Anshelmus in 1 Cor. XI. *Corpus & sanguis Domini nihilominus est, sed ille accipit hoc non ad vitam, sed ad judicium, quia non dijudicat corpus Domini, id est, non discernit, quam sit dignius omnibus creaturis hoc corpus.* In prosa de sacramento eucharistiæ, cujus initium: *Lauda Sion salvatorem* &c. quam quidam Thomæ Aquinati tribuunt:

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inaequali
Vitae est interitus.
Mors est malis, vita est bonis,
Vide, paris sumtionis
Quam sit dispar exitus!

§. CCXXXIX. Qui veram, realem & substantialem corporis & sanguinis Christi in sacra cœna præ-

Antithesis adversariorum.

(*) Idem Bernhardus serm. de cœna: *Qui secundum carnem vivunt, & post carnalia ejiciuntur, revera accipiunt corpus Christi, sed essentia, non salubri efficientia.* GERHARDUS.

præsentiam negant, illi etiam corpus & sanguinem Christi ab indignis manducari & bibi negant, sed diversimode. I.) Quidam concedere se dicunt, indignos manducare corpus Christi, nimirum *sacramentaliter & sacramentotenus*, id vero sic explicant, quod panem, qui sit corporis Christi signum, tantummodo manducent. Aretius part. I. probl. 82. f. 1006. recitat græcos versiculos:

Θεικρὸν αἷμα φρίξον ἄνθρωπε βλέπων,
Ἄνθρακς γάρ ἐσι τὰς ἀναξίας φλέγων.

O homo intuens sanguinem divinum, horresce, nam carbo est exurens indignos. Ibidem tamen indignorum manducationem sic exponit, quod nudum panem objecti loco habeat. Sadeël in libr. de sacram. manduc. *Sigillum corporis Christi potest aliquando sine ipsius veri corporis perceptione manducari.* Quidam vero aperte negant, indigne manducantes accipere corpus & sanguinem Domini, ac dicunt, tales externa tantum symbola, panem scilicet & vinum, accipere. Belgici ministri ad auctores formulæ concordiæ pag. 18. *Minime censemus fieri posse, ut quis carnem Christi manducet, qui sit vitae aeternae expers.* Beza part. II. quæst. & resp. quæst. 56. scribit, *hac indignorum manducatione nihil magis esse falsum* (*). II.) Vicissim externa illa symbola, quæ indigni in sacra cœna percipiunt, quidam vocant sacramenta, antiqua fides Cattorum pag. 34 & 57. unde profluxerunt hæ phrases, *indigni accipiunt sacramentum corporis, non ipsum corpus: edunt corpus Christi sacramentotenus.* Alii vero negant esse indignis sacramenta, sed nuda tantum elementa. Calvinus in instit. libr. IV. c. 14. §. 25. *Impii inania signa, imo ne signa quidem accipiunt, quia in nihilum redigitur, quidquid est signorum, ubi res signata tollitur.* Beza part. II. resp. ad colloq. pag. 119. *Increduli signa tantum percipiunt, quae tamen ipsis ne signa quidem sunt gratiae, sed exitii illorum sigilla.* Grynæus in disput. de duob. sacram. nov. test. probl. I. in confect. *Sacramenta fidelibus sunt sacramenta. Ea si quis opinetur & infidelibus sacramenta esse, sequetur absurdum, videlicet illa & perfidiae & incredulitatis esse sacramenta.* Idem repetit Bucanus in locis pag. 753, 764. *Sacramenta non nisi fidelibus sacramenta sunt, infidelibus autem ne quaquam.* Piscator resp. ad dictata Hoffman. pag. 80. v. 146. *Cum in sumente non est fides, non sumit ille sacramentum, sed tantum elementum, quia sacramentum quatenus sacramentum non nisi fide percipitur.* Keckermannus syst. theol. pag. 446. *Qui sine fide utuntur sacris signis, non percipiunt ipsum formale sacramentorum, sed tantum materiale.* III.) Alii fatentur, quosdam indigne manducantes percipere corpus Domini, quos definiunt homines vera fide non destitutos, sed de præparatione animi non cogitantes, & fratribus, quos offenderint, non reconciliatos ac dissolutius, quam oportet, viventes. Ita statuit Bucerus, cujus verba adduximus superius, quem sequuntur Beza resp. I. ad colloq. Mompel. p. 61. & Cassellenses in antiqua fide Cattor. p. 34, 35. ubi distinguunt inter illa, *fidem non habere*, & *sine fide uti sacra cœna.* Indignos vocant infirmos in fide, eosque dicunt *sine fide uti sacra cœna*, & nihilominus *accipere corpus Christi.* Piscator, etsi concedit Bezæ & aliis, apostolum 1 Cor. XI. loqui de fidelibus, sed qui indigne, hoc est, irreverenter cœnam Domini usurpant, tamen negat, eos percipere corpus & sanguinem Christi, *quia*, inquit, *corpus & sanguis Christi indigne seu irreverenter edi ac bibi non possunt;* in anal. 1 Cor. XI. observ. ex v. 27. At rursum Bucanus pag. 752. *quosdam indigne manducantes*, dicit, *fidem habere admodum languidam & infirmam, ac proinde non admodum efficacem per caritatem & pœnitentiam, qui non discernunt panem Domini mysticum a cibo communi, sed irreverenter*

(*) Pelargus in comp. suo theol. correcto p. 505. *sacramentaliter Christi corpus comedi ab impiis*, scribit, *non vere & re ipsa, sed signotenus.* Considerator commonef. p. 102. *Indigni nihil accipiunt nisi externa symbola non minus quam canis aut porcus vorans panem consecratum, sive profiteantur nomen Christi, sive non profiteantur.* GERHARDVS.

ter hunc tractant, nec eo modo, quo Dominus instituit; non tamen audet negare eos edere & bibere carnem & sanguinem Domini. Curæus in spongia contra confessionem Eberi, de cœna edit. Heidelb. anno 1527. commentum de duobus generibus indignorum vocat *inauditam chimæram.* p. 272. Sic ergo Cadmæi fratres inter se prælia miscent.

Argumenta contra manducationem indignorum. 1.) Caro Christi est vivifica.

§. CCXL. Videamus potiora argumenta, quæ contra manducationem indignorum proferunt. I.) *Caro Christi est cibus vivificus.* Joh. VI. 54. *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* Jam vero *indigni non habent vitam æternam, nec vivificantur ex usu sacræ cœnæ. Ergo non manducant carnem Christi.* Hoc argumento utuntur Scholastici Witebergenses, uti se indigitant, in scripto contra Schachtium. Calvinus illud format hoc modo: *Salutaris Christi Spiritus non separatur ab ipsius carne. Sed Spiritus Christi non datur indignis. Ergo nec caro Christi iisdem datur.* Resp. 1.) Adversarii alias strenue negant, carnem Christi esse vivificam, siquidem realem idiomatum divinorum communicationem adsumtæ carni Christi factam impugnant, ut constat. Quomodo igitur ex hoc principio contra nos argumentari poterunt? 2.) Sunt in argumento quatuor termini. *Major* propositio loquitur de spirituali carnis Christi manducatione & sanguinis ejus bibitione. *Conclusio*, si nostræ sententiæ opposita est, accipienda erit de sacramentali manducatione & bibitione. Ostendimus autem superius, caput sextum Johannis de spirituali manducatione & bibitione intelligendum esse, a qua multis modis sacramentalis manducatio ac bibitio distat. 3.) Carnem Christi esse vivificam dupliciter intelligitur, primo *absolute* & respectu sui; hoc modo semper est & manet vivifica: secundo *relate* & respectu hominum; hoc modo vivifica dicitur vel ratione potentiæ, vel ratione actus. Ratione *potentiæ* Christus potest & vult omnes vivificare, scilicet potentia absoluta & voluntate antecedente: ratione *actus* vivificat tantum credentes, indigni cum destituantur instrumento receptionis, scilicet fide, ideo vitam ex vivifica Christi carne non participant. 4.) Ergo caro Christi in se ac per se semper est & manet vivifica, interim tamen, ut ex illa vitam spiritualem & cœlestem participemus, ad illud non sufficit sacramentalis manducatio & bibitio, sed requiritur insuper spiritualis illa manducatio & bibitio, de qua Joh. VI. late agitur. Breviter, ut ex hoc perenni fonte vitæ & gratiæ vitam & gratiam haurire possimus, requiritur situla fidei. 5.) Distinguendum enim inter *naturaliter* & *libere* agentia. Vivificatio in carne Christi est actio non naturalis, sicut ustio in igne, sed libera. Joh. V. 21. *Filius, quos vult, vivificat:* illos vero vult vivificare, qui vera fide ipsum amplectuntur, teste tota scriptura. 6.) Quod impœnitentes & indigni ex usu sacræ cœnæ non vivificantur, ex eo non potest colligi, quod sacramentaliter non manducent corpus Christi, sed hoc tantum ex eo sequitur, quod spiritualiter & salutariter non manducent corpus Christi, nec sanguinem ejus bibant, ut sacramentalis manducatio ad vitam ipsis cedat. Indigni non propterea statuendi sunt non manducare corpus Christi, quia non vivificantur, sed quia indigne manducant, ideo non vivificantur. 7.) Christus non solum est vivificator credentium, sed etiam judex incredulorum & impœnitentium, ideo caro ipsius a credentibus manducatur ad vitam & salutem, ab incredulis ad judicium. 8.) Evangelium in se ac per se est verbum vitæ & gratiæ; Joh. VI. 68. interim tamen quibusdam *est odor mortis ad mortem*, 2 Cor. II. 16. impœnitentibus scilicet & incredulis propria ipsorum culpa: sic caro Christi in se ac per se est cibus vivificus; interim tamen a quibusdam manducatur ad judicium propter impœnitentiam & incredulitatem ipsorum.

Vita piis erit atque eadem mors sontibus esca,
Uno eodemque salus fluit atque ex fonte venenum.

Vid. in hymn. de eucharist. p. 72.

Gratus odor cerebro est, quem mollis amaracus edit,
Sed necat immundas illius aura sues.

Ex rosa apis mel colligit, aranea suum virus: sic sacramenta indignis non prosunt, sed illis, quorum corda fide sunt purgata. Augustinus libr. III. de bapt. contra Donat. cap. 13. circa finem: *Idem odor erat, de quo dicit apostolus:* Christi bonus odor sumus Deo in omni loco, & tamen in iis, qui salvi fiunt, *inquit*, & in iis, qui pereunt. Aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis vero odor mortis in mortem. *Quod etsi de alia re dixit, ad hoc ego posui, ut intelligatur aliquod bonum non solum vitam posse bene operari utentibus, sed etiam mortem male utentibus.* Tract. VI. in Joh. circa med. *Et sancta possunt obesse, in bonis enim sancta ad salutem insunt, in malis ad judicium. Certe enim, fratres, novimus, quid accipiamus, & utique sanctum est, quod accipimus, & nemo dicit, non est sanctum. Et quid ait apostolus?* Qui autem manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, *non ait, quia illa res mala est, sed quia ille malus male accipiendo ad judicium accipit bonum, quod accepit. Non enim mala erat buccella, quae tradita est Iudae a Domino; absit! medicus non daret venenum, salutem medicus dedit, sed indigne accipiendo ad perniciem accepit.* Chrysostomus homil. de proditione Judæ circa finem: *Sicut corporalis cibus cum invenerit ventrem adversis humoribus occupatum amplius laedit, magis nocet & nullum praestat auxilium: ita & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet non sua natura, sed accipientis vitio.* 9.) Deus est ipsa vita *essentialiter*, & tamen impii non vivificantur vita spirituali, quæ est *ex Deo*, Eph. IV. 18. quamvis in *Deo sint, vivant ac moveantur;* Act. XVII. 28. quinimo hominibus *perversis est perversus*: Psalm. XVIII. 27. sic est & manet corpus Christi vivificum, licet impœnitentes & incredulos non vivificet. Brentius de duab. nat. pag. 47. 10.) Marc. V. 31. turba comprimit Christum, & tamen ad solam hæmorrhoissam ex ipso *virtus exibat*, v. 30. ipsa quippe sola fide tetigerat; v. 28. Judæi non solum tetigerunt, sed etiam crucifixerunt Christum manibus nefariis, neque tamen ex contactu vivificæ carnis vivificati sunt, nimirum quia fide destituti fuerunt. Quod ad argumentum Calvini attinet, resp. 1.) per spiritum aut intelligitur Spiritus sanctus, aut spiritus vitalis, aut spiritualis carnis Christi efficacia nobis communicata. Jam vero de nullo horum dici potest, quod sit perpetuus & indissolubilis inter ea nexus. Post factam incarnationem caro Christi est & manet perpetuum Spiritus sancti habitaculum, interim tamen ante factam incarnationem patres habuerunt *Spiritum Christi*, 1 Petr. I. 11. non autem carnem Christi. In cruce & sepulcro caro Christi destituta fuit spiritu vitali. Judas, servi pontificum, milites Pilati contrectarunt carnem Christi, nec tamen spiritualis ejusdem efficaciæ facti sunt participes. 2.) Ergo quod indigni manducant carnem Christi, nec tamen Spiritum vitæ ex ea participant, id fit ex accidenti, quia destituuntur fide, qua sola *promissio Spiritus accipitur.* Gal. III. 2. 3.) Spiritus Christi itidem non debet separari ab ipsius divinitate, & tamen in impiis est sua quadam ratione divinitas Christi, ubi non adest donum Spiritus sancti. Spiritus non est separandus a verbo & sacramentis, & tamen multi audiunt verbum, & utuntur sacramentis sine Spiritu. 4.) Distinguendum igitur inter actum *primum & secundum*, inter inhabitationem Spiritus in carne Christi *interiorem* & operationem ejus *exteriorem*. 5.) Spiritus Christi non in omnibus eadem operatur, siquidem Christus etiam *interficit impium Spiritu oris sui.* Esa. XI. 4. 2 Thess. II. 8. Quemadmodum igitur Augustinus olim respondit Donatistis: (hoc urgentibus, quod verum baptisma non possit esse sine Spiritu) *Si baptisma sine Spiritu esse non potest, habent & Spiritum haeretici, sed ad perniciem, sicut Saul;* lib. V. contra Donatist. de bapt. c. 24. ita nos id ipsum Calvini argumento reponimus.

§. CCXLI. II.) *Non potestis calicem Domini bibere & calicem daemoniorum, non potestis mensae*

2.) *Non potestis calicem Domini bibere &*

calicem dæmoniorum. 1 Cor. X. 21.

sae Domini participes esse & mensae daemoniorum, 1 Cor. X. 21. *Jam vero indigni sunt in societate daemoniorum. Ergo non possunt corpus & sanguinem Domini in cœna bibere.* Resp. 1.) Apostolus loquitur de impossibilitate non *facti*, sed *juris*. Lyranus: *Non potestis calicem Domini & daemoniorum bibere scilicet digne & cum effectu gratiae.* Id ipsum enim taxat apostolus, quod de facto præstabant utrumque. Huc pertinet mos loquendi jurisconsultis usitatus: *Quae facta laedunt pietatem, honestatem, bonos mores &c. ea nec nos posse arbitremur.* 2.) Ergo apostolus non agit de eo, quod simpliciter & nulla prorsus ratione fieri nequit, sed docet, quid pie & sine offensione Dei & bona cum conscientia fieri nequeat. 3.) Calix Domini in sacra cœna complectitur non solum sanguinem Christi, sed & vinum: mensa Domini complectitur non solum corpus Christi, sed & benedictum panem. Quod si de tali bibitione & participatione apostolus loqueretur, quæ cum societate calicis & mensæ dæmoniorum nulla prorsus ratione subsistere posset, sequeretur, ne quidem benedicti panis & benedicti vini indignos fieri participes, cum tamen cap. seq. v. 27. expresse adserat, indignos ex calice Domini bibere. Ibidem etiam diserte testatur, indignos *reos fieri corporis & sanguinis Domini*, inde & ideo, quia *non dijudicant corpus Domini*, 4.) Immotum igitur & invictum perstat, apostolum loqui de eo, quod bona conscientia & sine gravi peccato fieri nequit, atque hic mos loquendi in scripturis sacris etiam alibi occurrit. Genes. XXXIV. 14. Deut. XVI. 5. XVII. 15. XXI. 16. Act. IV. 20. &c. Idem colligitur ex eo, quod paulo post in illo ipso capite apostolus subjungit v. 24. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 5.) Bibere calicem dæmoniorum & mensæ eorum esse participem, aliter accipitur in textu apostolico, quam in argumento adversariorum. Corinthii ad Christum ex gentilitate conversi intererant conviviis, quæ parabant gentiles ex eis, quæ diis suis sacrificaverant, ac putabant illud tanquam externum quid sine læsione conscientiæ, & sine ulla pietatis jactura fieri posse. Sed cum *dii gentium sint daemonia*, Psalm. XCVI. 5. ideo apostolus pronunciat, hoc esse bibere calicem dæmoniorum & mensæ dæmoniorum participem esse, nec ulla ratione cum salutari & legitimo sacræ cœnæ usu posse subsistere. Hac ratione indigni in ecclesia non bibunt calicem dæmoniorum, nec participant mensæ eorum, sed tantum certo quodam intellectu & respectu, spiritualiter scilicet, unde in argumento exsistunt quatuor termini.

§. CCXLII. III.) *Accipere & rejicere sunt contraria. Indigni sua incredulitate Christum cum suis beneficiis rejiciunt. Ergo nec corpus ipsius participant* (*). Resp. 1.) Distinguendum inter cœnæ *substantiam* & salutarem *efficaciam*, sive, ut Gregorius loquitur libr. IV. dial. *inter essentiam & salutarem efficientiam.* Indigni rejiciunt salutarem cœnæ efficaciam, cum destituantur spirituali carnis Christi manducatione & sanguinis ejus bibitione, interim tamen suscipiunt cœnæ substantiam atque omnia ejusdem essentialia, ad quæ omnino pertinent corpus & sanguis Christi. 2.) Ergo ex negata manducatione & bibitione spirituali non protinus inferri debet negatio manducationis & bibitionis sacramentalis. Illa dependet ex fide, quam cum indigni non adferant, ideo non ad vitam, sed ad judicium manducant: hæc vero unice & in solidum dependet ex Christi institutione, quam *incredulitas hominum non evertit nec abolet.* Rom. III. 3. 3.) Verbum Dei prædicatur incredulis & impœnitentibus, qui illud repellunt; Act. XIII. 46. *Vobis nunciatum est quemadmodum* &

3.) Accipere & rejicere sunt contraria. Indigni rejiciunt corpus Christi.

(*) Pelargus in comp. suo theol. correcto p. 474. *Utrique* (dignis & indignis) *quando accedunt, idem exhibetur sacramentum, & Christus ipse generaliter omnibus corpus & sanguinem suum offert: sed quia infideles januam ejus liberalitati claudunt, non recipiunt, quod offertur.* GERHARDUS.

& illis, sed non profuit illis sermo auditus non admixtus fidei, Hebr. IV. 2. Quemadmodum igitur obstinati impœnitentes auribus verbum percipiunt, corde vero rejiciunt: sic indigni corpus & sanguinem Christi in sacra cœna ore accipiunt, sed corde repudiant. 4.) Quando igitur ab adversariis toties ingeminatur, panem esse communicationem corporis Christi, non nisi in vero usu cœnæ, quo cum destituantur indigni, ideo eos non fieri participes corporis Christi, respondendum est, usum cœnæ aliquando sumi pro *actione* a Christo institutа, in qua observantur omnes actus sacramentales ad integritatem & essentiam sacramenti pertinentes; aliquando vero accipi pro *usu salutari* & fructuoso, qui consistit in fide. Indigni carent vero usu cœnæ in sensu posteriori, nequaquam vero priori.

4) *Pro solis credentibus Christus in cruce mortuus.*

§. CCXLIII. IV.) *Illi solum accipiunt corpus Christi, pro quibus in mortem est traditum. Illi solum bibunt sanguinem Christi, pro quibus in ara crucis est effusus. Jam vero pro solis credentibus Christus in cruce mortuus est.* Resp. ostendimus in tractatu de electione & reprobatione §. 107. & seqq. Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, cum sit *agnus Dei tollens peccatum mundi*; Joh. I. 29 cum sit *propitiatio non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis*; 1 Joh. II. 2. cum illos etiam pretioso corporis & sanguinis sui λύτρῳ emerit, *superinducunt sibi celerem perditionem*. 2 Petr. II. 1. Invertimus igitur argumentum. Cum Christus in sacra cœna etiam hypocritis & incredulis corpus suum manducandum & sanguinem suum bibendum offerat, eo ipso clarissime testatur, pro illis etiam in ara crucis se esse mortuum, ac corpus suum pro illis tradidisse, & sanguinem suum pro peccatis ipsorum effudisse. Manducatio igitur indignorum manifestum præbet testimonium contra figmentum absolutæ reprobationis, & particularitatis meriti a Christo præstiti. Quibus Christus corpus & sanguinem suum offert, illis etiam offert beneficia traditione corporis & effusione sanguinis sui in ara crucis parta. Quibus Christus offert beneficia traditione corporis & effusione sanguinis sui in ara crucis parta, pro illis etiam corpus suum in mortem tradidit, & sanguinem suum pro peccatis ipsorum effudit. Pro quibus Christus corpus suum in mortem tradidit, & sanguinem suum pro peccatis eorum effudit, illi non sunt absoluto Dei odio & decreto a salute æterna exclusi, sed illorum conversionem & vitam Deus serio quærit, vult atque expetit, ut vere a peccatis conversi beneficiorum Christi & vitæ æternæ per fidem participes reddantur. Quemadmodum igitur ex universali prædicatione evangelii recte colligitur, beneficia Christi omnibus offerri; ita quoque ex institutione sacræ cœnæ recte colligitur, quia Christus mediante benedicto pane suum corpus & mediante benedicto vino suum sanguinem omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus manducandum ac bibendum exhibet, ideo neminem illorum absoluto Dei odio a beneficiis Christi exclusum esse. Si dicas, ut beneficia evangelii offeruntur quidem impœnitentibus, nequaquam vero adplicantur: ita corpus & sanguinem Christi in sacra cœna indignis quidem offerri, non tamen ab ipsis manducari ac bibi; *resp.* de spirituali manducatione ac bibitione, quæ fit fide, rectissime id adseri, interim tamen ut præter auditum evangelii internum cum fide & adsensu conjunctum est auditus externus; ita præter internam & spiritualem manducationem ac bibitionem est sacramentalis manducatio ac bibitio omnibus sacræ cœnæ hospitibus communis.

5.) *Nemo potest aliquid accipere ex testamento Romano nisi sit civis Romanus.*

CCXLIV. V.) *Nemo potest aliquid accipere ex testamento Romano, nisi sit civis Romanus. Impii non sunt cives reipublicae christianae. Ergo non accipiunt aliquid ex testamento Christi.* Alii argumentum sic informant: *Nemo accipit legata testamenti, nisi expressis verbis sit nominatus haeres. Indigni & increduli non sunt in fœdere gratiae, nec haeredes cœlestium bonorum. Ergo non accipiunt legata testamenti domi-*

dominici, corpus scilicet & sanguinem Christi. Witakerus de eccles. quæst. I. cap. 9. arg. 4. *Resp.* 1.) Propositio deducta est ex jure fori humani, quod non præjudicat institutioni divinæ. 2.) Indigni etiamsi non sint vera & viva corporis Christi mystici membra, tamen sunt cives ecclesiæ visibilis. 3.) Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum habetur pro cive Romano & legata testamenti Romani accipit, qui utitur jure & legibus Romanis, etiamsi non sit probus civis: ita indigni, etiamsi non sint vera & viva invisibilis ecclesiæ membra, tamen, quia sunt cives ecclesiæ visibilis, verbum & sacramenta cum veris christianis habent communia. 4.) Verbi auditus exterior communis est bonis & malis, verbi auditus interior & salutaris solis credentibus convenit: ita manducatio sacramentalis corporis Christi, quæ ad eucharistici sacramenti administrationem pertinet, non minus omnibus hujus cœlestis convivii hospitibus est communis, sed manducatio spiritualis ac salutaris solis credentibus convenit. 5.) Idem jus obtineret in baptismo, & sic adulti hypocritæ non perciperent integrum baptisma, ac proinde essent rebaptizandi. 6.) Legata testamentorum de *jure* pertinent ad eos solum, qui in testamenti tabulis sunt nominati, sed de *facto* sæpe transferuntur ad alios. Legat quis in testamento pecuniam suis liberis aut propinquis. Jam si prædo pecuniam illam intercipit, non desinit esse pecunia, etiamsi illi non fuerit destinata. 7.) Sacramentalem corporis sui manducationem ac sanguinis sui bibitionem instituit Christus omnibus christianis, qui panem benedictum manducant, & ex calice eucharistico bibunt. Sed spiritualis corporis Christi manducatio & sanguinis ipsius bibitio pertinet ad solos credentes, qui vera fide salutariter manducant & bibunt, ac proinde accurate & proprie loquendo, legata in hoc testamento fidelibus promissa sunt beneficia evangelii propria, videlicet remissio peccatorum, gratia Dei, salus æterna &c. Corpus & sanguis Christi sunt sigilla promissionem illam obsignantia & confirmantia. Vide ea, quæ diximus superius §. 5. q. 3.

§. CCXLV. VI.) *Quod Christus prohibet, ipse non facit. At qui prohibet dare margaritas porcis & sanctum canibus* Matth. VII. 6. *Ergo corpus suum non dabit indignis.* Resp. quid indigni in sacra cœna manducent ac bibant, de eo non judicandum est ex consequentiis aliunde petitis, sed ex institutione dominica & adsertione apostolica 1 Cor. XI. Christus propter hominum incredulitatem atque indignitatem non mutat suam institutionem, sed abusum sanctissimi hujus mysterii in indignis gravissime vindicat. Sic Christus noverat, Judam esse indignum, neque tamen ab usu eucharistiæ eum arcet, vel aliam cœnam nudo pane & vino constantem pro illo instituit, sed præmissa gravi & seria dehortatione a concepto scelere una cum reliquis eum admittit, indignam vero manducationem ac bibitionem gravissime postea vindicat. Sic Christus se ipsum tradit in mortem, Pilatus & Judas itidem eum in mortem tradiderunt. Si quis colligere velit, Pilato & Judæ prohibitum fuit, Christum utpote innocentem in mortem tradere, ergo non est verisimile, quod Christus se ipsum in mortem tradiderit, quilibet videbit argumenti infirmitatem (*). Ex his de reliquis argumentis facile potest fieri judicium. Sic quando dicunt

6.) Christus prohibet sanctum dare canibus. Matth. VII. 6.

(*) Ursinus in catech. p. 593. ex historia Cananææ Matth. XV. argumentum format: *Non est honestum, panem filiorum projicere canibus. Corpus Christi est panis filiorum, impii vero sunt canes. Ergo impii & indigni non participant corpus & sanguinem Christi in cœna.* Resp. 1.) Canes proprie hoc loco non dicuntur impii in ecclesiæ gremio constituti, sed gentiles, qui sunt extra ecclesiam. 2.) Panis non notat corpus Christi in cœna vescendum, sed miraculorum gratiam. 3.) Canes vere edunt panem, licet immerito obiectum & filiis præceptum. 4.) Rem ipsam habemus in sacris literis expressam, quam non potest everrere argumentum ex his verbis male adplicatis sumtum. Considerator commonef. p. 803. atque Ursinus in catech. p. 594. sic concludunt: *Indigni edunt judicium. Ergo non corpus Christi.* Resp. subordinata non sunt opponen-

7.) *Ad infideles non pertinet promissio gratiae.*

VII.) *ad infideles non pertinet promissio gratiae. Ergo nec sigillum promissionis, cœna dominica.* Resp. adversarii sigillum promissionis statuunt non corpus & sanguinem Christi, sed externa tantum elementa, ut constat. Ergo vi hujus argumenti indigni ne quidem panem & vinum in sacra cœna percipient. Dicimus autem in sacramento cœnæ proponi duplicem promissionem, (si vocabulum *promissionis* in sensu latiori accipiatur) unam vocare possumus *absolutam* de substantia scilicet & præsentia corporis ac sanguinis Christi, hæc ex æquo pertinet ad omnes cœna utentes, rectius autem vocatur Christi institutio & ordinatio, ut monuimus superius. Altera est *relativa*, promissio scilicet gratiæ, quæ quidem ratione juris (ut ita loquar) sive meriti Christi communis itidem ad omnes ex æquo pertinet, sed ratione facti, seu eventus, seu propriæ culpæ excluduntur ab ea increduli, quippe qui promissionem illam gratiæ fide sibi non applicant. Sic ergo sacramenta pro omnibus christianis sunt institura, sed non omnibus sunt salutaria. Quemadmodum promissio evangelii eadem manet, sive quis fide eam amplectatur, sive minus: sic est idem sacramentum, sive dignus eo utatur, sive indignus.

Dicta patrum contra manducationem indignorum.

§. CCXLVI. Ex Augustino etiam quædam contra manducationem indignorum proferunt, sed quæ parum roboris habent, si attendantur ea, quæ ex ipso Augustino pro nostra sententia superius adduximus. I.) Tract. LIX. in Joh. non longe a principio dicit, *Judam manducasse panem Domini, reliquos apostolos manducasse panem Dominum.* Resp. τὸ *manducare panem Domini* exprimit sacramentalem manducationem phrasi deducta ex 1 Cor. XI. 27. *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne &c.* Ut apostolus poculum eucharisticum vocat *calicem Domini:* ita Augustinus panem eucharisticum vocat *panem Domini*, τὸ *manducare panem Dominum*, notat spiritualem & salutarem manducationem phrasi deducta ex Joh. VI. 32. ubi Christus se vocat *verum panem* & v. 35. *panem vitae.* Quemadmodum igitur apostolus per calicem Domini non intelligit nudum vinum, sed totum illud, quod in calice eucharistico nobis exhibetur, a quo sanguis novi testamenti non potest excludi: ita quoque Augustinus per *panem Domini* non intelligit nudum panem, sed illum panem, qui est κοινωνία corporis Christi. Sensus ergo dicti hic est: reliqui apostoli ita manducabant panem eucharisticum, ut Christum ipsum, panem vitæ, qui de cœlo descendit, fide simul amplecterentur, & sacramentali manducationi spiritualem conjungerent. Judas vero manducavit panem Domini, id est, panem eucharisticum, qui cum constet re terrena & cœlesti, ideo non est solum panis, sed etiam Christi corpus, nec tamen fide amplexus est Christum, ut sacramentali manducationi, exemplo reliquorum apostolorum, spiritualem conjungeret. II.) Lib. XXI. de civ. Dei cap. 25. *Non sunt dicendi manducare corpus Christi, qui non in membris Christi computandi sunt.* Resp. differit contra eos, qui sibi liberationem ab æterno igne promittebant, ideo quia de corpore & sanguine Christi participarunt, quomodolibet vixerint, & in quacunque impietate fuerint, quia scriptum sit: *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem, habet vitam aeternam.* Docet autem, quinam sint dicendi revera, id est, salutariter manducasse corpus Christi, non qui solo sacramento aut sacramentotenus manducaverunt, possunt enim hoc facere etiam impii, sed qui in fide Christi perseverant. De spirituali igitur & utili, non de sacramentali manducatione tractat, nec substantiam cibi sacramentalis,

ponenda. Edere corpus Christi sacramentaliter & edere judicium, teste apostolo, non sunt contraria. At edere corpus Christi spiritualiter & edere judicium, contrarie opponuntur, quæ simul consistere nequeunt. GERHARDUS.

lis, sed modum solummodo manducationis in his & similibus dictis distinguit, ut ex clarissimis ejusdem pronunciatis, quæ superius adduximus, satis manifeste elucet.

CAPUT XXIII.

DE VERA ET SALUTARI PRÆPARATIONE AD DIGNUM SACRÆ COENÆ USUM.

Necessitas probationis.

§. CCXLVII. Cum illi, qui indigne manducant & bibunt in sacra cœna, rei fiant corporis & sanguinis Domini, adeoque judicium sibi manducent ac bibant; 1 Cor. XI. 27. & 29. ideo vera & salutaris præparatio ante usum sacræ cœnæ summe necessaria erit, ne illud, quod ad vitam institutum est, ad mortem & exitium nobis cedat, neve medicina convertatur nobis in venenum. Hanc veram & salutarem præparationem usui sacræ cœnæ præmittendam unico vocabulo apostolus exprimit v. 28. *Probet se ipsum homo*, δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτόν, indefinite pronunciat: *homo* se ipsum probet, ut ostendat, ab omnibus omnino probationem illam requiri, qui volunt esse cœlestis hujus convivii hospites, neque quemquam ad illud sanctitatis culmen pervenisse, in quo probatione illa minime indigeat. Est autem δοκιμάζειν exacte explorare & singulari studio inquirere naturam, proprietates, omnesque adeo recessus illius objecti, circa quod probatio versatur. Sic Deus dicitur *probare corda hominum*, *probare corda & renes*, hoc est, interiorem cordis fundum perspicit, atque exacte intuetur abditissima quæque in corde hominis, quia renes etiam aperto inferiore ventre non sunt oculis nostris obvii, sed latent adipe tecti. Psalm. XI. 5. *Dominus probat justum;* in Hebræo est בחן quod usurpatur de probatione auri. Zach. XIII. 9. *Probabo eos sicut probant aurum;* unde LXX. Prov. XVII. 3. utuntur δοκιμάζειν pro צרף quod est probare metalla, igne ea excoquere & a scoriis purgare. Psalm. XVII. 3. *Probasti cor meum, visitasti nocte, conflasti me, non invenies.* Psalm. CXXXIX. 1. *Domine investigasti me*, חקר perscrutatus est, remota & abstrusa exploravit. Prov. XVII. 3. *Sicut conflatorium argento & caminus auro, sic corda probans Dominus.* Jer. XVII. 9. *Supplantativum est cor prae omnibus & perversum, quis cognoscet illud?* v. 10. *Ego Dominus scrutans cor, probans renes*, ubi conjunguntur חקר & בחן. Sic *probare* jubemur *Dei voluntatem*, Rom. II. 18. XII. 2. Eph. V. 10. Phil. I. 10. hoc est, ex verbo diligenter inquirere & discere, quæ sit bona Dei voluntas, quid ipsi gratum & acceptum. *Probare* jubemur *spiritus*, 1 Joh. IV. 1. *omnia probare, quod bonum est tenere*, 1 Thess. V. 21. hoc est, summo studio in doctrinam inquirere, an sit conveniens verbo Dei. *Probare* & tentare jubemur *nos ipsos, an in fide simus;* 2 Cor. XIII. 5. *probare nostrum opus*, Gal. VI. 4. hoc est, solicite cavere, ne qua hypocrisis fidei & operibus nostris admixta sit. Rom. I. 28. νὸς ἀδόκιμος, *mens reproba*, est, quæ vitam ita instituit, ut nec consideret nec curet, etiamsi Deo, hominibus & propriæ conscientiæ improbentur, quæ agit. Quando igitur jubet apostolus, *ut probet se ipsum homo, antequam panem illum edat, & ex calice Domini bibat*, hoc vult, quod accessurus ad sacram cœnam diligenti & adcurato studio suam naturam, vitam, propositum, cogitationes, actiones adeoque intimos cordis sui recessus explorare, & juxta normam legis divinæ examinare debeat, cum non vulgare epulum, sed cœleste convivium hac in sacra cœna sibi habeat propositum, ad quod qui indigne accedit, judicium sibi manducat ac bibit. Complectitur igitur hæc δοκιμασία partes veræ & salutaris pœnitentiæ, videlicet *primo* peccati agnitionem ac seriam ejusdem deplorationem, ubi expendenda est ira Dei adversus peccata, ac pœnæ temporales & æternæ iisdem promeritæ: *deinde* fiducialem misericordiæ divinæ implorationem, ubi expendendæ promissiones evangelii, quas confirmat

firmat & obsignat usus sacræ cœnæ, ex quibus efflorescit propositum a peccatis desistendi, & vitam juxta normam legis divinæ instituendi, reconciliatio fraterna, precatio seria, gratiarum actio devota, reverentia erga hoc mysterium debita &c.

Quid sit seipsum probare.

§. CCXLVIII. Sed jucundius est ex ipsis verbis apostoli inquirere, quidnam ad veram & salutarem illam probationem usui sacræ cœnæ conjungendam requiratur, cum non in genere solum apostolus pronunciarit, probationem sui esse necessariam, sed etiam in specie exposuerit, in quibus partibus illa probatio consistat. I.) *Si nos ipsos dijudicaremus*, ait v. 31. *non utique judicaremur.* Innuit igitur, quod is, qui velit se ipsum recte & legitime probare, se ipsum etiam debeat dijudicare. Διακρίνειν alias significat discernere, ambigere, dubitare, certare &c. sed hæ significationes sunt ab hoc loco alienæ; Matth. XVI. 3. *faciem cæli* dicuntur διακρίνειν *dijudicare*, qui ex rubedine vespertina serenitatem, ex rubedine vero matutina tempestatem colligunt. 1 Cor. VI. 5. *inter fratres* διακρίνειν dicitur, qui de causis ipsorum cognoscit, & æquo judicio lites eorum componit. 1 Cor. XIV. 29. *Prophetæ duo vel tres loquantur, reliqui vero dijudicent*, ubi διακρίνειν ponitur pro δοκιμάζειν, eodem enim sensu Johannes jubet probare Spiritus, δοκιμάζειν τὰ πνεύματα, 1 epist. IV. 1. quo Paulus hoc loco jubet dijudicare prophetas, & Judas v. 9. διακρίνειν pseudodoctores. LXX. utuntur pro בָּחַן probavit, exploravit, Joh. XII. 11. XXIII. 10, pro בָּרַר purificavit, expurgavit Eccles. III. 19. pro דִּין judicavit, potestatem judiciariam exercuit, sententiam ex fundamento juris & justitiæ pronunciavit, 2 Sam. XIX. 9. Psalm. XLIX. 5. Prov. XXXI. 9. &c. pro שָׁפַט judicavit, judicium tulit, Exod. XVIII. 16. 1 Reg. III. 9. Psalm. LXXXI. 1. &c. hæ significationes omnes huc quodammodo adcommodari possunt. Ideo enim vocabulo *forensi* apostolus utitur, ut ostendat, probationem illam non debere esse superficiariam, sed maxime seriam. Quia enim propter peccata nostra a Domino judicamur, hoc est, in jus vocamur, & propter ea pœnis temporalibus & æternis adfligimur, ideo nos ipsos debemus judicare, hoc est, coram Dei judicio multorum peccatorum reos agnoscere, severitatem judicii divini deprecari, & a throno justitiæ ad thronum misericordiæ adpellare. Debemus etiam hoc modo nos ipsos judicare, ut ad normam legis divinæ omnes nostras actiones ac vitam omnem examinemus, ut hac ratione verum & infucatum judicium de extrema naturæ nostræ per peccatum corruptione ferre possimus, & agnoscentes iram Dei adversus peccata coram ipso humiliemur. Et quia in hoc ipso versiculo apostolus eos divinitus judicari pronunciat, qui se ipsos non dijudicant, hoc est, pœnis a Deo adfligi atqui corripi, ut in seq. versu explicatio additur, ideo διακρίνειν illud commodissime refertur ad interiorem illum cordis dolorem & ad morsus conscientiæ, qui in vera & seria contritione propter peccatum sentiuntur. Chrysostomus homil. XXVIII. in 1 Cor. XI. super verba: εἰ ἑαυτὸς ἐκρίνομεν, si nos ipsos judicaremus: ἆχ εἶπεν εἰ ἐκολάζομεν ἑαυτὸς, εἰ ἐτιμωρούμεθα, ἀλλὰ μόνον εἰ ἐπιγνῶναι τὰ ἁμαρτήματα ἐβελήθημεν, εἰ καταδικάσαι ἑαυτὸς, εἰ καταγνῶναι τῶν πεπλημμένων, ἀπηλλάλημεν ἂν ἡ τῆς ἐνταῦθα ἡ τῆς ἐκεῖσε τιμωρίας. *Non dixit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic est, supplicio.*

§. CCXLIX. II.) *Qui manducat indigne*, ait v. 29. *judicium sibi manducat* μὴ διακρίνων *non discernens corpus Domini.* Innuit ad veram & legitimam probationem usui sacræ cœnæ conjungendam etiam hoc requiri, ut discernamus corpus Domini. Διακρίνειν hic significat discernere, secernere, quo sensu usurpatur Act. X. 20. XV. 9. 1 Cor. IV. 7. Hebr. V. 14. Ergo διακρίνειν corpus Domini, & cibum eucharisticum eo modo a vulgaribus cibis separare, ut statuamus vere adesse & mediante pane nobis exhiberi

hiberi in sacra cœna corpus Christi. Quemadmodum igitur διάκρισις sui ipsius juxta normam legis divinæ instituenda, ita hæc διάκρισις corporis dominici juxta normam verborum institutionis fieri debet, siquidem ea manifeste ostendunt, non vulgare aliquod epulum, sed cœleste convivium in hac cœna nobis proponi, in qua Christus ipse præsens adsit, atque ipsemet suo corpore & sanguine nos alat ad confirmandam promissionem de remissione peccatorum atque ad spiritualem unionem capitis & corporis mystici perficiendam. Hæc διάκρισις & consideratio fidem nostram confirmare poterit, ut certo statuamus in sacra cœna vere adesse corpus & sanguinem Christi, & exhibitione hujus pretiosissimi thesauri nobis offerri, exhiberi, adplicari & obsignari ea, quæ Christus traditione sui corporis & effusione sui sanguinis in ara crucis nobis promeruit. Ut ergo διάκρισις sui ipsius ad priorem pœnitentiæ partem, ad veram scilicet & seriam contritionem: ita διάκρισις corporis dominici ad posteriorem pœnitentiæ partem, ad fidem scilicet referri potest, siquidem Christus in verbis institutionis notanter pronunciat, illud ipsum corpus in sacra cœna nobis manducandum dari, quod pro nobis in mortem tradidit, illum ipsum sanguinem nobis bibendum exhiberi, qui in remissionem peccatorum in ara crucis est effusus, hæc ergo verba firma fide amplectamur, & promissionem de remissione peccatorum usu sacræ cœnæ nobis confirmari & obsignari statuamus. Et quia fundamentum fidei & omnis consolationis ex sacra cœna petendæ consistit in eo, ut de vera corporis & sanguinis Christi præsentia certi simus, ideo apostolus revocat Corinthios ad verba institutionis, in quibus præsentia illa diserte stabilitur, atque hoc nomine eos objurgat, quod non accedant ad sacram cœnam majori reverentia, quam ad vulgares epulas. 1 Cor. XI. 20. & 21. Augustinus tract. LXII. in Joh. *Cum apostolus diceret, reus erit corporis Domini, de iis erat sermo, qui Domini corpus veluti quemlibet alium cibum indiserete negligenterque sumebant.* Oecumenius in 1 Cor. XI. *Non dijudicans, hoc est, non perpendens magnitudinem eorum, quae in cœna dominica praesentia & proposita sunt, nec considerans doni amplitudinem. Si enim diligenter didiceris, quis sit ὁ προκείμενος, qui propositus est, & quis existens, cui se ipsum donet, non opus erit alia exhortatione, sed hoc sufficiet, nisi prorsus sit desperatus.* Damascenus libr. IV. cap. 14. orth. fid. dignos vocat τῇ πίστει ἀξίως μεταλαμβάνοντας, indignos autem τῇ ἀπιστίᾳ ἀναξίως μετέχοντας. Huc pertinet locus apostolicus 2 Cor. XIII. 5. *Vosmet ipsos tentate, an sitis in fide, ipsi vos probate*, δοκιμάζετε &c.

§. CCL. III.) *Quotiescunque manducabitis* (inquit v. 26.) *panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* Ostendit igitur ad salutarem præparationem & legitimum cœnæ usum requiri adnunciationem mortis dominicæ. Καταγγέλλειν est publice adnunciare, prædicare, laudare, & ut plurimum tribuitur ministris ecclesiæ verbum Dei publice prædicantibus & adnunciantibus. Act. IV. 2. XIII. 5. XV. 36. &c. Et quia per particulam αἰτιολογικὴν γὰρ hæc verba de adnunciatione mortis dominicæ prioribus conjungit apostolus, ideo ostendit, ex fede institutionis dominicæ ea petita esse, & complecti ἀνάμνησιν illam Christi in verbis institutionis ab ipso Christo expressam: *Edite, hoc est corpus meum, hoc facite in meam commemorationem. Bibite, hic calix est nov. testamenti in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem.* Hæc ἀνάμνησις mortis dominicæ erit simul ἀνάμνησις nostrorum peccatorum & mortis æternæ peccatis nostris promeritæ, siquidem Christus *mortuus est propter peccata nostra*, Rom. IV. 25. quorum *stipendia sunt mors* temporalis & æterna. Rom. VI. 23. Ergo meditatio mortis Christi ob oculos nobis statuet magnitudinem peccatorum nostrorum, quod nullo alio λύτρῳ, quam ipsius Filii Dei morte & sanguine, eadem expiari potuerint, & gravitatem iræ divinæ adversus peccata, cujus ignis non nisi ipsius Filii Dei sanguine extingui potuit. Esa. XLIII. 24. LIII. 5. 1 Cor. XV. 3. Gal. I. 4. 1 Petr. II. 24. Hac ratione ἀνάμνησις mortis dominicæ adminiculatur legi divi-

divinæ, quæ peccata noſtra & iram Dei adverſus peccata nobis manifeſtat, Rom. III. 20. IV. 15. ut vera & ſeria contritio in cordibus noſtris inde excitetur, augeatur atque creſcat. Eadem ἀνάμνησις mortis dominicæ etiam fidem noſtram confirmat & auget, quia enim *ſanguis Chriſti mundat nos ab omnibus peccatis*, 1 Joh I. 7. ideo in conſpectu Dei *cor noſtrum quietum reddere poſſumus*, 1 Joh. III. 19. & quæ major fidei confirmatio eſſe poſſit, quam quod ipſum illud corpus pro nobis in mortem traditum manducamus, & ipſum illum ſanguinem pro peccatis noſtris effuſum bibimus? Ad hanc vero ἀνάμνησιν interiorem accedere debet exterior & publica mortis dominicæ adnunciatio, prædicatio & gratiarum actio, ita enim ſumitur cognatum ἀναγγέλλειν, Hebraice נגד Pſalm. IX. 12. LI. 16. &c. ut in eccleſiæ cœtu & congregatione ſanctorum gratias Chriſto agamus, quod adeo nos dilexerit, ut in mortem ſeſe noſtri loco tradiderit. Gal. II. 20. Quia vero non verbis ſolum, ſed re & factis Chriſtus nos honoravit, ideo hæc prædicatio & gratiarum actio non nudis verbis, ſed re ipſa & operibus etiam peragi debet, eo ſcilicet modo, 1.) ut ex animo deteſtemur peccata, & ſerium concipiamus propoſitum, eadem tanquam venenum, imo mortem animæ, ſedulo cavendi. Quomodo namque id gratum & jucundum nobis eſſe poterit, quod Chriſto tantos dolores peperit? Quomodo id delectaret nos in vita, quod Chriſto fuit cauſa mortis? An non æquiſſimum eſt, illi nos vivere & ſervire, qui propter nos mori voluit? 2 Cor. V. 15. Qui vero peccatis adhuc delectatur, & ſecure eis indulget, is tantum abeſt, ut ſalutariter mortis dominicæ recorderur, eamque adnunciet, ut potius Filium Dei pedibus conculcare & ſanguinem ejus polluere judicandus ſit. Hebr. X. 29. 2.) Ut ex animo condonemus proximo ſua παραπτώματα, ac fraterne eidem reconciliemur. Qui enim vere credit, Deum propter Chriſti mortem ac ſatisfactionem ex gratia tot ac tanta nobis condonare delicta, is proximo longe minora errata promte condonabit. Col. III. 13. *Induite viſcera miſericordiae donantes*, χαριζόμενοι, *vobis invicem, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut Chriſtus donavit nobis, ita & vos.* Matth. V. 23. VI. 14. &c. 3.) Ut vitæ emendatione pro Chriſti morte & beneficiis ejus nos gratos exhibeamus, ideoque ſeriis gemitibus precemur gratiam & donationem Spiritus ſancti ac ſpiritualem inhabitationem Chriſti, ut fructus Spiritus in nobis augeantur & creſcant, nosque in vero Dei timore, in fide & dilectione, in omnibus virtutibus chriſtianis ad finem usque vitæ conſervemur, & quotidie incrementum capiamus. 1 Petr. II. 24. *Chriſtus peccata noſtra ſuſtulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiae vivamus.* 1 Joh. III. 5. *Chriſtus adparuit, ut peccata noſtra tolleret, omnis, qui in eo manet, non peccat, & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Apoc. I 5. *Chriſtus lavit nos a peccatis ſuo ſanguine*, v. 6. *& fecit nos coram Deo reges* (ut dominemur pravis carnis noſtræ concupiſcentiis) *& ſacerdotes*, (ut exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum, Rom. XII. 1.)

Adminicula iſtius probationis.

§. CCLI. Probatio igitur illa, quam apoſtolus requirit, in vera & ſeria pœnitentia conſiſtit, cui in cordibus noſtris excitandæ & augendæ quid inſervire poſſit, late expoſitum eſt ſub finem tractatus de pœnitentia. Ac pertinent huc exercitia pœnitentiæ & ſalutaris præparationis adminicula, quorum quædam etiam in veteri eccleſia ante uſum ſacræ cœnæ præmitti ſolita, utpote I.) publica ἐξομολόγησις, & poſt expleta pœnitentiæ tempora reconciliatio cum eccleſia, requiſita ab iis, qui publicis ſcandalis eam offenderunt. Si enim fratri a nobis offenſo reconciliari debemus, antequam dona noſtra ad altare feramus, Matth. V. 24. quanto magis communioni fratrum, hoc eſt, eccleſiæ publicis ſcandalis offenſæ reconciliari debemus, antequam ex menſa dominica ſymbolum unionis & fraternitatis accipiamus. Cyprianus ſerm. de lapſis ante med. pag. 222. *Contra evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita & falſa pax periculoſa dantibus & nihil acci-*

1.) *Publica ἐξομολόγησις.*

accipientibus profutura. Non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam &c. A diaboli aris revertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, corpus Domini invadunt &c. Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Vide etiam libr. III. epist. 14. 15. 16.

2.) *Privata peccatorum confessio.*

II.) Privata peccatorum confessio facta ministro ecclesiæ, ut explorari possit, an accessurus ad sacram cœnam se ipsum probet, hoc est, an peccata sua ex lege agnoscat, serio de illis doleat, fide Christum amplectatur, & serium habeat vitam emendandi propositum. Hac ratione impœnitentes emendari, negligentes excitari, rudes informari, consternati evangelica consolatione erigi, & indignus sacræ cœnæ usus præcaveri poterit. Chrysost. homil. LX. ad pop. Antioch. circa med. *Nullus Judas adsistat, nullus avarus. Si quis est discipulus, adsit &c. Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis & immisericors, nemo prorsus immundus, haec ad communicantes dico & ad vos ministrantes. Nam & ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio haec dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quem cujuspiam conscium nequitiae hujus mensae participem esse concedatis, sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiae sit, sive praefectus, sive princeps diademate coronatus, indigne autem accedat, prohibe, majorem illo potestatem habes. Tu vero, si tibi quidem aquae fons traditus fuisset purus gregi custodiendus, & pecudem multum ore simum habentem vidisses, deorsum inclinari non permisisses, & fluentem turbare, nunc vero non aquae, sed sanguinis & Spiritus fontem habens creditum, & caeno foedius habentes peccatum videns accedentes non indignaris, nec arces &c.* III.) Scrutinium conscientiæ postpositis per aliquot dies negotiis mundanis ante usum sacræ cœnæ institutum, ut peccatorum agnitio ex præceptis decalogi omnibus & singulis adcurate pensitatis in cordibus excitetur, desiderium hujus cœlestis cibi & debita erga hoc mysterium reverentia accendatur.

3.) *Scrutinium conscientiæ.*

IV.) Reconciliatio fraterna cum proximo. Ad salutarem enim usum cœnæ requiritur fides, vera fides exserit se per dilectionem, dilectio exserit se per fraternam reconciliationem, proinde sine antegressa fraterna reconciliatione non habet locum salutaris sacræ cœnæ usus. Chrysostomus homil. de prodit. Judæ circa finem: *Si tibi contra inimicum tuum dolor est, solve iram, inimicitias laxa, ut remedium de mensa percipias. Ad sanctum & terribile sacrificium properas, erubesce oblationis arcanae, occisus propositus Christus est, & cur occisus est, videamus, ut coelestia pacificet, ut in terra reconciliet universa, ut amicum te constituat angelorum, ut Deo socient habenti omnium potestatem. Animam suam pro te Dominus dedit, & tu inimicus conservo perduras, & cum hoc animo ad mensam pacis accedis. Ille ne mori quidem pro tua utilitate recusavit, & tu nec iram tuam conservo pro tua liberatione concedis? Sed forsitan dicis, ab inimico fraudatus sum, multis me laesit dispendiis, magnis me detrimentis oneravit. Quidquid dixeris, pecuniarum vertitur causa. Non te crucifixit, sicut Judaei Christum, & tamen ille effusum sanguinem ad salutem eorum, qui effuderunt, larga pietate concessit, &c.*

4.) *Reconciliatio cum proximo.*

V.) Jejunium vel abstinentia unius vel plurium dierum, ut ad peccata agnoscenda ac deploranda humiliores, ad salutarem sacræ cœnæ usum paratiores & ad preces serias fundendas attentiores essent. Chemnitius part. IV. exam. concilii Tridentini de jejuno cap. quæ & qualis sit pontificiorum doctrina de je-

5.) *Jejunium.*

junio pag. 196. *Jejunium paedagogicum, quod in testimoniis & exemplis scripturae describitur, & in veteri priori ecclesia usitatum fuit, ecclesiis nostris proponimus, & ad talia exercitia, sicut in scriptura proponuntur, quando carnis vel petulantia vel inertia hoc postulat, ad studium seriae pœnitentiae, orationis, meditationis verbi & sacramentorum, auditores nostros exhortamur. Ac multi sunt, qui accessuri ad meditationem verbi, ad exercitia precum communium, & ad communionem sacramentorum, pridie vel a cœna abstinent, vel certe parcissime cœnant. Exercitia vero talia scripturis consentanea non magis vigere & florere dolemus, utque juxta scripturae normam & exempla sine superstitionis legibus & impiis opinionibus publice & privatim restitui aliquando possint, ex animo optamus.* VI.) Publica ἔντευξις ecclesiae pro iis, qui ad sacram communionem accedunt, ut Deus Spiritu suo veram pœnitentiam ac salutarem præparationem ad usum hujus sanctissimi mysterii in cordibus ipsorum operetur, ne indigna manducatione ac bibitione reatum divini judicii sibi contrahant. Jac. V. 16. *Orate pro vobis invicem, ut sanemini, multum enim valet deprecatio justi efficax.* Hæc pœnitentiæ exercitia & salutaris præparationis adminicula non sunt negligenda aut parvi pendenda, sed pro ratione cujusque ecclesiæ ac singulorum communicantium diligenter observanda, ut indignus hujus cœlestis cibi ac potus usus, quantum fieri potest, præcaveatur, ubi tamen monendum, dignam illam præparationem indignorum manducationi oppositam nequaquam consistere in omnimoda infirmitatum humanarum carentia & plenaria accessuri ad hoc sacramentum dignitate, ita ut sit comparatio quædam seu proportio præstantiæ sumentis ad præstantiam hujus sacramenti, sed in vera pœnitentia, cujus pars est propriæ indignitatis agnitio ac deploratio, ut scilicet cum patriarcha Jacobo dicamus: Gen. XXXII. 10. *Minor sum Domine cunctis miserationibus tuis;* cum centurione Capernaitico: Matth. VIII. 8. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum;* cum prodigo converso & reverso: Luc. XV. 19. *Non sum dignus vocari filius tuus.* Si majestatem hospitis, qui est Christus Dei Filius, & dignitatem cibi ac potus in hoc cœlesti convivio nobis propositi, qui est Christi corpus & sanguis, intueri atque expendere velimus, omnes fateri cogimur, nos indignos esse, sed quemadmodum ex gratia Deus dignatur pios vitæ æternæ donatione; Luc. XX. 35. 2 Thess. I. 5. Apoc. III. 4. ita quoque ex gratia dignos cœlestis hujus convivii hospites judicat ac pronunciat, qui in vera pœnitentia & fide ad illud accedunt, qui se ipsos judicant, corpus Domini discernunt, & mortem Domini grato pectore adnunciant.

6.) Ἔντευξις ecclesiae.

§. CCLII. Bellarminus libr. IV. de eucharist. cap. 17. adductis quibusdam Lutheri dictis probare conatur, Lutherum docuisse, *non requiri ad dignam praeparationem communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis, imo quo plurium & majorum sibi conscius est, eo esse aptiorem ad eucharistiam.* Item, *ad praeparationem eucharistiae non requiri, ut quis per confessionem & pœnitentiam a peccatis justificetur, sed satis esse fidem, qua certo credat, sibi in eo sacramento peccata esse remittenda.* Sed ostendimus superius §. 316. & ipsæ locorum circumstantiæ manifeste ostendunt, quomodo illa Lutheri pronunciata, quæ in alienum plane sensum detorquet Bellarminus, sint intelligenda. Ex illis, quæ hactenus dicta sunt, sententia nostrarum ecclesiarum de salutari præparatione ad dignum sacræ cœnæ usum omnino necessaria, satis est conspicua. Præparationem, quæ adhibenda est, ut digne quis sanctam eucharistiam percipiat, non habemus pro re adiaphora & indifferente, sed cum apostolo pronunciamus, eos, qui non probant se ipsos, atque ob id indigne manducant, judicium sibi manducare, ita ut rei efficiantur violati corporis & sanguinis Christi. Quod concilium Trident. sess. 13. can. 11. & ex eo Bellarminus hoc loco damnant Lutheri propositionem in libr. de captiv. Babylon. *dignam praeparationem non esse nisi fidem, qua creditur divinae promissioni, quae in*

Pontificiorum sententia de praeparatione.

in cœna dominica proponitur & offertur; illud jam ante diligenter expositum est a Chemnitio in examine illius canonis. *Quando* (inquit) *Tridentini dicunt, se illos damnare, qui sentiunt, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam eucharistiam, verba ita posita sunt, ut videantur nobis tribuere hanc sententiam, etiamsi quis sine pœnitentia in sceleribus perseveret & pergat & retineat propositum malefaciendi, modo tantum historicam fidem de substantia sacramenti habeat, vel concipiat Epicuream perversionem de impunitate impœnitentiae, satis paratum esse ad dignam manducationem in cœna dominica, sed falso hoc nostris ecclesiis tribui ex iis, quae de vera probatione diximus, manifestum est.* Et postea: *Lutherus non excludit agnitionem peccatorum nostrorum, contritionem seu pœnitentiam, sed pugnat contra pontificios, qui & ipsi habent & aliis proponunt multa & varia praeparatoria opera, quibus expletis existimant se satis digne paratos ad celebrandam vel audiendam missam & ad ipsam etiam communionem, ita ut de fide pœnitente, quaerente, adprehendente & accipiente promissionem nov. test. in cœna nihil solliciti sint. Ipsam etiam pœnitentiam hac ratione requirunt, ut ejus operibus & merito tribuant dignam praeparationem, ita ut salutaris manducatio nostra dignitate & puritate, nostris operibus praeparatoriis & meritis nitatur.* Hæc & plura ibidem Chemnitius, quæ Bellarminus non attingit, sed disputat, præparationem ad eucharistiam includere veram pœnitentiam, quod nemo nostrum unquam negavit, aut in pontificiis improbavit: illud vero in doctrina pontificia de præparatione ad eucharistiam improbamus, 1.) quod non faciunt mentionem fidei, quæ petit, adprehendit & accipit promissionem novi testamenti, quam Filius Dei singulis vescentibus exhibitione corporis & sanguinis sui in usu sacræ cœnæ offert, communicat & obsignat. 2.) Quod per fidem, quam ad salutarem usum sacræ cœnæ vel maxime requiri dicimus, intelligunt historicam tantum fidem, sicque nostram sententiam depravant. 3.) Quod fidei opponunt pœnitentiam, cum tamen vera fides non habeat locum nisi in cordibus vere pœnitentium. 4.) Quod præparatoriis nostris operibus meritoriam quandam salutaris communicationis dignitatem tribuunt, cum tamen promissio de remissione peccatorum, quam usus sacræ cœnæ confirmat & obsignat, non sit nostrorum operum meritum, nec operibus nostris, sed sola fide adplicetur. 5.) Quod per confessionem, quam ad dignam præparationem requirunt, intelligunt plenariam peccatorum enumerationem, ita, ut in ipso opere confessionis dignitas illa statuatur. 6.) Quod propositum satis faciendi pro peccatis ac promtam susceptionem operum satisfactionis, quæ in confessione injunguntur, præparationi includunt. 7.) Quod statuunt, neminem posse esse certum de digna præparatione, ideoque perpetuas dubitationes in cordibus hominum alunt. Disputant enim, esse quandam præparationem *sufficientiae & veritatis*, quæ consistat in peccati omnis expulsione, in reverentia & dilectione; aliam dicunt esse præparationem *probabilitatis*, quando homo faciendo, quod in se est, judicio propriæ conscientiæ existimat se esse paratum: hanc posteriorem præparationem sæpe secundum veritatem non esse sufficientem addunt. Quare cum incertum sit, quod habemus præparationem veritatis, quando probabilitatis, semper incerta erit conscientia, an digne vel indigne manducet, atque ita eripitur piis mentibus consolatio, quam ex usu sacræ cœnæ percipere debebant. 8.) Quod sanctitatem illam, cum qua ad sacram eucharistiam accedendum sit, ita interpretantur, ut nostris operibus & satisfactionibus ante communionem talem munditiem ac puritatem nobis adquiramus, ut non opus sit eucharistia uti ad obsignationem promissionis de remissione peccatorum, sed quod nostra puritas jam digna sit, cui Christus suo corpore & sanguine sese conjungat. Hæc sunt, quæ in doctrina pontificia de præparatione ad eucharistiam desideramus, sed veram pœnitentiam a communicantibus requiri, & eos, qui in peccatis contra conscientiam sine pœnitentia adhuc hærent, ab usu sacræ cœnæ arceri, id vero fieri non solum non improbamus, sed etiam debere fieri totis viribus propugnamus.

Dicta veterum de præparatione,

§. CCLIII. Nequaquam igitur improbamus, sed urgemus & inculcamus auditoribus nostris dicta piorum veterum, quibus pœnitentiam, puritatem, innocentiam, sanctitatem &c. requirunt ab accessuris ad cœnam dominicam. Justinus apol. I. pro christ. circa finem: *Hoc alimentum apud nos adpellatur eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita, ut Christus tradidit, viventi.* Basilius libr. II. de baptismo cap. 3. probat, *quam periculosum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento corporis & spiritus edat corpus Domini, ejusque sanguinem bibat;* quem locum adduximus superius §. 237. Ambrosius libr. VII. cap. 66. comment. in Luc. *Nemo ad eucharistiam admittatur, nisi signaculum justitiae vel custodierit vel receperit.* Chrysostomus homil. III. ad Eph. *Cum tali puritate accede semper, sine hac ne praesumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, & regem cœlorum impudens oscularis anima tua vitiis olente &c.* Augustinus de eccles. dogmat. c. 53. *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico eucharistiae perceptione, quam purificari.* Tract. XXVI. in Joh. *Innocentiam ad altare portate peccati, etsi sunt quotidiana, non vel sunt mortifera.* Serm. Dom. I. adv. tom. X. *Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur, & magis occiditur, quam vivificatur.* Hesychius libr. VI. in cap. XXII. Levit. *Polluti non sunt admittendi, nec mundati prohibendi. Qui semet ipsum probat, si peccati sibi conscius est, & pollutionem animae habere se sentit, pœnitet sine dubio, & post pœnitentiam de pane comedere & de calice sancto & impolluto bibere potest.* Bernhardus sermone de cœna hac similitudine utitur, *quod sicut serpens aquas ingressurus venenum deponit, ita quoque accessuri ad cœnam dominicam peccati venenum deponere debeamus.* Nequaquam vero his & similibus dictis vel fidem in usu cœnæ confirmationem promissionis de remissione peccatorum quærentem excludunt, vel omnimodam omnis infirmitatis carentiam & meritoriam quandam in nobis dignitatem requirunt, ut enim pars perfectionis christianæ est imperfectionem suam agnoscere & deplorare, ita etiam pars dignitatis est indignitatem suam in vera pœnitentia agnoscere & profiteri. Inde Augustinus inquit: *Sacramentum hoc interioris hominis esuriem quaerit, ideo ad participandum illud ineptus est, qui peccatum & infirmitatem suam non sentit.* Tract. XXVI. in Joh. disputat: *Qui credit in Christum, manducat ipsum, ut & in Christo maneat & Christum manentem in se habeat; qui vero hac fide vacuus accedit, foris manducat, non intus, premit dente, non capit mente.* De Monica matre sua inquit, *quod ad victimam illam, quae in cœna dominica dispensatur, vinculo fidei animam suam adligarit, ne vel leo vel draco eam inde divellat.* Chrysostomi hæc sententia: *Quia bene habentibus non opus est medico, sed male habentibus, ideo ab hujus sacramenti virtute excluditur, qui de se praesumens resolutus cum nausea accedit.*

CAPUT XXIV.

DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS.

§. CCLIV. Egimus hactenus de causa efficiente, materia, forma, fine & objecto hujus sacramenti, restat, ut de circumstantiis ejusdem, videlicet de tempore, loco & ceremoniis, quæ circa administrationem hujus mysterii observantur, in posterum agamus, sicque huic tractatui finem imponamus. Ante omnia *temporis* circumstantia triplex explicanda, nimirum tempus *institutionis, administrationis & durationis.* I.) Institutio hujus sacramenti facta est anno mundi 4004. (vel ut alii computant anno 3995.)

Tempus institutionis.

3995.) post institutionem agni paschalis 1550. post natum Christum anno 34. currente, die Aprilis 3. vel ut alii colligunt, 24. Martii, quæ erat dies Jovis. Circa hoc institutionis tempus observandum: 1.) Quod immediate eam præcesserit agni paschalis celebratio, quæ juxta legem divinam incidebat in diem decimam quartam primi mensis. Exod. XII. 6. Huic primo mensi Nisan apud Judæos partim Martius, partim Aprilis apud nos respondet. Ostendimus autem in tractatu de circumcisione & agno paschali §. 39. Christum die divinitus constituta & præscripta cum discipulis suis manducasse agnum paschalem, Judæos vero propter traditiones majorum postridie. Bellarminus libr. IV. de eucharistia cap. 8. & 9. disputat, Christum & Judæos eodem die celebrasse pascha, sed hoc cum descriptione evangelistarum difficulter conciliari potest, qua de re in continuatione harmoniæ evangelicæ (*), si Deus vitam & vires concesserit, latius disseremus (**). Ideo vero post agni paschalis manducationem sacratissimum hoc mysterium Christus instituit, quia sacramentum agni paschalis fuit typus eucharistiæ, ut ostendimus superius. §. 12. Sic ergo *umbrae succesſit veritas, & consumto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumtibilem cibum Christus discipulis adposuit;* ut loquitur Cyprianus serm. de cœna cap. 1. *Per hoc, quod Christus agnum paschalem edit, aliud majus beneficium monstrabatur,* (ait Chrysostomus homil. de prodit. Judæ) *quo ille agnus futuri agni typus, & ille sanguis dominici sanguinis monstrabat adventum, & ovis illa spiritualis, ovis erat ad exemplum; ille agnus umbra erat, hic veritas. Ideo in ipsa mensa utrumque pascha & typi & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigiis quibusdam adumbrare consueverunt, & sic colorum varietate perficere: ita & Christus fecit in mensa, & typum paschae descripsit, & pascha veritatis ostendit.* 2.) Quod paulo ante passionem, sive, ut apostolus loquitur 1 Cor. XI. 23. *nocte ea, qua traditus est*, institutio hujus sacramenti a Christo facta. Id vero ideo factum esse constat, ut ostenderet, *primo* beneficia passionis & mortis suæ in hoc sacratissimo mysterio vere credentibus distribui, cum in eo manducandum nobis detur illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem traditum, & bibendus nobis exhibeatur ille ipse sanguis, qui pro peccatis nostris in ara crucis est effusus. *Deinde* ut doceret, hanc esse testamentariam suam dispositionem summa reverentia a nobis tractandam. Gal. III. 15. *Hominis testamentum confirmatum*, διαθήκην κεκυρωμένην, (morte scilicet testatoris Hebr. IX 16) *nemo spernit, neque quidquam superordinat.* Quemadmodum maritus bona, donationis propter nuptias causa, in conjugio adquisita conjugi suæ per testamentum iterum legat, sic Christus carnem & sanguinem a nobis susceptum in hoc suo testamento iterum legare nobis voluit. Augustinus epist. CXVIII. *Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriae discipulorum, a quibus ad mortem progressurus erat.* 3.) Quod vesperi post vulgarem cœnam Christus hoc sacramentum instituerit, & discipulis administrarit, quia celebratio agni paschalis institutionem eucharistiæ præcedere debuit, jam vero agnus paschalis non nisi sub imminentem noctem ex præscripto legis erat manducandus, ideo etiam eo differre voluit institutionem cœnæ, atque ut ostenderet, se non dare

(*) Præstitit GERHARDUS, quod hoc promiserat, atque uberius de hocce argumento disseruit in *continuatione harmoniæ evangelicæ Chemnitio-Lyserianæ tom. II. cap. CLXV. pag. 931. seqq.*

(**) Embdenses *im Bericht* p. 93. objiciunt, *esse figuratam locutionem, quando dicitur, Christum instituisse cœnam nocte, cum non nocte, sed vesperi sit instituta.* Resp. Agnus paschalis celebrari debuit inter duas vesperas post solis occasum. Jam vero post esum agni paschalis Christus instituit cœnam, utique ergo nocte eam instituit. Absque omni igitur tropo accipiendum, quod 1 Cor. XI. 23. *nocte* dicitur institura. Quod si nocte fuit instituta, cur tanto conatu negant Berolinenses reformatores in dial. contra Hoë p. 144 Christum luminaribus in primæ cœnæ administratione fuisse usum. GERHARDUS.

dare cibum aliquem terreum, alendo ventri destinatum, sed & cœlestem. Postea tamen, ut scribit Augustinus, *placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi:* loco proximo citato.

Tempus administrationis.

§. CCLV. II.) Quamvis vero circa tempus paschatos, & quidem vesperam diei, institutio hujus sacramenti facta sit, nequaquam tamen hoc ipso ad certum anni ac diei tempus administratio ejusdem adligata censeri debet, sicut olim Tessaradecatitæ, Quarta decimani (*) & Paschalitæ statuerunt, qui referente hist. tripartita libr. IX. cap. 38. & 39. diem decimum quartum Martii ad cœnæ dominicæ usurpationem requirebant; sed quoties vere pius consolatione in hoc mysterio proposita indiget, seque probare potest, toties citra superstitiosum temporis discrimen ad illud accedere & potest & debet. 1.) Quia in verbis institutionis non exprimitur certum tempus, quo celebratio hujus mysterii fieri debeat. Verba evangelistarum, quod Christus vesperi cœnantibus discipulis sacrum hoc epulum instituerit, historicam tantummodo relationem, nequaquam vero determinatum de tempore administrationis mandatum continent. 2.) Quia Christus dicit: *Hoc facite, quotiescunque liberitis, in meam commemorationem*, 1 Cor. XI. 25. ubi particula ὁσάκις opponitur observationi certi temporis circa agni paschalis celebrationem necessariæ, ea enim ad decimum quartum diem primi mensis divino mandato fuit adstricta. Ne igitur existimaretur, administrationem eucharistiæ, quæ in locum agni paschalis in nov. test. successit, itidem ad illud tempus necessitate quadam mandati adstrictam esse, ideo Christus notanter dixit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis &c.* & Paulus ex eo colligit 1 Cor. XI. 26.

(*) *Quartadecimani* olim dicebantur, qui eodem cum Judæis tempore pascha celebrabant, *die* nimirum *quarto* & *decimo* mensis *Nisan*, in quamcunque is hebdomadis lucem incideret; cum contra alii christiani, qui Romæ aliisque in regionibus Christum colebant, nullo alio, quam solis die paschatis sacra peragenda esse contenderint. Non fert instituti nostri ratio, ut ea, quæ de hoc argumento iam secundo post Christum natum seculo inter ecclesiam orientalem atque occidentalem fuerunt disputata, percenseamus; licet historia huius disceptationis memoria haud indigna sit. Sufficiat paucis sequentia heic adnotasse: *I.*) Constantinvm M. ecclesiam hac contentione liberare voluisse, remque synodo *Nicænæ* ann. *CCCXXIV.* congregatæ proposuisse, in qua, sublata de die paschatis controversia, decretumque fuit, illud nonnisi die dominico, Judæorum pascha proxime sequente, celebrandum esse. *II.*) Veteres talem reverentiam decreto huic Nicæno statuendam duxisse, ut actio schismatica dignaque censura ecclesiastica fuerit habita, si quis eidem sese opponeret. Atque ex eo tempore *III.*) Contemtores huius decreti tanquam *hæreticos* & *schismaticos* sub *quartadecimanorum* & *Tessaradecatitarum* & *Audianorum* nominibus condemnatos punitosque fuisse. Vid. *concil. Laodic. can. VII.* itemque *concil. Constantinop. I. c. VII.* nec non narrationes de antiquis hæreticis, quæ apud Augustinum *hæres. XIX.* & *L.* atque Epiphanium *hæres. L. quartadeciman.* & *hæres. LXX. Audianor.* leguntur. Addimus tamen *IV.*) *Quartadecimanos* non tam propter suam de paschatis tempore opinionem, quam potius ob insignem pervicaciam, dum turbas in christianorum cœtibus passim dederint ac schisma conflarint, damnatos olim fuisse, teste Epiphanio *hæres. LXX. n. IX.* & *XIV.* Atque hanc etiam *V.*) fuisse caussam, cur ipsi imperatores, veluti Theodosius magnus, itemque Theodosius iunior, eos manifestissimis hæreticis, verb. gr. *Manichæis*, *Arianis*, *Macedonianis* aliisque similibus accensuerint, eorum conventicula interdixerint, bona eorum fisco adiudicaverint, quin eos pœnæ capitali reddiderint obnoxios. Vid. *cod. Theodos. libr. XVI. tit. V. de hæret. leg. IX.* & *LIX.* nec non *libr. XVI. tit. VI.* & *X. de paganis, leg. XXIV.* Qui plura hanc in rem nosse voluerit, adeat cel. C. W. F. Walchii *Entwurf einer vollständigen Historie der Kezereyen, Spaltungen und Religionsstreitigkeiten, part. I. sect. V. p. 666. seqq.* auctoresque ibidem adlegatos, quibus addi meretur Joseph. Binghamvs *origin. sive antiquitat. ecclesiast. vol. IX. libr. XX. cap. V.* §. *III. p. 90. seqq.* Scripsit quoque Georg. Henr. Goezivs peculiarem *dissertat. de Quartadecimanis.*

XI. 26. Ὁσάκις, *quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex hoc calice bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* 3.) Quia tempus, locus & reliquæ circumstantiæ non pertinent ad essentialia sacramentorum, nisi divino mandato in verbis institutionis fuerint expressa. 4.) Ex Act. XX. 7. colligitur, discipulos Christi in primitiva ecclesia prima sabbatorum, hoc est, die dominica eucharistiam administrasse. Regula igitur illa, quod *omnis Christi actio fit nostra institutio*, verissima quidem est, sed recte accipienda. Omnis Christi actio est nostra institutio, hoc est, quidquid Christus egit, utilem aliquam doctrinam nobis præstat, sed tamen non est omne ad imitationem nobis propositum, alias sequeretur, non nisi discumbendo cum duodecim hospitibus, & quidem in privatis ædibus, cœnam administrari posse. Distinguendum proinde inter *essentialia* & *circumstantias*; inter ea, quæ una cum exemplo Christi certum habent mandatum, & ea, quæ solo exemplo probantur; inter facta heroica & virtutes communes &c. Augustini tempore in multis Africæ ecclesiis die Jovis ante pascha nocte & post cœnam eucharistia fidelibus dabatur, ut eo magis Christi actio referretur, sed hæc consuetudo per VI. synodum, quæ habita est Constantinopoli in Trullo, sublata est. Hodie in publicis ecclesiæ conventibus mane celebramus cœnam, quo tempore magis sobrii & attenti sumus, nam usurpandam. 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex calice hoc bibetis, mortem Domini adnunciabitis.* 3.) Quia multiplex necessitas repetitæ communionis nobis incumbit, siquidem quotidianis peccatis legem Dei transgredimur. 4.) Quia multiplex fructus & consolatio in hoc sacramento nobis proposita ad frequentiorem ejusdem usum merito nos invitare debet, ut in fide confirmemur, ut promissio de peccatorum remissione nobis obsignetur, ut Christo conjungamur, ut ad ferias preces & ardentem gratiarum actionem pro beneficiis Christi excitemur, ut confessionem fidei nostræ aliquoties edamus. 5.) Quia apostoli & reliqui fideles in primitiva ecclesia usum sacræ cœnæ frequenter repetiverunt. Act. II. 42, 46. XX. 7. 6.) Quia hac in parte inter usum baptismi & eucharistiæ magnum est discrimen. De baptismi repetitione nullum exstat mandatum, sed de eucharistia Christus dicit: *Hoc facite, quotiescunque biberitis.* Circumcisio in vet. test. semel tantum susceptа, sed agnus paschalis quotannis celebrari solitus. Jam vero baptismus in locum circumcisionis, eucharistia in locum agni paschalis successit. Per baptismum renascimur, in sacra cœna pascimur. Jam vero semel tantum in hunc mundum nascimur, sed postea sæpius alimur. Per baptismum investitura christianismi nobis contingit, per usum sacræ cœnæ in ecclesia conservamur. Per baptismum in fœdus Dei recipimur, per usum sacræ cœnæ de receptione in illud fœdus confirmamur, quæ omnia probant repetitionem non baptismo, sed eucharistiæ convenire.

An semel duntaxat ad eucharistiam accedendum?

§. CCLVI. Neque vero judicandum, quod semel tantum ad eucharistiam, sicut ad baptismum accedendum sit (*), sed sæpius a vere piis hic cibus vitæ quærendus & usurpandus; 1.) Quia Christus usum ejus non reliquit nobis liberum & adiaphorum, sed certo mandato eum nobis præscripsit: *Hoc facite.* Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 25. 2.) Quia apostolus ex hoc mandato Christi colligit non semel, sed aliquoties sacram cœ-

Quoties accedendum sit.

§. CCLVII. Quoties autem singulis annis hoc sacramento utendum sit, non potest certa & generali quadam regula præscribi, sed cujusque conscientiæ, probationi & pietati hoc relinquendum est liberum. Vere pios obsequium & reverentia erga Christum, conscientiæ anxiæ impulsus & devotio a Spiritu sancto accensa

(*) Sicut Carolstadius, teste Albero, docuit, *posse aliquem salvari, quamvis nunquam utatur eucharistia.* Ita & Musculus: *Non peccant, qui varius, sed qui indigne ad sacram cœnam accedunt.* GERHARDUS.

accensa ad celebriorem hujus cœlestis mysterii usum plus cogent, quam externa præcepta. In primitiva ecclesia apostolicæ vicina flagrante persecutionum incendio singulis diebus christiani communicabant. Ambrosius libr. V. de sacram. (*) cap. 4. tom. IV. p. 443. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in oriente facere consueverunt? accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere, quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent. Ergo tu audis, quod, quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, & remissio peccatorum, & panem istum vitae non quotidianum adsumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est cœleste & venerabile sacramentum.* Postea singulis dominicis communicari cœptum. Augustinus libr. de eccles. dogm. cap. 53. *Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo, nec reprehendo, omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo & hortor.* Idem epist. CXVIII. ad Januar. cap. 2. *Alii quotidie communicant corpori & sanguini dominico. Alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur. Alibi sabbato tantum & dominico, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest.* Defervescente pietatis zelo Fabianus (**), referente Sabellico & Volaterrano, præcepit, *ut quisque christianus singulis annis tribus vicibus eucha-*

(*) Exstant quidem hodie sub Ambrosii nomine *libri sex de sacramentis*, qui vero a multis theologis, non tantum protestantibus, sed & ecclesiæ Romanæ addictis, veluti cardinali Bona, du Pinio, multisque aliis Ambrosio abiudicantur. Vid. Caveum in *hist. scriptor. ecclesiast. tom. I. p. 263.* edit. Lond. Sunt vero & alia patrum antiquissimorum testimonia, ex quibus luculenter patet, christianos nonnullis in locis singulis fere diebus epulo hoc sacro olim usos esse. Ita Cyprianus plus simplici vice adfirmat, fideles, imminente pugna, & persecutione, *quotidie calicem sanguinis Christi bibere, eucharistiam quotidie ad clypeum salutis accipi.* Hieronymus *epist.* XXX. *ad* Pammachium *tom. IV. oper. fol. 239.* edit. Martianæi narrat: *Scio, Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles* semper *Christi corpus accipiant.* Idem *epist.* ad Lucinium, quæ est LIII. *f. 579.* certiores nos reddit, ecclesias Romanas & Hispaniæ sacram eucharistiam *quotidie* accepisse. Adiungimus eidem Augustinum, qui *epist. LIV. n. 2.* sequentem in modum scribit: *alii quotidie communicant corpori & sanguini dominico; alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur*, nimirum in usum eucharistiæ, eaque celebretur.

(**) Erat Fabianus ecclesiæ Romanæ antistes, circa medium seculi tertii clarus. Eius de usu sacræ eucharistiæ decretum refert Gratianus *de consecrat. distinct. II. can.* XV. XVIII. & XX. ubi a synodo *Eliberitana* ineunte seculo quarto habita confirmatum legitur. Repetitum vero fuit hocce decretum a concilio *Agathensi* anno DVI. celebrato, *can.* XVIII. & quidem verbis sequentibus: *seculares, qui natale domini, pascha & pentecosten non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur*, apud Jo. Harduinum *tom. II. concil. fol. 1000.* Perduravit haec consuetudo ter quotannis communicandi ad Caroli M. usque aetatem, licet clerici cum quibusdam devotioribus ex laicis singulis diebus dominicis communicare perrexerint, prout ex istius ævi scriptoribus, speciatim ex Bertramo *de corpore & sanguine domini*, in *praefat.* adparet. Tandem, corruptione magis magisque ingravescente, concilium *Lateranense* seculo XIII. præside Innocentio III. P. R. habitum, robur eidem addidit officiumque communicandi ad angustiores reduxit limites. Quum enim antea definitum esset, ut christiani ter singulis annis ad sacram eucharistiam accederent, hocce concilium sancivit, ut nonnisi semel, scilicet festo die resurrectionis Christi, communionem acciperent. Verba decreti a concilio Lateranensi IV. c. *XXI.* hanc in rem sanciti ita se habent: „ Omnis utriusque sexus fidelis, post- „ quam ad annos discretionis pervenerit, „ omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, „ saltim semel in anno, proprio sacerdoti, & „ iniunctam sibi pœnitentiam studeat pro vi- „ ribus adimplere, suscipiens reverenter, non „ minus in pascha, eucharistiæ sacramentum: „ nisi forte de proprio sacerdotis consilio, ob „ aliquam rationabilem caussam ad tempus ab „ eiusmodi perceptione duxerit abstinendum „ apud

eucharistiam sumeret, scilicet in tribus praecipuis festis, quod institutum postea confirmatum fuit can. 18. concilii Agathensis. Soter adjecit illis diem viridium. Innocentius III. cœnæ usum ad pascha adstrinxit cap. *omnis utriusque sexus* dist. 2. de consecrat. Lutherus in præfat. catech. minoris statuit, *eum non esse in numero vere christianorum habendum, qui non ad minimum*

apud HARDUINUM *loc. cit. tom. VII. f. 35.* Atque hæc ipsa regula subsequentibus temporibus in corpus iuris canonici fuit relata. Vid. *decretal. Gregor. libr. V. tit. XXXVIII. de pœnitent. & remiss. cap. XII.* Secuti quoque eandem sunt concilii Tridentini patres, qui *sess. XIII. can. IX.* ita pronunciant: *si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltim in paschate, ad communicandum, anathema sit.* Atque ex hoc tempore, quo eiusmodi decreta fuerunt sancita, extrema ruina antiquissimæ atque apostolicæ consuetudinis, frequenter communicandi, arcessenda videtur. Exinde enim occasionem nacti sunt christiani, sibi persuadendi, se paschali communione usos, officio suo egregie esse defunctos prorsusque sufficere, si soli sacerdotes sæpius sacra eucharistia uterentur. Atque hac ratione magis magisque stabilitus fuit alius abusus isque prorsus insignis, nimirum consuetudo, celebrandi *missas privatas* atque *solitarias*, quæ antiquarum ac generalium communionum totius alicuius cœtus locum tandem occuparunt, absurdisque precum formulis dederunt occasionem, dum verb. gr. sacerdotes missatici preces fundunt Deoque gratias agunt pro omnibus cœtus alicuius christiani membris, tanquam actu communicantibus, cum tamen proprie loquendo unus duntaxat ex iis communicaverit, cæteri vero omnes meros egerint spectatores sacerdotis totius alicuius ecclesiæ nomine agere dictitantis.

Temporibus reformationis eo res feliciter fuit perducta, ut missæ privatæ prorsus abolerentur, ac crebrior sacræ cœnæ usus in christianorum cœtus introduceretur. Factum id est opera beati LUTHERI, qui communiones crebriores passim in scriptis suis, speciatim in *catechismo maiori p. 560.* gravissimis verbis commendavit. Idem fecit JO. CALVINVS in *institutionibus* suis, cumprimis *libr. IV. cap. XVII. n. XLVI.* ubi consuetudinem, quæ in Romana obtinet ecclesia, semel tantum communicandi in anno, tanquam *certissimum diaboli inventum* damnavit. Nec defuerunt inter ipsos Romanenses viri cordatiores, qui eandem, tanquam *ignaviam* suorumque temporum *corruptelam*, gravius reprehenderent. Quin ipsi catechismi Romani conditores insignem istum abusum eiusque fœditatem agnovisse videntur, quando disertis verbis monent, *ut fideles non satis habeant, si decreti Lateranensis & Tridentini auctoritati obtemperantes, semel tantummodo corpus domini quotannis accipiant*, sed sæpius iterandum esse sacræ eucharistiæ usum, arbitrentur.

Constat quoque, superiori seculo controversiam de frequentiori communione in Gallia fuisse agitatam. Commendavit eandem serioque ursit PETRVS de SAISMAISON, societatis Jesu theologus, edito opusculo, vernaculo sermone conscripto, de quæstione: *Sitne melius frequenter, quam raro, sacræ communionis in eucharistia fieri participem?* In quo libello exemplum apostolorum, eorumque canones, itemque antiquissimorum patrum effata aliaque argumenta in medium adduxit, ad comprobandum, frequentiorem sacri epuli usum plebi christianæ serio esse inculcandum. Sed adversarium nactus est ANTONIUM ARNALDVM, theologum Gallum Jansenistarum partibus addictum, qui librum *de la frequente communion* Parisiis ann. *MDCLVI.* in 8. luci exposuit publicæ, non tantum Parisiis *MDCLXIX.* 12. sed & Lovan. *MDCLXXIV.* 8. recusum. In hocce libro pœnitentiæ potius disciplinam, quam frequentem communionem populo diligenter commendandam esse, evincere adnisus est ARNALDVS, refutatus eapropter a binis societatis Jesu theologis, iisque doctissimis, DIONYSIO PETAVIO atque JAC. SIRMONDO, quorum *ille* tractatum *de pœnitentia publica & præparatione ad communionem; hic* vero *historiam pœnitentiæ publicæ*, Arnaldo opposuit. Ut alios scriptores, qui contra Arnaldum calamum strinxerunt, maxime anonymos, taceamus. Historiam huius controversiæ copiose edisseruit THOMAS ITTIGIUS in *adpendice* ad tractatum *de hæresiarchis ævi apostolici, dissert. IV. p. 401. seqq.*

De ipso vero argumento, quod breviter heic pertractavimus, consuli merentur JO. PHIL. PFEIFFERUS in *dissertat. de significatione vocis* ἐπιούσιος §. *VII.* GUIL. BEVEREGIUS, *in codice canonum ecclesiæ primitivæ vindicato ac illustrato libr. II. cap.* III. JO. FELLVS in *notis ad Cyprianum p. 146.* inprimis JOSEPHUS BINGHAMUS, in *origin. seu antiquitat. ecclesiast.*

num singulis annis quater aut ter (*) *ad eucharistiam accesserit* (**). III.) Denique tempus *durationis* ex 1 Cor. XI. 26. colligitur futurum usque ad diem novissimum & Christi adventum. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex hoc calice bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* Forte etiam ideo circa vesperam Christus hoc cœleste epulum instituit, ut ostenderet illud duraturum usque ad mundi finem, neque alterius cujusdam institutionem post hanc cœnam exspectandam esse, sed fideles in hujus vitæ tenebris ejus usu ceu quodam baculo sese sustentare debere.

Tempus durationis.

CAPUT XXV.

DE CIRCUMSTANTIA LOCI.

Locus, in quo administranda sit sacra cœna.

§. CCLVIII. Quo in *loco* administranda sit cœna sacra, expresso aliquo Christi mandato nusquam invenitur definitum. Quod non in templo Hierosolymitano, sed in privatis ædibus prima eucharistiæ institutio & administratio facta, per id nequaquam usus sacræ cœnæ privatis locis adstringitur, sed factum Christi historice tantummodo commemoratur. Quare cum in ecclesia christiana more receptum sit, ut in publicis conventibus post prædicationem & auditum verbi hoc mysterium celebretur, ideo sine urgente necessitate ab hac consuetudine non est discedendum. 1.) Quia sacramenta sunt sigilla promissionum evangelicarum. Jam vero prædicatio evangelii, quod est verbum ἀκουστὸν, ordinarie in publicis ecclesiæ conventibus peragitur. Ergo etiam administratio sacramentorum, quæ sunt verbum ὁρατὸν, in iisdem peragi debet. 2.) Quia administratio baptismi extra casum necessitatis in publico ecclesiæ conventu peragitur. Ergo etiam admi-

fiast. tom. VI. libr. XV. cap. IX. *p. 570. seqq.* aliique, quos nominare supersedemus.

(*) Hæc non eum in finem dicuntur a beato nostro LUTHERO, quasi usum sacræ cœnæ certo temporis spatio circumscribere, eorumque servori, qui desiderio quodam, hocce epulo sese sæpius pascendi, tenentur, frenum quodammodo injicere vellet. Hoc ipsum enim in iis, qui ecclesiæ Romanæ sunt addicti, plus simplici vice reprehendit, ac frequentiorem sacræ eucharistiæ usum serio commendat. Fecit id cumprimis in *catechismo maiori p. 360.* edit. Rechenb. ubi post alia subjicit: *Dixeris autem fortassis: tamen hæc quoque particula, quotiescunque feceritis, adiecta est: hæc quidem cogit neminem, sed relinquit sacramenti usum, in cuiusque arbitratu, liberum: respondeo: audio, sed non dixit, ut perpetuo nunquam faciamus: quin potius hæc ipsa verba dicens:* quotiescunque feceritis, *una injunxit, ut* SÆPE *sacramenti communionem iteremus. Estque propterea adiectum, quod sacramentum velit habere liberum, non certo tempori alligatum, velut erat Judæorum pascha, quod singulis annis semel tantum, ac nonnisi decimo septimo die primi mensis, vesperi manducare, nec illum diem transilire cogebantur. Quasi velit dicere: ego vobis festivitatem paschalem seu cœnam adorno & constituo, quam non tantum ad huius diei vesperam quotannis celebrabitis, sed ea* SÆPE *fruemini, quando & quotiescunque libitum fuerit, prout cuique integrum erit & necessarium, nulli loco aut tempori alligatum, &c.* LUTHERI hac in re vestigia secuti sunt omnes ecclesiæ nostræ theologi, qui frequentem & dignum epuli sacri usum & laudant & commendant, totiesque eo utendum esse censent, quoties conscientiæ terrores carnisque infirmitates sentiamus, hincque confortatione quadam opus esse, colligamus. Legenda, quæ post alios PHIL. JAC. SPENERUS *consil. theolog. latin. part. II. p. 24. seqq.* itemque *in den deutschen theolog. Bedenken part. II. p. 73, 74,* inprimis *p. 136. seqq. & p. 138, 140.* alibique passim, hanc in rem scripsit. Jungi vero merentur GEORGII, principis Anhaltini, *Ursachen, so einen jeden christgläubigen bewegen sollen das hochwürdige Sacrament oft zu gebrauchen, oper. f. 134. b.*

(**) Chrysostomus homil. V. in 1 Tim. I. *Non est audaciæ, sæpius accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiam in toto vitæ tempore accedat.* GERHARDUS.

administratio eucharistiæ, quæ est alterum nov. test. sacramentum, ibidem peragi debet. 3.) Quia Paulus testatur, in ecclesia Corinthiaca συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ *convenientibus illis in unum*, cœnam dominicam fuisse celebratam. 1 Cor. XI. 20. & 33. Id ipsum Troadis usitatum fuisse colligitur ex Act. XX. 7. *Una sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat eis.* 4.) Quia sacra cœna propterea dicitur σύναξις, quia ejus administratio in publica ecclesiæ congregatione olim peracta.

An in privatis ædibus celebranda cœna?

§. CCLIX. Neque tamen ex eo inferendum, quod in casu necessitatis in privatis ædibus sacra cœna administrari nequeat. Sane Beza part. II. quæstion. & respons. quæst. 242. aliquot ratiunculas profert, ob quas valde se ambigere dicit, *an, quo tempore cœna Domini in ecclesia non administratur, expediat apud ægrotos eam celebrari?* Et postea audentior factus addit: *Illud videtur, nescio quomodo, cum institutione cœnae dominicae pugnare, ut tota cessante ecclesia reliqua, domus aliqua extra ordinem illa mysteria celebret:* Danæus etiam scribit, *privatim extra totius ecclesiae cœtum ac conventum extraque publicam praeparationem celebrari cœnam nec debere, nec pie posse.* Aretius part. I. probl. 82. f. 1002. *Illud omni defensione justa caret, quod ad aegrotos defertur tanquam viaticum morituris, qui mos inolevit, ut opinor, tum demum, cum persuasum esset plebi, quosdam pie mori non posse, nisi prius cœnam Domini sumsissent, hinc accessit spes lucri & species religionis splendidior.* Idem statuunt Bullingerus hom. I. de cœna edita anno 1553. Musculus in locis theolog. p. 369. Calvinianis adsensum in hac quæstione præbent Photiniani, unde Andreas Reuchlinius (hoc est, Valentinus Smalcius) in paræneſi ad Isaacum Casaubonum circa finem inter nævos ecclesiis reformatis adhuc adhærentes refert, *morientibus cœnam Domini pro viatico porrigere.* Nos contra statuimus, ægrotis, quocunque loco ac tempore eucharistiæ communionem petentibus, eam nequaquam denegandam esse, quin etiam in aliis necessitatis casibus in privatis quoque locis sacram cœnam rite celebrari posse dicimus. Serio quidem monemus auditores nostros, ut incolumes ac valentes non segregent se a publicis ecclesiæ conventibus, in quibus ordinarie hoc sacramentum administratur, Hebr. X. 25. neque contemtu quodam ac culpabili negligentia perceptionem eucharistiæ ad extremum usque mortis articulum differant, interim tamen, si quid humani ipsis contingat, ut morbo præpediti publico ecclesiæ cœtui interesse nequeant, ac nihilominus in vera pœnitentia perceptione corporis & sanguinis dominici fidem suam confirmari expetant, haudquaquam in privatis ædibus sacram cœnam celebrari nefas esse dicimus. 1.) Quia prima cœna non in templo Hierosolymitano, sed in privatis civis cujusdam ædibus a Christo instituta & discipulis administrata fuit, ut ex historia evangelica colligi potest. Nicephorus libr. I. cap. 28. testatur, *in domo Johannis evangelistae* cœnam a Christo celebratam. 2.) Ut temporis circumstantia non pertinet ad essentialia hujus sacramenti, ita nec locus ad integritatem ejus essentialem spectat, cum de neutro disertum exstet mandatum. 3.) In verbis institutionis non fit mentio certi alicujus loci, in quo celebrari debeat, & extra quem celebrari non possit hoc mysterium. 4.) Apostoli ac viri apostolici non dubitarunt in privatis ædibus eucharistiam celebrare, cum in templo ac locis publicis per furorem hostium illud haudquaquam fieri licerer. Act. II. 46. XX. 7. 5.) In veteri quidem testamento sacrificia & totus cultus levitieus divino mandato ad certum locum adstrictus fuit, sed in nov. test. leviticum illud & ceremoniale discrimen locorum est sublatum. Col. II. 16. 6.) Ut in omni loco preces nostræ Deo sunt acceptæ, si ex vera pœnitentia & fide proficiscantur, Joh. IV. 21. 23. 1 Tim. II. 8. ita quoque circumstantia loci nec addit nec demit quidquam eucharistiæ integritati & dignitati. 7.) Etiam duorum ac trium congregatio sancta est Christo grata, & ecclesiæ nomine digna. Matth. XVIII. 20. 8.) Consolatio evangelii non denegatur iis, qui corpore & animo sunt adflicti, quippe quos Christus amice ad se vo-

cat, Matth. XI. 28. quomodo igitur communicatio eucharistiæ ad fidei confirmationem institutæ illis denegari poterit? 9) Morbi & calamitates sunt adminicula pœnitentiæ, incitamenta precum, exercitia patientiæ &c. inde adeo fit, ut ægroti quandoque paratiores sint ad salutarem sacræ cœnæ usum, quam valentes. 10.) Accedit consensus ecclesiæ primitivæ. Apud Justin. apol. II. pro christ. circa finem: eucharistia ex publico ecclesiæ cœtu *defertur ad absentes*, id est, vel morbis impeditos, vel in carcere detentos (*), quo minus publicæ administrationi eucharistiæ interesse possent. Apud Eusebium lib. VI. cap. 43. defertur eucharistia *ad Serapionem aegrotum*. Augustinus libr. II. de visit infirmor. vocat *viaticum saluberrimum*. Gaudentius tract. II. in Exod. fol. 1803. *Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac via vitae alimur & nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc seculo recedentes*. Apud Nicephorum libr. XIII. cap. 37. Chrysostomum legitur privatim τῶν ἁγίων κοινωνῆσαι ἀγιασμάτων. Apud Hieronymum in epist. ad Rusticum Exuperius panem eucharisticum ad ægrotos defert *in canistro vimineo*, vinum eucharisticum *in vitro*. Hieronymus in agone mortis dixisse scribitur: *O sacrum convivium & peregrinationis viaticum, sine quo de hoc mundo nequaquam pervenitur ad cœli consortium. Eja ergo fidelis anima hoc fruere convivio, in quo salvatoris tui corpus sumendum proponitur*. Ecclesia græca hoc sacramentum vocat ἐφόδιον τῆς ζωῆς. Polydorus Virgilius libr. V. de rer. invent. cap. 6. *A Christi statim adscensu in cœlum Judaei cœperunt humanos crudeliter persequi, deinde Nero princeps, deinde Domitianus, deinde alii & postremo Diocletianus ac Maximinianus acerbissime adflictarunt. Quo fere toto temporis intervallo tantum aberat, ut aliquod templum a nostris christianis publice aedificaretur, ut etiam omnia essent occulta & sacella potius atque eadem abdita & plerumque subterranea, quam apertis locis ac publicis fierent*. Gabriel Biel lect. 13. in can. missæ. *Ab episcopatu apostolorum principis usque ad tempus Sylvestri saeviente persecutorum rabie certa non erat episcopalis statio, sed ubicunque necessitas compulit, sive in cryptis, sive domibus religiosorum, sive aliis quibusdam locis missam celebrabant super altare ligneum in modum arcae concavum, quod portabatur a sacerdotibus, ubicunque Romanus episcopus latitabat*. 11.) Agnoscunt hoc quidam ex ipsis adversariis, utpote Calvinus in epist. p. 26. Oecolampadius in 1. epist. Joh. f. 86. Petrus Martyr in 1 Cor. X. f. 143. Curæus in exeg. p. 192. &c. Marloratus in I. Lucæ. *Quamvis olim domi circumciderent infantes, non tamen id facere soliti fuerunt sine hominum frequentia & conventu, cum esset ecclesiae bonum*. Si circumcisionis sacramentum nihilominus est & manet bonum ecclesiæ, etiamsi in privatis ædibus administretur, utique de eucharistia idem dici potest ac debet. Hemmingius in 1 Cor. XI. p. 219. *Augustinus sacramentum cœnae adpellat viaticum salutis innuens admoneri ante mortem sumentes hanc cœnam, quod Christus ipsis sit via ex his aerumnis & morte ad fruitionem Dei in vita aeterna*. Zanchius libr. I. epist. f. 155. ad Johan. Crat. Med. Cæsar. *Quod Christus nemini discipulorum suorum denegat, cur nos recusemus aegrotis, qui, antequam hinc discedant, illud expetunt, idque non ex aliqua superstitione, sed animi magis*

(*) Nihil certius est atque exploratius, quam quod persecutionis temporibus christiani cuncta, quæ ad cultum divinum eundemque publicum spectant, officia, urgente necessitate, in quocunque loco peregerint. *Quivis locus*, ut DIONYSIUS ALEXANDRINUS loquitur apud EUSEBIUM *libr. VII. cap. XXII. in quo aerumnas pertulerant, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos erat*. LUCIANI *martyris* carcer templum illius erat, & pectus proprium altare eius, super quod eucharistia tum pro ipso, tum pro aliis, qui cum ipso erant in custodia, consecrabatur; prout patet ex vita LUCIANI, quam exhibet PHILOSTORGIUS *libr. II. cap. XIII.* Integrum locum recitavit BINGHAMUS in *originib. s. antiquitat. ecclesiast. vol. VI. p. 407.* qui & plura testimonia ad argumentum hoc spectantia in medium adduxit.

magis ac magis consolandi erigendique causa? Et postea: *Probari non possunt ecclesiae, quae ut abusum hujus rei tollerent, consuetudinem etiam antea receptam sustulerunt.* Isaacus Casaubonus in resp. ad epist. cardinalis Perronii nomine regis Angliæ scripta p. 36. *Ecclesia Anglicana non solum in communi conventu panem mysticum fidelibus dividit, sed etiam morientibus hoc viaticum, ut adpellant patres concilii Nicaeni & tota antiquitas, administrat* (*).

Argumenta adversariorum.

§. CCLX. Bezæ & complicum ipsius fundamenta potiora hæc sunt: I.) *Cœna Domini non est privata familiae alicujus actio, sed mere ecclesiastica.* Resp. si administratio sacræ cœnæ hoc sensu ac modo esset ecclesiastica actio, ut in privatis ædibus nulla ratione legitime administrari posset, cur Christus in domo privata potius quam in templo Hierosolymitano hoc mysterium cum suis discipulis celebrasset? Concedimus quidem, cœnæ administrationem esse actionem ecclesiasticam, sed addimus, ecclesiam non esse concluſam illis templorum parietibus, in quibus ad ordinarium cultum divinum peragendum christiani conveniunt, cum sint etiam *domesticae ecclesiae* piorum, Rom. XVI. 5. Phil. v. 2. ad quos omnes sive publice in magna frequentia, sive privatim in angustiori cœtu congregatos pertinet illud Christi Matth. XVIII. 20. *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo: ibi ego sum in medio eorum.* Jam vero ubi Christus est ecclesiæ caput, ibi quoque membra sive corpus mysticum esse oportet. Tota ratio templorum ac basilicarum in nov. test. est mere ceremonialis, quomodo igitur divino aliquo mandato administratio sacræ cœnæ ad templa illa adstricta dici potest? Sane publica & solennis hujus mysterii celebratio ordinarie in publicis & frequentioribus piorum conventibus peragi debet, interim tamen major habenda est ratio ægroti confirmatione fidei indigentis, eamque in usu sacræ cœnæ quærentis, quam externæ illius circumstantiæ nullo mandato divino expresse definitæ. II.) *Agnus paschalis mactabatur in conventu ecclesiae Israëliticae. Phase domesticum*, ait Beza, *sic mactabatur in Israële, ut tamen non alio tempore id fieret, quam quo totus Israël hoc mysterium celebrabat. Jam vero agnus paschalis fuit figura eucharistiae.* Resp. ex figuris non ducuntur firma argumenta, nisi ipsa scriptura adplicationem earum ostendat. Et cur non respicimus potius ad exemplum Christi in privatis ædibus eucharistiam instituentis & administrantis, quam ad typum agni paschalis? num ex typo argumentum duci potest contra ἀντίτυπον? Si propter typum agni paschalis necessario in publicis templis & solennibus totius ecclesiæ conventibus sacra cœna celebranda, cur ipse Christus & sacramentum agni paschalis, & eucharistiam in privatis ædibus administravit? Adde quod ex Exod. XII. 4. haud obscure colligitur, in privatis potius Israëlitarum ædibus, quam in tabernaculo vel templo agnum paschalem fuisse mactatum, assatum & manducatum. Deut. XVI. 6. expresso Dei mandato certus locus sacramento agni paschalis, ut & toti cultui levitico determinatur, tale aliquod mandatum de eucharistia certo tantum loco celebranda proferri non poterit. Ac probe notandum, quod phase Judaicum etiam alio tempore celebratum, quam quo totus Israël ceremoniæ isti solenniter vacaret, ut adparet ex Num. XIX. 10. ubi immundis & illis, qui peregre abfuerant, divinitus concessum, alio tempore, videlicet die 14. mensis secundi, agnum paschalem mactare. III.) *Nisi apud aegrotos omnes celebretur cœna Domini, quomodo vitabitur προσωτολημψιας suspicio: sin apud omnes aegrotos celebranda, viderint pastores, quomodo possit ejus profanatio vitari, & ipsi tantis laboribus sufficere?* Resp. praxis ecclesiarum nostrarum hoc argumentum evidenter refellit. In crebro sacræ cœnæ usu per se non est profanatio, modo observetur divina institutio: multo minus erit profanatio cœnæ, quando ægroti, hoc est, illi, qui ad spiritualem hujus

(*) Idem Casaubonus exerc. XVI. ad annal. Baron. c. 26. *Scimus, eucharistiam a graecis patribus non raro dictam δῶρον ἐξιτήριον, quia discedentibus ex hac vita communicabatur.* GERHARDUS-

huius cœlestis cibi esuriem vi morborum compulsi, in vera pœnitentia & fide eandem percipiunt. Sed nec opus est apud omnes ægrotos eucharistiam celebrare, vel quod non omnes eam desiderant, invito autem hic salutaris cibus non est obtrudendus, vel quod multi ex illis ante morbi paroxysmum in publico ecclesiæ conventu hac medicina animæ usi sunt, vel quod plerique sperant ad publicam σύναξιν post restitutam sanitatem sese redituros. Quod si omnes urbis alicujus ægroti adeundi essent, tamen hic labor fideli & industrio mysteriorum divinorum dispensatori tam non debet videri gravis & intolerabilis, quam non recusat evangelica consolatione eosdem erigere. IV.) *Nihil tribuendum consuetudini quamvis veteri, quia rationibus, non exemplis, judicandum.* Resp. hæc consuetudo nec rationibus, nec exemplis destituitur. Ut enim reliqua sententiæ nostræ fundamenta prætermittamus, quid ad Christi & apostolorum exemplum ulla veritatis specie responderi poterit? V.) *Eucharistia dicitur σύναξις. Ergo non nisi in publico ecclesiae cœtu celebranda est.* Resp. ex adpellatione nuda non potest apodicticum argumentum exstrui; dicitur enim cœna, at num propterea tantummodo vesperi celebranda erit? dicitur fractio panis, at num propterea in media eucharistiæ actione panis necessario frangendus? Synaxis vocatur, quia ordinarie in publico ecclesiæ conventu celebratur, & quia tota Christi ecclesia *de uno pane* participat, uno, inquam, non ratione massæ, sed ratione usus sacramentalis. 1 Cor. X. 17. VI.) *Christus nuspiam praecepit, ut privatim administretur cœna. Ergo illud prohibuisse judicatur.* Resp. in rebus adiaphoris ac mediis non habet locum immediata oppositio inter id, quod a Deo præceptum, ac quod ab eodem prohibitum, alias uno impetu omnia adiaphora, quippe quæ nuspiam inveniuntur præcepta, ex ecclesia eliminabuntur. Ita quoque in externis circumstantiis oppositio illa non potest urgeri, alias eodem argumenti robore inferrem: Christus nuspiam præcepit mane eucharistiam celebrare, ergo id ipsum prohibuisse censendus est? Imo vero levitica illa temporum & locorum discrimina in nov. test. sunt sublata, & christianæ libertati relicta, quæ tamen simul hoc complectitur, ut in externis cultus divini exercitiis, ac proinde etiam in administratione sacramentorum omnia κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως fiant. 1 Cor. XIV. 40.

§. CCLXI. Ad circumstantiam loci pertinet quæstio: *An in mensis illis lapideis quadratis, quae altaria vulgo dicuntur, cœna dominica celebrari legitime possit?* *An in altaribus cœna Domini possit administrari.* Quidam ex adversariis Calvinianis hac in parte satis rigidi sunt, ut testantur secures & bipennes, quibus in suis, quas ita vocant, reformationibus altaria adgrediuntur, negant enim legitime in illis sacram cœnam celebrari & administrari posse, cum missaticum sacrificium in eis olim fuerit celebratum (*). Nos altaria removeri posse non negamus, modo non urgeatur ut simpliciter necessarium, modo fiat per magi-

(*) Johan. Wolffius in explic. Deuter. p. 80. *etiam templa, in quibus idololatriam Pontificii exercuerunt, diruenda* censet, addita paroemia: *Si nolis ciconiae, nidos tolle.* Sed illi contradicit Calvinus in comm. Mosaic. p. 286. *Nobis hodie religio non est templa retinere, quae polluta fuere idolis, & adcommodata in meliorem usum.* Idem nos respondemus adversariorum objecto de altaribus. Observa 1.) ad ministros nov. test. adcommodari illud 1 Cor. IX. 13. *Qui altari serviunt, ex altari vivunt.* 2.) *Si idolum nihil est* sublata falsa opinione, 1 Cor. VIII. 4. utique etiam altare nihil est. 3.) *Mundis omnia munda* in externis illis rebus. Tit. I. 15. Rom. XIV. 14. 4.) Christus conqueritur de profanatione templi, & reformationem instituit, interim nec templum, nec altaria diruit, sed in templo docet. Matth. XXI. 23. Luc. XIX. 46. 5.) Apostolus non dirui jubet aram Athenienſium, cui inscriptum: *Ignoto Deo.* Act. XVII. 23. 6.) Beza in coll. Momp. f. 338. 349. 350. & Zanchius in volum. tract. theol. p. 144. concedunt, altaribus tanquam rei indifferenti in administratione cœnæ locum dari posse. 7.) Quidam Calviniani adhuc hodie in altaribus cœnam administrant, quin & altaria erigunt. GERHARDUS.

magistratum, consentiente & recte prius instituta ecclesia, adeoque ratione ea, quæ faciat ad ædificationem; modo ceremoniarum mutatio obliquam veræ doctrinæ labefactationem non spectet vel sibi conjunctam habeat. Potest autem ex christiana libertate, remotis cæteris, unum altare retineri, & ad cœnæ dominicæ celebrationem adhiberi: 1.) Quia cessante sacrificio altaria illa nihil aliud sunt quam mensæ lapideæ, sublato enim *relativo formali* manet absolutum & *materiale* tantum. Tempore apostolorum primi christiani ad sacræ cœnæ celebrationem non sunt usi altaribus, sed mensis, unde apostolus τραπέζης τῦ κυρίυ mentionem facit 1 Cor. X. 21. Imo tempore Origenis, sicque ducentis post Christum annis lapidea & fixa altaria nondum fuerunt in generali & publico ecclesiæ usu, siquidem libr. VIII. contra Celsum p. 794. refert, *Celsum christianis objecisse, quod aris templisque careant*, cui objectioni respondet: *Non videns pro aris nobis esse mentem suam cuique, ex qua sursum feruntur vere & intelligibiliter suaveolentes suffitus preces e pura conscientia.* Postea vero temporis progressu sacras illas mensas, ad quas eucharistia celebrata fuit, vocarunt altaria, quia teste Justino, Irenæo, Tertulliano & aliis veteribus illi, qui in primitiva ecclesia hoc sacramento usuri erant, offerebant super mensas istas donaria, cumprimis panem & vinum: illa conferebantur in sustentationem ministrorum ecclesiæ & pauperum, segregabantur de illis oblatis panis & vinum in usum sacræ cœnæ, instituebantur etiam de illis ἀγάπαι, quæ juxta cœnam Domini in signum mutuæ fraternitatis agitabantur, inde postea altaris appellatio mansit in ecclesia. Voluerunt insuper hac appellatione Judæos ad conversionem invitare phrases test. vet. ad cultum christianum adplicando, & criminationibus ethnicorum obviam ire, qui perpetuo hoc ingeminabant, christianos altaribus destitui. In papatu erecta sunt altaria propter sacrificium missæ, id vero nihil quidquam impedit, quo minus ea in posterum, sublato sacrificio missatico, ad celebrationem eucharistiæ adhiberi possint, cum non amplius sint altaria sensu ad sacrificium relato, sed mensæ lapideæ. Optatus Milevitanus lib. VI. contra Parmen. Ambrosius lib V. epist. 33. Augustinus homil. L. de utilit. pœnitent. ac tract. XXVI. in Johan. altarium adpellationem mensis illis tribuunt, in quibus sacra cœna fuit administrata, cum tamen missaticum sacrificium ipsis fuerit ignotum. 2.) An mensa sit lignea vel lapidea, in qua sacra cœna celebratur, nihil addit vel detrahit integritati hujus sacramenti. Fuerint sane altaria missatico sacrificio olim contaminata, interim tamen per verbum, preces & legitimum eucharistiæ usum jam pridem sunt repurgata, sanctificata & consecrata. 1 Tim. IV. 5. Idolothytum ethnicis fuit immundum. Vasa sacra, ex templo Hierosolymitano abrepta, turpiter fuerunt profanata, cum rex Belsazer ex illis comportationes institueret; 2 Reg. XXV. 2 Paral. XXXVI. Dan. V. nihilo tamen minus ad cultum sacrum fuerunt iterum adhibita & sanctificata. Esr. I. 3.) Apologia Augustanæ confessionis art. XI. mensas illas lapideas ad sacræ cœnæ celebrationem adhiberi posse non negat, quin imo easdem altaria vocat, nihilominus tamen sacrificium missaticum improbat. 4.) Beza in colloq. Mompel. f. 425. non solum fassus est, altaria tolerari posse, sed insuper testatus, quod Lusanna Bernam usque marmoreum altare translatum, & in eo cœna Domini hactenus celebrata fuerit.

§. CCLXII. Ex his facile adparet, quid ad argumenta adversariorum respondendum sit. I.) *Altaria vet. test.* (inquiunt) *fuerunt typi altaris illius, in quo Christus se ipsum victimam Deo obtulit, hoc est, crucis; jam vero veniente imagine perit σκιὰ*, Hebr. X. 1. *Resp.* nos exemplo patrum primitivæ ecclesiæ mensas illas lapideas vocamus altaria, non sensu proprio ad sacrificium relato, sed improprio & *metaphorico*; non sensu mosaico, sed evangelico; non sensu papistico, sed orthodoxo. II.) *1 Cor. IX. 13. & 14. oppositio est inter τὸ servire altari, & praedicare evangelium.* Resp. missaticis sacrificulis hæc & similia recte opponuntur, nos repudiato missæ sacrificio altaris nomen ex primitiva ecclesia deductum sano sensu retinemus, quia enim olim

Argumenta adversariorum.

olim in mensa Domini offerebantur panis, vinum & alia munera partim ad usum sacræ dominicæ, partim ad sustentationem ministrorum verbi & pauperum, quæ eleemosynæ erant *hostiae Deo gratae*, Phil. IV. 18. inde id nominis sacris mensis jam olim tributum. III.) *Est perpetua relatio inter altare & sacrificium* (*). Resp. imo vero & sacræ & profanæ historiæ testantur, erecta fuisse olim altaria etiam propter alios fines, quam ut sacrificia in illis peragerentur. Jos. XXII. 26. Rubenitæ & Gaditæ erigunt altare *non ad sacrificium, sed ad memoriale.* Herodotus lib. I. hist. f. 27. *Persae sacrificaturi nec aras erigunt, nec ignem incendunt prorsus, sed neque libamentis utuntur aut tibiis, infulisve aut molis. Verum ut quisque divis sacra facere statuit, in locum mundum victimam sistens Deum illum implorat.* Sit sane perpetua relatio inter sacrificium & altare proprie sic dictum, quid hoc ad mensas lapideas, quæ solam nominis adpellationem vel ex usu, quem in oblatione munerum in primitiva ecclesia habuerunt, vel ex abusu, ad quem in papatu per sacrificium missæ adhibitæ fuerunt, adhuc retinent (**)? IV.) *Altaria illa fuerunt olim missis destinata.* Resp. sublato abusu retineri potest verus ac pius usus. Etiam templa & suggestus olim profanati, ipsa bona ecclesiastica celebrationi missarum destinata fuere, ergo etiam templa diruenda, & bona ecclesiastica non possent converti in sustentationem ministrorum ecclesiæ. V.) *Reformatio in illis est necessaria.* Resp. per verbum fit optima reformatio, ut jam olim contra Carolstadium monuit Lutherus, si scilicet corda hominum liberentur errore & superstitionibus, ac recte instituantur de libertate christiana. Postea demum, si requirit necessitas, legitimo modo ac processu in externis etiam reformatio quædam suscipi potest. VI.) *Deus jussit subvertere aras ethnicorum.* Exod. XXXIV. Deut. XII. *Resp.* Deus in cultu levitico unum saltem altare instituerat in tabernaculo, reliqua igitur dirui jubet, sed hæc dispositio in nov. test. cessat. Præcipit ibidem Moses omnia loca destrui, in quibus ethnici diis suis sacrificarunt, imo gentes idololatricas exstirpari. Si hoc obtineret in nov. test. omnia templa, in quibus celebratæ sunt missæ, fuerint diruenda, & omnes missatici sacrificuli occidendi. Christus in nov. test. dedit nobis libertatem in talibus externis rebus, quæ sua natura non pugnant cum vera doctrina, fidei confessione & pietate. Ipse conqueritur de profanatione templi, vendentes & ementes ex eo pellit, ac mensas nummulariorum evertit, non tamen ipsam templi fabricam dirnit; nec Paulus Act. XVII. Athenienſium altare dirui mandat. Pugnat igitur cum christiana libertate, conscientias hominum in usu illorum per se indifferentium captivare (***).

CAPUT

(*) Petrus Martyr class. IV. loc. comm. cap. 12. §. 21. p. 897. Anhaldini *im Bericht* p. 74. Nahum *im Bericht* p. 11. Joh. von Münster in postill. p. 443. GERHARDVS.

(**) Alia etiam ratio altarium in vet. test. in quo ad sacrificia ut plurimum fuere exstructa, alia in nov. test. in quo nihil aliud sunt, quam mensæ ligneæ. Vide omnino Mornæum lib. II. de miss. p. 372. GERHARDUS.

(***) Sunt, qui ita argumentantur: I.) *Sacra cœna vocatur mensa Domini.* 1 Cor. X. 21. *Ergo non debet in altari celebrari.* Resp. 1.) Altaria nostra nihil aliud sunt, quam mensæ lapideæ. In lapideis illis mensis æque potest sacra cœna celebrari, atque in ligneis. 2.) Quod si adversarii nolint eas vocare altaria, & hac ratione suam ab Augustana confessione, quæ in apolog. ad art. XI. eadem sic vocat, secessionem testatam facere, adpellent *mensas ligneas*, sicut Augustinus tract. XXVI. in Joh. hom. L. de pœnit. & Chrysostomus 1 Cor. XI. modo *altaris* modo *mensæ* faciunt mentionem. *Altarium* adpellatio in sano sensu etiam usurpatur ab Ambrosio lib. V. ep. 33. Optato Milevitano lib. VI. contra Parmen. Hieronymo in cap. I. Malach. 3.) Inde Mornæus de missa p. 377. *Dicamus vero seu altaria, seu mensas, nihil interest, modo usum teneamus.* 4.) Origo adpellationis non descendit a sacrificio missatico, sed a donis in primitiva ecclesia circa administrationem cœnæ ad sustentationem ministrorum ecclesiæ & pauperum conferri solitis. Veteres, ut adparet

CAPUT XXVI.

DE CEREMONIIS HUJUS SACRAMENTI.

Regula de ceremoniis eucharistiæ.

§. CCLXIII. De *ceremoniis* eucharistiæ facile transigi poterit, si attendantur sequentes regulæ. I.) *Quaecunque ceremoniae a Christo in institutione & administratione hujus sacramenti tanquam peculiares actus sacramentales sunt adhibitae, eae ad essentiam & integritatem hujus mysterii pertinent, nec possunt salva ejusdem integritate omitti.* Tales ceremoniæ sunt, accipere panem, benedicere, distribuere, manducare; accipere calicem, in quo fit genimen vitis, benedicere, distribuere, bibere, & mortem Domini adnunciare. Luc. XXII. 19. 1 Cor. XI. 24. *Hoc facite.* II.) *Quaecunque ceremoniae ad salutarem communicantium probationem & gratam mortis dominicae adnunciationem excitandam, promovendam & augendam faciunt, eae quamvis non sint expresso aliquo Christi mandato requisitae, tamen ob salutarem illum finem adhiberi possunt ac debent.* Tales ceremoniæ sunt, admonere communicantes de digna eucharistiæ perceptione, orationem dominicam aliasve preces analogiæ fidei & institutioni hujus mysterii congruas recitare, psalmos in administratione sacramenti decantare, gratias pro Christi morte & institutione hujus mystici convivii publice agere, benedictione sacra totum hunc actum claudere. 1 Cor. XI. 26. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & ex hoc calice bibetis, mortem Domini adnunciabitis, donec veniat.* III.) *Quaecunque ceremoniae in se ac per se sunt adiaphorae, neque pugnant cum fide, sed ad excitandam reverentiam erga hoc mysterium aliquo modo spectant, sine laesione conscientiae retineri possunt; modo observentur hae conditiones, ne priori ceremoniarum generi exaequentur vel praeferantur, ne nimis cumulentur, & hac ratione utiliores ritus iisdem opprimantur, ne cum opinione cultus aut necessitatis usurpentur, denique ut erudiantur auditores, dignam praeparationem & perceptionem eucharistiae nequaquam in usu harum ceremoniarum, sed in vera pœnitentia & fide, inque diligenti observatione institutionis divinae consistere.* Tales ceremoniæ sunt, aureis vel argenteis patinis ac calicibus in administratione cœnæ uti, mensam sacram tapetiis ornare, vestibus peculiaribus indui, lampades & candelas accendere, musica Gregoriana & organis musicis uti, verba institutionis decantare &c. Gal. V. 1. *State in libertate, ad quam Christus vos vocavit.* Vide Lutherum tom. III. Jen. pag. 26. IV.) *Quaecunque ceremoniae parum vel nihil faciunt ad aedificationem, contra vero*

paret ex Herm. Contracto de tempore lib. III. qui liber excusus Coloniæ per Johannem Kolhoff, dicebant, quatuor dari mensas in nov. test. mensam corporalem, *altarem*, (ut vocabant) sacræ scripturæ, & gloriæ futuræ. De prima dixerunt sumi panem materialem, de secunda panem sacramentalem, de tertia panem doctrinalem, de quarta panem æternalem. II.) *Apostoli in administratione cœnæ ipsi sunt mensis, non altaribus.* Resp. facile concedimus per primos 300. annos non fuisse in usu tales mensas ligneas fixas & immobiles, ut constat ex Clemente Alex. lib. VII. strom. p. 793 Origene tom. II. oper. lib. VIII. contra Celsum p. 794. Minutio Felice in Octav. p. 44. Arnobio lib. VI. contra gent. p. 150 Concedimus, in usu potius fuisse mensas ligneas portatiles linteo tectas, ut ex Optato Milevitano lib. VI. adv. Parmen. Athanasio ad solitar. vitam agent. p. 656. constat; sed ex eo non potest inferri, illicitum esse altaribus, hoc est, mensis lapideis uti. Quæstio enim est de libertate christiana, an ex eo possint tolerari, sicut ipsos apostolos ea toleraſſe videmus? III.) *Christus in diversorio, non in templo, nec in altari cœnam administravit.* Resp. Christus in domo celebravit cœnam, in qua non erant altaria, nos in templo eam celebramus, in quo cum sint altaria, libere illis utimur. Ex Christi exemplo recte infertur, in privatis ædibus etiam absque altari cœnam posse celebrari. Nec certo possunt adfirmare adversarii, quod Christus in mensa celebraverit sacram cœnam, quia veteres fuerunt soliti adcumbere. GERHARDUS.

vero sacrum hoc mysterium in externum quoddam spectaculum transformant, quibus insuper pars cultus divini & peculiaris quaedam efficacia citra Dei verbum transscribitur, eae praegressa diligenti auditorum informatione commode abrogari possunt. Tales ceremoniæ sunt capsula sacerdotis elevata tintinnabulo sonum edere, pani inhalare, lingua ignota consecrare verba Christi: *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, tacite demurmurare, brachia attollere, eadem mox demittere &c. 1 Cor. XIV. 26. *omnia fiant* εἰς οἰκοδομήν. v. 40. εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. V.) *Quaecunque ceremoniae in se ac per se sunt idololatricae, superstitiosae, verbo Dei & institutioni Christi repugnantes &c. nulla habita scandali ratione abrogari statim debent.* Tales ceremoniæ sunt, laicis panem tantum consecratum, non etiam calicem exhibere, sacrificium pro vivorum & mortuorum peccatis offerre, sanctos invocare, missas privatas celebrare &c. Joh. VIII. 31. *Si in sermone meo manseritis, vere discipuli mei eritis.* Hæ generales regulæ de quibusvis ceremoniis in specie judicium formare possunt. Sic δεῖξιν sive ostensionem satius est omittere, quam adhibere, cum sit additio in verbo institutionis non expressa, fomentum opinionis de transubstantiatione & locali inclusione, causa ἀρτολατρείας & ignota antiquitati ceremonia. Christus non simpliciter dixit: *Hoc est corpus meum*, multo minus dixit: *Videte hoc est corpus meum*; sed *accipite, edite, hoc est corpus meum*, quibus verbis προσακτικοῖς ab ὄψει & δείξει ad χρῆσιν nos revocat. Quod Dionysius de eccl. hierach. *abdita in conspectum agi* εἰς ὄψεις ἄγειν, *ac divina munera reverenter ostendi* jubet, id juxta normam verborum institutionis accipiendum de tali ὀψαγωγῇ, qua sacerdos post ὑμνολογίαν & recitationem verborum Christi elementa profert, & quasi conspicienda reverenter exhibet, quando communicantibus eadem participat.

Δᾶξις eucharistiæ.

§. CCLXIV. Atque hæc dicta sint de eucharistia, quorum omnium verus ac salutaris usus consistit in eo, ut pro institutione hujus mysterii Christo gratias agamus, ὀρθοδοξίαν hujus articuli repudiatis omnibus contrariis erroribus fideliter tueamur, in vera pœnitentia ex debito erga Christum obsequio sæpius hoc sacramento utamur, atque ex salutari ejusdem usu percipiamus divinos illos fructus, propter quos a salvatore nostro fuit instituta. Ex superioribus omnibus talis colligi potest hujus sacramenti definitio: Sacra cœna sive eucharistia est *sacramentum nov. test. alterum, sacra scilicet & solennis actio, in qua Christus ejusdem auctor mediante benedicto pane corpus suum pro nobis in mortem traditum manducandum, & mediante benedicto vino sanguinem suum pro peccatis nostris in ara crucis effusum bibendum per ministrum nobis exhibet, ad sui recordationem, ut hoc pignore fides nostra de remissione peccatorum confirmetur, nosque in ipso & ipse in nobis maneat ad vitam aeternam.* Ex verbis institutionis colligitur talis definitio: *sacra cœna est corporis Christi mediante benedicto pane manducatio & sanguinis Christi mediante benedicto vino bibitio ab ipso Christo ad sui recordationem instituta.* Cum qua consentit catechetica Lutheri definitio, in qua generis loco (Ignatii exemplo de quo Theodoretus dial. III.) ponitur *corpus & sanguis Christi* non absolute & simpliciter, sed quatenus manducatur ac bibitur, hoc est, ipsa corporis manducatio & sanguinis bibitio (*).

Usus hujus loci.

Definitio eucharistiæ.

§. CCLXV.

(*) Keckermannus in syst. logic. lib. I. sect. 1. flagellat Lutherum, quod in definitione eucharistiæ generis loco posuerit *corpus & sanguinem Christi*. Resp. genus in definitione Lutheri non ponitur, sed subauditur. Sacramentum altaris est sacramentum nov. test. in quo verum corpus & verus sanguis Christi sub pane & vino nobis christianis ad manducandum & bibendum ab ipso Christo sunt instituta & legata. Omittitur autem illud genus, quia jam ante in proposita definitione expressum erat. Vide infra. GERHARDUS.

Precationes veterum in usu eucharistiæ.

§. CCLXV. Coronidis loco quasdam precationes veterum in sacra concione usitatas recensebimus (*). Clemens in constit. apostol. (**) libr. VIII. c. 21. *Percepto pretioso corpore & sanguine Christi, gratias agamus ei, qui nos dignos reddidit percipiendi sancta ejus mysteria, ac rogemus, ut non in judicium, sed in salutem nobis fiant, in utilitatem animi & corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri saeculi.* In horologio ecclesiastico Græcorum exstant hæ preces: *Qui das in cibum mihi carnem tuam volens. Qui ignis es & uris indignos, ne combure me conditor,* πλάστα μὴ, *veni magis in compaginem membrorum meorum, in omnes articulos, in renes, in cor, exure aculeos peccatorum meorum, animam emunda, sanctifica mentem, junctiuras robora cum ossibus simul, illumina quinque sensus, totum me tibi tuo adglutina timore, semper muni, defende, custodi me ab omni opere & sermone animae meae noxio, purga, munda & dirige me, orna, edoce & illustra me, fac me tuum templum Spiritus solius, & non habitaculum peccati, ut ceu domum tuam introitu communionis factam omnis impius & omne malum me fugiat ut ignem, &c. Panis vitae aeternitatis fiat mihi corpus tuum sanctum, misericors Domine, cum pretioso tuo sanguine, & morborum variorum remedium. Contaminatus operibus absurdis timidus & improbus ego, illibato tuo corpore & divino sanguine indignus sum: Christe tu me participatione tui dignum fac. In petra fidei firmans me, dilatasti os meum super inimicos meos. Exsultavit enim Spiritus meus, dum psallit:* non est sanctus nisi Deus noster, & non est justus præter te, Domine! *Da mihi Christe lacrymarum gut-*

(*) In liturgia Marci: εὐχαριστοῦμεν σοι δέσποτα, κύριε, θεὸς ἡμῶν, ἐπὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγίων, ἀχράντων, ἀθανάτων, καὶ ἐπουρανίων σου μυστηρίων, ὧν ἔδωκας ἡμῖν. *Gratias agimus tibi, Dominator, Domine Deus noster, pro perceptione sanctorum, intemeratorum, immortalium & coelestium mysteriorum tuorum, quae dedisti nobis.* In liturgia Jacobi oratio est sacerdotis πρὸ τῆς μεταλήψεως ante participationem. *Domine Deus noster, panis coelestis, vita universi,* ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐνώπιόν σου, καὶ οὐκ εἰμὶ ἄξιος μεταλαβεῖν τῶν ἀχράντων σου μυστηρίων, *peccavi in coelum & coram te, nec sum dignus, qui fiam particeps impollutorum tuorum mysteriorum;* ἀλλ' ὡς ἐυσπλάγχνος θεὸς ἀξίωσόν με τῇ χάριτι σου, ἀκατακρίτως μεταλαβεῖν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον: *verum tanquam misericors Deus dignare me per gratiam tuam, ut absque condemnatione communicem sacro corpori & pretioso sanguini in remissionem peccatorum, vitamque aeternam.* GERHARDUS.

Liturgias MARCI & JACOBI, ex quibus hæ preces sunt desumtæ, inter scripta supposita referendas esse, dudum observarunt viri eruditi. Exhibet easdem & copiose de iis agit JO. ALBERT. FABRICIUS in *codice apocrypho novi testam. part. III. p. 2. seqq.* & *p. 230. seqq.* Conferri tamen merentur EUSEBIUS RENAUDOTIUS, theologus Parisiensis, isque doctissimus, in dissertat. *de liturgiarum orientalium origine & auctoritate, collectioni* earundem præfixa, *cap. IV. V.* & b. cancell. PFAFFIUS in libello academico de *liturgiis missalibus, agendis & libris ecclesiasticis ecclesiae orientalis & occidentalis, veteris & modernae §. 1. p. 3.*

(**) Constitutionum apostolicarum libri, qui a CLEMENTE *Romano* digesti perhibentur, immo tanquam ab eo compositi, canone *LXXXV. apostolico* commendantur, a nonnullis quidem præsulis Romani cultoribus, speciatim JO. CAROLO BOVIO, FRANCISCO TURRIANO, NICOL. SERARIO aliisque, itemque ex Anglis a GUIL. WHISTONO, inter germanos apostolorum fetus referuntur. Sed plurimum falli, qui hoc sibi aliisque persuadere volunt, ex ipsis cœtus Romani doctoribus ingenue professi sunt NATALIS ALEXANDER, JO. BAPTISTA COTELERIUS, FRANC. PAGI, CHRISTIANUS LUPUS, itemque HALLOIXIUS, PETAVIUS, TILLEMONTIVS atque alii. Quod ad nostrates nec non reformatæ ecclesiæ theologos attinet, ii hasce constitutiones unanimi quasi consensu ut adulterinas dudum reiecerunt, solidisque comprobarunt argumentis, perperam istas sanctissimis Christi legatis, aut CLEMENTI tribui. Vid. si placet, dissertationem nostram *de constitutionibus apostolicis*, ante complures iam annos Tubingæ luci publicæ expositam,

tas, sordes cordis mei detergentes, ut bona conscientia mundatus, fide accedam & cum timore ad perceptionem divinorum tuorum munerum. In remissionem peccatorum fiat mihi immaculatum corpus tuum, & divinus sanguis in Spiritus sancti communicationem & in vitam aeternam, o benignissime, inque passionum & calamitatum mutationem. Voluisti propter nos, o misericors, adsumta carne mactari, ut agnus propter peccata hominum, propterea supplex oro, ut mea & deleas peccata. Sana animae meae vulnera, Domine, & totum sanctifica, meque dignum fac, Domine, ut particeps fiam mysticae tuae divinae cenae, infelix ego. Ut praedixisti, Christe, fiat sane vilissimo servo tuo, & in me mane, ut pollicitus es. Ecce enim corpus tuum manduco divinum, & bibo sanguinem tuum. Verbum Dei & Deus, pruna sive flamma corporis tui sit mihi tenebricoso, illuminatio & purgamentum contaminatae animae meae, simul & sanguis tuus. Intellectum, animam & cor, & corpus meum sanctifica, servator, & dignum fac, Domine, sine condemnatione ad tremenda accedere mysteria. Novos consequar effectus, & incrementum gratiae tuae capiam, vitaeque munimentum participatione mysteriorum tuorum, Christe. O verbum Dei sanctum, ipse Deus, totum me sanctifica accedentem nunc ad divina tua mysteria. Ne despicias me, Christe, dum panem sumo, qui est corpus tuum: & dum jam divini sanguinis tui, Domine, purissimorum nempe & tremendorum mysteriorum tuorum particeps fio miser, ne mihi in judicium fiat, fiat vero in vitam aeternam atque immortalem. Fons bonorum, Christe, perceptio immortalium tuorum mysteriorum fiat mihi lux & vita & vitiosorum adfectuum vacuitas, atque virtutis divinioris profectum & augmentum conferat, o solus bone, ut te glorificem. Liberer a passionibus, hostibus, necessitatibus atque ab omni adflictione, cum tremore & desiderio nunc accedens reverenter, o benigne, ad immortalia & divina mysteria, ut psallam tibi: Benedictus es Deus, patrum nostrorum, caelestibus tremendis sanctisque, Christe, mysteriis tuis & coena divina ac mystica, frui posse etiam me dignare desperantem alioquin, o Deus salvator, sub tuam confugiens misericordiam, o bone, clamo ad te cum misericordia timore: in me servator mane, & ego, ut promisisti, in te, ecce enim confidens misericordiae tuae vescor corpore tuo, & bibo sanguinem tuum. Tremo suspiciens ignem, ne comburar, ut cera & velut gramen. O tremendum mysterium, o misericordiam Dei, quomodo divini corporis & sanguinis particeps fio, ego lutum, & reddor incorruptibilis? Christus est, gustate & videte. Dominus propter nos & secundum quondam factus ac semel offerens se oblationem Patri suo, quotidie adoratur, sanctificans communicantes. Anima simul ac corpore sanctificer, Domine, illumina, salver, fiam domus tua mysteriorum tuorum sacrorum participatione, incolam te habens, cum Patre & Spiritu, benefactor misericors. Ut ignis & tanquam lux fiat mihi corpus tuum & sanguis tuus pretiosissimus, salvator, comburens peccati materiam & succendens adfectuum spinas, meque totum illuminans, ut tuam adorem deitatem. Iniquitates meas ne observa, Domine, ex virgine natus, & cor meum munda, templum id efficiens immaculati corporis & sanguinis tui: ne me totum abjicias a facie tua, qui misericordiam habes immensam. Ad perceptionem sanctificationum tuarum, quomodo indignus inverecunde accedam? Si enim ausus fuero accedere ad te cum dignis, vestis me arguit, quod non sit coenae, (nuptialis) & condemnationem conciliavero multum peccanti animae meae. Purga ergo Domine immunditiem animae meae, & salva me, tu hominum amantissime (*).

ORA-

(*) In canone Romano: *Domine Jesu Christe &c. libera me per hoc sanctum corpus & sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis & universis malis, & fac me tuis semper obedire mandatis, & a te nunquam separari permittas. Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere propono, non mihi proveniat in judicium & condemnationem; Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen!* Postea ad calicem: *Quid retribuam Domino meo pro omnibus, quae retribuit mihi?*

ORATIO AMBROSII.

„ Fac me Domine Jesu per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placeat, & animæ meæ expediat. Doce me quæso per Spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reverentia & honore eaque devotione & timore, quibus oportet & decet!

PRECATIO BASILII.

„ Jesu Christe, Domine omnipotens, Deus noster, fons vitæ & immortalitatis, conditor omnis creaturæ visibilis & invisibilis, qui es Patris æterni æternus Filius, qui propter copiam bonitatis in ultimis temporibus carnem adsumsisti, & crucifixus ac traditus pro ingratis & impiis nobis, in proprio tuo sanguine restauraſti corruptam a peccato naturam nostram! Rex æterne, suscipe etiam me peccatorem pœnitentia ductum, & inclina aurem tuam ad me & exaudi vocem orationis meæ. Inique enim feci, Domine, peccavi in cœlum & coram te, & non sum dignus, ut oculos intendam in altum majestatis tuæ, ad iram enim bonitatem tuam concitavi mandata tua violans, & legibus tuis locum non relinquens. At tu Domine, cum sis clemens, longanimis, & multum misericors, non tradidisti me, ut in peccatis meis perirem, meam omnino exspectans conversionem. Tu enim dixisti benigne per prophetam tuum: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Non enim vis, Domine, opus manuum tuarum interire, nec gaudes interitu hominum, sed vis omnes salvari & ad agnitionem veritatis pervenire. Quocirca & ego, quamvis indignus sim cœlo & terra & ipsa æterna vita, dum me totum subjeci peccato, & membra mea serva concupiscentiæ præbui, & tuam parvipendi imaginem, sed opus & figmentum tuum formatus sum, ego miser in salute mea procuranda non occupatus exsteor, accedo autem animi fiduciam collocatam habens in misericordia tua infinita. Recipe igitur me, Domine benignissime, ut meretricem, ut latronem, ut publicanum, & ut filium prodigum, & aufer grave onus peccatorum meorum, qui tollis peccata mundi, & medicinam infirmitatibus hominum adhibes, qui laborantes & oneratos ad te vocas & reficis, qui non venisti justos vocare ad pœnitentiam, sed peccatores: munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus, & erudi me, ut in timore tuo sanctioris vitæ cursum amplectar, ut sincero conscientiæ meæ testimonio partem tuarum sanctificationum accipiens ἑνωθῶ τῷ ἁγίῳ σώματί σε καὶ αἵματι, uniar sancto tuo corpori & sanguini, & habeam te in me habitantem, & manentem cum Patre & Spiritu sancto. Domine Jesu Christe, Deus meus, non cedat mihi in judicium participatio sacrorum tuorum vitam largientium mysteriorum, ne etiam fiam infirmus anima & corpore accipere illa indigne; sed concede mihi usque ad ultimum vitæ meæ spiritum digne sumere partem tuarum sanctificationum in Spiritus sancti communicationem, in viaticum æternæ vitæ, & in acceptabilem defensionem coram tremendo tuo judicio, ut & ego cum electis tuis particeps fiam bonorum tuorum incorruptibilium, quæ adparasti omnibus diligentibus te Domine, in quibus benedictus es in secula, Amen!

PRECATIO CHRYSOSTOMI.

„ Domine! Deus meus, scis quod non sum dignus, ut intres sub tectum meum domus animæ meæ, propterea quia tota derelicta & conturbata est & fere concidit prorsus; nec habes apud me dignum locum, quo caput reclines. Sed quemadmodum ex alto propter salutem nostram humiliasti te ipsum: Sic respice humilitatem meam. Et quemadmodum

„ passus

mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero. Paulo post: *Corpus tuum Domine, quod sumsi, & sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis, & præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem sancta & pura refecerunt sacramenta.* Et statim: *Quod ore sumsimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Amen!* GERHARDUS.

„ passus es in spelunca & præsepi brutorum re-
„ clinari: sic non recusa etiam in præsepe animæ
„ meæ nihil spirituale intelligentis, & in comma-
„ culatum corpus meum ingredi. Et quemad-
„ modum non dedignatus es ingredi, & una
„ cum peccatoribus cibum capere in domo Si-
„ monis leprosi: sic ne graveris, conferre te
„ in domum animæ meæ humiliatæ, lepra &
„ peccatis infectæ. Et quemadmodum non re-
„ pulisti similem mihi meretricem & peccatri-
„ cem accedentem & tangentem te: sic eodem
„ intimæ misericordiæ adfectu erga me peccato-
„ rem accedentem & tangentem te commovere.
„ Et quemadmodum non abominatus es impu-
„ rum & detestandum illius os, quo osculaba-
„ tur te: sic noli aversari os meum impurius
„ & turpius illius peccatricis ore, nec odio digna,
„ impura & spurca mea labia, nec sordidam lin-
„ guam. Sed cedat mihi rutilans carbo sanctis-
„ simi tui corporis & venerandi tui sanguinis
„ in sanctificationem, in illuminationem & sa-
„ nitatem animæ meæ adflictæ & corporis, in
„ levationem oneris multorum peccatorum meo-
„ rum, in præsidium adversus omnes molitio-
„ nes & actiones diabolicas, in aversionem &
„ obstaculum pravæ consuetudinis meæ, in
„ mortificationem concupiscentiæ, in conser-
„ vationem mandatorum tuorum, in augmen-
„ tum cœlestis tuæ gratiæ, & inhabitationem
„ regni tui. Non enim ut contemtor accedo
„ te, Christe Deus, sed ut fiduciam fixam ha-
„ bens in bonitate tua ineffabili, ne a commu-
„ nicatione tua longe remotus, a lupo intelle-
„ ctuali, (tanquam a bestia raptus) capiar.
„ Quocirca precibus tibi insto, quemadmodum
„ solus es sanctus Dominus, sic sanctifica ani-
„ mam meam & corpus, mentem & cor, renes,
„ viscera, & totum me renova, & ratifica ac
„ confirma timorem tuum in membris meis, &
„ effice, ne sanctificatio tua a me eximatur &
„ deleatur. Præsta mihi auxilium, & sis de-
„ fensor dirigens cursum vitæ meæ in pace, di-
„ gnum me faciens adsistentia a dextris cum san-
„ ctis tuis, Amen!

PRECATIO DAMASCENI.

„ Omnipotens Domine Jesu Christe, Deus
„ noster, qui solus habes potestatem dimittendi
„ hominibus peccata, [illegible]a bonus & clemens es,
„ dimitte omnia peccata mea, quæ sciens & igno-
„ rans commisi, & fac me dignum accipere
„ divina & veneranda, & incontaminata, &
„ vivifica tua mysteria, non in gravamen, non
„ in pœnam, non in adcretionem peccatorum,
„ sed in purificationem & sanctificationem &
„ pignus futuræ vitæ & regni, in munimen-
„ tum & auxilium & aversionem eorum, quæ
„ mihi sunt contraria, (*adversantur*) in ablu-
„ tionem multarum mearum prævaricationum.
„ Tu enim es Deus misericordiæ & miseratio-
„ num & clementiæ (benignitatis) & tibi glo-
„ riam tribuimus cum Patre & Spiritu sancto,
„ & semper & in secula seculorum! Amen!

ORATIO THOMÆ AQUINATIS
Ante Communionem.

„ Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo
„ ad sacramentum unigeniti Filii tui Domini
„ nostri Jesu Christi, accedo tanquam infirmus
„ ad medicum vitæ, immundus ad fontem mi-
„ sericordiæ, cœcus ad lumen claritatis æternæ,
„ pauper & egenus ad Dominum cœli & terræ,
„ nudus ad regem gloriæ. Rogo ergo immen-
„ sæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus (ut)
„ meam curare digneris infirmitatem, lavare
„ fœditatem, illuminare cœcitatem, ditare pau-
„ pertatem, vestire nuditatem, ut panem ange-
„ lorum, regem regum, Dominum dominan-
„ tium tanta suscipiam reverentia & humilitate,
„ tanta contritione & devotione, tanta puritate
„ & fide, tali proposito & intentione, sicut
„ expedit saluti animæ meæ. Da mihi quæso
„ dominici corporis & sanguinis non solum su-
„ scipere sacramentum, sed etiam rem & vir-
„ tutem sacramenti. O mitissime Deus, da
„ mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri
„ Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic
„ suscipere, ut corpori suo (ejus) mystico me-
„ rear incorporari, & inter ejus membra con-
„ numerari. O amantissime Pater, concede
„ mihi Filium tuum dilectum, quem nunc
„ hic velatum in hac vita suscipere propono,
„ revelata tandem facie perpetuo contemplari,
„ qui tecum vivit & regnat in secula seculo-
„ rum! Amen!

ORA-

ORATIO EJUSDEM POST COMMUNIONEM.

„ Gratias ago tibi Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, „ sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare „ dignatus es pretioso corpore & sanguine Filii „ tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor, „ ut hæc sancta communio non sit mihi reatus „ ad pœnam, sed interceslio salutaris ad veniam; sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis; sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio; „ caritatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ „ augmentatio, contra insidias inimicorum „ omnium, tam visibilium quam invisibilium, „ firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; „ in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque „ finis mei felix consummatio. Et precor te, „ ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo „ & Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, sa„ tietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas „ consummata, & felicitas perfecta: Per Chri„ stum Dominum nostrum, Amen!

HYMNUS EJUSDEM.

Adoro te devote, latens deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit;
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto in te creditur.
Credo, quidquid dixit Dei Filius:
Verbo veritatis nihil verius.
In cruce latebat sola deitas,
Sed hic latet simul & humanitas;
Utrumque tamen vere credens ac confidens
Peto, quod petivit latro pœnitens,
Plagas sicut Thomas non intueor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis verus vitam praestans homini!
Praesta meae menti de te vivere,
Atque illi semper dulce sapere.
Pie Pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine.
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum possit omni scelere.
Jesu pie, quem nunc velatum adspicio,
Quando fiet illud, quod jam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae? Amen! (*).

O panis dulcissime,
O fidelis animæ,
Vitalis refectio.
In te ut nos unias,
Et virtute munias,
Da te digne sumere,
Et carnales furias
Propellens, nos facias,
Tecum pie vivere.
Sic refecti poculis
Sanguinis, & epulis
Tuæ carnis optimis,
Seculorum seculis,
Epulemur sedulis,
Veritatis azymis.
AMEN!

(*) Laurentius Medices, dux Florentinus, paulo ante vitæ finem in usu sacræ cœnæ: *Tune, mitissime Jesu, tu nequissimum hunc servum tuum dignaris invisere? At, quid dixi servum? imo vero hostem potius & quidem ingratissimum, qui tantis abs te cumulatus beneficiis, nec tibi dicto unquam audiens fuerim, & tuam toties majestatem læserim. Quod ego te per illam, qua genus omne hominum complecteris, caritatem, quaque te cœlitus ad nos in terram deduxit, nostræque humanitatis induit involucris; quæ famem, quæ sitim, quæ frigus, æstum, labores, contumelias, flagella & verbera; quæ postremo etiam mortem crucemque subire te compulit. Per hanc ego caritatem te salutifer Jesu quæso, obtestorque, avertas faciem a peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum constitero, quo me jamdudum citari plane sentio, non mea fraus, non culpa plectatur, sed tuæ crucis meritis condonetur. Val at, valeat in causa mea sanguis ille tuus, Jesu, pretiosissimus, quem pro asserendis in libertatem hominibus in ara illa sublimi nostræ redemtionis effudisti.* GERHARDUS.

SUPPLEMENTUM EDITORIS.

Licet locus de S. COENA copiose a b. GERHARDO pertractatus, notisque nostris passim illustratus fuerit, nonnulla tamen dicenda restant, quæ, antequam volumini huic finem imponamus, ea, qua fieri potest, brevitate heic subiungemus.

Initium vero nostræ tractationis faciemus ab argumento de *vera & reali corporis & sanguinis Christi praesentia in sacra cœna*, quod supra cap. XI. excussit b. GERHARDUS noster. Unde occasio nobis subnata est, eorum in *nota* §. XCVII. adiecta faciendi mentionem, qui in diversam a nobis abeunt sententiam, ac speciatim de CHRISTOPH. AUGUSTO HEUMANNO, theologo nuper Gœttingensi, pauca dicendi, qui suum in hoc articulo cum Reformatis consensum in libello posthumo declarare haud dubitavit (1). Quod ætatis nostræ phænomenon non plane singulare cum multorum excitaverit adtentionem, & characteristici huius ecclesiæ nostræ dogmatis defensionem in se suscipiendi viris quibusdam eruditis occasionem suppeditaverit: operæ omnino pretium nos facturos esse existimamus, si lectoribus nostris, hoc loco integram rei huius historiam desiderantibus, & sententiæ ab HEUMANNO expositæ atque defensæ, & scriptorum, data hac occasione in lucem editorum, sufficientem exhibeamus delineationem.

Constat, HEUMANNUM, virum alias eruditum & de republica litteraria præclare meritum, diu ante obitum suum in articulo de sacra eucharistia theologorum Reformatorum amplexum esse sententiam; sed variis impeditum rationibus mentis suæ cogitata, dum adhuc esset in vivis, divulgare noluisse. Conscripsit tamen libellum, in quo suam hac de re mentem aperte declaravit, eundemque amico cuidam concredidit, qui illum post ipsius ex mortali hac vita discessum typis exscribendum curaret. Atque hoc ipsum præstitit amicus iste HEUMANNI, qui anno *MDCCLXIV.* libellum ipsi transmissum edidit sub titulo: *Erweis, daß die Lehre der Reformirten Kirche von dem heiligen Abendmale die rechte und wahre seye. Eisleben und Wittenberg.* 8. Huius scripti, quod, ut viri quidam docti iudicarunt, famæ auctoris haud respondet, argumentum haud incommode ad tres redigi potest partes, quarum *prima* est historica, quæ nostratium theologorum, vel clam Reformatorum sententiæ addictorum, vel publice ad eorum castra transgressorum, censum exhibet, §§. *I-IV. IX-XI. XVI. XVII. XXI-XXVI. XXVIII-XCIII. secunda* eius pars constitui potest exegetica, in qua suam locorum *1 Cor. X. 16, 17. XI. 23, 24, 25.* explicationem proponit, §§. *V-VIII. XII-XV-XVIII. tertia* pars §§. *XIX.* & *XX.* ipsam continet declarationem, in qua suum in hoc articulo cum Reformatis consensum professus est HEUMANNUS. Ad hoc ipsius scriptum spectat alius libellus (2), in quo defensionem eius in se anno sequenti anonymus quidam suscepit. Insigne vero præcipuorum, quibus nostræ ecclesiæ hac de re sententia confirmatur, argumentorum robur hac occasione subnata ostenderunt ex nostratibus inprimis duumviri celeberrimi, Jo. AUGUSTUS ERNESTI (3) & CAR. GOTTL.

(1) Vid. supra *p. 164. 165.*

(2) *Nähere Erläuterung des Heumannischen Erweises, daß die Lehre der Reformirten Kirche vom heiligen Abendmal die rechte und wahre seye.* 8.

(3) Vid. eius *bibliotheca theol. tom. V. p. 148 — 157.* ubi scriptum illud Heumannianum recenset, & *tomo VI.to p. 732-762.* ubi scriptorum Heumanniano isti libello oppositorum argumentum proponit. Iungi meretur eiusdem *dissertatio* inscripta: *brevis repetitio & adsertio sententiæ Lutheranæ de præsentia corporis & sanguinis Jesu Christi in cœna sacra*, in qua *primo* quidem argumenta e testimoniis scripturarum ducta, *deinde* illa, quæ a rei natura, hoc est, e natura communi sacramenti petuntur, & postea *tertium* argumentorum genus, quod ab consensu antiquitatis arcessitur, evolvit, & dubitationes percurrit adversus sententiam nostram inventas.

GOTTL. HOFMANNUS, *ille* Lipsiensis, *hic* Wittebergensis academiæ theologus (4). Quibus iungi merentur viri doctissimi, Jo. Jac. PLITT, Ministerii Francofurtensis ad Mœnum Senior, isque de ecclesia ac republica litteraria præclare meritus (5), Jo. DAVIDES CUBE, theologus Berolinensis (6); EHRENFR. LEBR. ALBANI, pastor & consistorii Islebiensis adsessor (7); SAM. GOTTH. LANGE, ecclesiarum & scholarum circuli Salani inspector (8); CHRIST. ANT. FRIDERICI, pastor & superintendens Freyburgensis in Saxonia (9), CHRIST. BAUER, pastor Prataviensis prope Wittebergam (10), &, qui recentissime hac de re egit, venerandus collega noster H. W. CLEMMIUS (11). Accensendi quoque hisce sunt scriptores quidam anonymi, qui in HEUMANNO refutando præclaram posuerunt operam (12).

(4) In scripto: *kurze Antwort auf D. C. A. Heumanns Erweis - - Wittenberg. 1764.* 8. in quo vir celeberr. inconcinnam scripti Heumanniani methodum & argumentorum, queis usus est, infirmitatem ante oculos ponit.

(5) Vid. eius *Beweis, daß die Lehre von dem heiligen Abendmal die rechte und wahre sey, in einer Predigt über 1 Cor. X. 16. abgehandelt, Frankfurt am Mayn*, 8. ubi vir doctiss. nostram doctrinam proponit, probat, & contra dubia, ab HEUMANNO mota, defendit.

(6) In libello egregio & erudito; *Anmerkungen über D. C. A. Heumanns Erweis, daß die Lehre der reformirten Kirche von dem heiligen Abendmal die rechte und wahre sey.* Leipz. 1764. ubi vir iudiciosus examini critico subiicit HEUMANNI argumenta historica p. 13-20. miseras locorum scripturæ exegeses p. 21-24. deinde singulos libelli Heumanniani §phos adnotationibus eximiis persequitur p. 25-90. porro ad eius titulum & præfationem quædam monet p. 90-94. & denique suam ipsius hac de re sententiam exponit p. 95-100. ac parallelismum & differentiam inter Reformatorum & nostram de S. cœna doctrinam in forma dialogi proponit p. 100-fin.

(7) In scripto: *kurze und aufrichtige Anmerkungen über Herrn D. C. A. Heumanns Erweis* &c. Leipz. 1764. 8. ubi & editoris & auctoris in divulganda hac sententia animus consideratur, & argumentorum ab eo in medium prolatorum imbecillitas monstratur.

(8) Vid. eius *Sendschreiben an Herrn Mosche wegen des Heumannischen Erweises.* 1764. 8. in quibus litteris vir doctiss. id maxime agit, ut b. parentem suum a criminatione HEUMANNI, eum crypto-calvinismi hac in parte insimulantis, liberet.

(9) In libello: *Erweis, daß das Vorurtheil, so von dem Ansehen der Gelehrten hergenommen wird, in der Sache des Glaubens kein Gewicht habe, wider den benanten Heumannischen Erweis, mit Beybringung vieler in die Geschichte der Religion einschlagenden Merkwürdigkeiten.* Gotha 1765. 8. Quæ inscriptio ipsa iam satis docet libelli contenta, titulo ex asse respondentia.

(10) In libro: *praktische Prüfung der Gründe, womit Herr D. Heumann unsre Lutherische Abendmals-Lehre bestritten, aus der Patristic und Geschichte dieser Glaubenslehre, worauf er sich berufen, erläutert. Wittenb. und Zerbst* 1765. Vir eruditus, quanti momenti sint Heumanniana, ab humana auctoritate desumta, argumenta, monet, eaque singula ponderat, locis patrum lucem adfundit, ad recentiora etiam Basedoviana dubia respondet, & monita quædam omnino gravia subiungit. Nimirum cel. BASEDOVIUS, ubi de S. cœna sermo ipsi est, eum in modum loqui solet, ut exinde colligi queat, vel animum eius alienum esse ab ea, quam nostra ecclesia tenet, doctrina, vel eum certe æquo animo ferre posse sententiarum de hoc argumento diversitatem. vid. e. g. eius *Philalethie* p. 647.

(11) *Einleit. in die Theologie, tom. V. p. 462-467.*

(12) Huc pertinet libellus maxime satyricus: *Heumanns Erweis - - zweyter Theil, welcher die nöthige Beylagen zum ersten Theile enthält. Heidelberg und Göttingen*, 1764. 8. in quo libello multa absurda, quæ continet scriptum Heumannianum, acri stylo perstringuntur, & ingeniose ac solide ante oculos ponuntur. Nec prætermittendum heic est aliud scriptum, cui titulus: *Eines Ungenannten unpartheyische Warheit und Frieden suchende Gedanken über die Irrungen der evangelisch-Lutherischen mit der reformirten Kirche in dem Punkte des h. Abendmals.* Lindau 1765. 8. Pertinent huc quoque animadversiones & monita, quæ contra scriptum Heumannianum imprimis in *novis litterariis Gœttingensibus part.* 80. A. 1764. data sunt.

Quum, prout ex dictis patet, tot viri eruditi contra HEUMANNUM insurrexerint, eiusque copias profligaverint, non opus esse arbitramur, ut ea, quæ a viris præstantissimis hanc in rem scripta sunt, heic repetamus. Generatim tantum observamus: I.) HEUMANNUM præcipua, quibus nostræ ecclesiæ sententia innititur, fundamenta, maxime exegetica, haud subruisse, nec ostendere potuisse, theologos nostros erroneam dictorum sacræ scripturæ huc pertinentium interpretationem huc usque secutos esse. Nec II.) aliquid novi, quod alicuius esset momenti, in medium adtulisse, sed ea, quæ dudum a theologis nostris fuerunt confutata, denuo recoxisse. Quod speciatim III.) voculam ἐστὶ adtinet, nondum probasse nec probare potuisse virum doctum, quod vocula ista in verbis institutionis per το *significat* verti debeat, sed tantum quod ita verti possit. Nec IV.) locum Joh. VI. 54. seqq. quem is contra nos urget, de sacra cœna agere, ut supra p. 190. seq. recte observavit GERHARDUS. Nec porro V.) ex eo sententiam nostram absurditatis argui posse, quia corpus Christi iam sit in cœlo; tum demum enim id recte opponi nobis posset, si *localem* & *naturalem*, vel (ut cum LEIBNITIO in *litteris ad Jablonskium de unione ecclesiarum protestantium* datis loquamur) *dimensionalem* & *circumscriptivam* corporis & sanguinis Jesu Christi in sacra cœna præsentiam doceremus (13). Prærerea VI.) frustraneam esse operam, quam in ingenti undique congerenda exemplorum & testimoniorum copia posuit HEUMANNUS; neque enim *primo*, quæ solidis argumentis labefactari nequit, gravissimi momenti doctrina auctoritatibus refelli potest humanis; neque *porro* HEUMANNO, ubi testes adducit, tuto potest haberi fides; est vero præterea apud eum is testium adlatorum ordo, ut in conspectum heic prodeant omnis sortis, conditionis & gentis homines, clari & obscuri, litterati & litterarum expertes; profert etiam eiusmodi hominum exempla, qui vel ipsimet solidam doctrinæ nostræ cognitionem sibi comparare non adlaborarunt §§§ LIII. LVIII. LIX. vel ecclesiæ nostræ nunquam addicti fuere, sic e. g. pontifices romanos, GREGORIUM VII. & CLEMENTEM VI. nec non ecclesiam Anglicanam catalogo huic inseri §§. XLVIII. & XLIX. mireris; iterum alios adlegat, qui quasi in diluculo illucescentis iterum veritatis viventes satis caute, circumspecte & determinate loqui nondum poterant, ad quos pertinet e. g. URBANUS REGIUS; quæ vero de summis iisque adeo probatis ecclesiæ nostræ theologis, de MELANCHTHONE, STRUVIO, MUSÆO, SPENERO, BUDDEO, BAUMGARTENIO, LANGIO, adserit, eorum falsitatem & ipsorum scripta & eorum defensiones hac occasione editæ demonstrant (14). Observamus VII.) nihil momenti habere Lutheranorum ad Reformatos transgressorum exempla ab HEUMANNO cumulata, cum facili opera probari hac ratione posset, verum esse pontificiorum de transsubstantiatione dogma, quia multi sunt, qui & ex nostræ ecclesiæ sinu & a Reformatis in pontificiorum castra transierunt. Accedit, quod æque facile in medium proponi possint Reformatorum exempla, qui nostram amplexi sunt sententiam, & falsum plane sit, quod HEUMANNUS §. LXIX. in *nota* adserit, BERNHARDUM (*in der curieusen Historie der Gelehrten*) adfirmare, se ne unicum quidem nosse, qui relicta Reformatorum ecclesia Lutheranis adscripserit nomen suum; cum idem BERNHARDUS ipse indubitata adferat exempla, veluti utrumque

(13) Quod argumentum inprimis solide evolvit doctissimus CUBE lib. cit. p. 36 - 48.

(14) Ita e. g. S. ven. IOH. GEORG. WALCHIUS, b. BUDDEI vindicias dedit peculiari scripto, cui titulus: *Widerlegung des Heumännischen Erweises, daß die Lehre der reformirten Kirche von dem heiligen Abendmal die rechte und wahre sey, insbesondere der darinnen befindlichen Beschuldigung gegen den Herrn D. Buddeum.* Jena 1765. 8. in quo egregio scripto etiam alios theologos, & antiquiores & recentiores defensos reperies. b. Parentis sui defensionem egit cel. SAM. GOTTH. LANGE l. cit. Falsitatem eorum, quæ de STRUVII, Senioris Magdeburgensis, hac in re cum Reformatis consensu memorat, ex ipsis actis publicis ostendit laud. CUBE lib. cit. p. 71-77.

que HUBERUM, parentem & filium, & ZIMMERMANNUM. Denique VIII.) loca, quæ ex TERTULLIANO & AUGUSTINO adfert HEUMANNUS, ita sunt comparata, ut hic posterior plane hac de re non agat, prior autem, si recte inspiciatur & cum aliis eiusdem locis parallelis conferatur, huc pertrahi nequeat; id quod supra p. 175. & a b. GERHARDO & a nobis in addita *nota* ostensum fuit. Præterea sunt alia, & inter hæc etiam antiquiora, quæ HEUMANNO opponi possunt, IRENÆI, IGNATII, JUSTINI MARTYRIS (15), CHRYSOSTOMI aliorumque loca, illustria omnino & insignia, de quibus vero non opus est ut hic agamus, cum ea partim a GERHARDO, partim a nobis in *notis* subiectis p. 174 - 178. exhibita sint & in lucem posita. Hæc sunt, quæ de recentissimo hoc phænomeno in rerum præsentia commemoranda esse existimavimus.

* * *

Missa igitur controversia *Heumanniana*, de dogmate TRANSSUBSTANTIATIONIS, de quo supra *cap. XII.* contra pontificios copiose disputavit GERHARDUS noster, paucula quasdam observationes historico-theologicas, argumento huic illustrando inservientes, hoc adspergemus. Notamus itaque *I)* antiquissimos cœtus christiani doctores suam hac de re mentem in scriptis suis subinde tam confuse nec non obscure exposuisse, ut exinde facile colligi queat, eos plurimum hoc fluctuasse (1), & mox *praesentiam* realem corporis & sanguinis Christi, mox symbolorum eucharisticorum in illa *mutationem*, vel *realem*, vel *metaphoricam*, mox vero nudam corporis & sanguinis Christi *figuram* statuisse. Eorum hanc in rem effata in unum collegerunt ex ecclesiæ Romanæ sociis ROBERTUS BELLARMINUS (2), supra a GERHARDO notatus (3) atque JAC. DAVIDES PERRONIUS, ambo patres purpurati, itemque ex JANSENII in Gallia adsecliis ANTON. ARNALDUS, PETR. NICOLIUS cæterique auctores *perpetuitatis fidei* (4), quibus, præter alios, PETR. DE MARCA (5), archiepiscopus quondam Parisiensis, iungi meretur. Ex ecclesiæ vero reformatæ theologis hocce labore defuncti sunt PHILIPPUS MORNÆUS (6), EDMUNDUS ALBERTINUS, JO. CLAUDIUS aliique, quos alibi nominavimus (7). Hisce ex antiquioribus nostræ ecclesiæ doctoribus ad latus ponimus CHEMNITIUM atque GERHARDUM nostrum, itemque ex recentioribus BUDDEUM, PFAFFIUM, WALCHIUM, DEYLINGIUM, aliosque

(15) Hic locus memoratu inprimis dignus est, quia exstat in scripto apologetico adeoque publicæ confessionis vim sustinet. Hinc omnino operæ pretium erat, ut contra obiectiones SCULTETI eum nuper tueretur S. Ven. D. T. J. REUCHLINUS, theologus Argentoratensis, in *Justini martyris extantiorum doctrinæ momentorum portione secunda* p. 22. 59.

(1) Idem iam supra in *adnotationibus* nostris ad GERHARDUM *p. 221.* observavimus, adductis hanc in rem CHEMNITII nostri verbis.

(2) Fecit id BELLARMINUS *libr. II.* & *III. de sacramento eucharistiæ.*

(3) Vid. supra *cap. XII.* §. *CXXXVIII. p. 244. seqq.*

(4) de hisce auctoribus supra in *notis* ad GERHARDUM *p. 244. seqq.* abunde disseruimus.

(5) Huc pertinet eiusdem *traité du sacrement de l' eucharistie.* Scripsit quoque anonymus quidam Gallus *traité de la transsubstantiation*, qui pariter huc referri potest. Uterque libellus exstat in collectione quadam, quæ hac insignita inscriptione Roterodami *MDCCXIII.* prodiit: *recueil de divers traités touchant l' eucharistie, p. 297. seqq.*

(6) Fecit hoc MORNÆUS *libr. IV. de sacra eucharistia, cap. IV. seqq.*

(7) De ALBERTINO, CLAUDIO aliisque legenda, quæ in *notis* nostris ad GERHARDUM *p. 220. seqq.* diximus.

ſupra iam laudatos (8). Addimus *II)* & hoc, in ipſis conciliis nihil hac de re fuiſſe definitum, ante ſeculum octavum. Conſtat, totum fere hoc ſeculum exercuiſſe famoſam de cultu imaginum controverſiam, variaque iſto ævo hac ipſa in cauſſa habita fuiſſe concilia, in quibus & ſubinde de ſacra euchariſtia aliquid ſuit definitum. Huc pertinent duo concilia in oriente celebrata, alterum ab *iconomachis*, quos vocant, anno *DCCLIV.* alterum vero ab *iconodulis* ann. *DCCLXXXVII.* celebratum, quod *Nicaenum* II. alias adpellari ſolet. In *priori* illo determinatum fuit, ſacram euchariſtiam eſſe duntaxat imaginem quandam corporis Chriſti (9); in *altero* autem, ipſum corpus Chriſti adeſſe in euchariſtiæ ſacramento (10), fuit definitum. Jam vero, ubi *III)* ad hiſtoriam ſeculi noni progredimur, ævique iſtius evolvimus monumenta, varias easque ſibi repugnantes rurſus deprehendimus ſententias. Ipſe CAROLUS M., exſpirante ſeculo octavo occidentis imperator proclamatus, diligens alias ſcripturarum lector, ſibi hac in re non ſatis conſtitit. Mox enim negavit, corpus & ſanguinem Chriſti duntaxat in imagine adeſſe in ſacra cœna (11); mox vero diſertis verbis adſeruit, *Chriſtum panem fregiſſe & calicem dediſſe diſcipulis ſuis* IN FIGURAM *corporis & ſanguinis ſui* (12). Sub LUDOVICO PIO, qui CAROLO M. parenti ſuo ſucceſſit, duo floruere ſcriptores haud incelebres, AMALARIUS (13) nimirum, & FLORUS *magiſter* dictus, *ille* Metenſis diaconus, &, ut nonnulli volunt, tandem epiſcopus, vel, ut CAVEUS obſervat, chorepiſcopus; *hic* vero diaconus Lugdunenſis. Quod ad Amalarium attinet, de eius quidem circa euchariſtiam fide diſputant adhuc viri eruditi (14). Nos tamen ſatis luculenta in eius

(8) Diſſeruimus de iis in *notis* ad §. *CXXXI. p. 220. ſeqq.*

(9) Verba, quæ in origine græca leguntur, ſunt τύπος, εἰκών.

(10) Vid. *act. VI.* huius concilii, quod' in *actis concilior. tom. VIII. col. 1097. ſeqq.* edit. Venetæ, exſtat.

(11) Vid. CAROLI M. *libr. II. de imaginibus contra ſynodum Nicænam, cap. XXVII.*

(12) Leguntur hæc verba in *epiſt. de ratione ſeptuageſimæ & ſexageſimæ & quinquageſimæ ad* ALBINUM *abbatem.* Vid. eius *opera col. 1150.* ex edit. ANDR. QUERCETANI, itemque *ſcriptores de divinis officiis* a MELCHIORE HITTORPIO evulgatos, *fol. 100. a.*

(13) Probe diſtinguendus eſt hicce AMALARIUS, chor-epiſcopus Metenſis, ab alio quodam AMALARIO, epiſcopo Trevirenſi, cuius SPANHEMIUS *hiſt. eccleſiaſt. ſec. IX. cap. XIII. col. 1404.* facit mentionem. Exſtant quidem in collectione Hittorpiana, quam modo excitavimus, *fol. 101. ſeqq.* ſub nomine AMALARII FORTUNATI, epiſcopi Trevirenſis, ad LUDOVICUM PIUM imperatorem, *de officio eccleſiaſtico* libelli quatuor, quibus *fol. 263.* ſubiungitur liber *de ordine antiphonarii.* Nemo tamen eruditorum hodie dubitat, iſtos libellos non ab AMALARIO *Trevirenſi*, cui HETTIUS ſucceſſit, ſed ab altero, *Metenſi* nimirum, cuius ſupra mentio facta eſt, ſcriptos fuiſſe, quod & ipſe prologus *antiphonarii* innuere videtur. Vid. MASENII *notas* ad BROWERI *annales Trevirenſes, tom. I. fol. 625.* Floruit proinde AMALARIUS noſter temporibus LUDOVICI PII atque HETTII, archiepiſcopi Moguntini, idemque eſt, qui varias obiit legationes, atque apud imperatores CAROLUM M. LUDOVICUM PIUM & CAROLUM CALVUM in maxima olim fuit gratia.

(14) JAC. USSERIUS in *hiſtoria Gotteſchalci, cap. VIII. p. 133. ſeqq.* AMALARIUM noſtrum *transſubſtantiationis* adſertorem fuiſſe, adſerit. EDMUNDUS vero ALBERTINUS eundem iis accenſet, qui nudam corporis & ſanguinis Chriſti *figuram* in ſacra euchariſtia olim ſtatuerunt. Vid. eiusdem opus *de ſacram. euchariſtiæ, libr. III. p. 925.* Alii, veluti GILBERT. MAUGUINUS & ANTONIUS ARNALDUS, eundem in claſſem *Stercoraniſtarum* referendum eſſe cenſent. Vid. huius *la perpetuité de la foy de l' egliſe catholique touchant l' euchariſtie defendüe* &c. *libr. VIII. cap. XI. p. 870.* ubi ait, *qu' Amalarius, à la verité a eté Stercoraniſte, mais que pourtant jamais perſonne n' a enſigné plus formellement la preſence reelle que lui.* Conferri quoque heic meretur CLAUDII *réponſe*

scriptis deprehendimus loca, ubi haud obscure docet, panem & vinum consecrari in sacramentum, seu *sacrum signum & figuram corporis & sanguinis domini, idque ipsius absentis* (15). Adversarium vero nactus est FLORUM Lugdunensem, seculo nono clarum (16), qui tum in aliis materiis, tum præcipue in argumento de eucharistia se eidem opposuit, pluresque contra eum epistolas exaravit (17). Deprehenduntur tamen passim in eiusdem scriptis eiusmodi loca, ex quibus colligere licet, eum a sententia eorum, qui sensum verborum institutionis figuratum esse contendunt, propius abfuisse (18). Alia plane mens fuit PASCHASII RADBERTI (19), gente Galli, monachi primum, post abbatis Corbeiæ, non Germanicæ illius in Saxonia, sed Gallicanæ in diœcesi Ambianensi. Is enim primus monstrosam transsubstantiationis doctrinam disertis

au livre de Mr. Arnaud, intitulé: la perpetuité de la foi defendue, & quidem, *libr. VI. cap. XI. p. 874. seqq.*

(15) Vid. ALBERTINUM *loc. cit. libr. III. p. 925. seqq.* ubi AMALARIUM hanc sententiam cum RHABANO tenuisse, ex illius scriptis, verb. grat. *de officio eccles. libr. I. cap. XII.* & *XV. libr. III. cap. XXIII.* & *XXXIX.* itemque de *ordine antiphonario cap. IX.* &c. comprobare adnititur. Non diffitemur quidem, AMALARIUM de eucharistia subinde tam obscure locutum esse, ut quænam vera ac genuina eius de hoc argumento fuerit sententia, vix intelligi queat. Alia tamen in eius scriptis deprehenduntur loca, quæ sunt clariora. Huc referimus præter alia verba ista, quæ in eiusdem *eclogis in ordinem Romanum* leguntur. Has *eclogas* post BALUZIUM in *adpend. ad capitularia regum Franciæ, tom. II. musæi Italici p. 549. seqq.* edidit JO. MABILLONIUS. Heic, & quidem §. *XIX.* suam hac de re mentem ita effert AMALARIUS, ut aiat, *in corporis & sanguinis Christi typo hodie ecclesiam panem & vinum offerre in consideratione corporis & sanguinis domini.* Nemo non videt, hæc verba ab eo duntaxat proficisci posse, qui *figuram* tantum *corporis & sanguinis domini* in sacra cœna statuit.

(16) Hic ipse FLORUS, seculo IX. clarus, probe distinguendus est ab alio FLORO, monacho S. Trudonis in diœcesi Leodiensi, qui circa ann. *DCCLX.* floruit.

(17) FLORUM magistrum plures contra AMALARIUM epistolas exaratse, testantur MABILLONIUS, modo nobis laudatus, in *comment. in ord. Rom.* qui exstat *tom. II. musæi Italici, p. 4. seqq.* itemque auctores *perpetuitatis fidei, tom. I. sect. II. p. 26.*

(18) Provocamus, ut adserto nostro conciliemus fidem, ad eiusdem *commentarium, seu expositionem in canonem missæ*, cum aliis quibusdam

FLORI opusculis in *biblioth. patr. tom. XV. p. 16.* exstantem. Pleniorem vero eiusdem editionem dedit EDMUNDUS MARTENE, *tom. IX. monumentorum, col. 580. seqq.* Non patitur instituti nostri brevitas, ut loca quæ in hocce opusculo passim occurrunt ac figurato verborum institutionis sensui favent, heic adducamus in medium, siquidem sunt longiora. Exhibent tamen ea EDMUNDUS ALBERTINUS atque JACOB. BASNAGIUS, *ille* quidem in opere sæpius iam laudato *de sacramento eucharistiæ, libr. III. fol. 935, 936.* *hic* vero in *histoire de l' église, tom. II. libr. XVI. cap. VIII. fol. 937.* Legitur quoque in *homiliario ecclesiæ Lugdunensis*, cuius auctor, observante MABILLONIO, est FLORUS, locus isque satis insignis, in quo corpus Christi in cœlis distinguitur a corpore Christi eucharistico, cuius *figura* sit panis. Vid. laudatiss. MABILLONIUM ad *sec. IV. Benedict. part. II. §. V. n. 7.* Alium locum, qui ad argumentum hoc spectat, ex FLORI *opusculo adversus* AMALARIUM, cuius fragmentum MORNÆUS & BLONDELLUS, integrum vero e codicibus manuscriptis MARTENE & DURANDUS exhibent, recitavit b. cancell. PFAFFIUS in dissert. *de Stercoranistis medii ævi tam Latinis, quam Græcis, p. 8.*

(19) Probe distinguendus est hic ipse PASCHASIUS RADBERTUS, seculo IX. clarus, ab alio PASCHASIO ecclesiæ Romanæ diacono, qui ineunte seculo sexto floruit. Vitam nostri PASCHASII dederunt JAC. SIRMONDUS, qui eandem *operibus* ipsius Parisiis an. *MDCXVIII.* fol. editis præmisit, HUGO MENARDUS, cuius de hoc argumento commentatio *actis sanctorum Antverpiens.* d. 26. April. fuit inserta, & JO. MABILLONIUS, qui in *actis sanctor. ord. Bened. sec. IV. part. II. fol. 126. seqq.* pleniorem vitæ PASCHASII nostri notitiam nobis suppeditavit. Conferenda, quæ JAC. BASNAGIUS in *histoire de l' église tom. II. f. 909. seqq.* de eo adnotavit.

disertis verbis adstruxit, eandemque in systematis formam redegit. Fecit id in libello notissimo *de sacramento corporis & sanguinis Christi* (20), cui abs se revisо epistolam dedicatoriam, ad CAROLUM CALVUM imperatorem directam, præfixit (21). Ast imperator, portentoso hoc dogmate perculsus, binis viris doctrinæ atque ingenii fama celeberrimis, RATRAMNO, qui & BERTRAMNUS alias dicitur, Corbeiensi pariter in Gallia monacho, itemque Jo. SCOTO ERIGENÆ in mandatis dedit, ut doctrinam de sacra cœna, quam corrupisse RADBERTUS videbatur, in peculiaribus scriptis uberius exponerent, quod, ut supra iam observavimus (22) factum ab ipsis est. Fuerunt vero præter RATRAMNUM & SCOTUM alii quoque istius ævi scriptores, qui RADBERTO sese opponerent. Eminent ex iis, qui hoc fecerunt, RABANUS MAURUS, archiepiscopus Moguntinus, supra iam nobis laudatus (23) atque HERIBALDUS (24), Autissiodorensis episcopus; ut alios taceamus. Reliqua, quæ ad fata dogmatis de transubstantiatione spectant, studio heic prætermittimus, siquidem de iis in *notis* nostris ad

(20) In hocce libello *transubstantiationem*, non vero *præsentiam realem*, uti doctores quidam reformati volunt, (hæc enim inde a primis ecclesiæ christianæ temporibus subinde fuit credita,) pressius docuit PASCHASIUS RADBERTUS. Summam doctrinæ Paschasianæ in materia eucharistica exhibet FRID. SPANHEMIUS in *histor. sacra atque ecclesiast. operibus* eius iunctim editis inserta, ad *sec. IX. cap. X. §. 3. seqq. col. 1375. seqq.* rectèque addit, ex toto PASCHASII opusculo supra a nobis adlegato, itemque ex commentariis eius in *XXVI. cap. Matthæi*, nec non *epistola* ad FRUDEGARDUM aperte liquere, „prælusisse Paschasium „ doctrinæ deinceps sancitæ a Latinis de *trans-* „ *substantiatione* panis & vini eucharistici, deque *sacrificio Missatico*, vero illi ac propitiatorio„. Eius opera in unum collecta evulgasse *Sirmondum* not. (*19*) iam observavimus. Exinde relata sunt in *biblioth. patr. maximam, tom. XIV. fol. 356.* Quod speciatim eius libellum *de sacram. corp. & sanguinis Christi*, attinet, is sæpius seorsim typis fuit exscriptus. Recentissimam eandemque adcuratiorem eius editionem dederunt MARTENE & DURANDUS *tom. IX. collect. vet. script. col. 378. seqq.* Licet vero, quod paucis subiungimus, PASCHASIUS in hocce opusculo transubstantiationis doctrinam haud obscure docuerit, voce tamen *transubstantiationis* usus haud est, quæ, ut supra *p. 230.* iam monuimus, seculo demum duodecimo usurpari cœpit. Vid. COSINI, episcopi Dunelmensis Angli, *historiam transubstantiationis papalis*, *cap. VII. §. 17. p. 146.* Nonnulla quoque in eo occurrunt loca, speci im *cap. IV. VII. X.* alibique, quæ a recepta hodie ecclesiæ Romanæ de eucharistia doctrina prorsus abiudunt; prout viri eruditi dudum observarunt. Evolvi heic in primis meretur ALBERTINUS, sæpius iam a nobis excitatus, *libr. III. de sacram. eucharist. p. 918. seqq.* Add. b. cancell. PFAFFII differt. *de stercoranistis medii ævi p. 9. not. (l)* & *(m)*.

(21) Epistolam hanc dedicatoriam ad imperatorem directam exhibent MABILLONIUS *loc. cit. fol. 126.* itemque MARTENE in *collect. vet. scriptor. col. 374. seqq.*

(22) Vid. *notas* nostras ad GERHARDUM, *p. 229.* ubi tum de RATRAMNO, seu, ut ab aliis vocatur, BERTRAMNO, nec non Io. SCOTO ERIGENA eorumque hanc in rem scriptis nonnulla diximus. Libellus RATRAMNI *de corpore & sanguine Christi* sæpius typis fuit exscriptus atque in linguas quoque Anglicanam & Gallicam conversus. Præcipua vero editio latina Parisiis ann. *MDCCXII.* lucem adspexit publicam, cui JAC. BOILEAU, theologus quondam Parisiensis, præfationem notasque amplissimas adiecit. De auctore huius libri, eiusque fide, nec non iis, qui eundem confutarunt, legenda, quæ b. canc. PFAFFIUS in *dissertatione anti-Rogeriana p. 27. seqq.* itemque in *dissertat. de stercoranistis p. 10. not. (r)* adnotavit.

(23) De RABANO MAURO supra in *notis* nostris *p. 229* disseruimus. Eundem contra PASCHASIUM calamum strinxisse, auctor est anonymus in libello *de corpore & sanguine domini*, quem primum evulgavit atque *historiæ Gottescalci* Parisiis *MDCLV.* fol. abs se editæ, subiunxit LUDOV. CELLOTIUS, Iesuitarum sodalitati adscriptus.

(24) Nihil ex HERIBALDI scriptis ad nostram pervenit ætatem. Eundem vero PASCHASIO se se opposuisse, idem anonymus, quem modo excitavimus, commemorat.

ad GERHARDUM abunde iam diſſeruimus. Id unicum, quod ibidem haud commemoravimus, heic adiungimus, nimirum, quod ii, qui de præſentia corporis ac ſanguinis Chriſti in ſacra cœna olim inter ſe diſceptarunt, invidioſis mutuo ſeſe conſectariis, ut in diſputationibus ſubinde fieri ſolet, oneraverint. Principem inter ea locum obtinet illud, cui ſeculo undecimo putidum *ſtercoraniſmi* nomen fuit inditum (25). Qui cum RADBERTO ſola accidentia panis & vini poſt conſecrationem remanere in ſacra euchariſtia contendebant, ex adverſariorum opinione hoc conſequi perhibebant, *ſacramentum euchariſtiae in paſtum redigi, atque hinc feceſſui obnoxium* eſſe. Ex altera vero parte ii, qui, præter figuram corporis & ſanguinis Chriſti, nil niſi panem & vinum in ſacra cœna eſſe ſtatuebant, ex doctrina de transſubſtantiatione a RADBERTO aliisque defenſa hoc conſectarium ſponte fluere contendebant, ipſum *corpus Chriſti* ventre cum reliquis fæcibus eiici. Nemo non videt, hunc poſteriorem *ſtercoraniſmum* longe periculoſiorem eſſe altero illo, ſecundum quem ſolus panis euchariſticus feceſſui obnoxius ſtatuitur. Ipſum tamen *ſtercoraniſmum* fictum crimen eſſe, a nemine eorum, qui contentionis ferram heic reciprocarunt, olim admiſſum, iudicant viri quidam docti (26). Licet vero, quod haud inficiamur, *ſtercoraniſmi* imputatio fortaſſis in eos cadere poſſit, qui converſionem panis & vini in corpus ſanguinemque Chriſti ſtatuunt; neutiquam tamen in illos cadit, qui converſionem iſtam diſerte negant, ut ut veram ac realem præſentiam corporis ſanguinisque Chriſti in ſacra cœna profiteantur. Ex horum enim ſententia corpus Chriſti, idque glorificatum, non organicum, *ſacramentaliter* tantum pani eſt unitum in ipſo uſu, & *ſpiritualiter* duntaxat, non modo *capernaitico* accipitur, nec *naturaliter*, *dimenſionaliter* & *phyſice*, ſed ſolum *ſupernaturaliter* præſens eſt (27). Quod ſi itaque quid cum fæcibus ventre eiiciatur, nonniſi *panis* eſt, profecto non amplius *ſacramentalis*.

(25) Fuerunt equidem iam ſeculo nono haud pauci, qui ſtatuerent, ſtante transſubſtantiationis doctrina, quam RADBERTUS propugnavit, ſponte conſequi, corpus Chriſti ventre cum reliquis fæcibus eiici. Aſt ipſum *ſtercoraniſtarum* nomen iſto ævo nondum erat natum, ſed ſeculo demum undecimo uſurpari cœpit. Primus, cui hoc convitium impactum legimus, fuit BERINGARIUS, archidiaconus Andegavenſis, lite de ſacra cœna celeberrimus. Etſi enim GUITMUNDUS, archiepiſcopus Averſanus, qui ſe in peculiari ſcripto *de veritate corporis & ſanguinis Domini in euchariſtia* BERINGARIO oppoſuit, hocce vocabulo uſus non ſit, tamen DURANDUS, abbas Toarnenſis, qui circa annum *MLXX.* claruit, in *tractatu de corpore & ſanguine Domini* &c. *part. I.* eodem uſus eſt. Idem ALGERVM, Leodienſem diaconum & ſcholaſticum, ſeculo XII. clarum, qui *libros tres de ſacramento corporis & ſanguinis domini adverſus Berengarium* ſcripſit, feciſſe deprehendimus. Is enim *loc. cit. libr. II. cap. I.* ſequentem in modum ſcribit: *Ex hac ipſa viſibili & corporali comeſtione naſcitur hæreſis fœdiſſima* Stercoraniſtarum. *Dicunt enim, tantum ſacramentum, ſicut corporali comeſtioni, ſic & feceſſui eſſe obnoxium. Volunt autem hæc adſtruere cum multis argumentis, tum ipſius Chriſti teſtimonio, ita in evangelio dicentis:* Omne, quod intrat in os, in ventrem vadit & in feceſſum emittitur, *cum conſtet, hoc eum dixiſſe non de ſpirituali cibo, ſed de communi & carnali.* DURANDI atque ALGERI veſtigia in ſubſequentibus temporibus alii quoque ſunt ſecuti, inprimis THOMAS NETTERUS, *Waldenſis* a natali loco adpellatus, ſeculo XV. clarus, in *doctrinali antiquitatum fidei eccleſiæ catholicæ*, adverſus Wiclevitas & Huſſitas, *tom. II. cap. XIX. XXVI. LII. XC.* ubi & *Stercoraniſtas Heribaldianos* nuncupat. Qui plura de *Stercoraniſtis* legere voluerit, adeat JO. MABILLONIUM in *præfat. ad ſec. IV. Benedict. part. II. p. 21.* JAC. BASNAGIUM in *hiſt. de l' égliſe, tom. I. p. 926. ſeqq.* HOPKINSIUM, canonicum Vigornienſem Anglum, in *diſſertat. I.* ad *Ratramnum*, cuius verſio gallica Roterod. *MDCCXVII.* 12. prodiit. & b. canc. PFAFFIUM, tum in *diſſertat. anti-Rogerianæ p. 56.* tum in *inſtitut. hiſt. eccleſiaſt. p. 387.* edit. ſecundæ; tum denique in diſſertat. ſæpius iam excitata de *Stercoraniſtis medii ævi*, quæ Tubing. *MDCCL.* typis fuit exſcripta.

(26) Vid. b. cancell. MOSHEMII *inſtitut. hiſt. eccleſiaſt. antiquæ & recentioris, ſec. IX. §. XXI. p. 343.*

(27) Vid. *formulam concordiæ p. 755, 756. edit. Rechenberg.*

* * * *

Iis, quæ de *transsubstantiationis* dogmate hactenus disseruimus, de *consecratione eucharistica* pauca iam subiungemus. Copiose hocce argumentum pertractavit b. GERHARDUS noster integro capite XIII. quod nostris observationibus passim illustravimus. Speciatim in *notis* ad §. *CXLVIII. p. 265. seqq.* ostendimus, quo modo consecratio tum ab ipso Christo sanctissimisque eius legatis, tum ab iis, qui post ævum apostolorum vixerunt, christianis tam orientalibus, quam occidentalibus, olim fuerit peracta. Tandem & nostræ ecclesiæ de hoc argumento sententiam (1), quæ pontificiorum transsubstantiationem prorsus excludit, paucis exposuimus. Ea scilicet huc redit, per preces symbola eucharistica ad sacrum usum destinari, per verba institutionis vero, ACCEDENTE USU, corpus & sanguinem Christi cum pane & vino uniri. Unde & laudatissimus GERHARDUS dixit, aliam esse consecrationem *humanam* & *praeparatoriam*, quæ per preces fiat; *divinam* aliam, quæ fiat per verba institutionis a ministro ecclesiæ pronunciata. Hæc enim non *historice* duntaxat & *recitative*, sed *operative*, utpote cum virtute Spiritus sancti supernaturali coniuncta proferri. Idem emphatice docuit b. LUTHERUS (2), cuius vestigia auctores *formulae concordiae* (3) aliique theologi (4) sunt secuti.

Sed alia superest quæstio, quam supra, ubi de consecratione eucharistica verba fecimus, intactam reliquimus, nimirum hæc: *an illa verborum institutionis recitatio, quae distributioni symbolorum eucharisticorum praemitti solet, sit illa consecratio, quae mox corpus sanguinemque Christi praesentia fiat? an vero opus hoc sit* APPLICATIONE *verborum institutionis ad singulos communicantes, ita quidem, ut, si haec defecerit, ipsa sacramenti defecerit ratio, si vel maxime usus accesserit?* Si b. LUTHERI scripta evolvamus, deprehendimus, eundem primum in ea stetisse sententia, statim post recitata institutionis verba ponendam esse realem corporis sanguinisque Christi præsentiam (5); sed postea, re penitius perspecta, aliam iniisse viam, sententiamque PHIL. MELANCHTONIS (6) adoptasse, statuentis, in ipso demum usu sacræ cœnæ præsentiam realem corporis Christi se se exserere; licet das NU DER DIRMUNG, sive momentum illud, quo corpus Christi in sacra cœna esse incipiat, determinari haud possit

(1) Vid. supra *p. 268.*

(2) Fecit id LVTHERVS *tom. III. oper. Jenens. Germ.* im *Bekæntniß vom Abendmahl, fol. 446, 447.* & *tom. VI. oper. Jen. Germ.* in *dem ersten Theil der Predigt von unserer heil. Tauf, f. 283.*

(3) Vid. *form. concord. p. 747. seqq.* edit. Rechenberg.

(4) Evolvi heic meretur b. cancell. PFAFFIVS, tum in *dissert. de consecratione veterum eucharistica* §. *XV.* tum in *dissertat. de fragmentis Irenæi anecdotis*, SCIPIONI MAFFEIO opposita, quæ *primit. Tubing.* insorta est, *p. 231. seqq.* ubi non tantum LVTHERI, sed & aliorum nostræ ecclesiæ theologorum sententiam uberius exposuit.

(5) Vid. LVTHERI *kurzes Bekæntniß von dem heil. Abendmahl*, quæ ann. *MDXLIV.* prodiit, *tom. VIII. oper. Jen. Germ. f. 182.* Add. eiusdem *sermonem contra Suermeros*, anno *MDXXVI.* habitum, ubi insinuare videtur, pontificios corpus Christi vere in sacramento habere, idque circumgestare, licet hoc sine mandato divino faciant.

(6) MELANCHTON suam hac de re sententiam in *epistola ad* VITVM THEODORVM perscripta extulit. Idem quoque in comitiis Ratisbonensibus anno *MDXLI.* contra ECCIVM disputans, adseruit, *sacramenta novi testamenti esse actiones a Christo institutas, nihilque habere rationem sacramenti extra usum legitimum, denique in ipso usu cœnæ promissionem de praesentia & communione corporis Christi non ad symbola, sed ad sumentes pertinere, sicut verba cœnæ non propter panem, sed propter hominem recitentur.*

sit (7); tempus enim consecrationis non mathematica, sed physica latitudine atque ἐν πλάτει spectandum esse. Atque inde ab hoc tempore semper hæc apud ecclesiæ nostræ doctores obtinuit sententia, totam actionem sacramentalem ad id requiri, ut effectus consecrationis sequatur. Equidem in eo differre inter se videri poterant theologi nostri, quod nonnulli verbis institutionis, non precibus, consecrationem adscribant, quum contra alii cum verbis institutionis preces velint coniunctas, Christumque adserant iisdem consecrasse. Priorem sententiam amplexi sunt MARTINUS CHEMNITIUS (8), LEONH. HUTTERUS (9), CASP. ERASMUS BROCHMANDUS (10), theologus Hafniensis, HÜLSEMANNUS (11), HORNEIUS (12), APFELMANNUS (13), theologus quondam Rostochiensis, GEORG. KOENIGIUS (14), IO. AD. OSIANDER (15), cancellarius quondam Tubingensis, atque AUGUSTUS PFEIFFERUS (16); ut alios taceamus. Posteriorem autem sententiam GERHARDUS noster (17), IO. CONRAD. DANNHAUERUS (18), theologus quondam Argentoratensis, BALTHASAR MEISNERUS (19), DORSCHÆUS (20), QUENSTEDIUS (21), SEBAST. SCHMIDIUS (22), AUG. VARENIUS (23), & vel maxime IOACH. HILDEBRANDUS (24), theo-

(7) Vid. *tom. IV. operum* LVTHERI *Jenens. Germ. fol. 378.* & *tom. VI. Jen. Germ. fol. 283.* Ex reliquis theologis, qui in eandem cum LVTHERO descenderunt sententiam, sufficiat heic nominasse IO. ADAMVM SCHERZERVM in *breviario theol. Hülsemann. enucleato, cap. XIII. p. 858. seqq.* & PHIL. JAC. SPENERVM, qui sequentem in modum pronunciat: *Wie Zeit und das Moment, in welchem der Leib und das Blut des Herrn anfange mit Brod und Wein vereiniget zu werden, und wenn solche Vereinigung aufhöre (indem endlich Brod und Wein dasjenige in dem Leib begegnet, was anderer natürlicher Speiß und Tranck zu begegnen pfleget, da ja Christi Leib und Blut nicht mit vereiniget syn kan, obwohl der Augenblick, wenn solches geschehe, nicht determiniret wird) zu forschen, würde ein unziemlicher Fürwiz und der christlichen Einfalt nicht gemäß syn. Ist eben das Urtheil*, ita pergit SPENERUS, *das mein seeliger Præceptor Herr D. Dannhauer, und vor ihm der berühmte Herr D. Gerhard auch gegeben: Wie denn jener hieher zu ziehen pflegte, daß es auch hie heissen möge: Es gezieme sich uns nicht zu wissen Zeit und Augenblick, welche der Vater seiner Macht vorbehalten habe. Die christliche Bescheidenheit, wo sie in allen denen Fragen, welche in Gottes Wort nicht klar ausgemacht sind, beobachtet würde, wære das Mittel, damit sehr viele unnütze und ærgerliche Streite unterblieben.* Vid. eiusdem *deutsche theologische Bedenken, part. III. p. 75.*

(8) Vid. CHEMNITIVM in *examine concilii Trident. part. II. libr. IV. sect. I. can. I. §. 5. seqq.*

(9) in *locis theolog. fol. 726.*

(10) in *system. theolog. f. 463.*

(11) in *extens. brev. theolog. cap. XIII. §. 8.*

(12) in *compend. theolog. p. 393. seqq.*

(13) in *syntagm. exercitat. academ. part. I. p. 910.*

(14) in *casib. conscient. p. 491. seqq.*

(15) in *theolog. casuist. part. III. p. 537. seqq.*

(16) in *informat. consc. eucharistico p. 243, 244.* ubi singularem hanc adoptavit sententiam, *per verba institutionis ante distributionem recitata, non per ea, quæ in distributione dicantur, consecrationem fieri.*

(17) Vid. GERHARDUM in loco *de sacra cœna, cap. XIII. p. 261. seqq.*

(18) in *doctrina de sacram. p. 467, 468.*

(19) in *doctr. orthod. de sacramentis, p. 149.*

(20) in *pentadec. dissert. theolog. p. 280.*

(21) in *antiquit. biblicis & ecclesiast. p. 393. seqq.*

(22) in tract. *de principiis seu fundamentis corporis & sanguinis Christi in sacra cœna p. 164, 165.*

(23) in *brev. theolog. p. 798.*

(24) in *theologia dogmat.* Helmstad. *MDCXCII.* edita, *p. 723. seqq.* ubi scribit, ad consecrationem verba institutionis & preces *correquiri. Horum alterum si absit*, (ita pergit HILDEBRANDUS) *consecratio est nulla. Quod per hæc verba*: Hoc est corpus & sanguis meus, *Christus panem & vinum non consecrarit, inde patet, quod, antequam Christus hæc verba proferret, panis & vinum iam erant benedicta, quia benedictio ante hæc verba iam erat peracta.*

theologus olim Helmſtadienſis, propugnarunt; quibus PHIL. IAC. SPENERUS (25), PETR. ZORNIUS (26), atque ex iureconſultorum ordine CHRISTIAN. THOMASIUS (27), ſuum adiecerunt calculum. Verum facile in concordiam redigi poſſunt binæ hæ ſententiæ in ſpeciem diverſæ, ſi cum theologis, qui totam rem curatius explicarunt (28), obſervemus, eos, qui conſecrationem per verborum inſtitutionis recitationem peragi ſtatuunt, non loqui de conſecratione nude *recitativa*, ſed *operativa*, nec verbis inſtitutionis vim quandam *abſolutam*, vel magicam, a ſyllabis vocibusque pendentem, quæ fere eccleſiæ Romanæ eſt ſententia, ſed *hypotheticam* adſcribere, ex promiſſione optimi ſervatoris totoque actu ſacramenti fluentem. Unde &, ut alibi iam obſervavimus (29) diſtinguere heic ſolent theologi inter conſecrationem *totalem* & *partialem*, itemque *deſtinativam* atque *unitivam*, quacum, quæ *partialis* ac *deſtinativa* ſit, per preces verbaque inſtitutionis, non ſine precibus internis recitanda, fiat; *totalis* vero atque *unitiva* tum hæc omnia, tum verba conſecrationis in ipſa *diſtributione* repetenda, actionemque *dandi* & *recipiendi* involvat.

Non poſſumus, quin hac ipſa occaſione controverſiam in eccleſia Roſtochienſi anno *MDLXVIII.* de conſecratione euchariſtica agitatam, paucis commemoremus. Erat ibidem paſtor quidam ad ædem S. Nicolai, cui nomen erat IO. SALIGER, ſive *beatus*, ſtatuens, quod præſentia realis corporis & ſanguinis Chriſti mox poſt recitationem verborum inſtitutionis ſeſe, etiam *ante uſum*, exſerat, contrarium ſentiente toto miniſterio Roſtochienſi, unde & SALIGERUS a munere ſuo eccleſiaſtico vel tandem fuit amotus. Uberius hæc enarrarunt OTTO FRID. SCHÜZIUS (30) atque ZACHARIAS GRAPIUS (31), theologus quondam Roſtochienſis.

Nec ſilentio prætermittere heic poſſumus, quod olim in variis evangelicorum cœtibus, cumprimis vero in eccleſia Lubecenſi, ſecundum ordinationes eccleſiaſticas, a IO. BUGENHAGIO factas, verba inſtitutionis in diſtributione ſacræ cœnæ prorſus fuerint omiſſa, nec communicantibus adplicata (32). Graviter equidem admoniti fuerunt

(25) Huc ſpectant cumprimis ea, quæ SPENERUS in *den deutſchen theolog. Bedenken, tom. I. c. II. art. V. ſect. II. p. 147, 148.* ſhanc in rem ſcripſit, ubi preces æque ac verba inſtitutionis ad conſecrationem requiri ſtatuit, unde & oratio dominica verbis inſtitutionis præmitti ſoleat. Subiungit: *Ich habe auch vielmahl gewünſchet, daß bey der celebration des heil. Sacraments, und zwar noch vorher, mehreres vorgienge, womit der Tod des Herrn und der Zweck des heiligen Mahls verkündiget würde, ſo an ſtatt der jüdiſchen ברכות ſeyn möchte, nicht zwar, als hielte ſolche zu der conſecration nöthig, ſondern daß ſie die Ehre unſers Heilandes erhöhen, und die Andacht der anweſenden aufmunterten &c.*

(26) Vid. ZORNII *diſſertat. hiſt. theolog. de ἐπικλήσει veter. ad Spir. S. in S. cœna*, ſub præſidio b. FECHTII in academia Roſtochienſi ann. *MDCCV.* habitam, cui ſubiuncta ſunt corollaria huc ſpectantia.

(27) Vid. THOMASII *notas* ad LANCELOTTI *inſtitut. iuris canonici part. I. libr. I. tit. XXII. p. 293, 294.* Jungi vero meretur illuſtr. BOEHMERUS in *iure eccleſiaſt. proteſtantium, tom. III. libr. III. tit. XLI. §. III. p. 713.*

(28) Inter eos, qui hoc fecerunt, atque ante omnes alios in hoc argumento ſunt conſulendi, eminent duumviri præſtantiſſimi, HENR. HOEPFNERUS atque IO. ADAM. SCHERZERUS, ambo academiæ Lipſienſis quondam theologi, *ille* quidem in *iſagoge ad ſalutarem uſum ſacræ cœnæ p. 112. hic* vero tum in *breviario theologico Hülſemanniano enucleato atque aucto, p. 863. ſeqq.* tum in *ſyſtem. theolog. p. 380.*

(29) Fecimus id ſupra in *notis* ad GERHARDUM *p. 268.*

(30) Vid. SCHÜZII *vitam Chytræi libr. II. §. 25. p. 150. ſeqq.* ad ann. *MDLXIX.*

(31) Vid. GRAPII *evangeliſches Roſtock p. 398. ſeqq.* Add. STARCKII *Lubecam Lutherano-evangelicam p. 251. ſeqq.*

(32) Ita enim BUGENHAGIUS in *ordin. eccleſ. Holſaticæ*: *Wenn man dat Sacramente uthdelet, ſo ſchall men den Communicanten, ſo dat Brod unde Kelck*

fuerunt Lubecenſes, ut conſuetudini in eccleſiis evangelicis dudum receptæ ſeſe conformarent, verbaque inſtitutionis in diſtributione euchariſtiæ repeterent, atque cuivis communicantium adplicarent (33). Verum nulla ratione flecti potuit magiſtratus Lubecenſis, ut hoc ipſum faceret, ſed in ſententia ſemel arrepta de non repetendis verbis inſtitutionis, ultra ſeculi ſpatium perſtitit, donec tandem MENNO HANNECKENIUS, theologus primum Marpurgenſis, tandem vero eccleſiarum Lubecenſium ſuperintendens, rem eo deduxerit, ut ritus iſte, verba inſtitutionis in diſtributione quoque ad communicantes adplicandi, anno ſuperioris ſeculi quadrageſimo ſeptimo introduceretur. Auctores, qui plenam rerum heic geſtarum hiſtoriam exhibent, infra excitabimus (34).

Cæterum, licet negari nequeat, ſatius eſſe, in diſtributione ſymbolorum euchariſticorum verba inſtitutionis repetere, eccleſiam tamen Lubecenſem, quæ ritum hunc per longum temporis ſpatium intermiſit, excuſatione dignam iudicarunt theologi noſtri (35). Neque enim ſententiam SALIGERI, ſtatuentis, veram ac realem corporis Chriſti præſentiam, poſt dicta inſtitutionis verba, ſtatim, etiam *ante uſum*, ſeſe exſerere, ſuo unquam adprobavit calculo, ſed eandem damnavit potius, ac proinde exiſtimavit, verba illa optimi ſervatoris ſemel præle-

Kelck empfangen, nichtes ſeggen, wente tho vörn ys ydt ynt gemeine geſecht, do de Worte des Avendmals geleſen ſint. His ſimilia ſunt, quæ in *ordin.* eccleſ. prima Wolferbytana hanc in rem leguntur.

(33) Edidit eum in finem WOLFFG. PERISTERUS, eccleſiæ Wismarienſis olim antiſtes, libellum germanico ſermone conſcriptum, Magdeburgi *MDLXXIV.* ſub titulo: *gründlicher und wahrhafftiger Bericht aus Gottes Wort, von der neuen zwiſtigen Frage: ob die Elementen des Brods und Weins im Abendmahl des Herrn bald nach den geſprochenen Worten, und noch auſſerhalb dem befohlnen und eingeſetzten Gebrauch des Eſſens und Trinkens, Chriſti Leib und Blut werden;* ubi in *adpend.* 2. rationes in medium adducit, cur verba inſtitutionis in diſtributione euchariſtiæ denuo ſint recitanda, atque ad unumquemque eorum, qui ſacro hocce epulo utuntur, adplicanda. Præfixit huic opuſculo dedicationem ad magiſtratum Lubecenſem directam, inque *apologia* ann. *MDLXXVII.* contra collegas Wiſmarienſes edita, XVI. argumentis comprobavit, ritum hunc, verba inſtitutionis in diſtributione repetendi, omnino neceſſarium eſſe, provocans inter alia ad diſerta b. LUTHERI verba CAROLSTADIO oppoſita, quæ *tom. IV. oper. Germ. Jen. f. 384.* leguntur. Verum nec PERISTERII, nec aliorum theologorum monitis, variis rationibus ſtipatis, commoveri tum temporis potuiſſe Lubecenſes, ut ritum hunc in eccleſias ſuas introducerent, referunt IO. APFELMANNUS in *ſyntagmate exercitat. academ. part. I. diſp. XXXI. §. 37. p. 910.* SCHROEDERUS in *der Wismar. Prediger hiſt. p. 89. ſeqq.* atque ex iis b. cancell. PFAFFIUS, in *diſſert. polemico-caſuali de conſecratione euchariſtica* Tubing. *MDCCXLVIII.* edita, *p. 10, 11.* qui & *loc. cit.* obſervat, non tantum BUGENHAGIUM, cuius ſupra fecimus mentionem, ſed & IO. BRENTIUM, auctorem *ordinationis eccleſiaſt. Würtembergicæ*, in ea ſtetiſſe ſententia, repetitionem verborum inſtitutionis, in diſtributione ſacræ cœnæ minus eſſe neceſſariam, unde & heterodoxiæ a theologis Vinarienſibus fuerit poſtulatus, quibus tamen *die Ehrenrettung* oppoſuerit BRENTIUS, defenſus quoque a JAC. ANDREÆ. Atque ex his, quæ modo diximus, facile colligi poteſt, ad quos digitum intendat *formula concord. art. VII. de cœna Domini p. 747.* edit. Rechenberg ubi dicitur: *de conſecratione diſſenſiones quasdam inter* ALIQUOS *Auguſtanæ confeſſionis theologos incidiſſe.*

(34) Vid. STARCKIUM *loco excit.* & S. M. C. in *diſſert. hiſt. theol. de ritu veteri formulæ adplicativæ individualis in S. cœna*, quæ Lubecæ ann. *MDCCXLI.* in lucem publicam prodiit.

(35) Vid. *conſil. fac. theol. Vitemberg.* quod *conſiliis Vitembergenſ. part. II. fol. 161.* inſertum legitur. Add. CHRISTIANI SLEDANI *quæſtionem practicam de conſecratione ſacramenti euchariſtiæ, an fundationis primævæ verba formalia ſint neceſſario ante elementorum diſtributionem recitanda?* Roſtochii *MDCXXVI.* typis exſcriptam, *p. 24. ſeqq.* GEORG. KOENIGII *caſus conſcient. p. 574. ſeqq.* FRIDEMANNI BECHMANNI *theolog. conſcientiarium, p. 241.* & S. M. C. *loc. cit.*

cta operativa esse in ipso *distributionis* actu, licet nihil amplius dicatur communicantibus. Nec sane, quod recte nonnulli iudicant (36), probabile videtur, Christum in distributione huius sacramenti unicuique suorum discipulorum seorsim dixisse: *ede, hoc est corpus meum; bibe, hic est sanguis meus.* Semel tantum in plurali numero eosdem adlocutus est, dicendo: *Sumite, edite, bibite* &c. quo facto ipsi discipuli de mensa sustulerunt panem, unusque alteri calicem porrexit, nullis, ut videtur, verbis prolatis. Constat quoque ex *Marc. XIV. 23, 24.* Christum tum demum, postquam discipuli omnes ex calice benedicto iam bibissent, dixisse iisdem, sanguinem hunc novi fœderis esse pro multis effundendum. Atque hæc de *consecratione eucharistica* tandem sufficiant.

* * *

In *consecrationis* actu, recitato missæ canone, simul fieri *sacrificium* corporis Christi, idque verum proprieque dictum, quod *missaticum* adpellant, omnes statuunt cœtus Romani doctores. Constitueramus quidem nobiscum (1), supponere, ad GERHARDI exemplum, missamque heic facere polemicam de sacrificio missæ tractationem, utpote in omnibus omnium protestantium libris systematicis obviam. At ne tamen lectoris nostri, cor hoc & robur & animam papatus perscrutaturi, exspectationem forsan fallamus, mutato consilio istam GERHARDI lacunam, operis huius nostri amplitudine indignam, explere heic loci, iam mens nobis est. Supra dictorum nil repetemus, sed ad illa ipsa remittere lectorem nobis liceat.

Exhibuimus de vocabulo *missae* observationes (2). Confutatis *missis solitariis* (3), dedimus summam historiæ dogmatis de sacrificio missæ (4). Tradita vocis *sacrificii* homonymia (5); nec non ostensa sacrificii *Anglorum eucharistici & missatici Pontificiorum* sacrificii diversitate (6); explanata translati ad sacræ cœnæ significationem eiusdem vocabuli occasione (7); determinato controversiæ statu (8); subiunctis etiam, quæ in *concilio Tridentino* circa sententiæ definitionem gesta apud PAULUM SARPIUM leguntur (9): reliquum est, ut in ipsam doctrinæ huius *originem* penitius inquiramus; ut rationes, quibus adducti theologi protestantes sententiæ adhærent *neganti*, strictim referamus; ut *argumenta* denique, quibus altera, *adfirmantium*, pars innititur, excutiamus.

§. I. *Antiquissimam* esse missam, pertinacissime quidem contendit BELLARMINUS (10): ita vero, ut universæ missæ antiquitatem simul ac semel probatam dare haud sustineat, sed singulas eius partes a novitatis crimine purgare adlaboret. *Nos* contra ea adserimus, antiquissimam ecclesiam ignorasse hunc errorem, sequio-

(36) Vid. b. PFAFFII *dissert.* modo *excitatam, de consecrat. euchar. p. 13.*

(1) Id quod ex verbis *notulam* VIII. *p. 301.* proxime antecedentibus videre est.

(2) *p. 8-13.* tum in *textu*, tum in *notis* textui subiectis.

(3) *p. 295-297.* tam in *textu*, quam in *adnotationibus.*

(4) *p. 297.* usque ad *p. 301.* ubi theologis Reformatis Anglicanis *p. 299.* & *seq.* adlegatis adponi velimus scriptum noviter in lucem editum, cui titulus: *Sacrificium Missaticum, mysterium iniquitatis: or, A Treatise concerning the sacrifice of the mass, by the reverend and learned Mr.* HENRY PENDLEBURY *M. R. of Christ's Collegeat Cambridge &c. London. 1768.*

(5) *p. 300. n. III.*

(6) *ibid. n. II.*

(7) *ibid. n. IV.*

(8) *p. 301. n. VII.* coll. *n. V.* & *VI.*

(9) *ibid. n. VIII.*

(10) *Libro II. de missa cap.* XVI. & *seqq.*

quiorum demum seculorum fœtum.' Scripta certe apostolica, in quibus adversarii causſæ suæ patrocinium quærunt, quæ sunt *liturgia* IACOBI, PETRI, MATTHÆI, IOANNIS, MARCI, CLEMENTIS *Romani*, beatæ virginis MARIÆ & DIONYSII *Areopagitae*, suspectæ non modo fidei esse, sed prorsus spuria & subditicia, dudum a nostratibus evictum est & agnitum a non paucis pontificiorum (11).

§. II. Quod *Christi institutio*, a tribus Evangelistis (12) enarrata, eiusque simplicitas, a missa pontificia huiusque mole; toto quasi cœlo distet, planum cuivis est atque obvium. Quod institutionis illius a PAULO (13) facta repetitio intra eosdem limites subsistat, & ipse intuitus docet quemvis, & ipse BESSARIO, pater purpuratus, confitetur (14).

§. III. Quod iuxta eandem prorsus normam *seculo II.* celebrata eucharistia fuerit, prolixa IUSTINI *martyris* (15), adcuratam omnium minutiarum, nullam autem *sacrificii*, nedum *propitiatorii*, mentionem facientis, enarratio evincit. Quod eadem integritas seculo III. adhuc viguerit, ex TERTULLIANI silentio, ubi quam maxime adpositus de innovatione, si quæ facta in sacræ cœnæ celebratione fuisset, dicendi locus erat (16), nec non ex CYPRIANI testimonio (17), recte colligunt nostrates.

§. IV. Ut *intermedios*, qui excitari ab aliis solent (18), testes prætereamus, usque ad *seculum XV.* licet ritus missatici sensim invaluerint, stetit certe publica sententia, quam GABRIEL BIEL in *can. missae* adnotat, in oblatione eucharistica nil fieri, nisi memoriam & repræsentationem sacrificii Christi in cruce peracti: donec per concilii Tridentini sanctionem immutatio demum in hoc doctrinæ capite contigit.

§. V. Singularum *missae* partium, ipsius adeo *canonis*, novitas ad oculum demonstrari potest, & solidissime demonstrata est a IO. DALLÆO (19); nec desunt Romanensium aliquot scriptorum suffragia (20).

§. VI. *Stamina* igitur sacrificii missatici, licet in concilio demum Tridentino, prout nunc docetur ac celebratur, exclusi, altius tamen repeti debent. Etsi enim id ipsum ignoret antiquitas, in hac tamen ipsa eius vestigia deprehenduntur, & status quasi subsecutæ evolutionis præparatorii. Brevibus absolvi res sic potest: in ecclesia primitiva secundum Christi institutionem dispensabatur eucharistia, & singularis animi

(11) vid. DALLÆUS *de cultibus religiosis Latinorum, p. 1177. 1184. seqq. 1214. seqq.*

(12) *Matth. XXVI. 26. seqq. Marc. XIV. 22. seqq. Luc. XXII. 19. seqq.*

(13) *1 Cor. X. 16. XI. 23. seqq.*

(14) Verba ipsius legi possunt in DALLÆO *loc. cit. p. 1176.*

(15) *in apologia prima pro christianis.*

(16) & (17) vid. DALLÆUS l. c. *p.* 1178.

(18) vid. DEYLINGII *observationes miscell. p. 298. seqq.* DALLÆUM *loc. cit. p. 1179. seqq.*

(19) in *libro citato, L. IX. cap. IV-IX. de canone, cap. X. seqq.*

(20) WALAFRIDUS STRABO, seculi IX. scriptor, *de rebus eccl. c. 22.* „ quod nunc agimus „ multiplici orationum, cantilenarum & con„ secrationum officio, totum hoc apostoli & „ post ipsos proximi, ut creditur, orationibus „ & commemoratione passionis dominicæ, „ sicut ipse præcepit, agebant simpliciter „. BARTHOLOM. PLATINA, a Sixto IV. bibliothecæ Vaticanæ præfectus, in *vita Xysti I.* „ nuda primo hæc erant & omnia simpliciter „ tractabantur: Petrus enim ubi consecrave„ rat, oratione *Pater noster* usus est; auxit „ hæc mysteria Iacobus, episcopus hierosolymi„ tanus; auxit & Basilius; auxere & alii: nam „ Cœlestinus missæ introitum dedit, Gregorius „ *Kyrie eleison; gloria in excelsis Deo* Telespho„ rus; *collationes* Hieronymus, Gelasius I. „ *epistolam* & *evangelium; Alleluia* vero sum„ tum est ex ecclesia hierosolymitana; *symbo„ lum* ex concilio Nicæno; *mortuorum* autem „ *commemorationem* Pelagius invenit; *thus* „ Leo III.; *osculum pacis* Innocentius I.; ut „ caneretur *agnus Dei*, Sergius pontifex in„ stituit „.

mi devotio externis etiam signis exprimebatur. Cum autem seculo IV. & subsequentibus frigesceret christianæ pietatis ardor, relicta medulla substiterunt in externorum actuum cortice. Nimia externorum symbolorum ac rituum veneratio peperit seculo IX. *transsubstantiationis* dogma, & opinionem, actus illos externos operari *ex se*; atque ideo absentibus etiam, imo, post invectum in ecclesiam de *purgatorio* errorem, defunctorum quoque animabus multa adferre commoda; hinc recte etiam pro absentibus & mortuis celebrari sacram cœnam. Ut huic sententiæ veri species conciliaretur, externisque actibus vis operandi ex se ipsis adsereretur, ex eo, quod patres nonnunquam, licet alio prorsus sensu, eucharistiam adpellarent sacrificium, statuebatur, eandem revera esse *sacrificium propitiatorium*, pro absentibus æque ac præsentibus.

§. VII. Operæ tamen pretium esse videtur, paulo distinctius enarrare præcipua sacrificii missatici *præludia* & *occasiones*. Adportabant, in primitiva statim ecclesia, ad sacræ cœnæ celebrationem, præter eos, quibus res angusta domi & curta adeo supellex erat, ut præstare nil possent, singuli sua (21), sicut in agapis, panem & vinum, aliaque etiam *munera*, eademque ad mensam sacram *offerebant*: quorum pars, quanta præsentibus sufficere communicantibus poterat, ad eucharistiam celebrandam sumebatur & consecrabatur; reliquiis, tum in ministrorum sustentationem, tum in sublevationem omnis generis egenorum, impensis (22). Quæ *oblationes* cum aliorum hominum usibus destinarentur, adeoque ex amoris officio præstarentur, præeunte sacra scriptura (23), *Deo* ipsi *offerri* reputabantur: quare tum offerentes in votis habebant, ut gratum Deo esset hoc officium, tum iisdem alii adprecabantur, vellet Deus ista munera spiritualium donorum collatione compensare largissime. Hæc eadem vota solemnibus deinde precum formulis comprehendebantur, post monstratas populo oblationes, recitataque offerentium nomina, pronunciari solitis (24). Licet autem istæ *oblationes* non fuerint novæ oblationes corporis dominici, sed duntaxat donorum consecrandorum, scil. panis & vini, adeoque a *sacrificii* indole longissime abfuerint, hoc *nomine* tamen a veteribus insigniebantur, dabantque hoc modo errori, *sacrificium* in sacra cœna statuenti, occasionem.

§. VIII. Accedit, quod *defunctorum* etiam nomine, a relictis parentibus, liberis, coniugibus, cognatis vel amicis, dona publice fuerint oblata, cum solemni mortuorum commemoratione: quæ consuetudo TERTULLIANI iam ævo erat anniversaria (25). Huius generis *oblationes* ab initio quidem in illa tantum ecclesia fiebant, in qua vixerant defuncti, diemque obierant supremum: progressu vero temporis, pro martyribus alibi etiam locorum supplicium passis ut in ecclesia offerrentur, factum est (26). Quo more quam sinistre in sententiæ suæ præsidium abutantur Romanenses, infra edisserendi locus erit.

§ IX.

(21) *1 Cor. XI.* 21, 22.

(22) Vid. JUSTINUS *martyr* in *apologia I.* §. 88 TERTULLIANI *apol. cap.* 39. Harum oblationum originem ex apostolorum ad ritus & consuetudines Judæorum indifferentes condescensu derivat PFAFFIUS in diss. *de oblatione veterum eucharistica*, quæ *syntagmati diss. theol.* inserta est, *p.* 239. Per viros apostolicos in universalem ecclesiæ morem abierunt, imo seculo VI. in synodo Matisconensi secunda, *canone IV.* fuerunt sancitæ, adeo ut CYPRIANUS reprehenderet fœminam divitem nil offerentem, & de sacro tamen epulo participantem; *de opere & eleemosynis. f.* 203. ex edit. FELLI.

(23) *Matth. XXV.* 40. *Ebr. XIII.* 16.

(24) Vid. CYPRIANI *epistol. IX. adversus presbyteros.* eiusdem *epist. LX. ad episcopos Numidas.* Add. INNOCENTII I. episcopi Romani capitulis scripta ad *Decentium*, episcopum Eugubinum. *cap. II.*

(25) Conf. BUDDEI *dissertatio de origine missæ pontificiæ*, quæ primum locum obtinet in *syntagmate dissert. theologicarum*, *p.* 18. *seq.*

(26) conf. DEYLING. *loc. cit.* p. 305. *seq.*

§. IX. Nova pontificio errori subnata est occasio, cum seculo IV. patrum haud pauci ex philosophia platonica opinionem de *purgatorio*, seu medio animarum post mortem statu, haurirent. Nec minus viam eidem errori adaperuit *nimia symbolorum & ceremoniarum*, quibus eucharistia conficiebatur, *veneratio*, iam seculo IV. invalescens, sequentibusque seculis continuata, qua munerum oblationes dicebantur *oblationes corporis & sanguinis Christi* (27). Accedentibus doctorum declamationibus atque exaggerationibus prodiit *transsubstantiationis* dogma, de quo supra diximus, *symbolorumque adoratio*, & *necessitatis Christum quotidie immolandi* opinio, auctore PASCHASIO RADBERTO. Ut de hoc & ulteriore temporis decursu exactius constet, quo superstitio invaluit, *externum* eucharistiæ *actum*, ex *opere operato*, etiam sine recto communicantium usu, multum tamen prodesse, revolvantur velimus, quæ supra de origine ac fundamento missarum privatarum adduximus (28). Qui succinctam huius originis explanationem, errorumque in hac doctrina & corruptelarum nexum desideraverit, Io. FRANC. BUDDEUM (29), Io. FECHTIUM (30), aliosque adeat.

§. X. Progredimur ad *argumenta*, quibus theologi *protestantes* doctrinam de sacrificio missæ, eam vero ex ipsis fontibus haustam (31), impugnant. Res ad *tres praecipuas quaestiones* redit, quas alibi (32) iam & proposuimus & excussimus, quas vero heic etiam loci, ut ordine procedamus, argumentorumque nostrorum copia ad certas classes revocata distinctius expendi queat, retinendas esse censemus. *Primo* quæritur, an Christus in eucharistiæ administratione sub specie panis & vini corpus ac sanguinem suum Patri cœlesti obtulerit, atque hanc corporis ac sanguinis sui oblationem a discipulis in posterum Deo faciendam instituerit? Sunt ex ipsis Romanensium doctoribus, qui affirmare hanc quæstionem non audent (33); &, cum ex iisdem sint, qui confiteantur, de mysteriis & sacramentis ex eorum institutione optime decerni ac definiri, ac formæ sacramentorum a Domino institutæ nihil addendum vel subtrahendum esse (34), eo ipso causa sua cadunt. Nos pro-

(27) vid. *Codex Canonum ecclesiæ Africanæ, can. 38.*

(28) *p. 396.* in *notis.*

(29) in supra *citata dissertatione.*

(30) in *tractatione historico-theol. de origine & superstitione missarum.*

(31) Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 1.* missam vocat *sacrificium singulare, quo Christus in novissima coena corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulerit, quoque eruentum illud in cruce peractum repraesentetur, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum adplicetur.* Ibidem vero *cap. 2.* missa adpellatur *sacrificium divinum, quo idem ille Christus contineatur & incruente immoletur, qui in ara crucis semel se ipsum eruente obtulit; nec non sacrificium propitiatorium, cuius oblatione placatus Dominus crimina & peccata, etiam ingentia, dimittat, quodque non solum pro vivorum fidelium peccatis, poenis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed etiam pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite offeratur.* Ibidem *can. 1.* legitur: *si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit.* Idem fulmen *can. 3.* recurrit: *si quis dixerit, missae sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.* Praecipuus interpres, BELLARMINUS *libro I. de missa. cap. 5. §.* E contrario &c. ita habet: *catholici scriptores, qui hoc nostro seculo de sacrificio missae scripserunt, omnes in eo potissimum laborant, ut ostendant, in missa offerri vere ac proprie corpus ac sanguinem Domini sub specie visibili panis & vini.*

(32) in den *theologischen Sendschreiben an einen vornehmen Herrn von Adel, in welchen die zwischen der evangelisch- und römisch-catholischen Kirche obschwebende Religions-Streitigkeiten untersucht, und zugleich des Herrn Pater Seedorffs herausgegebene Sendschreiben unpartheyisch geprüft werden. p. 7. seqq.*

(33) vid. GERHARDI *confessio catholica. L. II. P. II. art. XV. cap. I.* de sacrificio missatico. *p. 1202.*

(34) vid. GERHARD. *ibid. p. 1204.*

provocamus ad ipsa institutionis verba, singulorumque, si placuerit, verborum considerationem. Formalia trium evangelistarum Paulique (35) verba ne minimum habent ullius *offerendi* actionis vestigium. Quantum abest, ut mensæ adcumbere, panique & vino benedicere sit adstare altari, seque ipsum immolare; frangere panem & distribuere discipulis sit elevatam hostiam offerre Patri cœlesti; discipulos alloqui sit sermonem dirigere ad Deum; accipere, edere, bibere sit adorare aut immolare; facere ad commemorationem sit ad propitiationem sacrificare, tantum etiam abest, ut, licet exacte omnia enarrent scriptores divini modo excitati, vel verbulo indicent, Christum sacrificium missæ vel celebrasse, vel ordinasse, vel celebrandum ipsis ipsorumque successoribus concredidisse; tantum abest, ut ullam instituti ullius muneris sacerdotum, corpus Christi sacrificantium, mentionem faciant, ut potius omnes illæ phrases partim non significent idem quod *sacrificare*, partim diserte omnem *sacrificii* respectum evertant, ipsiusque naturæ repugnent.

§. XI. *Secundo* quæritur, an sacra cœna haberi debeat pro vero ac proprie sic dicto & constanti novi testamenti *sacrificio propitiatorio*, quod Deo a sacerdote offeratur? Adfirmant Romanenses, nos negamus hanc quæstionem, eo magis tuto negandam, quod, uti modo ostendimus, nil tale vel ex exemplo, vel ex mandato Christi erui ac probari possit, cum tamen sacra scriptura, veritates omnibus ad salutem scitu necessarias non obscure tantum indicare, sed verbis claris & perspicuis docere, alias soleat. Accedunt aliæ gravissimi momenti rationes. I.) Sacra scriptura sine ulla limitatione constanter adstruit non modo *victimae oblatae*, sed *oblationis* etiam *unitatem in novo testamento*. Male igitur quotidie in missis *iteranda* statuitur Christi oblatio, cum ***unica*** sit in novo testamento immolatio, eaque facta *semel Ebr. X. 10, 12, 14.* quæ in eo ipso veteris testamenti victimis opponitur, quod *hae* fuerint, manifesto *imperfectionis* indicio *v. 1, 2.* quotidie *repetitae*, *illa* autem *semel* facta *v. 11, 12.* male etiam Christus a sacrificulis sæpius, imo quotidie offerendus statuitur, cum *semel* se ipsum obtulerit ad multorum peccata exhaurienda *Ebr. VII. 27. IX. 25, 26, 28.* Per iterationem igitur non potest non iniuria fieri oblationi Christi, tanquam minus sufficienti. Frivolum est, quod in distinctione *sacrificii* quærunt adversarii, effugium, cum *cruentum* contigisse semel in cruce dicant, ad quod repræsentandum institutum fuerit *incruentum*. Nullum in sacris litteris distinctio hæc habet fundamentum; incruentum dici nequit, ubi Deo offertur Christi sanguis; & incruentum si sit, non est propitiatorium *Ebr. IX. 22.* II.) Sacra scriptura, ubi similitudinem sacerdotii Christi cum sacerdotio Melchisedeki, & differentiam a sacerdotio Aaronico urget, hanc Christo vindicat prærogativam, quod *unicus* sit novi testamenti *sacerdos*, unicus leviticorum sacerdotum antitypus *Ebr. V. 5, 6.* qui perpetuum habeat sacerdotium, *Ebr. VII. 21-25, 28.* sacerdotium ἀπαράβατον, quod non transit ad alium, velut in successione sacerdotum leviticorum. Male itaque Christo, novi testamenti pontifici, qui pluribus leviticis sacerdotibus expresse opponitur; qui manet in æternum, semper vivens ad interpellandum pro nobis; qui, secundum *v. 26, 27.* sanctus & innocens erat, substituuntur plures, imo innumeri successores vel vicarii, secundarii sacerdotes, immundi sacrificuli. Addimus III.) & hoc, nuspiam in novo testamento ministros ecclesiæ *sacerdotum* nomine, peculiari & propria ratione, insigniri (36), sed generatim & modo loquendi mystico omnibus fidelibus hanc adpellationem convenire (37), propterea, quod Spiritu sancto uncti victimas Deo offerunt spirituales (38). IV.) *Omnia* pror-

(35) vid. loca in *nota* (12) citata.

(36) BELLARMINUS *lib. III. de pontif. cap. 13.* §. ratio &c. idem fatetur: „ Apostoli in scripturis nunquam vocant sacerdotes christianos, sacerdotes, sed solum *episcopos* & *presbyteros*.

(37) *1 Pet. II. 9. Apoc. I. 6.*

(38) *1 Pet. II. 5.* conf. *supra p. 300.* in *notis*.

prorsus missæ *deficiunt*, quæ ad *naturam* sacrificii pertinent, *requisita*. Nec aliunde, nec ex epistola ad Ebræos, quæ de sacrificio novi testamenti ex professo disputat, vel quoad formam, vel materiam, vel personam offerentem, vel locum, vel finem, *divina* missæ pontificiæ, seu victimæ ad finem usque mundi indies offerendæ, *institutio* potest demonstrari. Nulla etiam, quod V.) notamus, in missa contingit oblati corporis ac sanguinis Christi *mutatio* & *destructio*, quæ tamen ad sacrificii propitiatorii naturam vel ex ipsorum adversariorum confessione (39), præcipue requiritur. Si igitur in missa verum offerretur sacrificium, destrui deberet Christi corpus & sanguis, ac ex Pauli argumentatione, *Ebr. IX. 25, 26.* Christum frequenter pati oporteret & occidi, quod est absurdum (40). Denique VI.) summa *testamento* Christi infertur injuria (41) per *immutationes*, quas missa secum fert. In *illo* una actio administrandi & accipiendi sacramentum ordinatur; *haec* præter fundamentum addit alteram, nimirum sacrificium offerendi. Nobis datur in sacra cœna corpus & sanguis Christi, non offertur Deo: manifestam profecto hæ ideæ involvunt contradictionem. Eucharistia est actio publica tum administrantis, tum communicantium; missa unius monachi privata actione absolvitur. Sacra cœna instituta est vivis, ad mortis Domini adnunciationem; missa mortuis quoque adplicatur, & nullis non secularibus negotiis felicius expediundis. Ecquid vero theatrica illa sacrificulorum actio? quam aliena ab actione Christi vanitas (42)!

§. XII. *Tertio* quæritur, *an sacrificium missae sit propitiatorium?* Adfirmant Pontificii, eidemque alios etiam effectus tribuunt sane mirandos: quo pacto graves illi missarum privatarum abusus in ecclesia invaluerunt (43). Generatim quidem respondere licet, sublata causa tolli eiusdem efficientiam, & demonstrata *sacrificii nullitate nullam* etiam esse, quam iactare soleant, *virtutis* illius gloriam. At prostant adhuc argumenta specialia.

§. XIII. Jam monuimus, quod repugnet, sacrificium *inchoatum*, idque tamen idem *propitiatorium* esse. *Ebr. IX. 22.* Addimus iam, non minus repugnare, sacrificium pro peccatis *propitiatorium* esse, & continuo tamen *iterari* debere, *Ebr. X. 1, 2, 11.* Cum unica illa in cruce semel facta oblatio *perfecte* pro omnibus mundi peccatis *satisfecit*, *Ebr. X. 14. V. 9.*

(39) BELLARMINUS in *explicatione definitionis sacrificii, libr. I. cap. 2. & 27.* ita: „ in omni „ sacrificio externo, visibili & proprie sic dicto, requiritur, ut id, quod offertur Deo in „ sacrificium, plane destruatur, hoc est, ita „ mutetur, ut desinat esse id, quod ante erat. „

(40) *Rom. VI. 9. seq. Ebr. IX. 28.*

(41) *Gal. III. 15.*

(42) vid. SLEIDANI *comment. de statu relig. & reipubl. libr. 21. circa finem.* „ videas sacrificu„ lum, raso vertice, novo genere vestitus, „ cantare, quæ nemo intelligat; cereos atque „ lampades ardere in ipsa, quod dicitur, me„ ridie; fumigationes atque suffitus excitari „ thuribulis; adstare cum ministris ad aram, „ pronunciare omnia sermone peregrino, va„ riis uti geniculationibus atque gestibus, in„ clinari strictis manibus, modo distendere „ modo reducere brachia, subinde sese con„ vertere, nunc esse clamosum, nunc magno „ silentio quædam demurmurare, suspicere in „ altum, esse pronum, consistere non uno lo„ co, nunc in dextram nunc in lævam partem „ altaris commigrare, micare digitis, inhala„ re in calicem, eumque tollere in sublime, „ postea reponere, certis locis nominare nunc „ vivos nunc mortuos, panem azymum fran„ gere & in calicem immittere, pectus ferire „ pugno, suspirare, clausis oculis repræsen„ tare somnum, rursus expergisci, manducare „ partem unam panis, alteram haurire cum „ vino totam, ne qua guttula remaneat, ab„ luere manus, patellam deauratam aversum „ extenso brachio demonstrare populo, admo„ vere eandem fronti atque pectori, deoscula„ ri nunc altare, nunc imaguncularn materiæ „ vel metallo inclusam.

(43) conf. librum nostrum supra iam adlegatum, qui inscribitur: *theologische Sendschreiben p. 50. f.*

Ioh. XIX. 30. nil amplius in missa expiandum supereſt: ubi enim peccatorum remiſſio, iam non amplius eſt oblatio pro peccato *Ebr. X. 18.* Quemadmodum quod iteratur quotidie, perfectum non eſt, ita quod ſemel eſt perfectum, illud quotidie non iteratur.

§. XIV. Facili etiam opera diluuntur miſſæ, quæ in *mortuorum* commoda offeruntur (44). Nos contra eas urgemus ſequentia: 1.) quod pro vivis inſtituerit Chriſtus ſacræ cœnæ ſacramentum, qui accipere poſſent, manducare & bibere, ac quod mortis ſuæ beneficium adplicari velit per manducationem & bibitionem: quæ cum in vivos tantummodo præſentes cadant, pro abſentibus ac defunctis in ſacra cœna fieri poteſt nihil. 2.) Quod nullum celebratæ unquam ab apoſtolis pro defunctis miſſæ exemplum, nullum de celebranda illa mandatum, nullaque promiſſio exſtet de fructibus & effectibus illius ad mortuos redundaturis. Ac denique 3.) quod nec in canonicis veteris teſtamenti libris veſtigium deprehendatur peracti unquam in mortuorum emolumentum ſacrificii.

§. XV. Emollire quidem crudi, prout in concilio Tridentino traditur, dogmatis duritiem, & declinare, quod proteſtantes, ex oppoſitione oblationis unicæ hoſtiæ ſemel factæ & ſæpius tamen repetitæ, in miſſam pontificiam intorquent, telum fatagunt nonnulli Romanenſium doctores, ſpeciatim Io. Dezius (45), Iac. Benignus Bossuetus (46), Petr. Courayerius (47), Io. Iac. Scheffmacherus (48), Franciscus Seedorffius (49), aliique, quando dicunt, miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium, non ſenſu *meritorio & ſatisfactorio*, ſed *inſtrumentaliter & adplicative*; eo tantum fine inſtitutum eſſe ineruentum miſſæ ſacrificium, ut eſſet cruenti illius in cruce peracti *repraeſentativum & commemorativum*, nec non ad remittenda, quæ committimus quotidie, peccata *adplicatorium*.

§. XVI. Omnium maxime palliare hoc dogma callide operoſeque contendit Bossuetus: at, cum revera tamen concilii Tridentini ſententiæ inhæreat, eamque non ſemel exprimat, ea, quæ ad noſtram propius accedere mentem videntur, cum reliquis collata ſe invicem deſtruunt, vel fucum merum faciunt, vel improbata ſunt ab ipſa curia Romana (50). Notum etiam eſt, quantum hæc materia odium Courayerio apud ſuos conciliaverit. Quare non eſt, quod privatis eiusmodi ſingulorum doctorum interpretationibus, publica auctoritate deſtitutis, & a recepto, ex concilii Tridentini deciſione ac Bellarmini explicatione, typo doctrinæ recedentibus, decipi nos patiamur.

§. XVII. Præterea nec mitiores illæ expoſitiones ſunt omni exceptione maiores. 1.) Novum illud hoc modo confictum ſacrificii *propitiatorio-adplicatorii*, a *meritorio & ſatisfactorio* diſtincti, genus non nudis aſſertionibus exprimi, ſed irrefragabilibus ſuperſtrui argumentis deberet. 2.) Dezium confutat abſurditatisque convincit Fechtius (51) per inſtantiam a morte propitiatoria, cum ſacrificium Chriſti mortem quoque eius inferat, pari autem modo am-

(44) conf. quæ *ſupra* dicta ſunt. *p. 301. not.* (7).

(45) vid. Io. Fechtii *diſputatio de ſacrificio miſſæ propitiatorio pro vivis mortuisque*, Ioanni Dezio, *Ieſuitæ*, *oppoſita*, Roſtochii recuſa 1718.

(46) in *expoſitione doctrinæ catholicæ*.

(47) vid. b. Weissmanni *diſſ.* Tubingæ 1741. excuſa, cui titulus: *Notæ Courayerii & Calixti in concilii Tridentini canones praecipuos ulterius illuſtratæ*. §. 24. *p. 49.*

(48) vid. *Ja reponſe aux douze Lettres du P. Scheffmacher, Ieſuite de Straſſbourg, par Mr.* Pfaff; & quidem *dans la reponſe a la premiére lettre ſur le ſacrifice de la meſſe.*

(49) conf. *liber not.* (32) *citatus. p. 30. ſeqq.*

(50) quare in altera libri editione quædam mutavit. conf. *id. lib. p. 30. not. e.*

(51) vid. *citata diſp. p. 11. ſeq.*

amplius offerri negetur Christus, *Ebr. VII. 27.* quo negatur idem amplius mori *Rom. VI. 9, 10.* 3.) Sacrificium *commemorativum* verum & *proprie* sic dictum sacrificium non est, velut omnis rei repræsentatio & commemoratio res ipsa dici non potest vere ac *proprie*. 4.) Ad meriti sui adplicationem ordinavit Christus, ex parte *Dei* verbum & sacramenta, atque ex *hominum* parte fidem: quæ media subruuntur aperte ac obscurantur, si iuxta Romanæ ecclesiæ dogmata *ex opere operato* operetur sacrificium missæ, & in arbitrio sacrificulorum positum sit, cuinam, absentibus quoque, dormientibus ac defunctis, & quantum adplicare ac dispensare de Christi propitiatione vellent.

§. XVIII. Neglecta Brillii levitate (52), & multiplici Romanensium theologorum circa *formalem* sacrificii missatici *rationem dissensu* (53), ad singularem *cardinalis* Cienfuegos explicationem devolvimur (54), qui statuit 1.) „per „ verba consecrationis sub speciebus panis & „ vini poni Christum hominem vivum, actio„ nes quoque vitales per usum sensuum elicien„ tem. 2.) Hunc autem usum sensuum & exercitium actionum vitalium suspendere, eo„ que se privare Christum offerentem in eucha„ ristia, statim, ubi sacrificium incipiat ver„ bis: *qui pro vobis & pro multis effundetur* „ *in remissionem peccatorum*, unde in hac ipsa „ suspensione vitæ actualis sacrificium consistat, „ quam 3.) resumat Christus, finito sacrificio, „ in eucharistia, cum sacerdos oret: *per quem* „ *hæc omnia, Domine, semper bona creas,* „ *sanctificas*, VIVIFICAS, *benedicis & præ„ stas nobis.* Id quod fiat, ubi pars hostiæ „ mittatur in calicem, sacerdote illico Chri„ stum Dominum actiones suas vitales resumen„ tem sic alloquente: *Agnus Dei, qui tollis* „ *peccata mundi, miserere nobis*, cum a con„ secratione usque ad functionem illam solum „ Patrem aut Deum allocutus esset„ (55).

§. XIX. Regerimus autem, cum b. cancell. Pfaffio (56). 1.) Corpus Christi verissimum, idemque vivum adest in sacra cœna, cum symbolis sacramenti, vi consecrationis & usus, unitum, sed non modo capernaitico; ergo nec exserit illud in his symbolis usum sensuum. Audit quidem Christus, in celebratione eucharistiæ, videt, intelligit omnia, amat gratiaque sua adfatim replet fideles sacramentum accipientes: verum has actiones non exserit sub accidentibus vel symbolis eucharisticis, vi præsentiæ suæ sacramentalis, sed vi præsentiæ suæ divinæ, qua & ut Σταυρωθεὶς heic præsens est. 2.) Male & prorsus inconcinne, quæ, in canone missæ, nonnisi de oblationibus panis & vini dicuntur, ad corpus Christi transferuntur, quasi, ut illud acceptum habeat, sicuti sacrificia veteris testamenti, rogandus demum sit Pater; quasi illud dudum glorioſe in cœlis exstans eo demum per angelum transferri debeat, semperque creari, & sanctificatione, benedictione ac vivificatione habeat opus (57). 3.) Sacrificii actus pertinet ad statum exinanitionis Christi, & privare se vita actuali & usu sensuum tum internorum tum externorum intervertit gloriæ statum, in quo nunc Salvator optimus versatur, nec quadrat in corpus Christi exaltatum & gloriosum (58). 4.) Si in missa autem adpareat Christus cum signis mortis, vita actuali privatus, neque vero ita etiam adpareat in Empyreo, ubi versari dicitur, duo erunt Christi, vita actuali & sensuum usu pollens unus, alter carens (59). Cæterum

(52) vid. b. Weissmanni *diss.* Tubingæ *MDCCXXXII.* typis expressa, quæ inscribitur: *methodus Brilliana concilianti religionis controversias, in illustribus quibusdam exemplis p. 13.*

(53) conf. die *theologische Sendschreiben gegen Herrn Pater Seedorff, p. 200. seqq.*

(54) vid. Pfaffii *strictura theologicæ in sententiam novam eminentissimi cardinalis* Cienfuegos *de vita Christi actuali in eucharistia, de sacramento missatico, eiusque fructu*, Tubingæ, *MDCCXXXIII.*

(55) vid. *strictura modo citatæ. p. 7.*

(56) *ibid. pag. 9. seq.*

(57) conf. *ibid. pag. 10. seq.*

(58) conf. *ibid. pag. 13.*

(59) *ibid. pag. 16.*

terum eandem cardinalis CIENFUEGOS sententiam adoptavit prolixaque deductione adprobavit Cardinalis LUDOVICUS BELLUGA, cuius ipsius iudicium libro suo præmisit CIENFUEGOS.

§. XX. Excutienda iam ultimo loco sunt, quæ pro stabiliendo missæ sacrificio proferunt Romanenses, argumenta. Eadem ubique crambe recocta, & præter hanc nihil, quod alicuius esset momenti, apud recentiores quoque, quos data opera revolvimus, HONORATUM TOURNELIUM, theologum Parisiensem (60) & VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI, cardinalem (61), deprehenditur, adeo, ut nec hos ipsos puduerit, pudendam illam diabolicæ, quam LUTHERUS sustinuit, tentationis detorsionem recoquere (62). I.) Firmum & disertissimum fundamentum inveniisse sibi videntur in oraculo *Malach. I. 10, 11.* cuius verba posteriora intelligi non posse nisi de sacrificio eucharistiæ, per inductionem probare adnituntur: sed *resp.* vox *mincha*, quæ proprie est oblatio ex simila, oleo & thure (63), & quæ ideo cum missa nil simile habet, denotat sacrificia *spiritualia* (64), quæ sola novo testamento, & quibus solis prædicata munditiei & amplitudinis conveniunt (65). Missam pontificiam, quo magis conflata ex quæstu est, dixeris potius v. 13. improbatam. *Excipiunt* vero, improprie nunquam accipi vocem *mincha*, ubi sola exstet: contrarium adparet ex *psalm. CXLI. 2. Es. LXVI. 20.* & eodem modo, quo *improprium* adpositi vocabuli *myhthar* significatum concedunt adversarii, mysticus etiam *minchae* significatus ex modo dictis admitti debet. *Excipiunt* porro, *munda* dici a propheta novi testamenti sacrificia, sed iuxta nostram ipsorum doctrinam *immunda* esse hominum, iustorum etiam, opera & cultum: ast evangelii certe prædicatio & administratio sacramentorum, in novi testamenti cultu, mundæ omnino dici possunt, & reliqua iustorum opera, licet ob imperfectionem non *absolute*, tamen *secundum quid*, ut in scholis loquuntur, dicuntur pura, sancta Deoque accepta (66). *Instant* porro, *novam* hanc oblationem opponi sacrificiis iudaicis, quæ externa fuerint, spiritualia autem sacrificia quovis tempore etiam ante evangelium a vere piis & iustis oblata Deo esse: at manifestum est, inde, quod sacrificia præcipua cultus divini in vetere testamento pars erant, mutuari prophetam

(60) in *cursu theologico scholastico-dogmatico, tom. III. de sacramento eucharistiæ p. 443. seqq.* edit. Colon. Agripp. 1734. fol. Hic liber BELLARMINUM maxime sequitur.

(61) in *theologia scholastico-dogmatica*, fol. Venetiis 1750. *tom. III. tractatu VIII. de eucharistia, ut sacrificium est. p. 358. seqq.* Hic liber iuxta mentem THOMÆ *Aquinatis* conceptus est.

(62) Vid. *unsere theologische Sendschreiben wider Herrn P. Seedorff, p. 116. f. f.* Apud cardin. GOTTI *loco citato p. 360. num. XVIII.* hæc leguntur: *sed audiamus, in qua schola, & quo magistro didicerit Lutherus, non esse in lege nova verum externum sacrificium - - adparuit mihi (ait Lutherus) diabolus, non in somno, sed bene vigilanti, qui & argumentatus est contra sacrificium missæ: & cum non possem eius argumentis respondere, huiusmodi sacrificium abolendum esse decrevi - - Pape! magna Lutheri laus, qui, ut fieret discipulus diaboli, desiit esse discipulus ecclesiæ; & ut dæmonem audiret, ecclesiam, scripturam, patres audire recusavit. Sane, si diabolus cœpisset arguere contra Trinitatem, vel contra incarnationem, aliave fidei mysteria, Lutherus non valens diaboli sophismatibus respondere, ut diabolo fidem præstaret, Trinitatis, incarnationis, omniumque mysteriorum fidei renuntiasset.* Breviter monemus, LUTHERUM non loqui de adparitione *externa*, sed de *interna* tentatione, de disputatione, quam diabolus in ipsius conscientia excitaverit, super eo, quod tot missas privatas antea celebrasset, adeoque idololatriam commisisset, quam vero tentationem divina adsistente gratia feliciter superaverit; accidisse Luthero hanc tentationem mense April. ann. *MDXXI.* ipsum vero iam antea repudiasse missam pontificiam, ac contra eam ann. *MDXX.* & pro concione dixisse & scripsisse.

(63) *Lev. II. 1. seqq.*

(64) *1 Pet. II. 5.*

(65) *Ioh. IV. 24. 1 Tim. II. 8. Rom. XII 1. XV. 16.*

(66) *Rom. XII. 1.*

tam cultus divini in novo testamento descriptionem; non addi novitatis determinationem; revera *novum* cultum esse Messiæ, ut *actu exhibiti* prædicationem, & baptismi ac sacræ cœnæ administrationem; alias suppetere rationes, cur novæ dicantur in novo testamento virtutes, ad quas æqualis semper & antea fuit obligatio (67). Tantum interpretationi suæ tribuit D. TOURNELY, ut ad eandem etiam intorqueat dictum Christi *Ioh. IV. 21, 23, 24.* & adorationem ibi intelligi contendat publicam atque solemnem per sacrificium. Sed *resp.* apertum dicti sensum esse hunc: veri adoratores neque certis locis, veluti Iudæi Hierosolymis, Samaritani monti Garizim, neque sacrificiis externis, nec umbris mosaicis erunt adligati, sed absque his adorabunt Deum, eo animi adfectu atque habitu, quo coli vult.

§. XXI. II.) Non minus præsidii quærunt in typo *psalm. CIX. 4. Ebr. VII. 17.* & facto *Melchisedeki Gen. XIV. 18. 19.* unde concludunt, necesse fuisse, ut Christus obtulerit sacrificium simile illi, quod obtulit Melchisedek; similitudinem vero hanc collocari non posse, nisi in sacrificio eucharistico, quod offeratur in pane & vino. Sed *resp.* generatim non procedendum esse ultra similitudines in S. scriptura fundatas, quas non inepte eruit D. TOURNELY (68); deinde textum sic habere: Melchisedek הוציא qua rex, ex versione LXX. ἐξενεγκεν, ex versione PAGNINI & ARIÆ MONTANI, nec non ex plerisque & ordinariis VULGATÆ versionis editionibus, *proferens* panem & vinum, i. e. omnis generis cibum & potum: vel, si ignoraverit spolia opima, ad reficiendos Abrahami milites; vel si de illis ipsi constiterit, ad significandam certe lætam de victoria reportata congratulationem; qua sacerdos autem impertitus est benedictionem. Ne ibi quidem, ubi Paulus totus in eo est, ut explicaret, qua in re Christi typus fuerit Melchisedek (69), ulla fit oblationis panis & vini mentio. At *excipit* D. TOURNELIUS, similitudines ab apostolo demonstratas vel non pertinere ad sacerdotium, vel in aliis quoque locum habere, adeoque comparationem sacerdotis Melchisedeki cum Christo sacerdote poni debere in eo solo, quod illi privative competat, nimirum in oblatione panis & vini: *respond.* vero, oblationem panis & vini non propriam Melchisedeki fuisse sacrificio & singularem, sed tale quid in Aaronicis quoque sacrificiis deprehendi (70); singulare autem & proprium Melchisedeko fuisse, quod fuerit Dei sacerdos, Abrahamo benedicens, licet ad eiusdem familiam non pertineret, quod non constiterit de familia eius, origine & morte; nil obstare, quo minus institui comparatio possit inter Melchisedekum ac Christum etiam in rebus non singularibus, sed communibus cum aliis. *Instant*, reddi oblationis rationem per verba immediate subsequentia: *erat enim sacerdos:* respond. Sic legit quidem versio vulgata, textus autem ebraicus והוא & *ille* græce redditur ην δε ιερευς. *Urgent* denique cum BELLARMINO (71), accentum *soph pasuk*, qui versum claudit, in textu ebræo esse positum ante verba: *bene dixit ei*, proinde benedictionem non esse actum pertinentem ad sacerdotium Melchisedeki, sed potius verba illa: *erat sacerdos altissimi*, coniungenda cum præcedentibus: *protulit panem & vinum:* Sed *respond.* cum recepta inter pontificios hypothesis sit, recens Rabbinorum inventum esse puncta, nec licet illis, circa res fidei ex collocatione istorum argumentari; *soph pasuk* non semper terminat sententiam aut versus a se invicem divellit (72). Ex præsuppositio Melchisedeki sacrificio

(67) conf. *Iob. XIII. 34.*

(68) *loco citato, p. 445.* ratione nominis, officii, originis, durationis: addimus differentiam generis *Ebr. VII. 13-15.* & præstantiam præ Aarone & eius successoribus. *Ebr. VII. 4-10.*

(69) *Ebr. VII.*

(70) *Exod. XXIX. 40. Num. XXVIII. 5.*

(71) *libro I. de missa cap. 6.*

(72) *Psalm. XVII. 3, 7, 8. Gen. XIV. 1, 2.* soph pasuk inter nominativum & verbum interponitur.

ficio porro ita concludit cardinalis GOTTI (73): *id, quod fecit Christus in ultima cœna, de mandato ipsius fecerunt apostoli Luc. XXII. & modo faciunt eiusdem in sacerdotio successores, dum missam celebrant; offerunt enim sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi, quod ipse obtulit in cœna: sed Christus offerens sub specie panis & vini corpus suum & sanguinem in cœna, verum obtulit sacrificium secundum ordinem Melchisedek: Ergo & sacerdotes &c.* Eodem ratiocinio utitur quoque TOURNELY (74), qui multus est in conciliandis temporibus, *praesentibus* textus græci & *futuris* versionis vulgatæ, atque ita concludit: *duae istae lectiones, & in praesenti iuxta graecum, & in futuro iuxta vulgatum, non pugnant inter se, imo consentiunt maxime. & una inducit alteram: nam ex eo, quod Dominus in praesenti dixit, funditur, i. e. offertur ac libatur Deo in repraesentationem effusionis futurae in cruce, sequitur, & effusionem illam futuram fuisse modo scilicet cruento, & deinceps usque ad mundi finem fundendum sanguinem Christi & offerendum modo incruento in sacrificio missae. Itaque verbum de praesenti*, effunditur, *denotat praesentem effusionem sanguinis mysticam & incruentam; verbum autem de futuro*, effundetur, *futuram significat cruentam eiusdem sanguinis in cruce effusionem, ad cuius perpetuam memoriam instituta est eucharistia, tanquam verum & proprie dictum sacrificium: utraque igitur lectio, tum praesentis, tum futuri temporis, hic retinenda.* Verum enim vero manifesta committitur petitio principii, & vituperanda est licentia, qua, ex discrepantiis textus & versionis, novæ deducuntur doctrinæ. Quoad rem ipsam autem opponimus hoc argumentum: si sanguis Christi vere effunditur in S. cœna, admitti etiam debet, cruentum esse, ubi sanguinis est effusio; sin species vero vini tantum effunditur, eandem in peccatorum remissionem effundi, concedendum. Quod vero verba græca διδομενον, εκχυνομενον, præsentia ponantur pro futuris, consentiente versione vulgata (75) & canone missæ (76), inde liquet, quod traditio Christi & effusio sanguinis eius ubique denotat cruentam ipsius mortem, & quod morte hac opus non fuisset, si Christus corpus & sanguinem suum in ipsa S. cœnæ institutione primaque administratione iam obtulisset in sacrificium satisfactorium & expiatorium pro peccatis hominum. *Inanis* denique est mandati Christi *hoc facite* interpretatio per *sacrificate:* nam idem sine dubio iniungit, quod *1 Cor. XI. 26.* per manducationem & bibitionem exprimitur: cum accusativus *hoc* evidenter totam referat actionem præcedentem; cum inepte Christus in Christi memoriam dicatur offerri; cum græcum ποιειν apud probatos auctores non significet *sacrificare.*

§. XXII. III.) Adfine his ratiocinationibus est argumentum, quod ulterius adfert cardinalis GOTTI (77): *omnis*, inquiens, *vera religio suum habere debet sacrificium visibile ab hominibus frequentandum: si enim singulas percurramus religiones sive veras, sive falsas; manifeste inveniemus, sacrificium religioni semper fuisse coniunctum. In veteri lege fuerunt vera sacrificia; ergo in nova lege debet esse verum sacrificium: at hoc non est aliud, nisi eucharisticum. Nulla religio esse potest sine cultu Dei veri, vel falsi; cultus autem Dei est sacrificium. Religio christiana est vera religio; ergo in ea sunt sacerdotes, & sacrificium, quo homines in veri Dei cultu coadunentur.* Consequentia probatur *ex apostolo ad Ebr. VII. 11. ubi probat, quod consummato sacerdotio levitico secundum ordinem Aaron, „necessarium fuit secundum ordi„nem Melchisedek alium surgere sacerdotem — „translato enim sacerdotio, necesse est, ut & le„gis translatio fiat.„ In lege igitur nova sacerdo-*

(73) *loco citato, p. 359.*

(74) *loco citato, p. 448.*

(75) in loco *1 Cor. XI.* exstat futurum *tradetur* & apud *tres evangelistas* futurum *effundetur.*

(76) *canon missæ* pariter ponit futurum *effundetur.*

(77) *loco citato, p. 360.*

cerdotium non est ablatum, sed ab ordine Aaron ad ordinem Melchisedek translatum, i. e. a cruento & cum sanguine ad incruentum & sine sanguine, quale erat sacerdotium & sacrificium Melchisedek, quo panis & vinum offerebantur. Si enim translata lege de antiqua in novam, translata sunt sacramenta, cur non debuit sacrificium transferri? cur in lege nova, in qua sunt sacramenta a veteribus distincta, suum non erit sacerdotium & sacrificium? Respondemus, non procedere consequentiam, quod in christiana etiam ecclesia debeant esse sacrificia proprie sic dicta, quia talia fuerint in ecclesia iudaica: nam sublatis, per unicum Christi in cruce peractum sacrificium, in novo testamento typis & figuris veteris testamenti, nullum amplius in novo testamento locum habet sacrificium externum proprie sic dictum. Omnis Dei cultus pendet ab eiusdem ordinatione; voluit autem Christus, adnunciari suam mortem in S. cœna, tanquam sacramento, & commemorari sacrificationem in cruce factam, non repræsentari per novam & distinctam ab ea immolationem. *Exceptiones*, quas heic oggerit pater purpuratus, sunt meræ petitiones principii. Sacerdotes quidem sunt in novo testamento (78), & sunt etiam sacrificia: sed sacerdotum nomen commune est in nov. test. ecclesiæ ministris cum reliquis fidelibus; communia igitur quoque sunt sacrificia, videlicet spiritualia. Conclusio a veteri lege ad novam multis instantiis potest infringi. Si sensui oraculorum literali sit insistendum, erigi altare lapideum, conquiri ex tribu Levi sacerdotes, immolari vituli debent: res igitur novi testamenti metaphorice descriptæ cultui, quem evangelium præscribit, convenienter sunt explicandæ. Sacerdotium Christi *Ebr. VII. 11.* eiusque æternitas *v. 3.* non infert sacrificium externum per ministros quotidie offerendum: alias nec interrumpi, iuxta Romanensium placita, per crudeles Antichristi persecutiones posset, nec cessare in vita æterna sacrificium missæ; sed excludit successores, & dicit infinitam sacrificii a sacerdote æternum vivente oblati virtutem, huiusque intercessionem perennem (79).

§. XXIII. IV.) Eadem facilitate confutantur argumenta alia, a simili analogia petita, quando dicunt, *sacrificium adesse in novo testamento debere, quia adsint & sacerdotes Ebr. V. 1. & altare Ebr. XIII. 10.* At prior locus non agit de *sacerdotibus* christianis, quo nomine nullibi in S. scriptura veniunt ecclesiæ ministri, sed de leviticis. *Altare* in posteriore loco non infert continuandum ulterius sacrificium: neque enim altare intelligitur *materiale*, cum diserte iudaicis visibilibus opponatur *v. 11.* sed *mysticum*, i. e. Christus eiusque crux *v. 12, 15.* ex quo manducandum, non in quo sacrificandum *v. 10.*, in quo oblati extra urbem sacrificii *v. 12.* participes esse non possunt, qui templo hierosolymitano & ceremoniis iudaicis adhærent *v. 10.* nec cum Domino extra portas egrediuntur. *v. 13.*

§. XXIV. V.) Speciatim hoc fine urget Tournelius (80) locum *1 Cor. X. 16, 18. seqq.* & dicit *quemadmodum Iudaei Deo vero & Gentiles idolis ac daemoniis vera sacrificia offerebant, ita & Christiani eucharistiam ut verum ac proprie dictum offerunt sacrificium: id manifeste importat mentio, quam apostolus facit, mensae, altaris, hostiarum, immolationis, societatis & communicationis inter eos, qui eiusdem mensae sunt participes: mensa autem Domini idem est ac altare, quod ad sacrificium ordinatur Ebr. XIII. 10.* Ad ultima verba quid responderi debeat, modo ostendimus: in loco autem *1 Cor. X.* attendendum est ad tertium comparationis, quod ad *participationem* respicit, non ad *altaris* vel *sacrificii* paritatem, ut mens apostoli sit: Corinthios, cœnæ Domini participes factos, & cum Christo communionem habentes, eiusque religionem profitentes, Gentilium conviviis, ubi in idolorum honorem

(78) *Es. LXI. 6. LXVI. 21. 1 Pet. II. 9. Apoc. I. 6.*
(79) *Ebr.* VII. 24, 25. X. 14.

(80) *loco citato, p. 448.*

norem edebantur idolothyta, bona conscientia interesse non magis posse, quam illos, qui comederint ex victimis legalibus, sactique fuerint altaris participes, & religionem iudaicam professi. Evangelii certe prædicationem *1 Cor. IX. 13, 14.* altaribus Iudæorum comparatam nemo dixerit sacrificium proprie sic dictum.

§ XXV. VI.) Excitant *typum agni paschalis*, quem figuram fuisse aiunt, non tantum immolationis *cruentae* Christi in ara crucis, sed etiam *incruentae* ac mysticæ in eucharistia. Ut de hoc nobis persuadeat TOURNELIUS (81), modo commemoratus, ad varias agni paschalis circumstantias provocat. Quæ vero omnia nullius sunt momenti, si sequentia probe notentur. Scilicet nusquam in S. scriptura occurrit agni paschalis qua sacrificii ad *S. cænam* qua sacrificium adcommodatio. *Christi* quidem typus fuisse dicitur agnus paschalis, eius autem cruente in cruce immolati (82). Posita vero agni paschalis ad eucharistiam relatione typica prodeunt consequentiæ, non nobis, sed dissentientibus adversæ: verb. grat. missam non *incruentum* esse posse sacrificium; non singulis diebus repeti; non a solis offerri sacerdotibus; non *propitiatoriam* esse, sed duntaxat *commemorativam*; nil esse de ea reservandum; Christum modo cruento immolari debuisse, antequam manducandum discipulis exhiberetur ipsius corpus.

§ XXVI. VII.) Urgent, λειτουργειν, quod de apostolis dicitur *Act. XII. 2.* denotare *actum sacrificandi*, atque inde concludunt, missam esse sacrificium. At latius multo patet hoc verbum, quam ut restringi ad sacrificandi actum possit: id quod adparet etiam ex addito verbo νηστευειν. *Rom. XV. 16.* de prædicatione evangelii adhibetur; & generatim denotat quemcunque Dei cultum.

§ XXVII. VIII.) Omnium maxime PATRUM locutionibus innituntur, qui de S. cœnæ celebratione usurpant vocabula *oblationis*, *immolationis*, *victimae*, *sacrificii*, *missae*, *sacerdotum*, *altaris*. Verum ea non dicebant verum & proprium in S. cœna sacrificium propitiatorium, Christique sub speciebus panis & vini immolationem: ortum autem ducebant ab externis munerum oblationibus, & ab exercitiis pietatis in eucharistiæ celebratione consuetis; atque adhibebantur ad indigitandum præcipuum S. cœnæ finem, nempe sacrificii Christi commemorationem, nec non ad retundendas ab exprobrato omnis sacrificii defectu adversariorum criminationes (83). Obscurata demum veritatis luce, auctisque superstitionis & ignorantiæ tenebris, locutiones impropriæ in proprias transivere; corporis Christi signa in ipsum corpus Christi; cœna in sacrificium; sacrificium spirituale & eucharisticum in externum, incruentum ac propitiatorium; mensæ in altaria; ministri in sacerdotes.

§. XXVIII. Pro *defunctis* recte offerri sacrificium missæ, statuunt iidem, quos sæpe iam nominavimus, TOURNELIUS & cardinalis GOTTI, sed neque pro beatis, neque pro damnatis, verum pro solis animabus in purgatorio detentis. I.) Argumenti loco adducunt factum Iudæ Maccabæi, *2 Maccab. XII. 43.* in quod cardin. GOTTI sic commentatur: *hoc sacrae scripturae textu docemur, Ebraeos obtulisse sacrificia pro mortuis; ergo Christiani missae sacrificium, quod mosaicis adumbratum est, pie pro fidelibus mortuis offerunt - - ne autem quis Iudae factum erroris insimulare posset, illud probat scriptura v. 46. addens: „sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.„ - - quibus etiam patet, Iudam pie ac religiose potuisse cogitare, caesos illos, apud quos donaria idolorum fuerunt inventa, non esse propter hoc damnatos in aeternum.* Ex multis, quæ a nostratibus regeruntur, notamus præcipue sequentia: *Primo*

(81) *loco citato, p. 447.*

(82) *Iob. XIX. 36. 1 Cor. V. 7.*

(83) Huc conf. GERHARDI *confessio catholica p. 1220. seqq.* itemque *theolog. Sendschreiben &c. p. 124 seqq.* FECHT. *loc. cit. p. 16. seqq.*

Primo sicut adversarii heic loci supponunt stabilitam de purgatorio doctrinam, ita nos confutatam eandem alibi supponimus. *Deinde* canonicæ auctoritatis non esse librum illum, dudum probatum dederunt theologi nostrates, & agnoscunt Romanensium nonnulli (84): ut alia taceamus, Spiritus sancti certe non est, imperitiæ veniam abs lectore petere (85). Sacrificium pro mortuis offerendum nusquam præscribitur in lege: & ipse librorum maccabaicorum excerptor non obscure, per bonæ intentionis prætextum, fatetur, novum quid & insolitum commisisse Iudam Maccabæum. Errat autem enormiter, quod pie occubuisse dicit, sub quorum tunicis res idolis sacratæ fuerunt post mortem inventæ. Idem ergo excerptor videtur multa de suo adiecisse, Iudas autem iuxta legem (86) pro viventium cœtu *v. 42.* sacrificium obtulisse. Ponamus vero, quod *tertio* notamus loco, factum illud ita se habere, ut volunt Romanenses, consequentia tamen, quam inde deducunt, non procedit, quia alia prorsus est novi testamenti ratio, quam veteris; & quia, qui in acie ceciderant milites maccabaici, in mortali, quantumvis id excusent pontificii, decesserant peccato, pro quo defunctorum genere oblatam missam non valere, ipsi statuunt adversarii. II.) Provocant ad omnium seculorum PATRES, tum latinos, tum græcos, tanquam testes huius consuetudinis offerendi in ecclesia Dei pro mortuis sacrificium. At pro mortuis sacrificia offerre in antiqua ecclesia idem erat, quod pro commemoratione eorum, non ad delictorum expiationem, sed in testimonium, quod non ut excommunicati, sed ut ecclesiasticæ communionis participes decesserint (87). III.) Alii Romanensium doctores κατ ανθρωπον argumentantur, & ex eo, quod *orationem pro defunctis* reiicienti AERIO nos non patrocinari dicamus (88), per conclusionem *a pari*, nobis etiam *sacrificium pro mortuis* offerendum obtrudere volunt. Sed, licet *orationem pro defunctis* pluribus quidem modis non inutilem esse facile concedamus; pro peccatis tamen *propitiatoriam* esse & *satisfactoriam*, nullibi tradimus: &, quicquid sit, quæ, qualis exinde ad sacrificium, quod ne exsistere quidem docemus, conclusio?

§. XXIX. *Exceptionum*, quibus argumenta nostra superius proposita infringere conantur ecclesiæ Romanæ doctores, singulari examine supersedemus, cum solutu admodum faciles sint, perceptis solide argumentis. A *querelis* autem & *calumniis*, domesticis adversariorum telis doctrinam nostræ ecclesiæ dudum vindicavit b. GERHARDUS noster (89), ad quem lectores nostros remittimus.

* * *

De eucharistiæ *veneratione*, quæ non minus, ac *sacrificium missaticum*, transsubstantiationis dogmati ortum suum debet, supra *cap. XIX.* ita egimus, ut, fixo ante omnia controversiæ statu (1), invictis eam impugnaverimus argumentis (2), BELLARMINI de ea disputationem excussimus (3), ac, quæ ex patribus, THEODORETO, CHRYSOSTOMO, EUSEBIO *Emisseno*, AMBROSIO, ORIGENE, DIONYSIO *Areopagita*, trahi huc solent, loca

(84) vid. GERHARDI *confess. cathol. p. 362. sqq.*

(85) conf. 2 *Maccab. XV. 39, 40.*

(86) *Levit.* IV. *13. seqq.* conf. *Deut.* XXI. *1. seqq:* add. *Ios.* VII.

(87) vid. DEYLING. *loc. cit. p. 305.* BUDDEUS *loc. cit. p. 19.*

(88) in *apologia august. confess. p. 275.*

(89) in *confess. cathol. p. 1239. sqq.*

(1) *pag. 353. seqq.* tam in *textu*, quam in *notis.*

(2) *pag. 356. seq.*

(3) *pag. 357. seqq.* & *pag. 362. seq.*

ca vindicaverimus (4). Haud ingratum speramus, lectoribus fore officium, quod supplementi loco heic suscipimus, historicam rei tractationem subiuncturi. Observamus autem

I.) solemnem in papatu panis & calicis, peracta consecratione, *elevationem*, ea de causa fieri solitam, ut ab universo cœtu, *in genua provoluto, adorentur* cultu latrevtico, recentiorem esse corruptelam, quæ ante seculum XIII. invecta in ecclesiam non fuerit. Libere Io. Guilielmus de Lith (5), theologus quondam Onoldinus, isque doctissimus, ita hanc in rem pronunciat: *cupiditate veram ἀρτολατρείας originem eruendi tractus, quaecunque exquirere potui, vetustatis monumenta, quibus antiquorum ecclesiae christiane rituum memoria consignata est, magna cum cura perlustravi, ac ne unicam quidem liturgiam antiquam, quae adorationem hostiarum praeceperit, reperire potui. Et ne quis forte me animo minus attento ad lectionem accessisse suspicetur, omnino nec pontificii scriptores ullum unquam testimonium pro ista adoratione ex libris veterum ritualibus petere ausi sunt.* Jam vero quod

II.) notamus, probandi onere supersedere nobis liceret, si omnes Romanæ ecclesiæ doctores eo essent animi candore, quo sunt Hugo Menander (6), librorum liturgicorum & Micrologi inprimis, adcurati seculi XI. scriptoris, silentio cedens, ac Io. Morinus (7), ingenue confitentes, ritum illum *non adeo esse antiquum;* nec non, qui duumviris hisce ad latus poni merentur, addictissimi aliis ecclesiæ Romanæ, Io. Bona, pater purpuratus (8), & Iac. Goarus (9), refellentes impudens Io. Stephani Duranti, consiliarii regii, & senatus Tholosani in Gallia præsidis, adsertum (10), *plane ipsis ecclesiae incunabulis illam consuetudinem cœpisse*, candideque fatentes, *plane non constare, quae prima origo fuerit in ecclesia* latina *sacra mysteria elevandi.*

III.) Cum vero alii, ex quibus, præter Bellarminum, unicum cardinalem Gotti (11) excitasse sufficiat, contendant, *huius adorationis testimonium infallibile praebere perpetuam utriusque ecclesiae, orientalis & occidentalis praxin, quae semper & ubique eucharistiae consecratae adorationem exhibuerit;* cumque concilium Tridentinum *latriae cultum sacramento adhibendum* dicat *morem in ecclesia catholica semper receptum:* exactior utique rei disquisitio nobis incumbit.

IV.) Tractarunt hoc argumentum, veteremque ecclesiam ac patres illius ignorasse prorsus eucharistiæ adorationem, magna testimoniorum & argumentorum mole probatum dederunt Rudolph. Hospinianus (12), Edmund. Albertinus (13), Io. Dallæus (14), Matth. Larroquanus (15), Iac. Basnagius (16), atque Io. Guiliel. de Lith (17), modo laudatus. Iidem auctores

(4) *pag. 360. seqq.*

(5) in *disquisitione theologica & historica de adoratione panis consecrati & interdictione sacri calicis in eucharistia. cap. I. §. VI. p. 9.*

(6) in *notis ad sacramentarium Gregorianum. p. 373.*

(7) de *ordinat. part. III. exercitat. IX. cap. I. p. 169.*

(8) in *lib. II. rerum liturg. cap. XIII. §. XI.*

(9) in *notis ad euchologg. §. CLVIII. p. 146.*

(10) in *descriptione rituum eccles. lib. II. cap. XL. §. II. p. 339.*

(11) in *theologia scholastico - dogmatica. tom. III. tractat. VII. quæst. III. p. 333.*

(12) in *historia sacramentaria tom. I. lib. V. cap. VIII. f. 475. seqq.*

(13) *lib. II. de sacr. euchar. f. 432.*

(14) in *disput. adversus traditionem latinorum de cultus religiosi obiecto lib. II.* item *de cultibus religiosis latinorum, lib. III. cap. XX. seqq. & lib. VI. VII.*

(15) in *historia eucharistiæ. part. I. cap. IX.*

(16) dans *l' histoire de l' eglise lib. VII. f. 967. seqq.* ubi potissimum Iac. Boileau refellitur.

(17) *loc. cit.*

ctores egregie etiam vindicant patrum loca, quæ in rem suam excitant Romanenses, eaque vel de eucharistia plane non agere; vel non ipsius sacramenti, sed Christi in sacramento adorationem indigitare; vel vocem *adorationis* improprio adhibere sensu, demonstrant. Exhibebimus ex hisce scriptoribus in compendio rei summam. Notamus itaque

V.) *Elevationis* ritum multo serius a *latinis*, quam a *graecis* receptum fuisse. Haud diffitetur hoc doctissimus cardinalis BONA (18), *quo*, inquiens, *tempore in Italia aliisque regionibus hic mos inceperit, incertum est. Nec etiam liquet, quae prima origo fuerit in ecclesia latina elevandi sacra mysteria, statim ac consecrata sunt. In antiquis enim sacramentorum libris, & in codicibus ordinis romani tam excusis, quam manuscriptis, nec in priscis rituum expositoribus* ALCUINO, AMALARIO, WALAFRIDO STRABONE, MICROLOGO, *& aliis, aliquod eius vestigium reperitur.* Nos vero urgemus porro, quod nullum ritus istius vestigium occurrat, vel apud IUSTINUM *martyrem*, qui eucharistiæ celebrationem exacte descriptam dedit (19), adeoque partem eius præcipuam, qualem venditant Romanenses hostiarum adorationem, silentio præteriturus non fuisset; vel apud CYPRIANUM; vel alium ex antiquis patribus; vel GREGORIUM *Romanum* & ISIDORUM *Hispalensem*. Patres quidem aliquot commendant, omnesque fere de S. cœna & precibus publicis commentatores, omnes etiam, tam Græcæ quam Latinæ, liturgiæ commemorant in eucharistiæ sumtione elevationem aliquam, eam vero cordis, quæ adclamatione antistitis sacra celebrantis: *sursum corda*, populique responsione: *habemus ad Dominum*, absolvebatur. Auctores autem supra (*num. IV.*) a nobis excitati luculenter comprobarunt, *Graecos* septimo demum seculo, *Latinos* vero multo serius elevationem panis adoptasse, non adorationis quidem causa, verum ad repræsentandam Christi in cruce elevationem, & in cœlos adscensionem. Quam relationem & intentionem diserte exprimunt, ex Græcis GERMANUS, præsul Constantinopolitanus, qui sub initium seculi VIII. floruit (20), & ex Latinis IVO CARNOTENSIS (21), qui circa finem seculi XI. vixit, ac primus mentionem elevationis facit. Quare irrito plane conatu ad duumviros hosce provocant Pontificii. Iidem, ut vindicent tamen *elevandi* moris antiquitatem, latinorum scriptorum præsidio destituti confugiunt ad græcos. Excitat ex iis IO. BONA *I*), DIONYSIUM *Areopagitam* (22), *divinissima*, aientem, *consecrat mysteria sacerdos.* καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα, *& in adspectum ducit quae consecravit.* At, si vel genuinum foret ex scriptis Areopagiticis testimonium, non docet tamen, elevationem, adorationis causa & more romano, factam olim fuisse, sed ostensionem significat, per velaminum remotionem, factam (23). Quum antiquiorem proferre testem nequeat, provocat, *II*) cum BELLARMINO ad BASILIUM cognomine *magnum*, scriptorem seculi IV. qui diserte commemorat τὴν ἀνάδειξιν τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας (24). Equidem, ponamus tantisper, ἀνάδειξιν hic esse ostensionem: num ostensio ista nonnisi per elevationem panis ac poculi fieri potuit? fiebat omnino, removendis velis, ianuisque sanctuarii aperiundis. Verum enim vero cum in hoc textu non de precibus (25) populi adstantis, sed sacerdotis eucharistiam consecrantis,

(18) *rerum liturg. lib.* II. *cap.* XIII. §. II.

(19) in *apologia* II. anno Christi *CXLIV.* edita. Verba IUSTINI refert DE LITH *loc. cit.* §. IV. *p. 6.*

(20) in libro *de theoria rerum ecclesiasticarum.*

(21) in *epistola de sacrificio missæ.* vid. *bibliothecam patrum M. tom.* II. *f. 602. tom.* XII. *f. 407. tom.* X. *f. 586.* & *1408.*

(22) *de eccles. hierarch. cap.* III. *f. 296.*

(23) conf. DE LITH *loc. cit.* §. XII. *p. 19. seq.*

(24) *de Spiritu sancto. cap.* XXVII. Integra BASILII verba exhibet GUIL. DE LITH. *loc. cit. p. 19.*

(25) quæ *oratio velaminis* adpellabantur.

tis, sermo sit; ipse cardin. PERRONIUS agnoscit, ἀνάδειξιν heic non *ostensionem*, sed *consecrationem* significare (26): quo sensu verbum ἀναδείκνυμι & ipse BASILIUS, & profani scriptores frequenter usurpant (27). Quum *III*) commemoret HILDEBERTVM *Turonensem* & GVILIELMVM *Parisiensem*, qui post IVONEM *Carnotensem* primi elevationis inter latinos mentionem fecerint; fallitur, quod GVILIELMVM integro seculo INNOCENTIVM III. antecessisse ait, cum tamen, istum circa annum MCCXL. vixisse, notissimum sit: HILDEBERTVS vero, qui seculo XII. floruit, elevationem quidem narrat, sed talem, quæ partim consecrationem præcedebat, partim eius peractæ signum erat (28). *IV*) Maronitas quoque ac Æthiopes sancta bona elevare dicit BONA, & urget auctoritatem orationis, ab iis, durante panis consecrati elevatione, recitari consueræ: At in hac nihil prorsus de sacramenti veneratione legitur, sed sacerdoti clamanti: *sancta sanctis in perfectione, puritate & sanctitate dentur*, respondet populus: *unus pater sanctus, unus filius sanctus, unus spiritus sanctus; gloria patri & filio & spiritui sancto.* In missa Mozarabica ait sacerdos: *fidem, quam corde credimus, ore dicamus; statimque elevat corpus domini*, non ut adoretur, sed *ut videatur a populo, & dicunt omnes symbolum: credimus in unum Deum, patrem omnipotentem. V*) Lepidum denique commentum est, quo in oraculo *psalm. LXXII. 16.* ubi iuxta textum ebræum de felicitate temporum Messiæ dicitur: *erit abundantia frumenti in terra, in vertice montium perstrepet, ut Libanus, fructus eius*, RAIMUNDUS MARTINUS (29), & PETRUS GALATINUS, Minorita (30), ex *frumento* placentas orbiculares, ex *montibus* sacerdotes catholicos, placentas supra capita sua extollentes, atque populo ad adorationem proponentes, effingunt. Ast, missis hisce nugis, notamus

VI.) seculo demum XIII. latam ab HONORIO III. pontifice Romano, legem, GREGORII IX. *decretalibus* (31) insertam, *elevationis* meminisse absolute, citra hactenus dictos respectus. Ita enim *loc. cit.* pronunciat pontifex: „sacerdos quilibet frequenter doceat plebem suam, ut, cum in celebratione missarum *elevatur hostia* salutaris, se reverenter inclinet, id est, flexis, ut glossa dicit, genubus. Idem faciens, cum eam defert presbyter ad infirmum.„ Circa finem eiusdem seculi XIII. GUILIELMUS DURANTES (32) *hostiam elevari*, ait, *ut populus, ex hoc cognoscens, consecrationem factam, & Christum super altare venisse, reverenter ad terram prosternatur.* Iam vero, quod

VII.) notamus, GENUUM etiam FLEXIO in S. cœnæ administratione valde recens in papatu mos est. IUSTINUS *martyr* (33) ingenue, absque omni dissimulatione & disciplina arcani (34), universum eucharistiæ ritum exponit: tantum vero abest, ut elevatis hostiis in genua provolutos christianos easdem adorasse enarret, ut potius *consurrexisse* eos in eucharistia

(26) Sic quoque interpretantur CHAMIER, DALLÆUS, BASNAGIUS, alii.

(27) Exempla vid. in EDM. ALBERTINI *lib.* II. *de eucharistia. f. 446.* qui ipse PERRONIUM cardin. tanquam consentientem adlegat.

(28) vid. DE LITH *loc. cit. p. 21. seq.* ubi simul ex RUPERTO *Tuitiensi*, seculi XII. scriptore, *lib.* II. *de div. offic. cap.* II. probatur, elevationem tunc ad memoriam mortis Christi, non ad sacramenti adorationem, factam esse.

(29) in *pugione fidei, part.* III. *dist.* III. *cap.* XV.

(30) *lib.* X. *de arcanis catholicæ veritatis. cap.* IV. & VI.

(31) *lib.* III. *tit.* XLI. *cap.* X. *de celebratione missarum. p. 812.*

(32) in *rationali divinorum officiorum. lib.* IV. *de 6. parte canonis f. 65. col. 2.*

(33) *loc. cit.* verba ipsius habentur in GUIL. DE LITH. *loc. cit. p. 7.*

(34) Hoc recentiorum adversariorum commentum refutat DEYLINGIUS in *observationibus miscellan. exercit.* V. *observ.* XI. §. VII. VIII.

ſtia ad *Deum invocandum* referat. Menſæ eucharisticæ, ante altaria exſtrui cœpta, *adſtandi* conſuetudinem ſeculo III. viguiſſe, DIONYSIUS *Alexandrinus* teſtis eſt (35). Generatim quod adſtare ad altare ſoliti veteres chriſtiani fuerint, ſtantesque conſecraverint, & ſtantes communicaverint, ac totum liturgiæ dominicæ officium ſtando peregerint; quodque cultus externus & latreuticus genuum flexione eucharisticis ſymbolis ante ſeculum XIII. non cœperit deferri, luculentis utique teſtimoniis abunde evincunt DEYLINGIUS (36), IAC. BASNAGIUS (37) & GUIL. DE LITH (38). Equidem ſub initium ſeculi XIII, cuius anno XV. in concilio Lateranenſi IV, contradicentibus quidem Albigenſibus in diſputatione anno VI. eiusdem ſeculi habita (39), *transſubſtantiationis* dogma tanquam articulum fidei confirmavit INNOCENTIUS III. habitaque ſynodo decrevit ODO, Pariſienſis præſul, ut *ad corpus Domini, quotiescunque geſtaretur, genua omnes flecterent, tanquam domino & creatori ſuo* (40). Neque tamen, quod

VIII) notamus, is cultus hac ſtatim ætate univerſe receptus eſt. Celebravit enim ipſe papa GREGORIUS X. in concilio Lugdunenſi II. anno MCCLXXIV. habito, miſſam STANTIBUS Græcis iuxta altare (41). Improbavit adhuc circa finem ſeculi XIV. RADULPHUS DE RIVO (42), genuflexionem in miſſa, a nonnullis eo tempore fieri ſolitam, his verbis: *genuflexio, quam quidam ad verba:* deſcendit de cœlis, *inchoant, & in verbis:* & reſurrexit, *terminant, nullo exemplo probatur. Concilium enim Nicaenum genuflexionem dominico die interdicit. Et aliis praecipuis feſtivitatibus fieri non debet.* Cetera, quæ huc pertinent, obſervatu digna: quod genuum flexio diebus dominicis, ac a paſchate uſque ad pentecoſten, in eccleſia priſca plane fuerit vetita; quod ALEXANDER III. genua diebus dominicis publice flecti denuo prohibuerit; quod ſeculo XIII. euchariſtia fuerit ſtando adhuc recepta; quod HONORII III. decretum non præceperit genuum flexionem, licet adorationi hoſtiarum occaſionem dederit; quod ſeculo XV. adhuc liberum cuique fuerit, velletne hoſtiis elevatis genua flectere, an duntaxat reverenter ſe inclinare; quod ſeculo XVI. uſque ad concilium Tridentinum eccleſia Mediolanenſis elevatione hoſtiarum, Lugdunenſis genuum flexione abſtinuerit; quod *Pontifex R.* in miſſa ſolemni *ſedens* communicet, & quæ ſunt huius generis alia, nolumus heic copioſius ediſſerere; ſiquidem hæc omnia diligenter adnotavit, probavit, illuſtravit, egregieque tradidit ſæpius laudatus IO GUIL. DE LITH (43). Hodienum certe, etſi exoleverit iamiam ſtandi ritus, orant tamen Pontificii in *canone miſſali:* pro omnibus *circumſtantibus.* Iam vero, quod

IX. notamus, ipſam pariter panis conſecrati ADORATIONEM ignorat apoſtolica & primitiva eccleſia, ex *transſubſtantiationis* demum commento ortam (44). Chriſtus neque in Evangeliſtis, neque apud Paulum, quidquam legitur de ea tradidiſſe. Patres priorum ſeculorum, illi etiam, quibus nefas erat præterire hanc, ſi modo unquam exſtitiſſet, conſuetudinem, IUSTINUS *martyr*, IRENÆUS, CLEMENS *Alexandrinus*, TERTULLIANUS, CYPRIANUS, ORIGENES, alte de ſacramenti adoratione ſilent. E contrario & hi & ſcriptores

(35) conf. DE LITH *loc. cit.* §. V. *p. 8.*

(36) *loc. cit. p. 411. ſeqq.*

(37) dans *l'hiſtoire de l'egliſe lib.* XVII. *cap.* V.

(38) *loc. cit.* §. VI. VII. *p. 9. ſeqq.*

(39) vid. IO. PAULI PERRINI *hiſtoire des chretiens Albigeois. lib.* I. *cap.* II. *p. 8.*

(40) vid. huius ſynodi conſtitut. in *bibliotheca patrum magna, tom.* VI. *f. 4, 11.*

(41) vid. HARDUINUS *tom.* VII. *concil. f. 630. A.*

(42) in libro *de canonum obſervantia, propoſitione ultima.*

(43) *loc. cit.* §. XVI. XVII. XVIII. XX. XXII. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

(44) vid. IAC. BASNAGIUS dans *l'hiſt. de l'egl. liv.* XVII. *cap.* I. II. III.

ptores reliqui veterum christianorum frequentissime testantur, sese solum colere Deum, nullam creaturam (45), qualis ipsis adhuc erant symbola consecrata (46). Taceo, quod priscis temporibus, hostiarum orbicularium, quales nunc adorandas in theca circumgestant ac monstrant sacerdotes pontificii, nullus in eucharistia fuerit usus, sed panis vulgaris de mensa quotidiana usurpatus (47). Empæctarum certe, uranolatriam, heliolatriam, staurolatriam, capitis asinini consecrati & martyrum cultum, ex odio per calumnias obiicientium, & Gentilium, quibus idololatriam ipsi exprobrabant vereres christiani, criminationes de ἀρτολατρείᾳ & οἰνολατρείᾳ, si vel ex levissimo rumore suspecti de hac fuissent, christiani effugere non magis potuissent, quam Pontificii Turcarum, Iudæorum & Gentilium de panis & vini adoratione exprobrationes: nullibi autem quidquam de cultu eucharistiæ christianis exprobratum ab osoribus religionis christianæ legimus. Non minus notari meretur, quod

X.) *ordo Romanus*, seculi VIII. fœtus (48), minutias quasvis levissimosque, qui observari in missa solebant, ritus commemorans, ne minimam adorationis hostiarum consecratarum mentionem ullibi iniiciat. Statim quidem sub eius initium hæc leguntur verba: *pertransit pontifex in caput scholae, & in gradu superiore, inclinato capite ad altare, primo adorat sancta, & stat semper inclinatus, usque ad versum prophetalem.* Quum autem in primo statim pontificis ad altare accessu, & in primo statim adspectu sanctorum, id est, symbolorum sancto usui destinatorum (49), ante pronunciata verba consecrationis, fieret ista capitis inclinatio, nil gestu hoc externo intenditur, nisi cœtus præparatio ad sacra devote celebranda, impropriequesumitur vox *adorationis*: id quod vlterius exinde confirmatur, quod alter *ordo romanus* adorationis voci substituit verbum *salutare*; & quod *ordo romanus* tertius *altare salutare* pontificem dicit, pro eo, quod in primo & secundo *ordine* dicebatur *adorare* vel *salutare* sacra. Nulla quoque est Io. Mabillonii (50) exceptio, hunc locum ad *praesanctificata*, ad eucharistiam ex præcedenti sacrificio reservatam, detorquentis: quod enim non de hac, sed de oblatis consecrandis sermo sit, ipse statim verborum intuitus docet evidentissime; hæc vero in *ordine romano* secundo ita sonant: *tunc inclinato capite pontifex vel diaconus salutat sancta, & contemplatur, ut, si fuerit superabundans, praecipiat, ut ponatur in conditorio*; & in ordine romano tertio: *tunc pontifex, surgens a sede, descendit ad altare, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii & diaconorum atque primiceriorum. Deinde archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario, & dat pontifici.* Futile pariter eiusdem Mabillonii commentum est (51), *veteres corporis inclinatione sacram hostiam & sacra mysteria adorasse*, vel ex eo confutandum, quod & sacerdotibus & omnibus præsentibus, ad publicam evangeliorum prælectionem; nec non quarto scholæ, pervenienti in presbyterio ad priorem scholæ, vel secundum, sive tertium; atque subdiaconis coram altari atque evangelio superpositio, inclinatio in *ordine romano* fuit iniuncta: ubi tamen nemo vel per somnium de adorationis cultu cogitat. Nec, quod observamus

XI.) apud celebres seculi XII. scriptores, Bernhardum *p. 31. seqq.* de hocce argumento differuimus.

(45) vid. Io. Dallæus *de obiecto cultus religiosi. lib.* I. *cap.* II. III. IV.

(46) vid. Deylingius *loc. cit.* §. V. *p. 401.*

(47) vid. Iac. Sirmondus, Iesuita Gallus, *oper. tom.* III. ubi exstat *disquisitio de azymo, semperne in altaris usu fuerit apud latinos.* Conferenda, quæ nos supra in *notis* ad Gerhardum hoc externo intenditur, nisi cœtus præparatio ad sacra devote celebranda, impropriequesumitur vox *adorationis*: id quod vlterius exinde confirmatur, quod alter *ordo romanus* adorationis voci substituit verbum *salutare*; & quod *ordo romanus* tertius *altare salutare* pontificem dicit, pro eo, quod in primo & secundo *ordine* dicebatur *adorare* vel *salutare* sacra. Nulla quoque est Io. Mabillonii (50) exceptio, hunc locum ad *praesanctificata*, ad eucharistiam ex præcedenti sacrificio reservatam, detorquentis: quod enim non de hac, sed de oblatis consecrandis sermo sit, ipse statim verborum intuitus docet evidentissime; hæc vero in *ordine romano* secundo ita sonant: *tunc inclinato capite pontifex vel diaconus salutat sancta, & contemplatur, ut, si fuerit superabundans, praecipiat, ut ponatur in conditorio*; & in ordine romano tertio: *tunc pontifex, surgens a sede, descendit ad altare, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii & diaconorum atque primiceriorum. Deinde archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario, & dat pontifici.* Futile pariter eiusdem Mabillonii commentum est (51), *veteres corporis inclinatione sacram hostiam & sacra mysteria adorasse*, vel ex eo confutandum, quod & sacerdotibus & omnibus præsentibus, ad publicam evangeliorum prælectionem; nec non quarto scholæ, pervenienti in presbyterio ad priorem scholæ, vel secundum, sive tertium; atque subdiaconis coram altari atque evangelio superpositio, inclinatio in *ordine romano* fuit iniuncta: ubi tamen nemo vel per somnium de adorationis cultu cogitat. Nec, quod observamus

XI.) apud celebres seculi XII. scriptores, Bernhardum *p. 31. seqq.* de hocce argumento differuimus.

(48) conf. de Lith *loc. cit.* §. XIV. *p. 23.*

(49) *missa* quoque Iacobi sancta vocat symbola, ante consecrationem, quam primum adferuntur a sacerdote.

(50) in *commentario in ordinem romanum. p. 36.*

(51) *ibid. p. 49.*

BERNARDUM & HUGONEM A S. VICTORE, nullum, de more eucharistiam flexis genubus adorandi, occurrit vestigium: quin potius, hoc seculo ad finem vergente, renovatum est genuum flexionis interdictum, a papa ALEXANDRO III. his verbis: *diebus dominicis, & aliis praecipuis festivitatibus, sive inter pascha & pentecosten, genuum flexio nequaquam debet fieri, nisi aliquis ex devotione id velit facere in secreto* (52). Certissimum igitur

XII.) est, sordidam demum seculi XIII. barbariem introduxisse in ecclesiam panis consecrati adorationem, flexis genubus peragendam. Et in Germania quidem superstitionis huius auctor erat GUIDO cardinalis, qui, memorante CÆSARIO *Heisterbacensi* (53), *bonam consuetudinem* Coloniæ Agrippinæ *instituit, ut ad elevationem hostiae omnis populus in ecclesia, ad sonitum nolae, veniam peteret, sicque usque ad calicis benedictionem prostratus iaceret* (54). Adridet nobis DEYLINGII coniectura, GUIDONIS institutum forte non adeo malum fuisse, voluisse eum fortassis non hostiæ adorationem mandare, sed populo Christi crucifixi memoriam & cultum in animum revocare, ac omnes commonere, ut Christi morte confisi, flexis genubus peterent veniam peccatorum. Nostra vero etiam facimus verba eiusdem DEYLINGII, ita pergentis: *quicquid sit, nobis sufficit demonstrasse, genuflexionem in missa XIII. demum seculo in Germania coepisse usurpari.* In Italia autem, aliisque regionibus, quando idem invaluerit ritus, ipso cardin. BONA fatente (55), incertum est. Certe nec ante hanc ætatem, nec paulo post universe receptus, aut solemni præcepto sancitus fuit, nec abrogata lex antiqua, quæ statutis temporibus genuum flexionem interdixit. Verba saltem ex HONORII lege supra adlegata: *reverenter se inclinare*, non idem præcise dicunt, ac in genua provolvi (56).

XIII.) Festum etiam eucharistiæ sacramento destinatum, quod *festum corporis Christi* nuncupatur, recens institutum est ab Urbano IV. anno MCCLXIV. (57). Centum vero annis post institutum festum ipsum, splendidam demum pompam, solemnem processionem, ac theatricam panis consecrati per plateas circumgestationem Pataviæ cœpisse, atque inde in reliquas regiones occidentis dimanasse, refert GENEBRARDUS (58). Audiamus instar omnium cardinalem GOTTI, antiquitatem alias cum suis crepantem, heic autem libere deserentem, is vero ita (59): „Solemnis huius circumgestationis originem detegere, difficile est - - „putant aliqui, eius institutorem fuisse eun„dem URBANUM IV. sed immerito. Nam „in eius *bulla*, quæ incipit *Transiturus*, men„tio quidem fit de festivitate, & de indulgen„tiis

(52) vid. GREGORII *decret. lib.* II. *tit.* IX. *cap.* II.

(53) Ordinis Cistertiensis monacho, qui seculo XIII. floruit, in *libris* XII. *illustrium miraculorum & historiarum memorabilium lib.* IX. *cap.* LI. *p.* 710.

(54) Contigit hoc anno MCCIII. sic IO. BONA *rerum liturg. lib.* II. *cap.* XIII. *p.* 567. refert ex ODORICI RAYNALDI *annalium eccles. tomo* XIII.

(55) *loco citato.*

(56) conf. DE LITH *loc. cit.* §. XXII. *p.* 38. *seq.* & §. XXIV. XXV.

(57) Conferenda, quæ GERHARDUS noster supra *cap.* XVIII. *p.* 344. *seqq.* de hocce festo adnotavit, & quæ nos in notis textui subiectis de eodem differuimus. Dedimus quoque *loc. cit. p.* 845. indicem auctorum, qui de hoc festo copiosius egerunt. Jungi tamen merentur ex ecclesiæ Romanæ scriptoribus, HARDUINUS *concil. tom.* VII. *f.* 548. &, qui primo nominandus erat loco, BENEDICTUS XIV. ecclesiæ Rom. præsul, isque longe doctissimus, in *comment. de festis Jesu Christi & matris eius &c. part. I. num.* 532. *seqq. p.* 211. *seqq.* Ex protestantibus consuli meretur IO. DALLÆUS *de cultibus religiosis latinorum libr.* VI. *cap.* XV. *p.* 801.

(58) in *Urbano* IV.

(59) *loco citato, p.* 338. §. III. *num.* VII. *seqq.*

„ tiis conceſſis iis, qui horis canonicis inter-
„ fuerint; nil tamen de proceſſionibus dicitur:
„ & auctores URBANO ſuppares de feſtivitate
„ corporis Chriſti ab eo inſtituta locuti ſunt,
„ at de proceſſione nec verbum habuere. Cen-
„ ſent propterea alii, inſtitutores fuiſſe, vel
„ MARTINUM V. vel EUGENIUM IV. ſed
„ falſo. Nam MARTINUS & EUGENIUS
„ de proceſſione loquuntur quidem: ille in *bul-*
„ *la*, quæ incipit: *Ineffabile ſacramentum*,
„ 26. Maii 1420. iſte in ſua conſtitutione *Ex-*
„ *cellentiſſimo*, 26. Maii 1433. ſed non tan-
„ quam de re nova, & ab ipſis in eccleſiam in-
„ vecta. Veroſimile ergo eſt, ritum illum poſt
„ URBANUM & ante MARTINI ac EU-
„ GENII tempora, prius apud aliquas eccle-
„ ſias particulares, ex epiſcoporum & fidelium
„ pietate, fuiſſe introductum, quem ſenſim a-
„ liæ, & demum tota occidentalis eccleſia, ſu-
„ ſcepere. Nec mirum. Ea enim, quæ ad di-
„ ſciplinam pertinent, aliquando a privatis ec-
„ cleſiis uſurpata, promovente pietate, ſine
„ ſcriptis legibus aliquando apud omnes inva-
„ leſcunt. ESPENCEUS *lib. II. de euchar.*
„ coniicit, proceſſionis illius uſum anno 1404.
„ decem plus minus annis ante concil. Conſtant.
„ in Papiæ civitate, cœpiſſe; addens, MAR-
„ TINUM V. in eo concilio electum, indul-
„ gentias ab URBANO conceſſas pro feſto, ad
„ ſequentes eodem die, & tota octava ſacra-
„ menti extendiſſe. Hæc ex *hiſtoria Mediola-*
„ *nenſi*, auctore DONATO BASSIO. Videa-
„ tur *Tridentinum ſeſſ. XIII. cap V. & can 6.*„
Præter ritus hactenus a nobis conſideratos, no-
tandæ

XIV.) etiamnum aliæ veniunt circa hoſtiam conſecratam ſolemnitates. *Reſervant* illam, condunt ac cuſtodiunt in tabernaculis pretioſiſſimis atque ornatiſſimis; *exponunt* publice, hoc potiſſimum fine, ut numen in ſuis eccleſiis perpetuo præſens habeant, quod fidelium, ante ſe apud altare procumbentium, cultum, latriam, religioſas ſupplicationes, vota, gratiarum actiones, conſultationes excipiat atque exaudiat, quod ipſi templo ſanctitatem ac divinam quandam virtutem conciliet, orantiumque animos hinc ſpe ac fiducia ſublevet, inde reverentia ac religioſo timore perfundat; *circumgeſtant* per omnia ſigillatim urbium & caſtellorum agrorumque loca, concomitante univerſa plebe, dignasque ſummis ac æternis beneficiis grates ac laudes, religioſis animis, vocibus, plauſibus, exſolvente; *deferunt ad infirmos*, tanquam viaticum, ab obviis per vicos civibus publice ante adorandum, quam ſubit infirmorum tecta; uſurpant in paraſceve ad *adſimilandam Chriſti ſepulturam*; adhibent interdum ad *reſtinguenda incendia*; *praeferunt* pontificibus iter facientibus, tanquam honorificentiſſimum ac tutiſſimum comitatum (60). Quam vana hæc ſint, quam a veteris eccleſiæ exemplo aliena, luculenter oſtendit Io. DALLÆUS (61). Ac cardin. GOTTI, *adſervationis* quidem *antiquitatem* (62) adſtruens, *expoſitionis* tamen *novitatem* non fatetur duntaxat, ſed ipſe demonſtrat, ac ex *proceſſione, qua corpus Domini publice geſtari cœptum fuit*, derivat (63). Si aliarum etiam eccleſiarum habenda ſit ratio, monemus

XV.) *Graecae* eccleſiæ eam eſſe inſcitiam & corruptionem, ut illius conſenſus vel diſſenſus, in decidendis controverſiis theologicis, nullam propemodum mereatur attentionem. At quia tamen illam in ſuas trahere partes, circa *elevationis* atque *adorationis* ritum, utrique laborant, & Proteſtantes & Romanenſes, ſicco prorſus pede præterire eam, integrum nobis non eſt. Paucis vero rem expediemus. Eſt aliqua apud Græcos *elevatio*, ſed a latina longe diverſa, tam loco, quam fine (64). Ac in principio quidem miſſæ Græci deferunt ad altare cum ſolemni

(60) Hauſimus hæc ex DALLÆI *de cultibus latinorum religioſis lib.* VI. *cap.* XV.

(61) in *opere* modo *citato*, *lib.* VI. & VII.

(62) *loco citato*, *p. 337.*

(63) *ibid. pag. 339.*

(64) *ibid. lib.* III. *cap.* XX.

ni processione, inclinatisque capitibus venerantur elementa nondum consecrata, sed in ipsa consecratione nullam iis *reverentiam* exhibent, nec post eam illa *adorant*. Probavit hoc multis argumentis sæpe laudatus DALLÆUS (65). Quæ vero EUSEBIUS RENAUDOTIUS (66) in contrariam sententiam adlegat, solide confutavit GUIL. DE LITH (67), proprio sæpius gladio inimicum iugulans. *Æthiopibus* quoque insolitam esse eucharistiæ *elevationem*, idem GUIL. DE LITH (68) repetit ex DALLÆO (69), adducto testimonio ZAGAZABI, *aethiopis* monarchæ ad IOANNEM *Lusitaniae* regem legati, *apud nos*, inquientis, *eucharistia non ostenditur, sicut hic video fieri.* „Quando (70) liturgia *Anglicana* genuum flexionem communicantibus imperat, monendo tamen, ne quisquam hanc honoris, ad recolenda grato animo Dei beneficia, significationem ad adorationem referat: RENAUDOTIUS (71) cum irrisione, *moneri*, inquit, *sane oportebat, quis enim procumbentes coram eucharistia eam non adorare existimasset?* Tanta est vis consuetudinis ac opinionis ab incunabulis insitæ, ut Romano-catholici nos irrideant hostiam non adorantes, vicissim reliqua pars generis humani vix cogitatione comprehendat, qui fieri queat, ut quisquam sacramentum eodem supremæ latriæ cultu, qui soli Deo vivo, æterno, infinito, omnipotenti, omniscio debetur, adoret.„

XVI.) Operæ adhuc pretium esse videtur, *imperatum* illum *sacramenti cultum*, cum Pontificii vi cogunt Protestantes ad sacramentum eucharistiæ adorandum, sub examen vocare. Prætulit quidem IOANNES *constans*, Saxoniæ elector, imperatori CAROLO V. in comitiis Augustanis anno 1530. ad missam pergenti, gladium (72): iustificarique id factum omnino potest tanquam ceremonia mere politica, & excusari exemplo NAAMANIS (73). Quam perversi autem sint alii eiusdem exempli abusus, docetur alibi (74). Principibus certe protestantibus, ut, in iisdem comitiis Augustanis anno 1530. institutæ in festo corporis Christi processioni interessent, persuaderi nullis minis potuit. Ac sane, cum Protestantes credant, pani eucharistico extra usum sacramentalem præsens non esse Christi corpus, cumque prorsus reiiciant dogma transsubstantiationis, idololatriæ criminis arguendi omnino sunt, & illi Protestantium, qui hostiam consecratam more pontificio colunt genuflexione, & Romanenses, qui illos ad hoc peccatum vi adigunt. Nec mirum, ardore quodam animi ac zelo efferuescere nostrates, cum in hancce violentiam incidunt. Excitabimus IO. GUIL. DE LITH, de iniuria ista conquerentem (75): *concilium*, ita inquit, *Salisburgense* (76) *solutam cuilibet optionem dedit, utrum elevata, vel ad infirmum portata, hostia genua flectere, an saltem se reverenter inclinare vellet; quam eligendi optionem nostris temporibus*

(65) *eod. lib.* III. *cap.* XIX.

(66) in *liturgiis orientalibus* commentario illustratis.

(67) *loc. cit.* §. XXX. *seqq.*

(68) *ibid. p. 56.*

(69) *loc. cit. cap.* XX. & XXII.

(70) ita pergit IO. GUIL. DE LITH, *loc. cit. p. 56.*

(71) in *dissert. de liturg. orient. orig. p. 73.*

(72) vid. I. I. MÜLLERI *historie der Augspurg. conf. p. 566. seq.*

(73) 2 *Reg.* V. 17, 18.

(74) vid. cancell. PFAFFIUS in *dem nœthigen unterricht wider die rœmische kirche, 1. frag. p. 26. seqq.*

(75) *loc. cit. p. 43.* & 47.

(76) hoc concilium, anno *MCCCCXX.* sub papa MARTINO V, archiepiscopo EBERHARDO, habitum decrevit: *sacerdos quilibet plebem suam doceat diligenter, ut, cum in celebratione missarum levatur hostia salutaris, quilibet Deo devote flectat genua sua, vel saltem se reverenter inclinet, idem faciens, cum eam portat presbyter ad infirmum.*

negat crescens in dies rigor ac superstitio Romano-catholicorum, qui, modesta capitis inclinatione non contenti, Evangelicos sacerdoti hostiam ferenti obvios humi procumbere diris verberibus cogunt, crudelitate eo minus excusanda, quod maiorum etiam suorum scitis redarguitur. - - Ingenua BONÆ *optimi confessio* (77) *clare satis ostendit, non solum in graeca, verum etiam in veteri latina ecclesia, in more positum fuisse, ut eucharistia a stantibus acciperetur, papam vero sedentem eam sumere, nec aliam ei reverentiam exhibere, nisi quod eam adlatam in solio sedens inclinatione quadam salutat. Cum igitur nos Evangelici ad augustum hoc sacramentum inclinato corpore stantes accedamus, & proinde multo maiori honore id prosequamur, quam pontifex R. qui illud in conspectu totius ecclesiae sumturus solio rex insidet alto: quid iniustius esse potest adversariis nostris, qui nobis crimen laesae maiestatis sacramenti impingunt, idque humi prostratos adorare cogunt, cui pontifex ipsorum maximus ne adsurgere quidem dignatur?* Nulla prorsus ratione, nec specie rationis excusari cultus eiusmodi imperatus potest: non ut cultus *religiosus:* praeterquam enim quod cultus coactus Deo, spontaneum a suis cultum requirenti, placere nequit, licitum dici non potest, aliquem cogere, ut repugnante conscientia committat quidquam, quod committere nefas sibi ducit, utque adeo sciens & suis & aliis scandalum praebeat inevitabile; non ut cultus *civilis*, qualis perperam creditur fieri a servis aut militibus protestantibus, quibus domini pontificii venerationem sacramenti, & ceremonias illas religiosas imitandas iniungunt: reservationes enim mentales nil heic valent, & *civilis* dici cultus nequit, sed *religiosus* est, qui tendit in obiectum non civile, sed religiosum, rituque genuflexionis peragitur.

XVII.) *Excusationem* quidem excogitavit POIRETUS (78), quæ multis ex Reformatis ita adrisit, ut persecutioni cederent, & sacra romana amplecterentur (79). Ista vero sic habet (80): *cum fides sit omnipotens, & ex promissione divina fiat nobis secundum fidem nostram, Matth. IX. 29; is, qui transsubstantiationem credit, panem in corpus Christi mutatum; qui unionem sacramentalem, panem cum corpore Christi unitum; qui utrumque haud credit, solum panem accipit: ita ut haud errent Romanenses, ubi sacramentum adorant, sed potius Lutherani, qui praesens hoc corpus in pane ponunt, nec tamen adorant, licet Deus non ad istum gestum externum, sed potius ad cor respiciat. Unde & posita quoque transsubstantiationis falsitate, cum Pontificii tamen cor suum ad solum Christum in adoratione sacramenti dirigant, error hic, utpote facti saltem, obiecti & loci, est facile excusabilis, nec a Deo attenditur, nullumque est periculum heic idololatriae, ubi Christus sub pane vel ipsius specie delitescens adoratur, quemadmodum nullum fuit idololatriae periculum, Christum vestibus indutum olim adorare. Quae omnia eo certiora sunt, quod idololatria & adoratio non ex genuflexione & ritu externo, sed cultu cordis interno sunt aestimanda. Imo si idololatria formalis hic Romanensibus impingenda esset, haud dici posset, esse & fideles, qui in ecclesiae romanae salventur gremio, salusque etiam deneganda mysticis, quorum sane insignis & erga sacramentum eucharistiae fuit devotio.*

XVIII.) Sed facilis est responsio. Revolvantur velimus, quæ supra in contrarium adduxit GERHARDUS (81). Deinde errat POIRETUS, ubi adserit, fidem vel mutare panem in corpus Christi, vel unire illum cum eodem, quia sit omnipotens, ipsique respondeant eventus

(77) in *lib.* II. *de rebus liturgicis, cap.* XVII. §. VIII. *p.* 707 *seq.*

(78) in *irenico universali, sect.* III. *art.* III.

(79) vid. cancell. PFAFFII *instit. theol. p.* 766.

(80) Repetimus eam ex eiusdem cancell. PFAFFII *dissert. theol. casuali de adoratione sacramenti eucharistiae.*

(81) *p.* 363. *num.* 3, 4, 5.

tus contingentes: itane ergo fides vel quæcunque persuasio subvertere illam Salvatoris institutionem possit? potest omnia fides, cæteris, ut aiunt, paribus, & ordine divino haud turbato. Quod autem censuram illam POIRETI, „peccare, inquientis, *Lutheranos contra leges decori & civilitatis, dum humanitati Christi in sacramento praesenti cultum adorationis, quam mereatur, externe non deferant*„, nec non CALVINI, „*quid absurdius*, obiectantis, *quam Christum in pane ponere, neque tamen eum ibidem adorare? Si Christus in pane est, utique sub pane adorari debet*„ attinet: demonstramus vere, & clamamus ubique, nos omnino adorare Christum in sacramento, etiam *externe*, licet cultu ad symbola haud adfixo: cum externa adoratio, ad certum *obiectum* & *locum* determinata, Christo homini deferenda non sit, nisi ubi *visibiliter* & *sensibiliter* adpareat. Falsissime porro supponitur, *bonam* heic *intentionem internam* conficere rem: ipse *actus externus*, qua talis, idololatria est, quemadmodum vere fuerunt idololatræ adorantes aureum vitulum Israelitæ, licet intentione sua verum adoraverint Deum; quemadmodum vere etiam rei idololatriæ fuerunt ex veteribus christianis illi, qui, deficiente licet intentione adorandi, sacrificavere idolis; quemadmodum externus iam actus fuisset idololatricus, si tres illi viri (82), mirabiliter in fornace ardente conservati, externe Nebucadnezaris idolum adorassent, licet intentio abfuisset interna: sufficit, religiosa genuflexione, ad obtinendam gratiam divinam, colendas haud esse creaturas: id quod a pontificiis hic fit. Adeoque, quod fieri facile poterat, revera heic subest *iuris error*; ac errores tamen *facti*, *obiecti*, *loci* gravissimis etiam obnoxii sunt periculis, damnabilesque fieri possunt, nec sunt tam facile, ac POIRETUS quidem opinatur, excusabiles. Quum *in vestibus* olim adparuit Christus *visibiliter*, adorandus quoque erat Christus vestibus circumdatus; cum vero *visibiliter* non adpareat in sacramento eucharistiæ, nec adfigenda eidem est adoratio; maxime quia unio sacramentalis saltem parastatica est, non hypostatica. Denique ablit (83), ut eos, qui bona fide hic errant, quorum nulla hic mala proæresis est, qui pro sua cognitionis mensura Deum, corde converso & sanctificato, sincere colunt, damnemus; norit misericordia divina, tolerare istos nævos, in se licet damnabiles, quos superat, diluit, excusat sincera & dextra, item pia sanctaque cordis dispositio; excusant & inventutis præiudicia, errorem heic fere invincibilem reddentia.

§. XIX.) Omnium proxime nos attingit, quod Pontificii ex LUTHERI scriptis nectunt, pro adorationis cultu argumentum. Quid vero, si concedamus, fluctuasse illum, re nondum satis perspecta? At, retinuit *elevationis* ritum, tanquam liberum & indifferentem, propter infirmos, non adorationis ergo (84); abrogavit autem postea eundem (85), reddiditque abolitionis rationem (86); concessa licet per suscipiendam a sacerdote *elevationem* crucifixionis Christi repræsentatione. Adorationis (87) autem

(82) *Dan.* III.

(83) His verbis finit hanc controversiam *cancell.* PFAFFIUS in *dissert. cit.*

(84) vid. lib. *de captivitate babylon.*, præcipue *formula missæ Wittebergensis* anno *MDXXIII.* edita, in *oper. lat. ienens. tom.* II. *f. 590.* add. lib. *wider die himmlische propheten von den bildern und der Messe*, anno *MDXXV.* in *oper. germ. ienens. tom.* III. *f. 63. b. seqq.* & *die teutsche meß und ordnung des gottesdiensts*, anno *MDXXVI. ibid. f. 283. b.*

(85) anno *MDXLIII.* vid. *oper. germ. ien. tom.* VIII. *f. 171. b.* add. SECKENDORFII *hist. luth. ad annum MDXLIII. f. 469. seq.* & ad ann. *MDXLIV. f. 497. seq.*

(86) in der *kurzen bekæntniß vom heiligen sacrament*, in *op. germ. ien. tom.* VIII. *f. 180. b. seqq.*

(87) Scripta LVTHERI huc pertinentia sunt: *vom anbeten des sacraments*, in *opp. germ. ien. tom.* II.; *das hoch würdige, das auch anzubeten ist, sacrament des altars*, *ibid. tom.* VIII.; cantici THOMÆ AQUINATIS: *pange lingua gloriosi corporis mysterium*, in linguam germ. versio.

tem vocem adhibuit sensu saltem *improprio*, reverentiam insinuaturus (88). Qui sensus *patribus* etiam tam familiaris est, ut GUIL. DE LITH, illustratis (89), quibus palliare rem suam adversarii student, AMBROSII, AUGUSTINI, CHRYSOSTOMI, CLEMENTIS & BERNARDI, dictis, legitime concludat (90), *Patres istos vocem adorationis in sensu exiliori usurpasse, eaque non summum latriae cultum, sed qualemcunque venerationem denotasse*; & pergat: *quid opus est verbis? res ipsa loquitur. Si enim hostiae latria soli Deo debita, genuumque flexione, publice in ecclesia christiana olim cultae fuissent, scriptores, qui undecimo & duodecimo seculo ad* BERENGARIUM *confutandum omnes nervos intenderunt, ac, ut transubstantiationem antiquitatis colore pingerent, nulli operae pepercerunt, hoc certe tam opportunum argumentum, quod a veteri solemnique totius ecclesiae more peti poterat, silentio vix ac ne vix quidem praetermittere fuissent. At, qui scripta eorum perlegerunt, norunt, nullam plane istius ritus in iis exstare mentionem.* Pariter nostram de voce adorationis *improprie* a LUTHERO usurpata observationem, vel in solo eius libello *vom anbeten des sacraments*, res ipsa eloquitur. Atque haec, pro instituti nostri ratione, tandem sufficiant.

(88) Uti & in *artic. Smalcald.* sacramentum dicit *venerandum*. vid. *L. symb.* ed. Rech. *p. 311.*

(89) *loc. cit.* §. VIII-XI.

(90) §. XI. *p. 18.*

CONSPECTUS
LOCORUM,
CAPITUM, SECTIONUM ET RELIQUORUM CONTENTORUM
IN TOMO HOC X. OCCURRENTIUM.

LOCUS XXII.
DE
SACRA COENA.

PROOEMIUM.

Agit de *Connexione* huius loci cum antecedenti de baptismo §. I. & de discrimine baptismi & S. coenae §. II.

CAPUT I.

De adpellationibus S. coenae.

Adpellationes occurrunt

I. In *Scriptura S.* in qua hoc sacramentum adpellatur

1) coena dominica 1 Cor. XI. 20.

* *Editor* auctores addit, qui testimonia tam graecae quam latinae ecclesiae doctorum, locum hunc de S. coena accipientium, exhibent.

2) mensa & calix Domini 1 Cor. X. 21.

3) communicatio corporis & sanguinis Christi 1 Cor. X. 16. §. III.

4) novum testamentum Luc. XXII. 20. 1 Cor. XI. 25. §. IV.

Dubia circa hanc adpellationem solvuntur §. V.

5) fractio panis Act. II. 42. §. VI.

II. In

II. In *Scriptoribus Ecclesiasticis*

1) *Græcis*, quibus dicitur εὐχαριστία, σύναξις, ἀγάπη, λατρεία, θυσία, προσφορά, μυστήριον §. VII.

* *Editor* in *notis* huic §pho additis de *agapis*, itemque de vocibus λατρεία & θυσία agit.

2) *Latinis*, qui vocant Sacramentum *altaris* & *missam* §§. VIII. IX.

* de Significatu vocis *missæ* *Editor* in notis copiosas adiecit illustrationes & observationes.

Ad potiores hasce S. cœnæ adpellationes referendæ etiam sunt periphrases & encomia, quibus mysterium hoc exornant Scriptores ecclesiastici. §. X.

CAPUT. II.

De vaticiniis ac typis S. cœnae.

Vaticinia de S. cœna exstant Ps. XXIII. 1. CXI. 1. Prov. IX. 1, 2. Es. XXV. 6. §. XI.

Typi S. cœnæ erant: panis & vinum Melchisedeci Gen. XIV. 18. agnus paschalis Ex. XII. manna & aqua deserti Ex. XVI. 15. Sanguis fœderis Ex. XXIV. 6. panes propositionis Ex. XXIV. 30. carnes sacrificiorum Lev. VIII. 31. panis & vinum Davidis 2 Sam. VI. 19. mensa regia 2 Sam. IX. 13. panis subcinericius Eliæ 1 Reg. XIX. 6. pallium Elisæi 2 Reg. II. 13. convivium Ahasveri Esth. I. 3. carbo ignitus Es. VI. 6. §. XII.

CAPUT III.

De causa efficiente principali, sive auctore huius sacramenti.

Auctor S. cœnæ est Christus Jesus §. XIII. qui est θεάνθρωπος, novi testamenti mediator, eiusdem cum patre & Spiritu S. essentiæ, fidelis testis, sapiens & omniscius; §. XIV. qui adhuc hodie in administratione cœnæ præsens est §. XV.

CAPUT IV.

De ministro seu dispensatore huius sacramenti.

Dispensatio S. cœnæ spectat ad ministros ecclesiæ §§. XVI. XVII.

* *Editor* amplam huic §pho tractationem adiecit de iure laici, in casu necessitatis, cumprimis imminente vitæ periculo, si pastor haberi nequeat, & moriturus sacramento fruendi summo desiderio flagret, sacram eucharistiam administrandi; nec non plenam litis illius, occasione loci *Tertulliani* idem adfirmantis inter viros doctos agitatæ, historiam exhibuit.

Ut minister ecclesiæ sibi eucharistiam dispenset, nonnisi in casu necessitatis conceditur §. XVIII.

* Locum *Lutheri* a *Gerhardo* in hanc rem ex *artic. Smalcald.* in textu adlegatum non *absolute* intelligendum esse, *Editor* in nota ostendit.

CAPUT V.

De externis symbolis sive re terrena in hoc sacramento.

Externa sacramenti huius symbola sunt panis & vinum §. XIX. quæstio

I.) cur hisce, non aliis, elementis uti voluerit Christus, tractatur §. XX. &

II.) disquiritur an elementa illa externa mutare liceat §. XXI. quo facto antithesis, errantium classes complectens, exhibetur §. XXII.

* *Editor* in notis, quibus §phum hunc illustravit, varias de horrendo hac in re a *Gnosticis* commisso facinore; de *Cataphrygibus*; de *Aquariis*; de *Montanistis*; de *Artotyritis*; de Hispanorum lac pro vino offerendi consuetudine; de *Ophytis*; qui hæreticis a *Gerhardo* hic recensitis iungendi sunt; & de *Severianis* observationes adspergit.

CAPUT

CAPUT VI.

An panis eucharistícus azymus vel fermentatus esse debeat?

III.) Rationes, cur pane azymo utamur, adducuntur, ita tamen, ut doceatur simul, libere nos pane azymo uti, cum in se ac per * extra casum scandali adiaphorum sit, azymo vel fermentato pane uti §. XXIII.

* *Editor* §phum hunc variis observationibus & illustrationibus auxit, in quibus de ἀρτομαχίᾳ illa inter Græcas & Latinas ecclesias olim tanta contentione agitata; de *azymitarum* nomine, quod Græci Latinis imposuerunt, agit; porro contra communem opinionem, quam & *Gerhardus h. l.* secutus est, universam ecclesiam veterem tam orientalem, quam occidentalem, nonnisi in communi & fermentato pane olim consecrasse ostendit; nec non de *Michaële Cerulario* & *Humberto*, qui a *Gerhardo* in textu citantur, ea, quæ huc faciunt, edisserit.

CAPUT VII.

De placentulis orbicularibus, quas vocant hostias.

IV.) Quod liceat, panibus rotundis minoribus uti, docetur, & contra argumenta contraria evincitur §. XXIV.

* In uberiori, quam huic §pho subiunxit, nota *Editor* tam eos, qui hostias ab eucharistia excludunt, quorum duplex genus esse ostendit, quam eos ex nostratibus, qui earum causam in se defendendam susceperunt, adducit & recenset; porro exiguum quidem huic controversiæ statuendum esse pretium, neque tamen morem ecclesiæ temere migrandum, docet; nec non in alia *nota* placentularum orbicularium in S. eucharistia usitatarum originem prolixe enarrat, & scriptorum, qui hac de re egerunt, censum exhibet.

CAPUT VIII.

De cramate eucharistico.

V.) Quæstio, an vino eucharistico aquam miscere necessarium sit? §. XXV. proponitur,

* ubi *Editor* locis a *Gerhardo* ex patribus in textu adductis alia ex *Iustino martyre*, *Irenæo* & *Cypriano* adiungit, & de differentia agit, quæ in definienda hac quæstione nos inter & pontificios intercedit.

Quæstio §. XXV. proposita a nobis negatur §. XXVI. & contra *Bellarminum*, qui eam adfirmat §§. XXVII. & XXVIII. argumenta nostra adferuntur §§. XXIX. & XXX.

CAPUT. IX.

De communione sub una specie.

VI.) Quæstio: an vinum benedictum distribuendum sit omnibus communicantibus? ita pertractatur, ut adducantur

A) *Nostra* argumenta

1) Ex *Scriptura*, ubi communionem sub utraque probamus

a) ex *institutione* Christi §. XXXI. quod argumentum contra exceptiones *Bellarmini*, hæc verba dici solis apostolis §. XXXII, & cœnam Domini non constare nisi una specie §. XXXIII. & contra distinctionem *Gregorii de Valenzia* atque *Becani* inter institutionem & præceptum §. XXXIV. vindicatur.

b) ex *Christi exemplo* §. XXXV.

c) ex *repetitione* institutionis *apostolica* 1 Cor. XI. 20. ubi Paulus utriusque speciei usum requirit. § XXXVI. contra quod *Bellarminus* excipit triplici modo, nimirum primo, aliam esse rationem ecclesiæ Corinthiacæ, deinde apostolum præscribere modum salutaris communionis, atque iterum distinguendum esse inter traditionem & præceptionem, quæ objectiones refutantur §§. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

d) ex *integritate* sacramenti, quæ communionem sub utraque postulat § XL.

e) ex *consolatione*, quam fideles petere possunt ac debent ex verbis Christi calici adiunctis, quam vero mutilatio illa fidelibus adimit §. XLI.

quibus adiunguntur argumenta quædam secundaria §. XLII.

2) Ex

2) Ex *Patrum testimoniis* §. XLIII.

* *Editor* in notis, quibus hunc §phum auxit, testimonio *Gelasii*, quod auctor in textu adtulit, explicationes *Baronii* & *Bonæ*, eximie pro nostra thesi militantes, adiecit; testimoniis veterum, quæ *Gerhardus* in medium attulit, duo adiunxit, unum *Leonis* M. & alterum *Cogitosi*; porro consuetudinem, utrumque eucharistiæ symbolum sumendi, non tantum in ecclesia orientali ad hunc usque diem retentam, sed in ipsa quoque ecclesia Latina & Gallicana diutissime observatam fuisse, probavit; speciatim ecclesiam Græcam & Habessinos, utriusque speciei usum retinere, ostendit; ibidemque de Armenorum liturgia sub nomine *divæ Armenorum missæ* Romæ a. MDCXLII. editæ observationem adspersit; & auctorum denique censum adposuit, qui plura de hoc argumento suppeditant.

3) Ex *Jure Canonico*, §. XLIV. *Scholasticis* §. XLV. Constantiensis, Basileensis & Tridentini *Conciliorum decretis* §. XLVI. ex *scriptoribus* pontificiis *recentioribus* §. XLVII.

Quo facto ostenditur, communionem sub una specie decretam primum fuisse in concilio Constantiensi sess. XIII. a. 1415. & confirmatam in Concilio Trident. sess. XXI. & XXII. a. 1562. §. XLVIII.

* ubi *Editor* in nota de conatibus *Catharinæ Mediceæ*, *Caroli* IX. Galliæ regis, *Ferdinandi* imperatoris, aliorumque principum, communionem sub utraque specie impetrandi, differit.

Inter propugnatores Concilii Tridentini præcipuus est *Bellarminus* §. XLIX. cui vero

* *Editor* in uberiori, quam addidit, *nota* literaria alios accensет, qui notari merentur, & scriptorum, qui doctrinam de communione sub una specie propugnandam susceperunt, ampliorem exhibet historiam.

Unde progreditur auctor ad

B) *Antithesin*, ubi examini subiicit argumenta

1) *Bellarmini* §. L. communionem sub una probare instituentis

a) ex *concomitantia* corporis cum sanguine in calice & sanguinis cum corpore in pane §. LI. & obiicientis porro

b) totam Sacramenti rationem in una specie inveniri §§. LII. LIII.

c) non sumi maiorem utilitatem ex communione sub utraque, quam sub una specie. §. LIV.

d) nullum præceptum divinum de utraque specie esse datum; id quod probat

α) ex figuris §. LV.

β) ex doctrina & exemplo Christi §. LVI.

γ) ex doctrina & usu apostolorum §. LVII.

δ) ex testimonio veteris ecclesiæ, quæ

a) nunquam improbaverit communionem sub una §. LVIII.

b) unam speciem reliquerit liberam §. LIX.

c) variis ritibus id ipsum manifestaverit, quales sunt

aa) adservatio §. LX.

* *Editor* in notarum huic §pho adspersarum *una* auctorum notitiam exhibet, qui eucharistiam infantibus olim dari solitam ex historiarum monumentis copiosius ostenderunt; in *altera* vero consuetudinem, eucharistiam vino intingendi, pleniori tractatione prosequitur, & demonstrat, qua ratione abusus, qui olim in ecclesiam irrepsit, panem eucharisticum vino imbuendi, cum alio errore, eoque longe graviori, scilicet communione sub una, fuerit commutatus.

bb) Communicatio domestica §. LXI.

* de quo ritu distinctius & uberius in nota addita agit *Editor*.

cc) Communicatio infantum §. LXII.

* Auctores, qui de hocce ritu data opera egerunt, *Editor* in *nota* ad §. LX. recensuit, iisque unicum h. l. addit nempe cardinalem *Bonam*.

dd) Communicatio ægrotorum §. LXIII.

* ubi præter auctores, qui de hocce argumento scripserunt, *Bossueti* etiam mentionem iniicit *Editor*, peraudacter adfirmantis, ordinarie & communiter ægrotos sub una communicasse; id quod *Bona* etiam adserit.

ee) Communio laica §. LXIV.

* *Editor Bellarminum*, clericos, quibus delicti loco communio laica imponebatur, unam tantum speciem sumsisse contendentem, ex *Bona* aliisque scriptoribus pontificiis refellit, atque

de notione *communionis laicæ* explicatius agit.

ff) Communio *præsanctificatorum* §. LXV.

* Cuius pleniorem notitiam suppeditat *Editor* in notis h. l. adiunctis, in quibus etiam tum de liturgia præsanctificatorum observationem literariam adspergit, tum ex eadem luculenter patere adnotat, Græcos non solum panem sed & vinum consecratum ad huiusmodi ritum reservasse.

ε) ex consensu ecclesiæ posterioris §. LXVI.

ζ) ex incommodis, quæ necessitatem utriusque speciei consequuntur, qualia sunt: impossibilitas legem istam implendi, irreverentia sacramenti, absternorum incommodum, qui hac ratione a communione arcerentur, & penuria vini in quibusdam regionibus §. LXVII. Denique etiam

2) *Gersonis* rationes pro stabilienda communione sub una specie adferuntur §. LXVIII.

* Editor notulam adspersit literariam de tractatu *Gersonis* de communione laicorum.

CAPUT X.

De retinendo τω ρητω in verbis institutionis sacræ cœnæ.

Postquam hactenus actum fuit de externis symbolis s. re terrena huius sacramenti, nunc ad *veram corporis & sanguinis Christi in s. cœna præsentiam* s. rem cœlestem considerandam progreditur auctor, §. LXIX. quæ verbis institutionis, *κατὰ ῥητὸν* acceptis, nititur §. LXX. Proponitur

I.) *Nostra thesis*, quæ probatur

1) in genere ex consensu omnium prudentum, ex requisito legitimæ interpretationis scripturæ, ex natura præceptorum & articulorum fidei & exemplo primorum parentum §. LXXI.

2) in specie ex

a) sacramenti proprietate §. LXXII.

b) testamenti qualitate §. LXXIII.

c) Christi instituentis maiestate §. LXXIV.

d) evangelistarum conformitate §. LXXV.

e) tropi absurditate §. LXXVI.

f) *πληροφορίας* fidei necessitate §. LXXVII.

g) dictis patrum §. LXXVIII.

II.) *Antithesis adversariorum* producitur §§. LXXIX. & LXXX. & postquam verba institutionis in proprio & genuino sensu exposita sunt §. LXXXI. tropi, quos adversarii in verbis cœnæ constituunt, enumerantur &

A) Potiores *Calvinianorum* detorsiones in tres *classes* dispescuntur, quarum

1) *Prima* est *Grammatica*, ad quam pertinent

a) *Carolstadius* §. LXXXII.

* in notis huic §pho subiunctis *Editor* tum de duobus Lutheri libris, scilicet *de confessione* eius *maiori*, & de libro *contra cœlestes prophetas* literaria quædam adnotavit, tum vero iis, quæ auctor de *Carolstadio* recensuit, uberiorem lucem adspersit, eiusque sententiam æque ac scripta, in quibus eandem proposuit, distincte memoravit.

b) ii, qui per *δεικτικὸν* intelligunt solum panem, scil. plerique sacramentarii,

c) *Johannes a Lasco*, qui *δεικτικον* hoc de tota actione exponit,

d) ii, qui relativum *quod* exponunt per *quatenus*; uti statuunt *orthod. consensus*, *Piscator*, *Grynæus*, *Bucanus*, *Trelcatius*, aliique.

e) *Schwenkfeldius*, qui intelligit spiritualem cibum.

f) ii, qui verba sic transponunt: *quod pro vobis traditur*, *est corpus meum*.

g) *Campanus*.

h) *Beza* §. LXXXIII.

* Notam adposuit *Editor*, in qua sententiam *Sturmii* diversis istis ab auctore memoratis addidit & examini subiecit, qui *τοῦτο* idem esse contendit ac *τοιοῦτο*.

2) *Secunda* classis est *rhetorica*, ad quam referuntur

a) *Zwinglius*, qui *est* exponit per *significat*.

b) *Oecolampadius*, qui corpus explicuit per *signum corporis*.

* *Editori* in notis de scriptis sermo est, in quibus uterque sententiam suam professus est & propugnavit.

c) ii,

c) ii, qui corpus explicant per μνημόσυνον corporis, quorum LUTHERUS in *confessione minori* meminit.

d) ii, qui corpus exponunt per tesseram & sigillum e. g. *Polanus*.

e) qui corpus explicant per efficaciam corporis, veluti *Calvinus*.

f) qui exponunt: hoc est *ius in corpore meo* e. g. *Joh.* a *Lasco*.

g) qui corpus sumunt pro instrumento offerente fidelibus corpus Christi.

h) qui per id intelligunt totum Christum §. LXXXIV.

3) *Tertia* classis est *logica*, ad quam pertinent, qui in adtributione improprietatem logicam statuunt §§. LXXXV. LXXXVI. & LXXXVII. Sequuntur

B) *Argumenta* adversariorum contra τὸ ἐητὸν.

1) sensus literalis tollit articulum fidei de veritate humanæ naturæ in Christo §. LXXXVIII.

2) literalis sensus pugnat cum articulo de adscensione Christi §. LXXXIX.

3) infert transsubstantiationem §. XC.

4) propositiones sacramentales sunt sacramentaliter explicandæ §§. XCI. & XCII.

5) in verbis cœnæ prædicatur disparatum de disparato §§. XCIII. XCIV.

6) particulæ *in*, *cum* & *sub* discedunt a ἐητῷ. §. XCVI.

Sub finem capitis adversariis hisce adduntur *Photiniani*, &, quam hi fingunt, verborum cœnæ expositio recensetur §. XCVII.

* Cui §pho insigne additamentum subiunxit *Editor*, in quo uberiori tractatione persecutus est ea, quæ hac in re sentiunt *Socini* adsectæ, *Arminii* discipuli, ex Anglis vero theologis inprimis *Beniamin Hoadley*, qui controversiam excitavit celebrem magnisque olim in Anglia animorum motibus agitatam, *Fanatici*, & b. *Christ. Aug. Heumannus*.

CAPUT XI.

De vera, reali & substantiali corporis & sanguinis Christi in s. cœna præsentia.

Proponitur

I.) *Nostra thesis* §. XCVIII.

* *Editor* in nota distincte pertractat diversos uniendi modos, *impanationem*, *consubstantiationem*, *adsumtionem*, *augmentationem*, *concomitantiam*, *unionem sacramentalem*.

Confirmatur illa

1) Generali quodam syllogismo §. XCIX.

2) Distinctis argumentorum classibus, quarum

a) *prima* petitur ex Dominica institutione §. C.

b) *secunda* ex 1 Cor. X. 15. §. CI.

c) *tertia* ex 1 Joh. V. 6 - 8. §. CII. quibus additur

d) *quarta* ex testimoniis patrum §. CIII.

* *Editor* complures h. l. adspersit notas, quibus partim ea, quæ *Gerhardus* adfert, illustrat, partim loca patrum ab auctore in medium adlata aliis iisque notatu perquam dignis auget, inter quæ eminet inprimis locus *Chrysostomi* in epist. ad *Cæsarium monachum*.

II.) *Antithesis Calvinianorum*, non uno tamen eodemque modo huic nostræ sententiæ obloquentium, distincte refertur §§. CIV. & CV. duoque inprimis eorum effugia notantur §§. CVI. & CVII.

* Præter veteres, quos auctor adfert, reformati cœtus doctores, *Editor* recentiorum quoque de hoc argumento sententiam exponit, ac speciatim *Franciscum* atque *Jo. Alphonsum Turretinum* adducit, quibus *Sam. Strimesium* adiungit.

Argumenta eorum

1) Scripturaria, eaque

a) principalia sunt hæc:

α) ad corpus Christi spiritualiter percipiendum sufficit χετικὴ & fidei præsentia §. CVIII.

β) spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam Joh. VI. 63.

b) minus principalia ex Matth. XXIV. 23. §. CX. Matth. XXVIII. 6. §. CXI. 2 Cor. V. 16. §. CXII. Col. III. 1. §. CXIII. Hebr. VIII. 4. §. CXIV.

* ultimum dictum peculiari adnotatione prosequitur *Editor*.

2) philosophica: omne corpus naturale est visibile §. CXV. & memoria est rerum absentium §. CXVI.

3) dicta patrum, quæ proferunt. §. CXVII.

* ubi notulam addidit Editor de *Edmundo Albertino*, qui patrum istorum effata collegit.

Denique

Neophotinianorum quoque sententia exponitur §. CXVIII.

CAPUT XII.

De Transsubstantiatione.

I.) *Impugnatur* transsubstantiatio pontificia §. CXIX.

1) *argumentis* sequentibus: transsubstantiatio

a) nec secundum verba, nec secundum rem in scripturis habetur §§. CXX. CXXI.

* quando primum usurpari cœperit vocabulum *transsubstantiationis*, *Editor* in notis docet.

b) pugnat cum scriptura §. CXXII. quod argumentum contra *Bellarmini* exceptiones vindicatur §§. CXXIII - CXXVI.

c) pugnat cum analogia fidei §. CXXVII.

d) evertit rei naturam de qua agit §. CXXVIII.

e) dogma transsubstantiationis laborat perpetuis contradictionibus §. CXXIX.

* *Editor* notas literarias subiunxit, unam de *resolutorio dubiorum &c.* alteram de *Wilhelmo Holdero*.

f) parit multa absurda §. CXXX.

* *Editor* in ampliori, quam adiecit, nota inter absurda ista hoc cumprimis urget ex loco quodam *Tertulliani*, quod sensibus omnium hominum repugnet, sensusque faciat mendaces, idemque contra exceptiones, quæ obverti possent, urget, qua ipsa simul ratione diluit obiectionem ex *testimonio sensuum* & Luc. XXIV. 39. desumtam, quam contra realem ac subtantialem corporis Christi in s. cœna præsentiam ursit *Calvinus*.

2) *dictis patrum* §§. CXXXI. CXXXII.

* *Editor* in notis tum eorum censum exhibet, qui testimoniis patrum pontificios hac in re impugnarunt, ubi vero diversa subinde ratione veteres suam de hocce argumento sententiam exposuisse observat, tum observationes literarias adspergit de libro *ecclesiasticæ hierarchiæ*, qui sub *Dionysii Areopagitæ* nomine circumfertur, de *Cyrilli Hierosolymitani* & *Irenæi* hac de re testimoniis, itemque de celeberrima epistola *Chrysostomi* ad *Cæsarium monachum*, ac denique de *Gelasii* tractatu *de duabus naturis*, ex quo ista, quam nos tenemus, sententia mirifice potest comprobari.

II.) Exponuntur transsubstantiationis

1) *origo* §. CXXXIII.

* quam *Editor* in nota uberius ex historia ecclesiastica recenset. Scilicet dudum ante *Lombardum*, de cuius *libris sententiarum* ibidem literaria quædam adferuntur, iam sec. IX. *Paschasius Radbertus* in libro *de sacramento corporis ac sanguinis Christi* hoc a. 820. adseruit. Fuerunt autem ista iam ætate, tum qui illi se opponerent, tum alii, qui in alterum subinde extremum prolapsi veram ac realem corporis ac sanguinis Christi in s. cœna præsentiam negarent. Eandem tamen de mutatione substantiali doctrinam sec. X. denuo inculcaverunt *Odo*, eiusque in archiepiscopatu Cantuariensi successor, *Dunstanus*. Sec. XI. doctrina *Berengarii*, transsubstantiationis figmentum denuo adgressi, proscripta fuit atque damnata. Sec. XII. nomine *transsubstantiationis* doctrina ista a *Paschasio* prolata insigniebatur, sec. XIII. dogma hoc de transsubstantiatione inter articulos fidei recipiebatur, & licet sec. XIV. & XV. *Waldenses* & *Wiclefitæ* & sec. XVI. Lutherus validissimis illud argumentis adorirentur, sec. XVI. in Concilio Trident. sess. XIII. can. 2. & 3. denuo confirmabatur.

2) fulcra transsubstantiationis.

a) *prima* classis argumentorum, quibus *Bellarminus* utitur, complectitur exceptiones contra nostram verborum Christi ανακλυσιν &, quam *Chemnitius* dedit, declarationem §§. CXXXIV - CXXXVII.

b) *secundam* classem petiit *Bellarminus*

α) ex testimoniis patrum §. CXXXVIII.

* quod

* quod etiam post *Bellarminum* complures alios scriptores Romanenses, *Perronium*, *Petrum Nicolium*, & reliquos *perpetuitatis fidei* auctores, *Jac. Novetum*, *Anton. Arnaldum*, & *Eusebium Renaudotium* fecisse, *Editor* ostendit.

β) in specie *Justini Martyris*, *Irenæi*, *Tertulliani*, *Cypriani*, *Cyrilli Hieros.* *Ambrosii*, *Gregorii Nysseni*, *Gaudentii*, *Chrysostomi*, *Augustini*, *Cyrilli Alexandrini*, *Eusebii Emisseni*, *Remigii*, *Gregorii*, *Bedæ*, *Damasceni*, *Theophylacti* §. CXXXIX.

* utriusque *Cyrilli* testimoniis observationes quasdam adsperfit *Editor*.

γ) *tertiam* ex consensu ecclesiæ in sex conciliis declarato §. CXL.

* Hoc loco *Editor* tum *Petri martyris* & *Chemnitii* verba in medium profert, quæ Græcorum in concilio Florentino a. 1439. circa hoc dogma declaratum dissensum probant, & *Bellarminum*, nunquam inter Græcos & Latinos de transsubstantiatione disceptatum fuisse, perperam adserere ostendit; tum vero commendatis hanc in rem *Chytræi*, aliorumque, inprimis illustris cancell. *Reussii* scriptis, ea indicat, quæ de fide Græcorum circa transsubstantiationis argumentum recentiori maxime ævo inter viros eruditos sunt disputata.

δ) *quartam* ex convenientia rationis §. CXLI.

CAPUT XIII.

De Consecratione Eucharistica.

A *materia* huius sacramenti transit auctor ad *formam* eius. §. CXLII.

Primus actus sacramentalis est *Consecratio*, quæ consistit

1) Εὐλογίᾳ §. CXLIII. eaque speciali §. CXLIV. & seqq.

2) Εὐχαριστίᾳ §. CXLVI.

* de vocum harum significatu itemque de convenientia rituum eucharisticorum a servatore adhibitorum cum ritibus ceteris ecclesiæ iudaicæ in notis differit *Editor*.

Eruitur porro;

quid complectatur Christi ἐυλογίαι & ἐυχαριστίαι §. CXLVII.

quibus verbis Christus consecraverit §. CXLVIII.

* diversas de hocce argumento sententias eaque, quæ dici hanc in rem merentur, abunde supplet *Editor*.

quanam consecratione ministri ecclesiæ utantur §§. CXLIX-CLI.

quomodo veteres de ea loquantur §. CLII.

* de locis *Justini martyris* & *Eusebii Emisseni* huc relatis notas adsperfit *Editor*.

Antithesis Bellarmini §§. CLIII. & CLIV. & quid in consecratione pontificia desideremus §. CLV. proponitur, & denique

ad *quæstiones* respondetur: 1) an consecrationi addenda sit oratio dominica, & 2) an formatio figuræ crucis super panem & calicem improbanda sit? §. CLVI.

* de testimonio *Gregorii*, quo prius, & testimoniis *Durandi* & *Walafridi*, nec non *constitutionibus apostolicis*, quibus posterior ceremonia adstruitur, in notis agit *Editor*.

CAPUT XIV.

De Fractione Panis.

In prima cœnæ parte post benedictionem panis sequitur

Fractio, cuius notio & fundamenta exhibentur §. CLVII. cum

antithesi Calvinianorum §. CLVIII.

* ubi *Editor* de iis, qui fractionem non ad essentiam, sed tantum ad *integritatem* sacramenti pertinere statuunt, observationes adspergit.

Nostra contra *repræsentativam* fractionem argumenta continet §. CLIX.

sequuntur *Calvinianorum* pro necessitate fractionis argumenta, quæ desumunt

1) a Christi facto §. CLX.

2) ab apostolorum exemplo §. CLXI.

3) a primitivæ ecclesiæ praxi §. CLXII.

* addita est nota literaria *Editoris*.

4) ex loco 1 Cor. XI, 24. §. CLXIII.
5) ex dicto 1 Cor. X, 16. §. CLXIV.
6) ex versu mox sequenti 17. §. CLXV.
7) ab auctoritate Lutheri §. CLXVI.

Coronidis loco petitur instantia ex baptismo contra fractionis necessitatem §. CLXVII.

CAPUT XV.

De Distributione benedicti Panis & Vini.

Secundus actus est *distributio* benedicti panis & vini §. CLXVIII.

Q. 1. an s. symbola communicantibus in manus danda sint? §§. CLXIX. & CLXX.

* de usu, qui multis in locis olim invaluit, ut laici utramque s. eucharistiæ partem manibus accipientes domum deferrent & custodirent, *Editor* quædam adiecit.

2) quid de Calvinianorum distributione sentiendum sit? §. CLXXI.
3) quid de missis privatis statuendum? §. CLXXII.

* peculiarem eamque ampliorem de hocce argumento tractationem adposuit *Editor*.

CAPUT XVI.

De Manducatione & Bibitione Sacramentali.

Tertius actus sacramentalis est *manducatio* ac *bibitio* §§. CLXXIII. & sequ.

Antithesis adversariorum §. CLXXV. & nostra sententia §. CLXXVI. exponitur, & argumentis §. CLXXVII. ac testimoniis patrum §. CLXXVIII. firmatur.

Deinceps pertractantur

Argumenta Reformatorum, quæ sunt sequentia:

1) Joh. VI. traditam esse expositionem verbi *edite* §. CLXXIX.
2) verbum *edite* de pane proprie, de corpore Christi metaphorice intelligendum esse §. CLXXX.
3) manducationem proprie dictam esse physicam §. CLXXXI.
4) edere esse dentibus adterere §. CLXXXII.
5) oralem manducationem esse capernaiticam §. CLXXXIII.
6) cibum spiritualem non posse percipi organo corporeo §. CLXXXIV.
7) per oralem manducationem introduci separationem corporis & sanguinis Christi §. CLXXXV.
8) omnem promissionem accipi fide §. CLXXXVI.
9) in ventrem abire, quidquid in os intrat §. CLXXXVII.
10) oralem manducationem plane esse inutilem. §. CLXXXVIII.

Subiungitur denique Neo - Photinianorum sententia §. CXC.

CAPUT XVII.

De Repositione Sacramentali.

Præter hosce tres actus sacramentales, in ipsa cœnæ dominicæ institutione expressos, pontificii panis consecrati *repositionem*, *circumgestationem* & *adorationem* introduxerunt. Agitur ergo

Primo de *repositione*.

Contra eam

argumenta §§. CXCI. & sequ. ac

testimonia patrum §. CXCIII. adferuntur.

* de ritu comburendi s. eucharistiæ reliquias apud ecclesiam Hierosolymitanam, & de aliis, maxime literariis, observationes adsperfit *Editor*.

Adversariorum de repositione sacramenti sententia ostenditur §. CXCIV. &

Eorum argumenta pro ea §. CXCV. adducuntur, inprimis illud, quod eucharistia in eo differat a baptismo, quod sit res permanens §. CXCVI. & provocatio ad ritum ecclesiæ primitivæ §. CXCVII. & adservationem eucharistiæ in illâ propter communionem ægrotorum §. CXCVIII.

* utrumque ultimum §phum observationibus quibusdam illustravit *Editor*.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Circumgestatione Sacramenti.

Circumgestationis *ritus* eiusque *origo* describitur §. CXCIX.

* *Editor* in uberiori nota de origine & institutione festi corporis Christi differit.

Argumenta

I.) *Nostra* contra circumgestationem §. CC. & contra celebrationem festi huius, corporis Christi, prout in ecclesiis pontificiis instituitur, §. CCI.

II.) *Pontificiorum* pro stabilienda circumgestatione §. CCII. & Bellarmini exceptiones adversus nostra argumenta adferuntur §. CCII.

CAPUT XIX.

De Veneratione Sacramenti.

Statu quæstionis de veneratione eucharistiæ propositio §. CCIV.

* cui *Editor* lucem adfundit iis, quæ in nota *partim* de loco, in quo Concilium Tridentinum suam de adoratione panis consecrati mentem exponit, nec non de reliquis ecclesiæ rom. doctoribus, qui adorationem hanc propugnarunt, *partim* de iis differit, qui doctrinam pontificiorum de adoratione eucharistiæ editis hanc in rem scriptis confutare adgressi sunt,

Argumenta contra papisticam eucharistiæ venerationem adferuntur §. CCV. &, quibus eam Bellarminus stabilire conatur, argumenta §§. CCVI. CCVII. dicta patrum §. CCVIII. & exceptiones ad nostra argumenta §. CCIX. examini subiiciuntur.

CAPUT XX.

De Fine & Fructu S. Cœnæ.

Transitione ab antecedd. capp. ad doctrinam de fructu s. cœnæ facto §. CCX. & dictis veterum de fructu huius sacramenti adlatis §. CCXI.

Fines s. cœnæ proponuntur

I.) *Principales*, qui sunt duo:

1) Obsignatio promissionis evangelicæ & fidei nostræ confirmatio §. CCXII.

2) Nostra in Christum insitio & spiritualis ad vitam æternam nutritio §. CCXIII.

II.) *Minus principales* §. CCXIV.

Deinde disquisitioni submittuntur

Patrum Tridentinorum de fructu s. cœnæ sententia §. CCXV.

Bellarmini disputatio, quod fructus eucharistiæ non sit remissio peccatorum §§. CCXVI. CCXVII. & dicta patrum hanc in rem ab ipso adducta §. CCXVIII. eiusdemque exceptiones ad nostra argumenta §. CCXIX.

Subiunguntur nonnulla de Neo-Photinianis, qui itidem negant fidem nostram usu s. cœnæ confirmari. §. CCXX.

CAPUT XXI.

De Convivis,

qui ad hoc cœleste epulum admittendi sunt.

Instituta est s. cœna christianis §. CCXXI. qui se probare possunt §. CCXXII.

Excluduntur ergo

1) *hæretici* §. CCXXII.

2) *peccatores notorii* §. CCXXIII.

3) *excommunicati* §. CCXXIV.

4) *obsessi*, *furiosi*, *dementes*, *infames* §. CCXXV.

Quæritur,

1) an *muti* ad eucharistiam admittendi sint? §. CCXXVI.

2) quid cum *abstemiis* agendum? §. CCXXVII.

3) an etiam *mortuis* instituta sit cœna? §. CCXXVIII.

4) an *infantibus* eucharistia danda sit? §. CCXXIX.

5) an *Christus ipse* eucharistia cum discipulis usus fuerit? §. CCXXX.

CAPUT

CAPUT XXII.

De Manducatione Indignorum.

Quæstio de manducatione indignorum §. CCXXXI. quo sensu a nobis adfirmetur, ostenditur §§. CCXXXII. & sequ. cuius sententiæ nostræ

Fundamenta sunt:

1) indigni percipiunt integrum sacramentum §. CCXXXIV.

2) Judas cum reliquis apostolis eucharistia usus est §. CCXXXV.

3) Paulus 1 Cor. XI. manducationem indignorum adstruit §. CCXXXVI.

4) fides non pertinet ad substantiam eucharistiæ §. CCXXXVII.

5) nec destituitur hæc nostra adsertio testimoniis veterum §. CCXXXVIII.

Antithesis adversariorum proponitur §. CCXXXIX. qui sequentibus utuntur argumentis:

1) caro Christi est vivifica §. CCXL.

2) dicto 1 Cor. X, 21. §. CCXLI.

3) *accipere* & *reiicere* sunt contraria, indigni vero reiiciunt corpus Christi §. CCXLII.

4) pro solis credentibus Christus in cruce mortuus §. CCXLIII.

5) nemo potest aliquid accipere ex testamento romano, nisi sit civis romanus §. CCXLIV.

6) Christus prohibet sanctum dare canibus,

7) ad infideles non pertinet promissio gratiæ §. CCXLV.

8) denique ex patribus etiam quædam contra manducationem indignorum loca adferunt. §. CCXLVI.

CAPUT XXIII.

De vera & salutari Præparatione ad dignum s. Cœnæ usum.

Declarata probationis necessitate §. CCXLVII. ostenditur

quid sit probare seipsum, & verba Pauli 1 Cor. XI. 31. 29. 26. explicantur §§. CCXLVIII-CCL. cuius probationis *adminicula* recensentur §. CCLI.

Subiungitur deinde pontificiorum sententia §. CCLII. & veterum doctrina de præparatione §. CCLIII.

CAPUT XXIV.

De Circumstantia Temporis.

De tempore *institutionis* §. CCLIV. de tempore *administrationis* §. CCLV.

* *Editor* illustrat historiam de *Quartadecimanis* & controversiam exhibet de hoc argumento sec. IIdo motam.

Quæstio sequitur, an *semel* duntaxat an sæpius & *quoties* ad cœnam accedendum sit? §§. CCLVI. CCLVII.

* *Editor* in notis h. l. adsperfis de sex *Ambrosii* libris de sacramentis, de crebriori antiquissimorum christianorum cœnæ usu, de consuetudine per *Fabianum* introducta in tribus tantum præcipuis festis cœna utendi, de restituto per *Lutherum* crebriori eius usu, & de controversia superiori seculo in Gallia agitata, de *frequentiore communione*, differit.

CAPUT XXV.

De Circumstantia Loci.

Locus, in quo administranda est s. cœna, est *templum* §. CCLVIII. neque tamen ex eo inferendum, quod in casu necessitatis *in privatis ædibus* s. cœna administrari nequeat, §. CCLIX.

* cum nihil certius sit, quam quod christiani, uti in nota *Editor* observat, persecutionis temporibus sacra in quocunque loco peregerint.

id quod contra *Bezæ* aliorumque argumenta auctor §. CCLX. tuetur.

Porro recte in altaribus administratur s. cœna §. CCLXI. quod itidem ab argumentis adversariorum vindicat §. CCLXII.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Ceremoniis huius Sacramenti.

Regulas de ceremoniis eucharistiæ adfert §. CCLXIII. Tandem finis huic articulo imponitur & *usus* atque *definitio* eucharistiæ §. CCLXIV. atque coronidis loco precationes quædam veterum in usu eucharistiæ usitatæ recensentur §. CCLXV.

* *Editor* in nota adiecit observationes de suppositiis *Marci* & *Jacobi* liturgiis, ex quibus hæ preces desumtæ sunt, & de suppositiis pariter constitutionibus apostolicis, quæ a *Clemente rom.* digestæ perhibentur.

SUPPLEMENTUM EDITORIS.

I.) Ad argumentum de vera & reali corporis & sanguinis Christi præsentia in s. cœna *Editor* pleniorem adiecit recentioris phænomeni, *controversiæ Heumannianæ, historiam & disquisitionem*, id quod ita peregit, ut, exhibito scriptorum hac occasione editorum censu, observaret

1) *Heumannum* præcipua, quibus doctrina nostra nititur, fundamenta haud subruisse; nec

2) novi quid, quod alicuius esset momenti, attulisse; quod speciatim

3) voculam ἐστί adtinet, non probasse, quod ista per τὸ *significat* verti debeat; nec

4) locum Joh. VI. 54 de s. cœna agere; nec

5) ex eo sententiam nostram absurditatis argui posse, quia corpus Christi iam sit in cœlo; præterea

6) frustraneam esse operam, quam in congerendis undique exemplis atque testimoniis posuit; speciatim

7) nihil momenti habere Lutheranorum ad Reformatos transgressorum exempla;

8) male denique eum ad loca patrum provocasse, p. 434-436.

II.) De dogmate *Transsubstantiationis* observationes historico-theologicas adspergit, quarum summa huc redit:

1) antiquissimos cœtus christiani doctores suam hac de re mentem in scriptis suis subinde tam confuse & obscure exposuisse, ut colligi inde queat, eos plurimum hic fluctuasse;

2) in ipsis conciliis nihil hac de re fuisse definitum ante seculum VIII.

3) ubi vero seculi IX. evolvitur historia, varias easque sibi repugnantes rursus deprehendi sententias. Quæ singula uberius, copiosius & distinctius, quam quidem ob spatii angustiam indicari hoc loco possunt, pertractantur. p. 437-441.

III.) De *Consecratione eucharistiæ* iis, quæ supra b. *Gerhardus* integro cap. XIII. & ipse in notis ad §. CXLVIII. p. 265. seqq. differuit *Editor*, aliam subiungit quæstionem, nimirum hanc:

an illa verborum institutionis recitatio, quæ distributioni symbolorum eucharisticorum præmitti solet, sit illa consecratio, quæ mox corpus sanguinemque Christi præsentia sistat? an vero opus heic sit adplicatione verborum institutionis ad singulos communicantes, ita quidem, ut, si hæc defecerit, ipsa sacramenti defecerit ratio, si vel maxime usus accesserit?

Postquam *Lutherus Melanchthonis* sententiam adoptavit, statuentis, in ipso demum usu s. cœnæ præsentiam realem corporis Christi se exserere, inde ab eo tempore semper hæc apud ecclesiæ nostræ doctores obtinuit sententia, totam actionem sacramentalem ad id requiri, ut effectus consecrationis sequatur, eo modo discrimine, quod nonnulli *solis verbis institutionis* consecrationem adscribant, alii ad illa etiam *preces* requirant.

Commemoratur quoque controversia Rostochiensis hac ipsa occasione agitata, nec non mos Lubecensium, qui verba institutionis in distributione s. cœnæ prorsus omiserunt. p. 442-445.

IV. De *sacrificio missatico* adspergit *Editor* ea, quæ de *origine* huius doctrinæ tenenda sunt, rationes, cur nos sententiæ neganti adhæreamus, argumenta denique, quibus pontificii innituntur. Observat igitur

Primo de *origine* huius erroris:

1) antiquissimam ecclesiam ignorasse missam, sequioris demum ævi fœtum §. I.

2) Christi institutionem ab hoc errore toto cœlo distare §. II.

3) iuxta eandem prorsus normam eucharistiam sec. IIdo fuisse celebratam §. III.

4) eandem fuisse publicam sententiam usque ad sec. XV. §. IV.

5) novitatem missæ ad oculum demonstrari posse §. V.

6) stamina tamen sacrificii missatici altius repetenda §. VI. & in ipsa antiquitate præludia & occasiones eius quærendas esse §§. VII. VIII. IX.

Secundo argumenta proponuntur *nostra* contra *sacrificium missæ*

Res ad tres præcipuas redit quæstiones, quas nos rationibus firmis innixi negamus,

1) an Christus in eucharistiæ administratione sub specie panis ac vini corpus ac sanguinem suum patri cœlesti obtulerit, atque hanc oblationem in posterum quoque faciendam instituerit? § X.

2) an s. cœna haberi debeat pro vero ac constanti novi test. sacrificio propitiatorio? §. XI.

3) an sacrificium missæ sit propitiatorium? §§. XII-XIX.

Tertio loco excutiuntur, quæ pro stabiliendo missæ sacrificio Romanenses proferunt, argumenta, quæ petunt

1) ex Mal. I, 10. 11. §. XX.

2) ex typo Ps. CIX. 4. Ebr. VII. 17. & facto Melchisedeki Gen. XIV. 18. 19. §. XXI.

3) argumentum Card. *Gotti*, sacerdotium in lege nova non ablatum, sed ab ordine Aaronis ad ordinem Melchisedeki translatum esse, i. e. a *cruento* ad *incruentum* sacrificium. §. XXII.

4) aliud: sacrificium adesse in nov. test. debere, quia adsint & sacerdotes & altare §. XXIII.

5) quo fine *Tournelius*, theologus Parisiensis, speciatim urget locum 1 Cor. X. 16. 18. seqq. §. XXIV.

6) excitant porro typum agni paschalis §. XXV.

7) urgent λειτουργειν Act. XII, 2. denotare actum sacrificandi §. XXVI.

8) omnium maxime innituntur *patrum* locutionibus §. XXVII.

denique ad argumenta etiam respondetur, quibus *Tournelius* & cardinalis *Gotti*, probare volunt, recte offerri sacrificium missæ pro animabus in purgatorio detentis §. XXVIII.

Exceptionum, quibus Romanenses argumenta nostra infringi putant, cum solutu perquam sint faciles, peculiare examen est supervacaneum §. XXIX. p. 446-459.

V. Iis, quæ de *veneratione* eucharistiæ supra cap. XIX. pertractata sunt, *Editor* sequentes addit observationes:

1) solemnem in papatu panis & calicis peracta consecratione *elevationem* ante sec. XIII. in ecclesiam haud fuisse invectam;

2) inter ipsos pontificios esse scriptores candidos, qui hoc confiteantur;

3) cum vero alii id negent, exactiorem disquisitionem requiri;

4) auctores recenset *Editor*, qui argumentum hoc pertractarunt, ex quibus rei summam sequenti modo in compendio exhibet;

5) *elevationis* ritum multo serius a *latinis* quam a *græcis* receptum fuisse;

6) seculo demum XIII. latam ab *Honorio* III. legem *elevationis* meminisse absolute;

7) *genuum* etiam *flexionem* in cœnæ administratione valde recentem esse in papatu morem; ab *Odone*, præsule Parisiensi, quidem decretum,

8) neque vero eius statim ætate universe receptum esse hunc cultum;

9) ipsam pariter panis consecrati *adorationem* ignorare apostolicam & primitivam ecclesiam;

10) *ordinem Romanum*, sec. VIIIvi fœtum, nullam eius iniicere mentionem; nec

11) apud *Bernhardum* & *Hugonem a S. Victore*, seculi XII. scriptores, ullum eius occurrere vestigium;

12) sordidam seculi XIII. barbariem demum introduxisse illum in ecclesiam;

13) *festum* quoque *corporis Christi* recens institutum esse ab *Urbano* IV. anno MCCLXIV.

14) reliquas etiam pontificiorum circa hostiam consecratam solemnitates esse vana instituta & a veteris ecclesiæ exemplo aliena;

15) *Græcæ* ecclesiæ vel consensum vel dissensum hac in re nullius esse momenti;

16) *imperatus* ille *cultus sacramenti*, cum pontificii vi cogunt protestantes ad sacrificium missæ adorandum, sub examen vocatur,

17) excogitavit quidem excusationem *Poiretus*, neque vero illa

18) satisfacit.

19) ad *Lutheri* hac in re consensum falsissime provocant pontificii.

* * *

Jg 1830 (9/10)

ULB Halle
002 610 85X
3

VD 18

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QUONDAM JENENSIS

CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS

DENUO EDIDIT

VARIISQVE OBSERVATIONIBVS

ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGUS TUBINGENSIS.

TUBINGAE

SUMTIBUS IO. GEORGII COTTAE

M D CCLXX.